CORPUS
REFORMATORUM

EDIDIT

CAROLUS GOTTLIEB BRETSCHNEIDER.

VOLUMEN IX.

HALIS SAXONUM

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

1842.

PHILIPPI MELANTHONIS

OPERA

QUAE SUPERSUNT OMNIA

EDIDIT

CAROLUS GOTTLIEB BRETSCHNEIDER.

VOLUMEN IX.

HALIS SAXONUM

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

1842.

PHILIPPI MELANTHONIS

EPISTOLAE, PRAEFATIONES, CONSILIA, IUDICIA, SCHEDAE ACADEMICAE.

ACCESSERUNT

CASP. CRUCIGERI EPISTOLAE ET IUDICIA, ALIORUMQUE ETIAM EPISTOLAE AD VITAM MELANTHONIS ILLUSTRANDAM SPECTANTES.

UNDIQUE EX LIBRIS EDITIS COLLEGIT,

EX MANUSCRIPTIS EMENDAVIT ET AUXIT, ET SECUNDUM SERIEM ANNORUM

DISPOSUIT

CAROLUS GOTTLIEB BRETSCHNEIDER.

VOLUMEN IX.

ANNALES VITAE PHILIPPI MELANTHONIS.

ANNO 1557.

Ian.

Ineunte anno scribit iudicium de colloquio cum catholicis habendo.

2. De intercessione Christi scribit Buchholzero.

10. Theologi Witebergenses respondent Senatui Bremensi de exulibus Anglis.

18. D. 18—28. Ianuarii legati Ecclesiarum Saxoniae inferioris, [videl. Ioachimus Westphal, Ioach. Morlinus Brunsvicensis, Paulus ab Eitzen Hamburgensis, Valentinus Curtius (Korte) Lubecensis aliisque], missi a Flacio, Cosvigae conveniunt, cum Melanthone agunt de pace facienda, eique conditiones pacis et confessionem praescribere conantur.

Febr.

1. Melanthon praefatur in Palladii Isagogen ad libros propheticos et apostolicos.

Post 12. Febr. Melanthon cum Iusto Menio Dessaviam proficiscitur, ut Menio ibi locum quaerat, quod vero ei non contigit.

23. Melanthon Witebergam redit. — Valetudine laborat.

25. Respondet Alberto, Duci Megapolitano, qui Georgium Venetum et Mylium secretarium, legatos miserat Witebergam, ut pacem restituere inter Melanthonem et Flacianos studerent.

Mart.

3. Mittit orationem *Ernesto*, Duce Luneburg.

6. Accedunt ad Melanthonem Pastores Dresdensis et Torgaviensis, missi ab Augusto Pr. Electore, ut Melanthonem consolentur de criminationibus Flacianorum. Cf. ep. d. 8. Mart.

9. Indictum est colloquium Wormatiae habendum.

13. Mel. scribit ad concionatores Stettinenses de confessione Artopaei.

16. Finiuntur imperii comitia Ratisbonae inde a mense Iunio 1556. habita.

27. Melanthon Lipsiae est ad explorandos Scholasticos, qui stipendiis aluntur.

Vocatur a Principe Palatino Heidelbergam ut de academia deliberet, quod iter ab aula Electoris ei non permissum est, vid. ep. d. 18. Apr.

30. Melanthon redit Witebergam.

April

7. Flaciani edunt acta Cosvicensia Magdeburgi.

10. Melanthon disputat adversus Thammeri errores.

18. Praefatur in Bocks Trostpredigt über der Begräbniß Frau Brigitten von Miltitz.

Apr.
19. Tertia epistola Nicol. Galli ad Melanthonem.
27. Flacius Illyricus vocatur in Academiam Ienensem.
Maii
1. Mel. praefatur in Huberi epigrammata.
2. Iudicat, an muti et surdi admittendi sint ad Coenam s.
28. Germaniam Taciti iterum editam dicat Baroni ab Ungnad.
Iun.
Ineunte mense Melanthon interest nuptiis Baronis a Beust.
8. Albertus, Marchio Brandenb., moritur Pforzhemii.
11. Melanthon orationem Nicolai Agricolae editurus et aucturus est.
16. Conventus Principum Palatinorum, Würtembergensis, Hassiacorum et Nassaviensium eorumque theologorum Francofordiae propter instans colloquium Wormatiense. Vid. *Saligii* Historie der Augsb. Confess. III. p. 257 sqq.
18. Melanthon enarrat Demosthenis orationem de corona.
Iul.
4. Antonius Otto, Pastor Nordhusanus edit propositiones, in quibus etiam haec: summa ars Christianorum est nescire legem.
13. Melanthon scribit ad Senatum Francofordiensem de tolerandis exulibus ex Anglia.
Mel. ad Camerarium: „Animum habeo hoc tempore cura Rhenani itineris occupatum. Non ita Scyllam et Charybdin Ulysses metuit, ut ego diram sophisticen et rabiem hypocritarum; malim domi cum filiabus meis dicere pias precationes, quam alibi Sphingos aenigmata audire."
23. Mandatum habet, ut cum P. Ebero et G. Cracovio d. 29. Iul. iter ingrediatur ad colloquium Wormatiense.
25. Melanthon expectat, se Wormatiae opressum iri a sycophantis.
29. *Paulus Lutherus* renunciatur in Academia Witeb. doctor artis medicae.
30. Melanthoni praecipitur, ut ad conventum proficiscatur, quem rex Daniae de controversia de Coena s. habiturus erat; quod vero iter non fecit. Vid. ep. 6. Aug.
Aug.
1. Augustus Dux Sax. Elector, eiusque uxor Anna, in Daniam proficiscuntur. Reliquit mandatum, ne Melanthon prius Wormatiam proficiscatur quam iusserit Mordisinus Cancellarius.
5. Melanthon praefatur in Palladii catalogum haeresium.
9. Flacius theologos suae partis instruit, quid agere debeant Wormatiae in colloquio.
12. Melanthon praefatur in Schosseri libellum de Marchionibus Brandenburg.
14. Melanthon auditoribus suis valedicit, profecturus Wormatiam.
16. praefatur in Tom. IX. opp. Lutheri germanicorum ad Ottonem Henricum, Palatinum Electorem.
18. in itinere est Eckardsbergae cum comitibus Ebero, Peucero et Cracovio.
20. Flacius legatos Wimarienses incendit adversus Melanthonem.
23. Melanthon Academiae Marburgensi, ubi honorifice exceptus est, carmen scribit.
26 Francofordiam ingreditur.
28. Wormatiam venit.
31. Basilius Monnerus, legatus Wimariensis de Melanthone haec: „quotquot sunt hic (Wormatiae) theologi nostrarum partium, eum (Melanthonem) honorifice exceperunt, reverenter et quasi numen adorant. Nudius tertius (d. 29. Aug.) a concione cum egressi eramus, omnes eum salutabant ut praeceptorem; *ego procul stabam.*"
Sept.
5. Conveniunt legati Principum et Theologi Evangelicae partis Wormatiae, ubi Wimarienses petunt, ut prius, quam aliquid cum catholicis agatur, publice damnentur Zwingliani, Osiandri doctrina, propositio (Georgii Maioris): bona opera esse ad salutem necessaria, et Adiaphoristae (Melanthon et Witebergenses).

Sept.
11. Iulius Pflug, episcopus Naumburgensis, colloquium oratione inchoat, cui Melanthon respondet.
13. Secundus consessus Wormatiae.
14. Tertius consessus.
Melanthon cum aliis theologis iudicat de quaestione per Georg. Kargium mota: an corpus Christi in coena s. sumptum in ventrem descendat?
15. Quartus consessus. — Traditur Catholicis declaratio de notione verae Ecclesiae a Melanthone scripta.
16. Quintus consessus.
20. Sextus consessus, ubi Wimarienses protestationem tradunt.
23. Flacius Illyricus adversus Melanthonem scribit ad Regem Daniae.
27. Melanthonis coniux aegrotare incipit.
Oct.
2. Wimarienses ex conventu discedunt.
4. Melanthon et reliqui condemnant Schwenkfeldii errores.
8. Legati Gallicorum exulium veniunt Wormatiam petentes, ut principes Protestantes pro ipsis intercedant apud Regem Galliae.
9. Declaratio publica Theologorum Witebergensium in conventu.
11. Coniux Melanthonis moritur Witebergae.
13. Literae Academiae Witeb. ad Melanthonem de morte coniugis suae.
Elector Palatinus petit a Melanthone, ut Heidelbergam veniat.
17. Mel. invitatur Heidelbergam ab Academia.
21. Protestatio theologorum in conventu Wormat.
22. Melanthon cum Peucero et Iac. Rungio intrat Heidelbergam, honorifice exceptus a Principe et ab Academia. Posthius eum nomine Academiae salutavit oratione et carmine.
27. Heidelbergae accipit Melanthon literas Academiae Witeberg. de morte coniugis. Ioachimus Camerarius et Sigismundus Melanthon, frater Philippi, proficiscuntur Heidelbergam ad Melanthonem consolandum.
31. Melanthon Heidelberga discedit.
Nov.
4. Mel. vexatur lithiasi. — Scribit de doctrinae capitibus controversis, de quibus theologis sit disputandum.
18. Literae Ferdinandi regis afferuntur Wormatiam, quae iubent in colloquio pergere.
Mense Nov. Laelius Socinus Wormatiam venit.
Eodem mense Melanthon scribit Palatino Electori iudicium de reprimendis Anabaptistis, quod deperditum esse videtur. Vid. ep. ad Bordingum d. 10. Apr. 1558.
Dec.
1. Laelium Socinum commendat Sigismundo Augusto, Regi Poloniae, et Maximiliano Regi.
Melanthon et caeteri theologi Wormatiae congregati intercedunt literis apud Regem Galliae pro Evangelicis in Gallia vexatis.
Iidem declarant Praesidi Colloquii, se firmiter sequuturos esse doctrinam in Augustana confessione traditam.
3. Melanthon iudicat de forma agendorum sacrorum sibi missa a Comitibus ab Erbach.
6. Dissoluto colloquio et conventu Melanthon iter ingreditur domum.
8. Est Francofordiae, hospitio ibi exceptus a Nicolao Bromio. Quid ibi egerit cum Hartmanno narratur in ep. Langueti, quam habes infra d. 15. Mart. 1558.
11. Melanthon est Fuldae.
20. Est Lipsiae.
22. Venit Witebergam.

Dec.
26. Mel. scribit: „inimici mei iactarunt, se expulsuros esse me ex tota Germania."
Exeunte anno scribit ad Augustum, Duc. Sax. Elect., quibus articulis fidei insistendum sit.
Praefatus est hoc anno in Avenarii grammat. hebraicam.

ANNO 1558.

Ian.
6. Heshusium commendat, ut vocetur in Academiam Heidelbergensem.
16. Legati Transylvaniorum Witebergae sunt, quibus tradit sententiam perscriptam de coena domini. Cf. epist. d. 25. Ian.

Febr.
4. Libellum: „Chronicon Carionis" retexit, quod Witebergae excuditur. Mittit Palatino Electori formam Consistorii Witebergensis.
5. Lipsiae conveniunt Augustus Dux Sax. Elect. et Ioachimus II. Marchio Brandenb. Elect., simulque Henricus, Dux Brunsvicensis, ut consilia inter se conferant de instante conventu Francofordiano d. 1. Martii.
7. Melanthon Dresdam proficiscitur vocatus ab aula.
9. Venit Dresdam.
16. In reditu est Torgae.
24. Palatinus Elector et Dux Würtembergensis flagitaverant, ut synodus Protestantium convocaretur, quare Melanthon iussus est scribere quarundam controversiarum diiudicationes easque Francofordiam in conventum Principum mittere.
27. Dessaviam proficiscitur ad Ioachimum Anhaltinum.

Mart.
1. Conventus ordinum imperii Francofordiae.
4. Melanthonis sententia Principi Electori missa de synodo Protestantium convocanda.
11. Mel. Staphyli calumnias refutat scripto.
13. Mittit *orationem de Gregorio Nazianzeno.*
15. Languetus in epist. ad Calvinum: „Dominus Philippus annis, laboribus, calumniis et sycophantiis multorum ita fractus est, ut ex illa consueta hilaritate nihil prorsus in eo sit reliquum. Adeo autem tenui et incerta valetudine est, ex quo rediimus Wormatia, ut vix spes sit, eum diu superfuturum."
18. Declaratio Principum Protestantium in comitiis Francofordianis, vulgo „der Frankfurter Receß, vel die Frankfurter Compositionsschrift" dicta.
23. Heshusius iter ingreditur Heidelbergam.
24. Mel. mittit amicis librum suum contra Staphylum et carmen περὶ χαρίτων.
27. Mel. est apud praefectum Belcensem (zu Belzig).
31. Lipsiae est ad explorandos scholasticos, qui stipendiis aluntur.

Apr.
1. Praefatur in Schosseri Marchiadis librum.
2. Scribit ad amicum: „ego laboribus ita obruor, ut quotidie mortem expectem."
4. Mittit Iacobi Micylli epicedion a Petro Lotichio scriptum. Cf. ep. ad Stigel. d. 6. Apr.
14. Philippus Dux Pomeraniae Stettinensis scribit ad Melanthonem de conventu cum Flacianis Magdeburgi habendo (cf. Salig's Historie der Augsb. Confess. III. p. 391.), eumque invitat Stettinum, ut cum eo colloquatur de recessu Francofordiano.

Apr.

20. Io. Bugenhagen Pomeranus moritur, aetatis suae anno 73.

Hoc mense Catharina, Sabini filia, apud Melanthonem educata, desponsatur Michaeli Meienburgo.

Exeunte mense Mel. praefatur in Chronicon Carionis.

Maii

1. Cracovius mittitur ab Augusto Elect. legatus ad Marchionem Onolsbacensem propter conventum theologorum Magdeburgi habendum, qui vero non procedit.

4. Melanthon Lipsiam proficiscitur ad visendum Iustum Menium aegrotum.

9. Flacius scribit adversus recessum Francofurdensem.

14. Melanthon Senatui Norinbergensi respondet de recessu Francof.

29. Melanthonis liber contra Staphylum iterum excuditur, cui additurus est refutationem alterius libelli a Staphylo emissi.

Ineunte Maio Flaciani, quum conventus Magdeburgi habendus non processerit, conveniunt Wimariae, et ibi decreta faciunt contra recessum Francof.

Iun.

13. Melanthon invitat ad nuptias *Annae*, Sabini filiae, et Eusebii Menii.

16. Scribit: „Defluit mihi larga pituita in pectus, quae mihi mortem minatur."

27. *Nuptiae Annae* et Eusebii Menii.

Exeunte mense Melanthon lapsu duriter quassat os sacrum.

Iul.

23. Instant nuptiae Catharinae, filiae secundae Sabini, cum Mich. Meienburgo.

Aug.

1. Peucerus de Melanthone: „Senex noster vix spiritum ducit."

4. Melanthonis oratio de Bugenhagio publice recitatur.

Censura recessus Francof., a Wimariensibus edita, est in aula Principis Electoris.

Mel. accipit novum Schwenkfeldii librum.

12. Cometa conspicitur sub coma Berenices.

13. Melanthon nuntium accipit de morte *Iusti Menii.*

15. Paulus *Eberus* commendatur aulae, ut succedat in locum Bugenhagii.

10. Mittit amicis orationem de Bugenhagio.

Sept.

1. Mel. prolixe scribit cuidam Principi de novissimis controversiis theologicis.

9. Prodeunt in Bavaria articuli inquisitionis de doctrina.

11. Catharina, sponsa Meienburgi, graviter aegrotat.

17. Moritur *Anna*, Camerarii filia, coniux Esromi Rudingeri Witebergae.

20. Moritur *Carolus*, Imperator, in Hispania, de cuius eximiis dotibus Melanthon multa scripsit in annalibus suis ad hunc annum.

21. Responsum Melanthonis ad censuram, qua Wimarienses recessum Francof. taxaverant.

Oct.

1. Mel. scribit ad Fridericum, Ducem Silesiae, de vocandis doctoribus in scholam Goldbergensem.

Praefatur ad eundem Ducem in Trotzendorfii catechesin scholae Goldberg.

3. Melanthon articulos inquisitionis Bavaricae edit in usum scholae, et tradit in schola responsiones, e quibus deinde eius liber: Responsiones ad artic. Bavar. inquisitionis, natus est, qui anno 1559. prodiit.

Hoc fere tempore *nuptiae Catharinae*, Sabini filiae, et Mich. Meienburgi. Cf. epp. d. 15. Oct.

Nov.

1. Erhardus *Schnepfius* moritur.

10. Melanthon iterum scribit ad Fridericum Ducem de schola Goldbergensi.

Idem laudes Ioannis Friderici, Ducis Sax. Elect. scribit ad Stigelium.

13. Peucerus in ep. ad Baumgartn. de Melanthone: „Socer inde usque ab aequinoctio autumnali coepit indies habere deterius. Metuo, ne anni proximi κλιμακτῆρα, quem ad 16. Febr. inchoabit, experiatur adversum et difficilem. Videtur ipse sibi attenuato corporis et languefactarum virium sensu nescio quid sinistri ominari."

Hoc anno Mel. edidit propositiones theologicas Lutheri cum praefatione. Item Pindari carmina conversa in latinum sermonem cum praefat. ad Christoph. a Carlowitz. Item: respondit ad epistolam Pici Mirandul.

ANNO 1559.

Ian.

1. Mel. mittit *carmen de Ioanne Baptista.*

4. Est Lipsiae.

6. Comitia Augustae Vindelicor., ad quae ab Augusto Elect. Georgius Cracovius mittitur.

20. Conventus Fuldae condictus, qui vero non processit.

26. Mel. mittit *orationem de Ludovico Bavaro.*

Febr.

6. Editus est liber ab aula Wimariensi adversus recessum Francoford., dictus: das Weimarsche Confutationsbuch.

12. Moritur *Otto Henricus* Palatinus Elector.

15. Liber confutationum Wimariensis ab Augusto El. mittitur Melanthoni, ut sententiam de eo suam scribat.

16. Mel. edit enarrationem ep. Pauli ad Colossenses Herlufo Troll inscriptam.

27. Mel. mittit responsum de libro Wimariensi ad Augustum Pr. Elect.

Mart.

4. Melanthon commemorat, in Lithuania multis diebus stellam incognitam, in meridie fulgentem, conspectam esse.

6. Victorinus Strigelius vocatur in Academiam Regiomontanam.

7. Philippi, Landgravii Hassiae, sententia de libro Wimariensi.

10. 10 — 16. Mart. Melanthon fuit Lipsiae.

17. Mel. accipit ex aula Electoris articulos a Ferdinando Caesare missos de iure Pontificum Rom. in eligendis Imperatoribus Romanis.

19. Orationem Bordingi de morte regis Danici recudi curat.

20. Suam sententiam de nova synodo convocanda scribit ad Philippum Landgr. Hassiae.

Eodem die scribit ad Magnates Poloniae de ecclesiis et scholis recte instituendis.

21. Ioanni Cratoni scribit de sua et de Lutheri sententia de coena sacra.

Mittit *carmen de Sycamino.*

23. Editus est Nicolai Amsdorfii libellus, in quo contendit: die guten Werke seyen schädlich zur Seligkeit.

25. Mittit Melanthon *orationem de congressu Bononiense.*

26. Captivi abducuntur in arcem Grimmenstein, iussu Ducis Wimar., Hugelius Pastor Ienensis et Vict. Strigelius.

Apr.

1. Melanthon praefatur in Osii historiam Sauli et Davidis ad Fridericum Regem Daniae.

6. Mittit pagellas de libero arbitrio et de bonis operibus.

9. Mittit partem iudicii de iure Papae in eligendis imperatoribus ad aulam.

Apr.
20.21. Lipsiae est in mercatu.

Hoc mense Senatus Brunsvic. Melanthonem interrogat, quid statuat de coena sacra.

Maii
1. Responsiones Melanthonis ad articulos Bavaricae inquisitionis eduntur.

7. Ioannes Agricola Berolini concionatur publice contra Melanthonem.

16. Demetrius, Diaconus Byzantinus, est Witebergae.

25. Nondum absolutum est scriptum de iure Papae in Imperatores.

Iun.
11. Mel. scribit: „Regis Maximiliani literas vobis mitto, qui me ad moderationem hortatur; qua de re splendidissime respondere possem, nisi et temporum et Patris et ipsius rationem haberem. Respondebo tamen aliquid."

23. Invitat Iochimum Camerarium ad publicam Peuceri pro gradu disputationem d. 27. Iun. instituendam, quae autem non processit, quia Peucerus febri tertiana laborans, praetulit iter facere cum Melanthone in patriam suam, Budissinum, arbitratus (cf. ep. d. 18. Iul.), aëris mutationem ad depellendam febrim profuturam esse. (Peuceri promotio fuit d. 30. Ian. 1560.)

26. Fere hoc die iter ingreditur cum Peucero Budissinum.

30. Est Budissini, ubi perscribit iudicium de iure Paparum in Imperatores, quod postea (d. 10. vel 11. Iul.) manu Eberi descriptum missum est in aulam Electoris.

Iul.
5. Mel. est Dresdae, unde domum properat.

19. Coniux Peuceri, annum 28. agens, sexto est gravida.

25. Mel. scribit ad amicum: „hic annus climactericus in hoc aestu valde languefecit corporis mei vires. Cedam libenter ex horum temporum sophistica."

31. Vratislaviensibus scribit de coena sacra.

Aug.
1. In Tomum XII. opp. Lutheri germanicorum praefatur ad Fridericum, Regem Daniae.

3. Melanthonis oratio περὶ ἕξεως in promotione Andreae Rosae Witebergae praelecta. Cf. ep. d. 19. Aug.

10. Adfertur Schwenkfeldii libellus scriptus adversus Melanthonem et Eberum.

Accipit literas de rixis Suinfordiae ortis.

Mittit amicis orationem in promotione Rosae habitam, typis exscriptam.

18. Berolini certamina sunt de propositione: an bona opera sint necessaria.

Moritur *Paulus IV.* Papa.

23. Melanthon enarrat epist. Pauli ad Timotheum.

Hoc mense tandem absolvuntur Melanthonis responsiones ad articulos Bavaricae inquisitionis.

Sept.
3. Iam recuduntur responsiones ad articul. Bavar. inquis., quia editionis prioris nulla exempla reliqua sunt.

Mel. scribit ad amicum: „hostes mei dixerunt, se mihi non relicturos esse vestigium pedis in Germania. Si expellar, decrevi Palaestinam adire."

11. Scribit laudes coniugis suae defunctae.

18. Monetur a Philippo Landgravio, ut scribat aliquid contra Amsdorfium, „den alten Phantasten."

Sept.

25. Mel. mittit Patriarchae Constantinopolitano confessionem augustanam in graecum sermonem conversam.

29. Praefatur in Iusti Menii „Predigten aus den Episteln St. Pauli an die Römer etc.", ubi etiam Menii vitam narrat.

Praefatur Melanthon in suum Corpus doctrinae germanicum.

Oct.

3. De carminibus suis modestissime iudicat, nec vult ut ea edantur.

Ad Henricum Ducem Silesiae scribit de coena sacra.

8. In usum aulae Elect. scribit literas formatas ad Reginam Angliae.

Heidelbergae ardet controversia de coena sacra inter Heshusium et Klebitzium.

18. Mittit Melanthon *orationem περὶ χαρίτων.*

Georgius Cracovius eligitur Rector Acad. Witeb.

24. Davidem Voigt, vocatum in academiam Regiomont. commendat.

Nov.

1. Prodeunt Melanthonis epigrammata cura Grathusii, cum praefatione Melanthonis ad Comites Lippenses.

Melanthon scribit suum iudicium de controversia inter Heshusium et Klebitzium ad Palatinum Electorem.

7. De finibus terrae Misnicae suam perscribit sententiam.

10. Moritur *Iacobus Milichius.*

13. Mel. respondet de controversia Suinforti agitata.

14. *Musculus* cum Abdia Praetorio disputat in academia Francofordiana de necessitate bonorum operum. Cf. ep. d. 15. Mart. 1560.

29. Peucero nascitur filius.

30. Locham proficiscitur Melanthon ad Augustum Pr. Elect., ubi sermo est de nova synodo a Wimariensibus indicta.

Dec.

3. Paulus Eberus renuntiatur in Academia Wit. doctor theologiae. Propositiones ei scripserat Melanthon. Vid. ep. d. 22. Nov.

18. Scribit suam sententiam de synodo theologorum convocanda et de foederibus Principum.

21. Ardent rixae de coena sacra Bremae.

Hoc anno scripsit quaestiones de λόγῳ; de necessitate novae obedientiae; de officiis magistratuum; de litigantibus in foro admittendis ad coenam sacram.

ANNO 1560.

Ian.

1. Mel. praefatur in Nysaei tabulas locorum communium; item in Barth. Georgiewitz librum de origine imperii Turcarum.

2. Lipsiam proficiscitur.

5. Lipsiae est.

10. Iterum est Witebergae.

Ian.

12. Accusatus est Melanthon a Duce Würtemb., quod naturas in Christo dirimat, de qua re Melanthon ad eum scripsit. Is misit formulam doctrinae de coena sacra ad Augustum Elect., ut exhiberetur theologis Witenberg. et Lipsiensibus, quod autem Augustus non fecit. Cf. epp. d. 1 — 9. Febr.

15. Moritur Franciscus *Burchardus.*

20. Scribit Melanthon: „ego patriae coelestis desiderio afficior, et si diutius in his aerumnis vivendum est, longius abesse me ab hac barbarie optarim."

22. Ioannes Agricola contendit, Ecclesiam non esse coetum visibilem.

30. Peucerus, Melanthonis gener, renuntiatur in Acad. Wit. doctor artis medicae, ad quam promotionem Melanthon scripsit *orationem de Gregorio Pontano.*

Febr.

3. Mel. commemorat, quid sit *Latinum Hechingense.*

4. Respondet ad literas ex Pannonia et Austria acceptas (cf. 2. Febr.), in quibus ab eo petitum fuerat, ut suam de sacra coena sententiam perscriberet.

Augustus Pr. Elect. monet utramque Academiam, Witeb. et Lips., ne scripta edantur, quae certamina theologorum augeant. Cf. ep. d. 8. Febr.

16. Mel. praefatur in suum Corpus doctrinae latinum.

28. Hortatur Hardenbergium, ne, quod adversarii eius volebant, publica de coena s. instituatur disputatio.

Mart.

5. Legati Würtembergenses, Palatini et Hassiaci flagitant ab Augusto, Pr. Electore, ut synodus theologorum convocetur.

Melanthon hortatur Chytraeum, ne de coena sacra disputet.

14. Davidis *Voigt* disputatio publica in Acad. Witeb., pro gradu doctoris Theologiae.

25. Mel. indicit praelectiones in locos suos theol. in schola habendas.

Edit secundam partem Chronici Carionis, dicatam Sigismundo Episcopo Magdeburg.

Scripsit hoc mense: de norma iudicii in Ecclesia; de definitione legis moralis.

30. Exeunte mense Lipsiam proficiscitur ad explorandam doctrinam scholasticorum, qui stipendiis aluntur.

Apr.

4. Domum proficiscitur.

5. Advenit Witebergam vexatus a frigore aëris.

7. Scriptum de praesentia corporis Christi in coena s.

8. Calculus ei facit dolores saevissimos. Corripitur a febri tertiana.

9. Peucerus, sollicitus morbo Melanthonis, accersit Ioachimum Camerarium.

10. Mel. pergit in Chronico Carionis dictando usque ad Carolum magnum.

11. Febris recurrit.

13. Scribit pagellam publice affigendam et utitur coena sacra publice in templo.

Versus vesperam redit febris.

Camerarius advenit.

14. Sentit Melanthon, se brevi moriturum esse.

15. Febris iterum recurrit.

Apr.

16. Melanthon ultimam scribit epistolam.

Camerarius Lipsiam proficiscitur promittens, se mox rediturum esse.

18. Melanthon incipit testamentum suum scribere, sed illud ad finem non perducit.

19. Vesperi quadrante horae ante septimam moritur.

20. Mortui facies ab artifice depingitur, et corpus conspiciendum exponitur omnibus, qui mortuum videre expetebant.

21. Corpus Melanthonis sepelitur.

PHILIPPI MELANTHONIS

EPISTOLARUM, PRAEFATIONUM, CONSILIORUM
LIBER TREDECIMUS,

COMPLECTENS EA, QUAE SCRIPSIT ANNIS 1557. 1558. 1559 ET 1560.

1557.

No. 6143. (ineunte anno.)

(*Iudicium.*)

Editum a Pezelio in Melanthons christlichen Bedenken und Berathschlagungen p. 494. — Sine dubio hoc Melanthonis scriptum ad Augustum Ducem Sax. Elect. missum est.

„Obs rathsam, sich mit den Papisten in ein Colloquium zu begeben? darauf das Colloquium zu Wormbs gefolget ist, Anno 57."[1])

So man ja etwas soll und muß versuchen zu Vergleichung, wie in dem nähesten Abschied gemeldet, ist dennoch leidlicher, ein Colloquium fürzunehmen, und ist wahr, ich wollte, daß es nicht allein Schein-Handlungen wären auf beiden Seiten, sondern daß beiden Theilen Ernst wäre, die Wahrheit zu suchen und hernach Einigkeit und gute Regierung und Disciplin anzurichten und zu erhalten. Denn ich kann nicht verstehen, daß in die Länge bischofflicher Stand, und unter uns selbst Ungleichheit und Anarchia bestehen kann. Allein hab ich diesen Trost, daß Gott seine Kirche erhalten werde, und dazu etliche gottförchtige Regenten geben. Nun soll aber der Mangel nicht an uns seyn. Wir seynd schuldig, in nöthigen Artikeln rechte Lehr zu erklären, treulich und ohne Sophisterei. Dazu sollen wir uns erbieten, so die Stände ein Colloquium begehren. Dann auch zu hoffen, daß etliche Fürsten und Bischoffe zu rechter Lehr durch diese Erklärung gebracht würden.

Und ist erstlich von der Forma, Präsidenten und Personen zu reden. Sechs Präsidenten, weltliche Fürsten, Pfalz, Jülich, Sachsen Churfürst, Wirtenberg, Sachsen junge Herrn, Marggraf Hanns. So auch Bischoffe zu Präsidenten zu ordnen, möchten Mainz und Wirzburg ernennet werden. Als Personen Colloquii zu gebrauchen, auf jeder Seiten 10 Personen Colloquii; und sollte jeder Person Colloquii[2]) ein weltlicher Rath zu verordnen seyn. Nun kenne ich wenig tüchtige Personen bei den Bischoffen, gedenk aber diese wären zu nennen: dem Primat Germaniae, Magdeburg, gebühret von Alters im National-Synodo zu präsidiren; von dessen wegen sollte ein Gelehrter zum Colloquio zu verordnen seyn. Naumburg selbst[3]); Merßburg selbst; einer von wegen Mainz, einer von wegen Jülich, einer von wegen Herzog Albrechts von Baiern; Bischoff von Münster selbst; einer von wegen Wirzburg, Cölln, Trier. Vielleicht wird der König Ferdinandus seine Personen auch zur Zahl haben wollen, oder wird Brandenburg, Churfürst, die Seinen auch bei diese ordnen.

Auf unsern Theil Doctor Schneppius, Brentius, Daniel[4]), Pastor zu Dresden, Sarcerius, Joachimus Mörlin zu Braunschweig, Westphalus zu Hamburg, Henricus Stol, Prediger zu Heidelberg, Jacobus Rungius Pomeranus, Adamus Krafft zu Marburg, oder Doctor Hyperius, Doctor Marbachius zu Straßburg. Die auf unsern Theil sollten Befehl haben, daß sie sämmtlich in allen Artikeln eine einträchtige Meinung fürtragen, und sich allzeit einer einigen Antwort vergleichen.

Nun wird fürnehmlich zu reden seyn von der Lehr, Missa, mittlen Ceremonien, Ordination und bischofflicher Jurisdiction. Wie nun der Eingang zu machen, davon ist in der andern Schrift, die hie beigelegt, eine kurze Erinnerung angezeiget, nämlich mit nöthiger Erzählung der Ursachen, warum die Lehrer, Chur- und Landfürsten diese Lehre angenommen, und noch dabei mit Gottes Hülf zu bleiben gedenken; daß solches nicht aus Fürwitz, Leichtfertigkeit zur Neuerung, oder zur ungebührlichen Freiheit, oder um der Kirchen Güter

---

1) Inscriptio apud Pez.

2) verosimilius: jedem Theile der Colloquenten.

3) i. e. der Bischoff in Person.

4) Daniel Gresser.

willen, oder jemand zu Verdruß etc. geschehen sey, sondern daß wir durch die unwandelbare Gebot Gottes dazu gedrungen sind. Und diese Gebot soll man anziehen, daß etliche Gegentheil erinnert werden, daß sie Gott hierinnen auch gehorsam sind, und rechte Lehr annehmen, als nämlich diese Gebot: Du sollt nicht fremde Götter haben! Fliehet Abgötterei. Item: wer erkannter Wahrheit widerstrebet, der thut Lästerung, die nicht vergeben wird. Nun ists ganz öffentlich, daß in vielen Artikeln die Päpstischen Abgötterei treiben, stärken und erhalten.

Darnach, so man zur Sachen kompt, ist dies erstlich fürzutragen, daß wir nicht ein Gemenge und neue Verwirrung gedenken zu machen, wie mit dem Interim geschehen, sondern erstlich bei den andern suchen, daß sie sich vernehmen lassen von der Lehr, und mag angezeigt werden, daß man ordentlich von den Artikeln rede, und wo sie etwas für unrecht halten in unsrer Confession, davon wollen wir Erklärung thun, und soll zuvor bedacht werden bei den Unsern, auf welche Schriften sie sich einträchtiglich referiren wollen. Denn die Meinung ist im Grund einträchtig in der Augsburgischen Confession Anno 1530., und in der jungen Herrn[5]) Antwort an den Kaiser, und in der Wirtenbergischen Confession und in der sächsischen Städte Antwort auf das Interim. Denn es muß ja die Lehr einen Namen haben, damit der Gegentheil nicht schreie, man wisse nicht was wir halten, und geben für, der Unsern Schriften sind ungleich und einander widerwärtig; das sie allein zu unserm Unglimpf reden, so sie doch wissen, daß unsre Kirchen in der Hauptlehr einträchtig sind. Wo nun die Päpstler in den Hauptartikeln der Lehr nicht mit uns einträchtig seyn wollen, so ists vergeblich, zu den andern Sachen, zur Missa, zur Ordination, Jurisdiction, fortzuschreiten. Ich gedenke aber, wenn wir gleich einträchtig sind de Iustificatione, so werden sie in diesen Artikeln, de Ecclesia, de Missa, de invocatione sanctorum nicht von ihrem Irrthum abstehen wollen. Dennoch möchten durch Gottes Gnaden etliche Fürsten bewegt werden, rechte Lehr anzunehmen. Denn Kaiser, König und vielen andern liegt der Artikel von der Priester Ordnung heftig an; denn sie stecken in dieser Opinion: unsre Priester, die nicht von Bischoffen ordinirt sind, können nicht consecriren. Und schleift diese Fantasey viel Irrthum mit sich. Derohalben, so das Colloquium werden sollte, müssen wir uns selbst zuvor von der Ordination und bischofflichen Jurisdiction unterreden. Denn die Examina der Lehr sind den Bischoffen nicht zu vertrauen.

Ich kann auf diesmal nichts weiters anzeigen. Ich besorge, es werde eine große Veränderung teutsches Reichs geschehen. Der allmächtige Gottes Sohn Jesus Christus, der ihm gewißlich eine ewige Kirche durchs Evangelium sammelt, und nicht anders, wolle gnädiglich die christliche Kirche und christliche Fürsten in Teutschland regiren und bewahren.

Man schreibt, in der Capitulation zwischen dem Kaiser und Papst sey dieser Artikel auch, daß der Kaiser den gegebenen Frieden zu Augsburg Anno 1555. wiederum aufhebe. Nun ist in allewege zu arbeiten, daß derselbe Friede nicht geändert werde. So auch der Kaiser will fortfahren ein National-Concilium zu machen, das ihm der Papst und Bischoff regierten, achte ich, es werde langsam ins Werk gebracht werden; und obs gleich angefangen würde, so haben wir darinnen diesen Vortheil, daß wir alsdann stehen Feind gegen Feind, und so wir einen Ernst erzeigen wollen, kann man dem Papst, den Bischoffen und ihren Hochgelehrten ihre Blindheit, Untugend und Tyranney also fürmahlen, daß sie keinen Glimpf erhalten werden, und wird alsdann die Nothdurft seyn, daß die Unsern sich zuvor unterreden. Der allmächtige Sohn Gottes, Jesus Christus, wolle uns gnädiglich regiren zu seinem Lob, und wolle nicht Türkische und andre abgöttische Macht und Regiment lassen gewaltig werden über diese Kirche und Lande.

Philippus Melanthon.

No. 6044. 2. Ian.

Ge. Buchholzero.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[a].

Georgio Buchholtzero, Pastori Ecclesiae in urbe Arctoa.

S. D. Reverende vir et cariss. frater. Vult utrumque Deus, et ut doleamus, cum avellimur aliquantisper a nostris aut illi a nostro conspectu avelluntur, et ut dolorem moderemur, ut scis. Multum exempla te consolari poterunt. Nam cum alii sancti viri viderint tristiora funera, cogitemus nos quoque communium calamitatum socios esse oportere, nec velimus eximi a communi lege, cum et nos simus massa peccati. Consoletur te etiam

5) Filiorum Iohannis Friderici, Electosis, Ducum Saxoniae.

beatitudo filii. Saepe opto mortem ut viator noctu iter faciens optat diem, quia videre coram lucem illam cupio, de qua nunc ex sermone divinitus tradito et nos et alios docemus. Moventur ingentia certamina in multis locis de natura divina in filio. Et mecum disputant vicini quidam de ea quaestione. Sed Deum oro, ut nos gubernet. Valde optarim, nos coram aliquando de multis rebus colloqui posse. Mitto tibi responsiones grammaticas et historicas, quas petiisti, et oro ut mihi significes, an hunc fasciculum acceperis. De filii Epitaphio cogitabo. Faciam ipse ei aliquot versus, cum velle te hoc intellexero. Sed significabis mihi, an Epicedion scriptum sanctae Matronae coniugi D. *Islebii* vobis placuerit *). Bene et feliciter vale. Die 2. Ianuarii anno 1557.

Philippus.

De verbo ἐντυγχάνειν certum est, id verbum significare interpellare vel compellare, vel intervenire. Paulus eo utitur Rom. XI.: Elias compellat Deum contra Israel. Paulus 1 Timoth. 4.: sanctificatur cibus per verbum et precationem. Ibi ἔντευξις simpliciter significat precationem. 1 Timoth. 2. ἐντεύξεις, intercessiones. Nazianzenus in oratione de filio Dei, enarrans Pauli locum ad Roman. 8., aperte inquit: πρεσβεύει ἔτι καὶ νῦν ὑπὲρ τῆς ἐμῆς σωτηρίας: legatione fungitur etiam nunc pro mea salute. Quid dici clarius potest? Ex scriptoribus historicis multa possem testimonia citare. In Pelop. inquit Plutarchus, tyrannum Thessalicum prohibuisse, ne admitterentur ad captivum Pelopidam homines allocuturi eum. Ἐκώλυσεν ἐντυγχάνειν αὐτῷ, prohibuit eum alloqui. Aristoteles ait, dialecticam utile esse πρὸς ἐντεύξεις, i. e. ad colloquia, ut ordine et apte colloqui inter se possint hi, qui volunt aliquid inquirere.

In *Eusebii* ecclesiastica historia libro sexto capite postremo epistola est Dionysii Alexandrini ad Novatum, in qua sunt haec verba: et erat non inferior gloria sustinere martyrium, ne scindatur Ecclesia, quam est illa, ne idolis immoletur. Postea sequuntur verba hyperbolica, quae non est opus recitari. Potes inspicere locum, et in lectione omnium humanorum scriptorum candor in iudicando adhibendus est; et interdum ἐπιείκεια accedat propter temporum confusiones.

De *Nicephoro* scias, complexum esse historiam a tempore Apostolorum usque ad Imperatorem Phocam. Recenset et miserabilem exitum Imperatoris Mauritii, cuius excellens virtus fuit. Vixit Nicephorus ante annos circiter quadringentos, tempore Imperatoris graeci Emmanuelis, qui factus est Imperator Constantinopolitanus anno 1142. Eo tempore fuit Imperator germanicus Conradus Suevus post Lotharium Saxonem. Hic Conradus Suevus gessit bellum cum Guelpho, duce Bavariae, qui ad familiam comitum Zolrensium pertinet, ex qua sunt Marchiones Brandenburgenses, qui nunc Marchiam tenent. Obsederat Conradus arcem *Winspurg*, vicinam oppido Heilbronn, in qua erat *Guelphus* cum coniuge et multis viris et matronis nobilibus. Desperata autem defensione arcis mulieres petunt, sibi concedi ut fide publica ex arce in Bavariam redeant cum rebus quas gestare possent. Concedit Imperator. Mulieres exportant viros et pueros. Imperator videns hanc mulierum virtutem pacem fecit. Postea Conradus et Guelphus simul in Asiam profecti sunt, ut iuvarent eos, qui recuperaverunt Ierusalem. Circa illa tempora vixit Nicephorus.

*) Id iam promiserat in ep. ad Buchholz. d. 23. Maii 1556. De morte coniugis Islebii iam sermo est in ep. ad Buchh. d. d. 31. Oct. 1555. Epicedium autem (quod legitur in Mel. Epigramm. p. 191.), miserat d. 28. Dec. 1556.

No. 6145. 2. Ian.

Th. Hübnero.

Manlii farrag. p. 248 sq.

Clarissimo viro D. N. N. *) *amico suo,*

S. D. Aliquanto minus deformis est Ecclesia, cum multi nostri ordinis pium consensum tuentur, et coniunctionem amant. Quare cum video aut audio bonos et doctos viros, et iudiciis et voluntatibus nobiscum congruere, et Ecclesiae et nostra causa gaudeo. Sum igitur et honestissimi viri patris tui congressu, et tuis literis valde delecta-

*) G. Buchholtzer adscripsit nomen: *T. Hübnero.*

tus: et utrique gratiam habeo, quod benevolentiam mihi vestram ostendistis.

Fratris studia inspiciam, et cum N. de eo colloquar, ac meum iudicium tibi significabo. Profecto enim maxime opto, ut iuventus recte et ordine discat: quod te quoque iam saepe cogitare non dubito, considerantem quantum onus sustineat is, qui format tenerum ingenium Principis: quo in labore Deus et tua consilia, et mentem discipuli regat oro. Quantum bonum sit bonus et salutaris princeps, non obscurum est. Nec dubium est, singulare Dei donum et opus esse talem principem: sed tamen doctrina praeparari mentes Deus iussit. Ad eam militiam cum te vocaverit, spero etiam tibi affuturum esse: et ut tuos labores adiuvet, eum oro. Vale. Die secundo Ianuarii, anno 1557.

Mitto pagellas, quarum tibi lectionem non insuavem fore arbitror.

No. 6146. 2. Ian.

Garcaeus ad Melanth.

Descripta nobis a Cl. Doct. *Erhardo*, Magdeburgensi, ex apographo.

Philippo Melanthoni.

Gratiam et pacem Dei per Iesum Christum. Reverende Domine Praeceptor, Patrone et Fautor colende. Eam incipio nunc sub auspiciis huius anni sentire virium mearum imbecillitatem, et praesertim capitis, ut meditationibus tam accuratis sacrarum literarum intentus esse nequeam, sicut hactenus tolerabiliter potui sustinere. Et fieri potest, ut, labores in me plures derivando quam debebam, accersiverim mihi partem huius difficultatis. Qua in re si imprudenter quid peccaverim, peto ut mihi Dominus hoc ignoscat. Interim tamen cogor et hoc dicere quod res est, pertinaciam illam, quae in contradictoribus meis quibusdam conspicitur, valde magnos dolores mihi paullatim adducere magis, cum factiones passim gliscentes corripiant et in hac ditione quorundam animos, et iudicent, me iuste a ministerio remotum esse *Hamburgensi*, praesertim cum adeo tacitam et sepultam iacere sinam apertiorem meam confessionem, quam iure omni Ecclesiae piorum proponerem. Hoc cum omiserim hactenus, periclitatur et hic mea auctoritas in officio delegato apud non paucos, ut hinc iustius sibi licere putent, hic etiam ut fraudent me magna parte promissi stipendii, utcunque principes instent et mandent, ut mihi illud integre solvatur.

Etiamsi vero debebam repugnare dolori et curis, ne his gravius excruciaretur animus, neque vires corporis hinc nimium enervarentur, tamen humanum aliquid ibi me sentire fateor, cum propterea subtrahatur mihi commoditas tuendae valetudinis, et praeripiatur etiam facultas rectae et sufficientis educationis apud [?] meos liberos, (quos adhuc iuniores mecum habeo, servante ipsos Domino) sic curandae, ut ingenia eorum in bonis artibus discendis utiliter excolerentur, et ad pietatem moresque cultiores melius formarentur, adeoque ut filiarum una iam nubilis et satis maturae aetatis elocaretur, sicut par est. Quod maximus natu ex filiis meis, M. ***Iohannes***, nunc honesta et legitima vocatione cooptatus sit in numerum Professorum ***Grypswaldensium***, beneficio diligentis et fidae commendationis tuae factum esse, satis intelligo, et agnosco, quantam gratitudinem propterea tibi non solum filius debet, sed etiam quantum gratiae et ego hinc merito tuae Rev. referrem. Sed quia nunc externis donis amicos bene meritos ornare nequeo, ipse nimium egens, Christum precor, ut spiritualibus dotibus te augeat et corroboret magis ad praeclara certamina, ad usum Ecclesiae verae sustinenda. Et quia coepi aperire tibi meas aerumnas, quarum magnam partem et antea non ignoras, precor, ut cognoscas diligenter quae et deinceps subiicio, ut fideliter consulas in medium, iuvesque me et meos pro viribus quantum licet.

Primum peto, ut, ubi mea confessio proposita fuerit, Christo me in hac imbecillitate adhuc servante, velis eam tuo patrocinio adiuvare et promovere, propter ipsam salvificam Christi veritatem, et propter meam innocentiam vel nunc tandem adferendam rationibus aequissimis. Agetur enim haec causa a me pie et modeste, sepositis omnibus personalibus, et exclusis contentiosis omnibus, plane tali fidelitate, sicut de tota nostra doctrina, quam cum omnibus orthodoxis iuxta meam mensuram profiteor, mihi ratio reddenda erit in conspectu summi nostri iudicis et salvatoris, Domini nostri Iesu Christi. Et ne videar aliquam invidiam in vos solos praeceptores meos doctissimos Witebergae, reverenter mihi colendos, transferre velle, provocabo simul ad iudicia talium Theologorum, quos novi non impugnari ab illis, qui Hamburgi a me hactenus dissenserunt. Si mea aequitas et moderatio poterit eos ad parem consensum et ad concordiam mecum amplectendam inflectere, ut inducant simul gubernatores reipubl. Hamburgensis ad mitiores animos erga me et meos, ut cogitent, quid debeant mihi iam senescenti, et propter confessionem exilium variasque adversitates sustinenti, indigenti subsidiis beneficis pro liberis, quis apud posteros non diceret, fuisse huius actionis, antea satis turbulentae, catastrophen laetissimam? Et quia sic exhaustae nunc fere sunt vires meae, ut verear me haud diu suffecturum magnis laboribus in ardua functione, quid quaeso honestius, et christiana professione dignius facere possent Hamburgenses, quam ut me ad se revocatum alerent honeste, et in tali functione opera mea uterentur, in qua possem eis usui esse, quam diu liceret? Si vere Dominus me ex hoc misero seculo evocaret ad se in patriam aeternam priusquam boni viri in effectum perducerent quod dico, existimo, iustissime facturos esse Hamburgenses, si uxorem meam relictam et liberos meos patre orbatos ad se reciperent, et beneficia necessaria praestarent, pie et liberaliter, relicta praesertim tali mea confessione de controversia Hamburgi agitata, quae omnium piorum et solide eruditorum

theologorum suffragationem et approbationem inveniret, sicut Christo iuvante me impetraturum esse confido. Si vero existimat tua Reverentia me frustra haec imaginari, et animos quorundam adhuc adeo esse acerbatos Hamburgi, ut nulla confessio et moderatio eos mutare et mitigare queat, age, committam ipsos iudicio Domini, ut is suo tempore nostram iustitiam in lucem producat tanquam meridiem, Ps. 37. Interea libenter animum meum in hoc extremo aetatis meae curriculo convertam alio, ubi Dominus me esse volet, et suae Ecclesiae pro facultacula concessa inservire. Et quia hic adeo pertinaciter obfirmant contra me animos, ut neque stipendium velint dare tantum, sicut iubent Principes, neque habitationis commoditatem prospicere talem, sicut ratio nostri ministerii postulat (quae duo incommoda debilitatem meam hic non parum auxerunt) praestet quaeso mihi tua Rev. hoc beneficii, si aliud consilium pro me tibi non succurrit, ut Illust. Principi Duci Pomeraniae *Philippo* me commendes, ut Celsitudo eius in tutelam suam me recipiat denuo fovendum et ornandum. Talem intercessionem et commendationem ad Principem Pomeranicum vellem nunc simul adferri ab hoc oeconomo Grypswaldensis Academiae. Reliqua committerem fidis amicis, M. ***Iacobo Rungio***, M. ***Paulo a Roda***, et aliis, diligenter conficienda, prout viderent commoditatem mihi convenientem, de qua monitor idoneus apud ipsos esset filius meus, ibidem nunc scholae serviens. Quum enim difficultates hic prementes non potuerim avertere, factis etiam tantis meis et meorum impensis, neque impetraverim toties tentata et promissa, omnino statuo, quod bona conscientia coram Domino et iuste coram honestis viris suscepturus sim aliquam mutationem, ne meis eripiar citius, quam alias velit Dominus. Video enim, quid antecessori meo Dno. D. *Albero*, piae memoriae, acciderit ob praeposteras quorundam actiones. Si autem et hunc meum conatum anteverteret Dominus, ut ante discessum adduceret et mihi hic Dominus extremum vitae terminum, quod ipsius salutari dispositioni divinae cogor committere, precor Christum meum, et precabor semper, ut pro sua infinita misericordia clementer mecum agat, et placato aeterno patre, per Spiritum S. Paracletum sic mihi adsistat, ut felici et beato fine claudam huius vitae cursum. Amen. Meis vero consultum non erit, ut post obitum meum hic maneant in tali rerum statu, qualis nunc cernitur. Sed vel Hamburgum se conferant, si isti queant nobis integre reconciliari, vel in Pomeraniam commigrent, ubi spero filium natu maximum sic devincturum sibi animos bonorum virorum, ut suis omnibus queat esse usui et ornamento. Quod faxit Iesus Christus, qui et vobis in Academia vestra annum praesentem faciat sanctum et laetum, et simul toti Ecclesiae hunc reddat salutarem. Amen. Rectissime in Domino valeat Reverentia tua, et amanter precor, ut diligenter mihi in his exilii mei curis velis rescribere, et de commendatione ad Pomeraniae Principem effectum simul dare quod petivi. Datae Neobrandenburgi altera die post Circumcis. Domini, anno Dni 1557.

D. ***Iohannes Garcaeus.***

No. 6147. 4. Ian.

Ioachimo, Pr. Anhalt.

Edita in *Becmanni* hist. Anhalt. p. 120.

Ioachimo, principi Anhaltino.

Illustrissime et Clementissime Princeps. Foecundatio terrae certa lege ordinata illustre testimonium est de *Deo* Conditore et de providentia. Agnoscamus igitur Deum Conditorem et eum grati celebremus. Itaque et Deo Conditori coeli et terrae et hominum, Patri Domini nostri Iesu Christi, et C. V. pro frumento gratias habeo, et oro Deum, ut C. V. vires corporis et animi confirmet, et Ecclesiam suam clementer pascat, protegat et gubernet. Profecto hoc anno et famem et bella et opinionum confusiones metuo, sed oro Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, Custodem Ecclesiae suae, ut poenas leniat. Hac hora Scholasticus Hungarus mihi litteras attulit, quas misi Doctori *Milichio* recitandas *) C. V. quam Deus servet incolumem. Datae 4. die Ianuarii, quo ante annos octoginta interfectus est Carolus Dux Burgundiae, Anno scil. 1477.

No. 6148. 5. Ian.

Iac. Milichio.

Epist. lib. II. p. 459. (ed. Lond. lib. II. ep. 485.).

D. Iocobo Milichio

S. D. Clarissime vir et charissime frater, Utinam vestri sermones optimum Principem **) aliquantulum a moerore abducant, qui quidem et ipse repugnare moestitiae debet, sicut scit Deum velle, ut erigamus nos iis consolationibus, quas tradidit. Hac hora literas *Pannonicas* accepi, in quibus scriptum est de direptione recenti duorum oppidorum. In altera Epistola narratio est de *Razivilo*, qui est οἰκοδεσπότης aulae *Polonicae*. Etsi fabulam *Polonicam* esse existimo, misi tamen. Oro autem Filium Dei ut nos gubernet et protegat. Reverenter ages gratias Illustrissimo Principi pro frumento mihi misso. Certe metuo et sterilitatem,

---

*) Vid. ep. ad Milich. d. 5. Ian. h. a.

**) Ioachimum Anhaltinum. Vid. ep. d. 4. Ianuar.

et alia multa tristia hoc anno: *ἐν τῇ ἀκροπόλει ἐν Γόθῃ φασὶν ἀποθανεῖν δύο μηχανῶν χαλκοβόλων σκευαστὰς κεραυνωθέντας* proxima tempestate. Sed nondum certo haec scio. Bene vale. Die 5. Ianuarii, quo ante octoginta annos interfectus est *Carolus* Dux *Burgundiae*, videlicet anno 1477. Salutem opto D. Cancellario et D. *Forstero* et vobis omnibus.

No. 6149. 5. Ian.

M. Collino.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Matthaeo Collino, in Academia Pragensi.

S. D. Clariss. vir et cariss. frater. In oratione Nazianzeni de filio Dei verba haec sunt: *πρεσβεύει ἔτι καὶ νῦν ὑπὲρ τῆς ἐμῆς σωτηρίας*, quae verba inserit enarrationi Paulinae sententiae *ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν*. Non frangamur animis propter sycophantarum clamores. Nihil enim dubium est, pios et eruditos omnes in Ecclesia hoc sensisse, quod tu et sentis et defendis. Quid planius est quam illa Nazianzeni enarratio?

De butyro vobis gratias ago. Si dominus *Florianus* miserit ad nos filios suos, non deerunt illis officia nostra. Existimo me tibi notum esse, et certe quotidie filium Dei, dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, sedentem ad dextram aeterni patris, oro, ut colligat et servet Ecclesiam inter nos; et in tantis fluctibus spero eum sua agmina servaturum esse. Scribam plura cum domum rediero ex urbe Lipsia. Bene et feliciter vale. 5. Ianuarii 1557.

No. 6150. 20. Ian.

Senatui Bremensi.

Edita in Gerdesii libro, quod supra d. 22. Decbr. 1556. laudavimus, p. 113. Item in Melanthons christlichen Berathschlagungen und Bedenken p. 492. sed non integra. Apographon in cod. Galli II. p. 205. — Est Responsum ad literas Senatus, supra d. 22. Decbr. 1556.

Responsum Theologorum Vitebergensium ad Senatum Bremensem.

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Sohn Jesum Christum unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer, und ein fröhliches neues Jahr zuvor. Ehrbare, Weise, Fürnehme und Günstige Herren. Ew. Ehrbarkeiten Gesandten haben wir gehört, und die übergebene Schrift und Confession mit Fleiß gelesen, und vernehmen daraus, daß Ew. Ehrb., als löbliche Regenten, Spaltung und Trennung der Kirchen in diesen Landen zu verhüten geneigt sind. Derhalben berichten wir, daß auch in den Kirchen allhie und im ganzen Land dieser Herrschaft der Artikel vom Abendmal des Herrn Christi einträchtiglich, laut der öffentlichen Confession aller dieser Kirchen, die Kais. Maj. anno 1530. zu Augsburg überantwortet ist, gepredigt wird. Und ist unser Gemüth nicht, Spaltung oder Trennung anzurichten, sondern zu bleiben in gemeldter Confession, und bitten Gott, daß wir in ihme in ewiger Einigkeit bleiben, und daß die Kirchen aller sächsischen Land Gottes Wohnung und Kirchen ewiglich seyn.

Damit aber Einigkeit erhalten werde, achten wir auch für gut, daß nicht fremde Disputationes in diesen Artikel gemenget werden, daß auch bescheidenlich die gewöhnliche Form zu reden behalten werde. Nun haben wir nicht vernommen, daß die Gelehrten in Sächsischen Landen diese Worte gebraucht hätten: *panem et vinum esse essentiale corpus et sanguinem Christi*, sondern diese Form: *cum pane sumitur corpus* ist gewöhnlich, und ist gemäß dieser Form: *panis est communicatio corporis* etc. Und zu Verhütung vieler schrecklicher Mißbräuch und Abgötterei ist nöthig, dabei auszudrucken, daß kein Ding und kein Ritus außer dem Brauch, den Gott geordnet hat, Sacrament seyn kann.

Dieweil dann sehr nöthig ist, rechte, einträchtige, gleiche Formen zu reden [1]), behalten, auch den Nachkommen zu gut: haben wir, und viele andre hohes und niedriges Standes, lange Zeit begehret, und begehren dieses noch, daß aus allen Kirchen, welche die reine Lehre des Evangelii angenommen haben, gottfürchtige und gelehrte Männer zusammen verordnet würden, sich von vielen nöthigen Sachen zu unterreden, darzu wir uns allezeit willig erboten haben, und bitten Gott nochmals, Gnad darzu zu verleihen [2]).

Dieses haben wir auf Ew. Ehrb. Schrift bedacht zu antworten, und sind mit Gottes Gnad christliche Einigkeit zu erhalten zum höchsten geneigt und [3]) begierig. Der allmächtige Sohn Gottes, Jesus Christus,

---

1) Cod. Galli II. Gleichformigkeit im Reden.
2) und bitten etc.] non habet Pezel.
3) geneigt und] non habet Gerdes, neque cod. Galli II.

der ihm gewißlich eine ewige Kirchen im menschlichen Geschlecht durchs Evangelium, und nicht anders, sammelt, und gibt ihr ewige Seligkeit, darin Gott alles in allen seyn wird [4]), wolle Ew. Kirchen und Stadt, Ew. Ehrbarkeiten und die Euern allezeit gnädiglich bewahren und regiren. Datum 10. Ianuarii [5]), anno 1557.

Iohannes Pomeranus Doctor, sua manu subscripsit.
Philippus Melanchton [Melanthon] Magister.
Paulus Eberes Magister.
Sebastianus Froschelius Magister.
Magister *Lucas*. Magister *Sturio* [6]).
Iohannes Bugenhagen Pomer. D. sua manu subscripsit [7]).

Habemus Confessionem Augustanam, Apologiam D. *Philippi*, Item et nostram Confessionem Saxonicarum Ecclesiarum, et locos communes D. *Philippi*, in quibus sunt formae verborum, in quibus nos et nostrae Ecclesiae se continent. Cum dicunt de coena domini cavendum diligentissime, ne quid aliud dicant, etiam vel in verbis, quam Christus in institutione coenae dixit, quae fideliter nobis tradiderunt Evangelistae, et Paulus etiam fideliter exposuit dicens: *ego accepi a domino, quod et tradidi vobis* etc. *Ut prudentibus loquor, panem quem frangimus* etc. Si quid excidit nobis libere inter nos dicendo, quod, etsi non malum est, tamen possit rapi ab adversariis in calumniam, non contendamus pro nostris verbis, et verbum Christi sit nobis integrum, ne turbetur Ecclesia. Itaque, fratres mei, obsecramus vos, ne in hoc mysterio aliis verbis loquamini, quam Spiritus sanctus praescripsit nobis, et Apostoli tradiderunt, et Ecclesia sancta suscepit. Hoc pacto stabimus una vobiscum contra omnes portas inferorum. Tunc cum gaudio et sancta fiducia invertemus adversariis hoc argumentum et similia: *Christus sedet ad dextram patris, ergo non potest nobis dare super terram in coena sua suum corpus* etc., quae vera Ecclesia Christi detestatur. Christus exaltatus est post humilitatem crucis, et datum est ei a Deo patre nomen, quod est supra omne nomen in coelo et in terra etc., quae sunt ineffabilia. Christi spiritus faciat, ut credamus secundum Evangelium gloriae magni Dei, Amen. Verba Pauli: ut idem sentiatis omnes in Christo: ut idem dicatis omnes in Christo.

Iohannes Pomeranus D.

4) der ihm gewißlich etc.] Pezel. praetermisit.
5) Pezel. et cod. Galli II.: *d. 11. Ian.*
6) Nomina subscripta non leguntur apud Pezel. et cod. Gall.
7) Haec omnia, quae sequuntur, nec cod. Galli II. nec Pezel. habent.

No. 6151. (hoc t.)

And. Miseno.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Andreae Miseno, docenti Evangelium in Ecclesia Dei in inclyta urbe Mysorum Aldeburg, fratri suo cariss.

S. D. Reverende et carissime frater. Sum pater et non ἄστοργος, et plus quam millies in magnis doloribus, quos sensi propter filios et filias, cogitavi ingentem vim amoris Dei erga nos esse, cum talis sit, ac multo maior amor erga nos quam qualis est in nobis στοργὴ erga natos. Eadem te cogitare non dubito. Sed erigas te hac ipsa cogitatione: curae sunt Deo et vivunt nostri filii et filiae, etiam cum ex hac aerumnosa vita evocantur, et rursus complectemur nos mutuo. Hac consolatione, quae tibi nota est, te erigas. In mei filioli morte incidi in lectionem Psalmi: ipse fecit nos, non ipsi nos. Hac sententia lecta sensi in corde laetitiam acquiescentem in Deo, et praesentiam Dei veram ineffabilem, ut postea etiam *Luthero* dicebam. Erit tibi quoque levatio cogitare de praesentia Dei in Ecclesia et familiis piis.

De *Calvino* potes vere hoc dicere *Martino*, neque ipsum neque alium illa verba ex me audivisse, quae narrant literae, quas misisti. Ne legi quidem omnia *Calvini*. Sed velim pios et doctos de tota re colloqui, et relinquere posteritati sententiam et formas loquendi certas. Nuper huc Senatus Bremensis misit legatos *). Erat propositio his verbis scripta: *panis est essentiale corpus*

*) Exeunte anno 1556.

Christi. Quis sic locutus est? Dicimus: *cum pane sumi corpus Christi. Osiander* dicebat: hic panis est Deus. Cur mihi, homini scholastico, illi Episcopi non praescribunt formam loquendi. Sic nuper scripsi ad Ratisponensem *Gallum.* Sed si quando conventus erit eruditorum, necesse erit hac de re loqui. Nec mihi ignota est antiquitas, quantum omnino extat veterum monumentorum, in quibus huius materiae fit mentio. Movent *Flaciani* nova certamina. Reprehenditur definitio Evangelii, quod dixi Evangelium esse praedicationem poenitentiae et promissionem reconciliationis. Aiunt etiam, filium Dei non dici *λόγον* nisi in Apocalypsi, et praetereunt primum caput Iohannis. Quo tandem evasuri sint, ostendet eventus. Ego Ecclesiam et me filio Dei commendo, domino nostro Iesu Christo, quem oro, ut te consoletur et nos gubernet.

De initio Romani anni scito Livium in eo loco de initio Consularis gubernationis tunc locutum esse, non de usitato anni initio. Bene vale.

Philippus.

No. 6152. 17. Ian.

Ge. Agricolae.

Epist. lib. II. p. 562. (ed. Lond. lib. II. ep. 585.). — Hic ex autographo in cod. Goth. 400.

Georgio Agricolae, gubernanti studia doctrinae in inclyta urbe Norici, Amberga, fratri suo cariss.

S. D. Clarissime vir, et charissime frater:

Ipse Deus sapiens, verbo qui cuncta creavit,
Et certis annum legibus ire iubet,
Efficiat, nobis veniens sit faustus ut annus,
Protegat et dextra teque tuosque sua.
Et quoniam gnatum misit, qui colligat agmen,
Cuius sit doctor, vita, caputque, *λόγος*.
Hic *λόγος* aeterno natus Patre, semper adesse,
Et custos nobis et caput esse velit.
Viribus humanis non est Ecclesia tuta,
Languida nos homines quid nisi massa sumus?
Sed nostram indueris cum miro foedere carnem,
Gnate Dei, semper nos tua membra regas:
Et facias tecum nos unum ut simus in aevum,
Vera laude tuus quo celebretur honos.

Hoc exordio uti volui. Quid enim potius scribam, quam pia vota? Haec est enim praecipua vitae regula, ut sui quisque officii munera faciat, et Deum aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi precemur, ut nos gubernet et adiuvet. Sinamus alios regna miscere, ut aliquanto post videbis *Germaniam* horribiliter dilaceraturos esse *τοὺς ἡγεμόνας καὶ δημαγωγούς,* sed tamen Ecclesiae reliquias abditas ad aram suam Filius Dei proteget.

Leandrum patri commendes. Iudico non esse malam naturam, etsi, ut est aetas, sodalitia magis sectatus est, quam volebamus. Magister *Froschelius* discessuro dedit mutuo Ioachimicos ...*), de quibus dixi me ad te scripturum esse, ut a matre peteres. Totam hanc rem et fidei et prudentiae tuae commendo. Scis interdum prodesse haec comica consilia. Dices autem matri, me bono consilio hortatorem fuisse, ut voluntati patris mox pareret.

De Sponsa illius qui aliam compressit, velim te mihi significare, an alia compressa sit post sponsalia, quod si ita est, potest haec petere, ut fiat divortium. Nec cogi potest ut invita nubat illi, qui iudicatur adulter. Hac de re velim te mihi planius scribere. Mitto pagellas. Bene vale. Die 17. Ianuarii. 1557.

Philippus.

No. 6153. 17. Ian.

(*Petitio eleemos.*)

Scripta publ. Witteb. T. III. p. 49 b.

Petitio Eleemosynae.

Indidit Deus *στοργὰς* humano generi, ut sint commonefactrices de suo amore erga Filium et erga nos. Ac motus illi tanti sunt, ut post sensum irae Dei non sit maior dolor in humano pectore, quam is, quem parentes sentiunt in calamitate sobolis. Accidit autem in familia huius viri *Wolfgangi Laubmanni* Curiensis ingens calamitas, quod filius natus annos novem, qui

---

*) Est lacuna in autographo, et oblitus est Phil. numerum Ioachimicorum adscribere.

iam literas didicerat, tristi lapsu ex sublimi periit. Nunc etiam a patre pecunia postulatur, quam sine Eleemosynis pendere non potest. Theseus, cum ipse lavat interfectorum ducum corpora, reprehensus, quod id sordidum ministerium non relinqueret servis, inquit: *Οὐκ αἰσχρὸν ἀνθρώποισιν ἀλλήλων κακά.* Adficiamur misericordia patris in tanto moerore, et cogitemus, certo Deum vicissim benefacere his, qui misericordiam exercent, sicut scriptum est Psal. 40.: Beatus, qui intelligit super egenum et pauperem. In die mala liberabit eum Dominus. Die 17. Ianuarii. 1557.

Philippus Melanthon.

No. 6154. 18. Ian.

Ge. Buchholzero.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Georgio Buchholzero, Pastori Ecclesiae Berlinensis.

S. D. Reverende vir et cariss. frater. Scripsit *Ferinarius* carmen, non captans aliquid, sed ut nobis, laudando [1]) virtutem matronae [2]) gratificaretur. Ego pio studio edi volui. Sed tamen expatiabitur ad vos *Ferinarius*, cum erunt tempestates mitiores. Velim autem te mihi aliquid de iudiciis vestris significare, an placuerit carmen, an officium fuerit gratum. Epitaphia filiis tuis componi honesta curabo et edam, quos certe dilexi, quia ingeniis valebant, et Deum oro, ut Ecclesiae ad posteros servet bona ingenia, quae et veritatem et pacem amant. De Turcicis rebus certo scribitur, filium Regis Persici mortuo patre bellum instaurare et retrahi Turcicos exercitus in Asiam. *Bononiae* nobilis adolescens disputavit, claves Petri non esse potestatem gladii. Is Romam ductus est, et ibi supplicio adfectus. De verbo *ἐντυγχάνειν* adde exemplum ex actis cap. 25. Festus inquit, se saepe interpellatum esse de Paulo: *ἐνέτυχόν ἐμοί* [3]). Bene vale et rescribe. Die 18. Ianuarii.

Philippus.

1) *laudando*] rescripsi pro *laudandibus.*

2) Filii Buchholzeri, vid. ep. d. d. 2. Ian. h. a.

3) Vide supra d. 2. Ian. 1557.

No. 6155. 19. Ian.

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camer. p. 712sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 954.).

Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioach. Camer. fratri suo carissimo,

S. D. Quod faustum et felix sit, de tuo genero *) referam ad Collegarum consilium, et filium Dei oro, ut in his tuguriolis servet suae doctrinae, et honestarum artium semina, et copulet omnium pectora, ut unum in ipso simus, cum quidem tam multi sint, qui moliuntur infinitas distractiones, quorum illa sunt, *τάραττε καὶ χόρδευε ὁμοῦ τὰ πράγματα ἅπαντα.* Sed commendemus nos filio Dei.

Hic *Andreas* natus in urbe Borussiae Regio Monte, docuit Evangelium in collegio Murratensi, in ditione Wirtebergensi, et ibi erudiit coetum latine discentium, tradidit eis Dialecticen, Epistolas Ciceronis, et *κατήχησιν Brentii.* Postea Consiliarii transtulerunt eum ad Thermas. Inde in Academiam nostram rediit, cum viaticum haberet. Iudico eum usui esse posse in collegio vicino Aegrae, si ita tibi videtur. Totam enim rem tuo iudicio et arbitrio permitto, et permittit hic ipse *Andreas*: aetas quae sit vides, et iudico modestum hominem esse, et scio bene de eo sensisse in Bavarico collegio Patronum. Bene et feliciter vale. XIIII. Cal. Februarii. Anno M.D.LVII.

Philippus.

*) Esromo.

(*Acta Cosvicensia* d. 18.—28. *Ian.*)

Coniunxi hic *Acta Cosvicensia*, i. e. Acta Flacianorum cum Melanthone inde ab 18. d. Ianuarii usque ad d. 28. — Quae Flacius, qui Cosvigam se contulerat, et eius legati, Pastores Saxonicarum Ecclesiarum, cum Melanthone illo tempore egerunt, ea narrarunt *Saligius* in historia Augustanae confessionis T. III. p. 238 sqq., et quidem ex libris manuscriptis bibliothecae Guelpherb.; porro *Io. Backmeister* in „Actis Philippicis" (Tubing. 1719. 4.), qui etiam quaedam Scripta ad hanc rem pertinentia ex libro manuscripto, satis mendoso, edidit; et denique *Planckius* in der Geschichte des protest. Lehrbegriffs etc. Vol. VI. p. 27 sqq. — Scripta Pastorum Saxonicorum ad Melanthonem et huius responsa leguntur etiam in „Epistolis Scholasticorum Vitebergens."; porro in Consiliis Mel. latinis a Pezelio editis P. II. p. 258 sqq., et denique in Backmeisteri Actis Philippicis. Eadem inveni in codd. Gothanis et Monacensibus, ut suis locis significatum est. — *Integra* vero huius rei Acta manu scripta leguntur in cod. Guelph. No. 6. 4. 7. quibus Saligius usus est, sic inscripta: „*Acta tentatae pacificationis* inter eos, qui contra Interimistas, Adiaphoristas et Maioristas scripserunt, et ipsos etiam Adiaphoristas Wittebergenses potissimum anno 1557. mense Ianuario." — Eadem Acta, *iisdem verbis inscripta*, inveni in cod. Galli Monacensi I. p. 188 sqq., ubi omnia huc spectantia collecta et descripta sunt, non autem ea manu, qua reliqua in codice scripta sunt, sed aliena. Videtur igitur apographon Actorum a Magdeburgensibus missum esse ad Nic. Gallum. Quum autem nemo, praeter Saligium (qui rem ex iis breviter narravit), his Actis manu scriptis usus sit, tota vero actio ad Melanthonem pertinuerit, putavi, omnia ad hanc rem spectantia scripta hic iunctim edenda esse.

No. 6156. 17. Ian.

Scheda Morlini.

† Ex Actis tentatae pacificat. etc. in cod. Galli I. p. 188. — Narrantur ibi ad illustrandum hoc scriptum haec: „17. die Ianuarii a. D. 1557. Magdeburgum sub horam „secundam pomeridianam ingressi sunt Saxonici Theo„logi, *Valentinus Curtius*, Superintend. Lubecensis, „M. *Dionysius Schnemann* minister verbi ibidem, *Paulus* „*ab Eitzen* D., Superintend. Hamburgensis, M. *Ioachi*„*mus Westphalus*, pastor eiusdem Ecclesiae, *Frideri*„*cus Henningus*, Superint. Luneburgensis, M. *Antonius* „*Wippermannus*, minister verbi ibidem, *Ioach. Morli*„*nus* D., Superint. Brunsvicensis, M. *Martinus Kem*„*nitz*, minister verbi ibidem. Misso autem ministro „ad *Illyricum* petunt, ut vel solus, vel adiuncto uno „aut altero ex concionatoribus ad se in diversorium ve„niat. *Illyricus* igitur cum M. *Iohanne Wigando*, ad „St. Huldericum Pastore, sine mora eos accedit, ac „rogat, ut in sequentem diem deliberationes reiician„tur. Tempus enim perbreve tantis rebus dari, quia „iam notesceret, et ipsos ex itinere esse defatigatos, „praeterea cupere se in praesentia totius ministerii hu„ius Ecclesiae cum ipsis agere, siquidem controversia „ad omnes pertineret. Mediatores contra indicant, sese „postridie summo mane abitum maturaturos, idque pro„pter duas potissimum rationes; primum, ne, quando „moram hanc tam longam traherent, fama citius ad „Vitebergenses deferatur, quum ipsi eo perveniant, et „aliqui sese inde subducant, quaesito aliquo praetextu, „in quorum praesentia [1]) nihil prorsus agere possent; „deinde etiam quia ex scriptis *Illyrici*, praecipue vero „libello de unitate constaret de eius voluntate totaque „causa, et antea se pleraque huius causae habere cogni„ta. His rationibus moti *Illyricus* et *Wigandus* ad ipsos „legatos adsident. *Martinus* reliquorum nomine expo„nit, quo consilio in hunc locum se contulerint, et „iam Witebergam sint ituri, nempe quod et Illyrici „admonitionibus ac rogationibus, deinde vel omnium „maxime miserabili Ecclesiae Christi statu, quae hoc „schemate, quod Adiaphorismus et Maiorismus peperis„sent, horribiliter deformetur et concutiatur, praeterea „etiam suorum magistratuum postulationibus moti ali„quam piam reconciliationem tentaturi essent, idque „facturos se hac ratione, quod propositurí sint adver„sae parti ultimam pacis viam in libello de unitate prae„scriptam. Causae vero ipsi se nihil adempturos esse. „Esse enim eam communem totius Ecclesiae Christi cau„sam, non minus ad se quam ad alios pertinentem, ac „se prorsus cum Magdeburgensibus in hac quidem causa „consentire. Iam vero quandoquidem eam viam publico „scripto *Illyricus* proposuisset, se nihil dubitare, quin „adhuc eo animo sit praeditus. Denique se iam humi„liter etiam sublatis manibus precari, ut tantum in ho„norem Dei et Ecclesiae consolationem ac aedificatio„nem praestet ac suum animum prorsus ad pacem atque „concordiam flectat, neque suum ius in quibusdam ac„cidentibus causae, ut sunt convitia et alia, persequa„tur. Petere se etiam, ut *Illyricus* cum aliis quibus„dam in locum Vitebergae vicinum, ut Cosvicum se „conferant, ubi colloquendi potestas dari possit. Prae„terea *Morlinus* ex scheda praelegit formam, quam in „tota actione mediatores sequi decrevissent."

1) Potius: *absentia.*

(*Scheda Morlini.*)

Rationes consilii et institutionis Mediatorum.

I. Non est nostri instituti multa disputare, multo minus eam doctrinam retractare, et vocare in dubium, quam de bonis operibus et rebus adiaphoricis Ecclesiae nostrae in certaminibus sunt ex verbo Dei unanimi consensu constanter professae, ne tanquam operarii mali ea fraudulenter in vinea domini destruamus, quae sedula opera fidelissimorum servorum Christi magna pietate et summa cum laude sunt aedificata et extructa.

II. Hoc tamen agitur, ut cum ex his intestinis bellis quotidie fiant maiores dilacerationes in Ecclesia, et ingenia petulantia quicquid cogitant audent, dum nullae sunt collationes sententiarum, nullae diiudicationes dogmatum, igitur [2]) de sententia et ad petitionem omnium Ecclesiarum Saxonicarum utranque partem hortabimur in nomine filii Dei, domini ac pontificis nostri Iesu Christi, ut illorum periculorum memores tandem sedulis animis nobiscum cogitent, quibus conditionibus posset restitui pax, deinde servari concordia et consensus ad posteritatem.

III. Si, quod absit, [non] [3]) feliciter cesserit conatus noster, cogitabimus saltem inter nos de illis rationibus, quae ad retinendum consensum doctrinae et ad conservandam veritatem ac puritatem Evangelii contra fanaticos

2) Deserit hic scriptor formam orationis, quam incheaverat per *ut.*

3) *Non*] hic excidisse, vel *infeliciter* scribendum esse, manifestum est.

spiritus visa fuerint necessaria fore in Ecclesiis nostris Saxonicis.

(„*Illyricus* respondet, admodum breve tempus ad deliberationem tantarum rerum concedi. — — Quod ad suam voluntatem attinet, se in ea sententia, quam publico scripto declarasset etiamnum perseverare, et tantum hic obnixe rogare, ut liberrime totam causam agant; se paratum esse de suis viis seu mediis in libello traditis decedere, si modo bonis ac firmis fundamentis ex claro verbo Dei deproimptis evertantur, et aliae eodem verbo Dei perspicue confirmentur, se etiam sponte paratum ad omnia, quae evidenti verbo Dei demonstrari queant. Causam hanc arduam se tractasse non ambitione quadam, non rixandi libidine, sed simplici pietatis studio, ne universus religionis status in Germania, per *Lutherum* instauratus, horribiliter concuteretur et everteretur. Pro his autem summis laboribus sese pessimam hactenus retulisse gratiam, ac Vitebergenses nullum modum nec finem facere criminandi in lectionibus, orationibus, epistolis, picturis. Rogare se unicum, ut iuxta normam exactissimam verbi divini universam hanc causam tractent, sine respectu ullius personae. Quod ad locum spectat, quo proficisci debeat, se id iuxta eorum voluntatem non gravatim facturum esse. Deliberaturos his de rebus etiam ministros huius Ecclesiae et suam sententiam ipsis significaturos.") — (Vid. d. 18. Ian.)

No. 6157. 18. Ian.

Illyricus et Wigandus ad Pastores Saxon.

† Ex Actis tentatae pacific. in cod. Galli I. p. 190. — „d. 18. Ian. revertuntur ad Mediatores *Illyricus*, *Wigandus*, M. *Iudex* et *Ioachimus Bonus*, et exhibentur chirographa, in quibus et mediatorum sententia, prout eam acceperant *Illyricus* et *Wigandus* pridie eius diei, et ipsius quoque Illyrici promissio, separatim comprehensa erat, quam et Legati sponte agnoverunt et acceperunt."

(*Illyricus et Wigandus ad legatos Saxon.*)

Reverendi in domino Patres et fratres longe dilectissimi. Quoniam vos heri pio et prolixo sermone vestram voluntatem ac sententiam de erroribus ac corruptelis Interimisticis ac Adiaphoricis ac inde ortis dissidiis tollendis explicantes, indicastis, vos istam profectionem pientissimo animo ac summo Dei timore suscepisse, vos nobiscum prorsus idem de Adiaphoricis et Maioristicis erroribus sentire, indicare, hanc adiaphoricam causam seu eius oppugnationem non onus *Illyrici*, aut etiam solius Ecclesiae huius esse, sed etiam vestrum et omnium Ecclesiarum esse, vos confessioni huius Ecclesiae anno **1530.** editae ex animo adhaerere, vos adeo probare certamina ac labores nostros et aliorum fratrum contra Adiaphoricos Maioristicosque errores suscepta, ut et deo pro illis et nobis, aliisque, qui in eo agone sudarunt, fratribus, gratias agatis, vos denique huc non ut veritatem praedictis scriptionibus illustratam obscuretis, aut contrarios errores et corruptelas confirmetis, sed ut cognita denuo nostra sententia serio ac pro christiano zelo cum Vitebergensibus sine prosopolipsia agatis, ut vel nostros articulos pacisque rationem in libello *) de unitate indicatam suscipiant, quam quidem vos piam ac Ecclesiae utilem indicetis, vel ipsi aliam magis piam et ad tollendos praedictos errores illustrandamque veritatem idoneam ex manifesto ac claro verbo Dei praescribant.

Ideo post gratiarum actionem deo et vobis debitam, diserte et expresse confitemur, nos adhuc in pristina sententia, in praedicto nostro libello expressa, perseverare, nosque vobis facere potestatem, imo et suppliciter ac propter Deum orare et obsecrare, ut cum Vitebergensibus summa diligentia et studio citra personarum respectum agatis, eisque persuadeatis, ut praedictos articulos ac pacis rationem amplectantur ac publico scripto coram Dei Ecclesia nobiscum et cum aliis profiteantur, vel ipsi aliam meliorem ac Ecclesiae Dei in tollendis praedictis erroribus magis salutarem ex claro ac manifesto Dei verbo praescribant, nobisque diligenter iudicandam ac examinandam tradant. Id si vere, manifeste et evidenter fecerint, pollicemur bona fide nos illam ex verbo Dei indicatam viam sequuturos. Oramus item ac obtestamur, ut et de aliis omnibus materiis et articulis cum eis diligentissime agatis, quas vobis coram in nostro colloquio prolixe exposuimus. Ad quam quidem prolixiorem, coram, oratione factam nostrae voluntatis ac sententiae explicationem nos hoc chirographo referimus. In cuius rei testimonium hanc vobis chartam nostris et chirographis et sigillis obsignatam bona fide offerimus. Datum Magdeburgi **18.** Ianuarii **1557.**

No. 6158. 18. Ian.

Articuli a Pastor. Magdeb. propositi.

† Ex Actis tentatae pacificat. etc. in cod. Galli I. p. 199.

Articuli, de quibus et contulerunt in timore Dei, et unanimiter consenserunt ministri Ecclesiae Magdeburgensis.

Revera ardens et seria oratio est domini nostri Iesu Christi, ut simus unum in patre et filio, ubi simul comprehenditur, quae sit vera et salutaris unitas, nempe in patre et filio, quae videlicet sermonem eius ac vocem non solum audit, cognoscit, sed etiam eam usque in finem puram et incorruptam servat.

Testamur itaque coram Deo, omnibus angelis et hominibus, nos toto pectore eam salutarem unitatem et coniunctionem Ecclesiae Dei, de qua Christus hoc loco precatur, semper optasse et nunc optare et desiderare, et te, patrem Iesu Christi, una cum filio tuo et spiritu

*) Flacii.

sancto, supplices oramus, ut ex immensa misericordia eam gratam necessariam et salutarem pacem miserae et afflictae tuae Ecclesiae, sublatis omnibus erroribus et corruptelis largiaris, Amen.

Primum autem indicamus hanc gravissimam causam, nempe quod contra Interimisticas et Adiaphoristicas aliasque inde ortas multiplices corruptelas pugnatum est, non esse tantum huius nostrae Ecclesiae, sed et ipsius filii Dei et totius Ecclesiae Dei. Itaque in ea dirimenda vel tollenda honoris Christi, salutis Ecclesiae, verae conversionis eorum qui exorbitarunt, et totius posteritatis sine omni prosopolipsia habendum esse accuratam rationem.

Secundo perseveramus constanter et unanimiter in confessione, quam anno **1550.** in difficillimis temporibus edidimus*), in qua et praecipua capita doctrinae christianae sincere propositae sunt, et grassantes errores ac defectiones indicatae, et persecutio erga christianos reprehensa.

Tertio bona conscientia et pio studio veritatis, non ut quenquam laederemus, ut forte aliqui suspicantur, Adiaphoristicas et Maioristicas corruptelas arguimus, et adhuc in sententia, quae scriptis hic editis per nos et alios pios fratres in Ecclesia Christi fideliter laborantes publicata est, persistimus, et Deo dante porro perseverabimus, donec meliora ex verbo Dei edocti fuerimus.

Quarto sentimus gravissime eos peccasse, qui Interim, Adiaphora, Maiorismum, persecutiones multiplices, abnegationes, defectiones, vacillationes, piorum defectiones et cum Babilonia meretrice collusiones et scortationes hactenus vel scriptis, vel consiliis, vel violentis vel fraudulentis factis adiuverunt, ac scandalum tetrum in Ecclesia Christi vel excitarunt vel confirmarunt et auxerunt, cum multorum Christi pusillorum temporario et proh dolor aeterno etiam exitio. Utinam vero peccata haec cubantia et altum stertentia sonante voce verbi divini atque efficacia spiritus sancti exuscitari et salutariter agnosci possent.

Quinto indicamus, istas corruptelas seu controversiam, quae totam Ecclesiam Christi concussit, et adhuc duriter in plurimis locis exercet, optimo modo propter gravissimas causas tolli posse manifesta et publica revocatione et damnatione errorum et approbatione scriptorum, quae ad propugnandam et vindicandam sinceram Evangelii doctrinam contra Interim et Adiaphora hic et alibi sunt edita, neque ullo modo amnistiam, tum verbo Dei, tum nostrae conscientiae, et saluti totius Ecclesiae in hac controversia contrariam, approbare possumus**). Optaremus igitur, iudicium ipsius Dei accuratius expendi.

Sexto vias tamen compositionis a Reverendo dom. *Illyrico* fratre nostro charissimo publico scripto propositas in libello de unitate ineunda, indicamus esse verbo Dei consentaneas, ideoque et eas approbamus, neque ab iis citra laesionem conscientiae nostram Ecclesiam, aut ullum alium christianum hominem discedere posse sentimus, nisi ex verbo Dei manifesto et perspicuo diversum monstratum nobis fuerit.

Postremo adhortamur et obtestamur coram Deo et tota Ecclesia per Iesum Christum, dominum nostrum, omnes mediatores et actores huius gravissimae causae, ut regulam verbi Dei, ut qui divinam causam Christi tractent praecipue non humanam sine ulla prosopolipsia directe, sicut ad eam omnes sumus obligati, sequantur, tantumque honorem et amicitiam Dei ac salutem totius Ecclesiae errantiumque veram ac salutarem conversionem curent et quaerant, sicut scriptum est: lucerna pedibus meis verbum tuum. Et: oportet Deo magis obedire quam hominibus. Item honorificantes me honorificabo et ego inquit dominus.

Hosce articulos ita fratribus nostris venerandis et charissimis D. M. Ioanni ***Wigando***, M. Ioanni ***Baumgartnero***, et M. Matthaeo ***Iudici*** Cosvicum communi nomine ablegatis tradimus ac commendamus, et eos per dominum Iesum obtestamur, ut depositum Iesu Christi per ***Lutherum*** nobis commendatum diligenter optimaque fide nulla habita ratione nullius periculi aut gratiae servent, neque hasce metas ullo modo transsiliant, nisi prius et ipsi et nos ex verbo Dei rectius ac certius de alia meliori via edocti fuerimus. Actum Magdeburgi **18.** Ianuarii **1557.**

Subscripserunt

Lucas Rosenthal, Pastor ad D. Ioannem.
Ioachimus Bonus, minister verbi ibidem.
Chilianus Fridericus.
Iohannes Heyer.
Henningus Frede, Pastor ad D. Catharinam.
Ioannes Canon, minister ibidem.
Ambrosius Hitfeld, Pastor ad D. Petrum.
Martinus Lescherus, minister verbi ibidem.
Ottho Omes, Pastor ad D. Iacobum.
Bartholomeus Strele, minister ibidem.
Sebastianus Werner, minister verbi ad S. Hulderichum.
Iacobus Bowerberg, minister ad S. Spiritum.

No. 6159. 18. Ian.

Declaratio Flacii.

† Ex actis tentatae pacif. in cod. Galli I. p. 192.

(*Matth. Flacii declaratio.*)

Ego ***Matthias Flacius Illyricus*** propria manu ac sigillo coram Deo et eius Ecclesia testor, me non tantum potestatem facere, sed etiam orare, ac per Christum, unicum servatorem eiusque Ecclesiam afflictam obsecrare clarissimos, doctissimos et pientissimos viros, D. Doct. ***Ioachimum Morlinum***, Superint. Brunsvicensem, D. D. ***Paulum ab Eitzen***, Superint. Hamburgensem, D. Mag. ***Valentinum Curtium***, Superint. Lubecensem, D. M.

---

*) Confessio et Apologia Pastorum et reliquorum Ecclesiastarum Magdeburg. 1550. 4. apud Mich. Lotther. Etiam Germanice: Bekenntniß, Unterricht und Vermahnung der Pfarrherrn und Prediger der christlichen Gemeinden zu Magdeburg. Ebendas. 1550. 4.

**) Hoc idem Flacius in libello de concordia facienda postulaverat, idemque fuerat, quod Melanthonis animum gravissime laeserat. Flacium hic per Pastores Magdeburgenses loqui, quisque videt. Fortasse iam ante adventum Pastorum Saxon. hoc scriptum in promptu fuit.

Fridericum Henningum, item M. *Ioachimum Westphalum* eiusque adiunctos collegas, ut cum Vitebergensibus diligenter ac serio, ac christiano zelo agant, ut vel rationem tollendi Interimisticos Adiaphoricosque errores, corruptelas ac deinde orta dissidia a me in libro de unitate et inprimis in articulis ostensam sequantur, vel ipsi ex manifesto Dei verbo, reiecta prius veris rationibus praedicta nostra formula, clare ac evidenter aliam magis piam vere ostendant, sicut de hac re in alio chirographo et coram voce prolixius meam sententiam exposui. Id si fecerint, promitto coram Deo, me ex animo amplexurum, probaturum ac confirmaturum esse. In cuius rei testimonium haec meo chirographo exaravi, et sigillo obsignavi. Magdeburg. 18. Ianuarii 1557.

No. 6160. 19. Ian.

Senatus Magdeb. ad Pastores Saxon.

† Ex cod. Galli I. p. 201.

Den Ehrnwürdigen, achtbarn, Hochgelehrten Herrn der Erbaren Städten Lübeck, Hamburg, Braunschweig und Luneburg Gesandten, sampt andern christlichen Predigern und Lehrern jeßt zu Wittenberg versammlet, unsern günstigen lieben Herrn und Freunden sämtlich und sonderlich.

Unsre willige Dienst und alles Guts zu voran. Ehrwürdige, achtbare, hochgelehrte günstige liebe Herrn. Nachdem sich wieder nach der Niederlag des alten christlichen Churfürsten und Herrn, Hrn. Johann Friedrich, Herzog zu Sachsen, hochlöblicher Gedächtniß, durch die Interim, Adiaphora und dergleichen Irrungen allerlei Zerrüttung zugetragen, welche die Kirchen Christi zum höchsten betrübt, und dem Evangelio, so wir Deutschen aus Gottes Gnaden erkannt, nicht geringen Schaden gethan: [so] haben wir oft von Gott, dem Allmächtigen, von Herzen gebethen, daß die schwebende Spaltungen [und] Irrthumen durch christliche Mittel und Wege, Gottes Wort gemäß, möchten aufgehoben und beigelegt werden. Weil denn die ehrbaren Seestädte, Lübeck, Hamburg, Lüneburg und auch Braunschweig aus Gottes Eingebung und christlicher Leut Anregung an das hoch nöthig, wichtig und nützlich Werk sich gemacht, eine ansehnliche Botschaft abgefertigt, zu einer christlichen heilsamen Einigkeit nach Gottes Wort zu rathen, und Handlung zwischen den Parten vorzunehmen, sind wir solchs hohen und christlichen Werks hoch erfreuet, wünschen von Gott, dem Allmächtigen, den heiligen Geist, Glück, Gnad und Segen dazu, daß es zu Gottes Lob, heilsamer Einigkeit seiner Kirchen und Ausbreitung seines Worts gereichen möge.

Dieweil aber unsre Kirche auch allhie durch Gottes Gnad und Beistand bisher der reinen Lehr des Evangelii mit Predigen, Schriften, Leiden Zeugniß geben haben, und schwebende irrige Lehr und Meinung nach Gottes Wort gestraft, und vielgemeldte Gesandten aus den ehrbaren sächsischen Städten begehrt und gebethen, daß etliche Lehrer aus unsrer Stadt möchten an einen nahenden Ort abgefertigt werden, damit die Herrn Gesandten aus den Städten zwischen denen zu Wittenberg und ihnen Handlung pflegen möchten, haben wir zu Beförderung der Sachen der ganzen Christenheit auch etliche unsrer Lehrer, die uns bisher mit Gottes Wort und Bekenntniß treulich fürgestanden haben, williglich und gerne wollen abfertigen; als nämlich die ehrwürdigen, achtbaren und würdigen Herrn Johannem Wigandum, Pfarhern der Kirchen zu St. Ulrich, Mag. Matthiam Flacium Illyricum, Johannem Baumgartner, Pfarher der Kirchen zum heiligen Geist, und Mag. Matthäum Iudicem, Caplan der Kirchen zu St. Ulrich, mit freundlicher Bitt, Ew. Ehrwürden wollen denselben, wie es denn die Colloquia werden erfordern, freundlich hören und Glauben geben.

Wir zwar seyn willens vermittelst göttlicher Hülf bei der Bekenntniß, welche bei uns anno 1550. in unsern schweren Zeiten ist ausgangen und bekannt, als in Gottes Wort gegründet, und mit der Augsburgischen Confession anno 1530. eingereicht gleichlautend, zu bleiben, haben auch bisher mit gutem Gewissen der Wahrheit Zeugniß geben, haben ferner unsere Prediger und Lehrer vermahnt, daß sie auch in Betrachtung Gottes ernstlichen Befehls in diesen hochwichtigen Sachen nach der richtigen Regel des göttlichen Worts handeln, Gottes Ehr und der Christenheit und aller Nachkommen Heil und Seligkeit mit Ernst und Treu suchen wollen, wie es denn auch Gottes Wille ist, zweifeln nicht, Ew. Ehrwürden werden aus christlichem hohen Eifer und Verstand auch dasjenige helfen erwägen, fortsetzen und fördern, das zu Lob Ehr Preis Gottes und unsers lieben Herrn Jesu Christi, auch zur Beförderung christlicher Einigkeit, Trost der ganzen Kirchen und Ausbreitung der reinen erkannten Religion auf alle Nachkommen nöthig, nützlich und förderlich seyn werde, und alle Christen sich darob zu freuen und Gott ewiglich zu danken haben mögen. Darum wir denn neben unsrer ganzen Gemein fleißig Gott, den Vater unsers Herrn Jesu Christi, anrufen wollen. Und denselbigen allezeit mit ungesparten Fleiß zu dienen willig. Datum unter unsrer Stadt Secret des Dienstags nach Anthonio*) des 1557sten Jahres.

Rathmann und Innungmeister
der alten Stadt Magdeburk.

No. 6161. 21. Ian.

Theologi Magdeb. ad Flacium.

† Ex Actis tentatae pacific. in cod. Galli I. p. 191 b. — „Die 21. Ian. 1557. veniunt Cosvicum Magdeburgenses Pastores et ministri, Ioannes *Wigandus*, Ioannes *Baumgartnerus*, Matthaeus *Iudex*, cum quidem pridie eius diei Matthias *Flacius* Illyricus in eum se recepisset. Eo autem die a Magdeburgensibus mane per tabellarium literae Vitebergam ad Legatos Saxonicarum civitatum missae sunt" hae:

---

*) i. e. d. 19. Ian.

Epistola Magdeburgensium Legatorum ad Superintendentes Saxonicos d. 21. *Ian.* 1557. *Cosvici scripta.*

Salutem a domino Iesu unico omnium piorum Servatore, Amen. Venimus, Patres reverendi et fratres dilectiss. in domini nomine, huc Cosvigum, sicut petiistis, ego *Illyricus* pro me vel potius pro communi causa, et tres concionatores nomine Ecclesiae Magdeburgensis a toto ministerio et Senatu certis mandatis missi. Intelligimus et alios quosdam Doctores ex aliis locis adventuros*), qui tum pars aliqua horum certaminum fuerunt, tum alioqui religioni ac Ecclesiae Dei recte consultum cupiunt, quos a praesentia actionum et ab ipsis actionibus transactionis excludere aequum non est, cum illi se murum pro domo Domini obiecerint, cervicesque suas atque adeo animas ipsas pro fratribus in summis difficultatibus desperatissimisque temporibus subiecerint. Scio tamen certo, eos illa, quae recta sunt, nequaquam recusaturos, atque adeo cum nostris chirographis consonaturos omnino credimus, verbo tamen Dei, a quocunque demum homine docto**), omnes subiici est aequissimum. Quare vos per dominum Iesum oramus et obsecramus, ut opus domini strenue agatis, in nullius hominis faciem intuentes, sicut Nathan Davidi praeclarissimo Regi, summo theologo, et totius Ecclesiae praeceptori ac patri patriae, et Elias Achabo, et Paulus Petro sine omni respectu eius (ut barbarae scholae loquuntur) qualificationum in faciem dicunt: tu es ille, qui peccatis suis conturbat Israëlem, et veritatem Evangelii non recto pede incedendo depravat. Tali severa et constanti spiritus sancti per ora vestra loquentis obiurgatione ista ficulnea ligamina et vetus fermentum diabolici veneni a Georgiano spiritu, id est, impii *Georgii* principis Moguntini consiliariis in istorum corda, et per eos in totam Ecclesiam magna cum foelicitate et salubritate totius istius Christi nostri corporis, Ecclesiae, et imprimis ipsorum et gloria et salute expurgabitis; alioquin mollius agendo tantum in peccata ac iram et poenas Dei profundius immergentur, et tota Ecclesia iisdem gravius onerabitur, contra vero errores confirmabitis. Quod ad nos vicissim attinet, sicut vobis liberrimam et plane christianam loquendi et agendi nobiscum potestatem esse volumus, sic quoque omnia a nobis, quae modo verbo Dei consona, et in hac controversia Ecclesiae eius etiam in omnem posteritatem utilia sunt, impetrabitis. Deinde quia intelligimus, denuo D. *Maiorem* nescio quas ficulneas palliationes et glossationes sui pudendi erroris consuere, ideo vos monemus, ne talia fieri patiamini. Nam istos diabolicos cothurnos cum suis glossis corrigere multae non possunt, una litera potest. Postremo vos per dominum Iesum oramus, ut quoties aliquos ad nos mittitis, una *Westphalum* mittatis. Nam et nos doceri volumus, non vel precibus vel authoritate permoveri, et ipsi tota ista causa notissima est, quia in ea multum temporis cum publica utilitate et gloriae Dei promotione contrivit. Dominus Iesus adsit suae Ecclesiae et finem istis mendaciis eorumque glossis faciat, Amen.

*) „Sub coenam venit m. Albertus Christianus, Superint. Cotensis Cosvicum, ab illustri Principe Wolfgango, ab Anhalt missus."

**) desideratur verbum, ut *veniat*, *proferatur*, vel simile.

No. 6162. 21. Ian.

Morlinus ad Flacium.

† Ex Actis tentatae pacificat. in cod. Gall. I. p. 192 b.

(*Ioachim Morlinus ad Flacium Illyricum.*)

Gratiam et pacem per Christum. Heri in nuptiis fuit dominus praeceptor. Hodie coepimus cum illo negotium nostrum tractare. Et quia primus motus est vehementior, oportet nos tantisper agere donec mitescat. Igitur non sit tibi molesta mora haec, quae intercedit. Constituimus omnino, quod velimus, iugulum causae petere, ne aliis non necessariis causis extrahamus et perdamus tempus. Tu tantisper hic expecta, mi frater, et in Christo vale. Vitebergae die Iovis post Anthonii festum. 1557.

T. Ioachimus Morlinus.

No. 6163. 21. Ian.

Theologi Magdeb. ad Morlinum.

† Ex Actis tentatae pacificat. in cod. Galli I. p. 193.

Reverendissimo et clarissimo viro D. Ioachimo Morlino, Superint. Brunsvic., caeterisque fratribus iam Vitebergae ad agendam graviss. Ecclesiae Christi causam congregatis.

Salutem. Reverende in domino frater. Hoc mane misso proprio nuncio ac literis indicavimus, nos iam omnes adesse et expectare piam ac salutarem actionem. Quod de mora scribis, veremur, ne quid nostro negotio mali assuerit, suggerentibus mala consilia susurronibus et malis consultoribus. Quod vos dicitis recta causae iugulum petituros, id plane probamus, ita scilicet, ut non tantum minus necessaria postponatis, sed etiam de tollenda vera curatione male sani solerter*), ut peritos, fidos ac non nimium indulgentes medicos decet, cogitetis. Totum enim istud malum non tantum oritur ex erroribus ab Interim per Adiaphora in Ecclesia Dei sparsis, sed etiam in eo comprehenditur ac consistit. Quare videte iterum atque iterum, ut id iugulum recte iuguletis, id est pia ac vera ratione errores tollatis, ut non tantum Deo ac praesenti aetati, sed et toti posteritati solide consulatis. Dominus

*) Cod. Galli I. habet: *male fonti solenter*, quae manifeste mendosa sunt, et, ut videtur, sic corrigenda, uti ea dedimus.

Iesus nos suo sancto Spiritu in suo opere laborantes regat, vobisque benedicat, Amen. Cosvici, 21. Ianuarii 1557.

Tui in domino fratres
Iohannes Wigandus.
Matthias Illyricus.
Iohannes Baumgartner.
Matthaeus Iudex.

Instructiones, quas a chariss. nostris fratribus, reliquis Ecclesiae Magdeburgensis ministris, et prudentiss. Senatu habemus, coram, ubi adveneritis, exhibebimus, quod et aliis fratribus H. T. indicare poterit. Iterum vale.

No. 6164. 21. Ian.

Melanthon ad Past. Sax.

Edita in Epistolis Scholasticor. Viteberg., in Mel. Consil. lat. a Pezelio editis P. II. p. 258., et in Backmeisteri Actis Philippicis p. 33. — Dedimus hic textum in Epistolis Scholasticor., qui Pezeliano multo purior est, et cum quo etiam in plurimis consentit Backmeister. — Apographa contulimus in cod. Goth. 19. p. 180.; alia in cod. Galli I. p. 203. cum cod. Goth. fere ubique convenientia; porro in cod. Monac. II. pag. 208. et cod. Monac. no. 86., qui fere ubique textum epist. Scholast. sequuntur. — Postquam legati Saxonici Vitebergam advenerant, Melanthonem d. 21. Ian. aggressi, ei proposuerunt octo articulos. Quo facto Melanthon hoc, quod hic habes, responsum eis tradidit scriptum.

Ad Pastores Ecclesiarum Saxonicarum.

Primum oro filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, qui vere colligit aeternam Ecclesiam voce Evangelii, ut in hac horribili confusione generis humani semper in his regionibus et colligat et servet Ecclesiam, et aliqua honesta et tranquilla hospitia tribuat, et faciat, ut quam plurimi unum sint in ipso. Deinde gratias ago et ipsis[1]) Ecclesiis honestissimarum[2]) civitatum, et legatis, viris reverendis, qui pie conantur vulnera nostra sanare[3]). Ut autem semper affirmavi, me et esse et Deo iuvante permansurum[4]) esse[5]) civem harum Ecclesiarum, ita iudiciis earum me et[6]) subieci et subiicio. Et si Pastores volent esse arbitri, non detrectabo eorum autoritatem. Me autem cupidum esse tranquillitatis publicae, iudicari ex meo silentio potest. Taceo et colaphos accipio: interea nullum finem faciunt maledicendi *Flacius* et *Gallus*. Incitantur adversus me aulae et populus mirabilibus artificiis: magis autem inflammarentur dissidia et plures controversiae moverentur, si responderem. Sum igitur usus hoc consilio: tacere et cedere malui[7]) quam augere publicas[8]) discordias; sed iuvante Deo non deerit mihi honesta oratio, si quando respondebo. Intueor etiam iudicia prudentum, qui non alienantur[9]) a me sycophanticis adversariorum clamoribus. Aliquam levationem et haec spes mihi affert, quod non multo post ex deterrimis[10]) confusionibus huius mundi in[11]) Ecclesiam coelestem ducente filio Dei discedam, in qua et tranquillitas erit, et dulcia erunt[12]) studia veritatis. Spero autem posteritatis eruditae[13]) iudicia aequiora fore de meis laboribus.

Usitatum est autem, arbitros ferre conditiones. Ideo a reverendis viris, qui tollere nostras controversias conantur, expecto conditiones. Nam illas, quas mihi *Flacius* tulit in scripto contumelioso, quod anno proximo edidit, cur accipere recusem iustas habeo causas. Postulat multa falsa comprobari, et miscet[14]) aliena negotia. Cum autem velint arbitri, et me ostendere viam concordiae, iudico[15]) primum omnium necesse esse, ut de toto corpore doctrinae inter nos conveniat, et absint astutae occultationes. Quid prodest nunc[16]) de adiaphoris pacem fieri? si postea vult materias movere, de quibus rixae erunt[17]) multo periculosiores, ut facturum se ostendit? Complectendi sunt etiam[18]) socii, qui rabiosius vociferantur quam ipse, et movent quaestiones graviores. Nunquam adhuc *Flacius* dixit de toto corpore doctrinae quid sentiat; excerpit et labefactat quaedam in nostris, ubi reprehensionem videt suo theatro gratam esse. De aliis astute ta-

1) *et ipsis*] non habet Pezel.
2) Backm. *honestissimis*.
3) Pez. *curare*.
4) Pez. et Backm. *mansurum*.
5) *esse*] excidit apud Pez.
6) *et*] non habet Pez.

7) Backm. *ut tacere et cedere malim*.
8) Cod. Goth. *publicas contentiones et*.
9) Cod. Goth. *abalienantur*.
10) Backm. *teterrimis*; Pez. *his*.
11) *in*] Pez. *ad*.
12) *dulcia erunt*] non habet Backm.
13) *eruditae*] praetermisit cod. Goth.
14) Cod. Goth. *immiscet*.
15) Backm. *iudicio*; Pez. video.
16) *nunc*] Backm. et cod. Goth. *autem*.
17) Cod. Goth. *suborirentur*.
18) *etiam*] Pez. *eius*.

cet. Me etiam reprehendit, quod [19]) confessionem repetivi comprobatam multorum doctorum et piorum testimoniis; nec dicit, cur reprehendat. Ego profiteor, me civem esse earum Ecclesiarum, quae amplectuntur confessionem nostram quae extat, et profiteor, me sentire ea, quae in confessione recito. Constituto [20]) expresso et pio consensu doctrinae, cum nos neque de adiaphoris pugnemus neque de iniuriis, quas accepimus, faciat ipse etiam maledicendi finem, et sit mutua benevolentia, non fucosa, et sit finis insidiandi, calumniandi, incendendi odia, et simus coniuncti ad communem defensionem verae doctrinae iuxta symbola et certam confessionem. Qua in re existimo meos labores mediocres esse, et pugnarem libentius, si non impedirent me calumniae, quibus nostra depravantur ab his, qui videri volunt coniuncti in eadem causa, ut scriptum est: *calumnia conturbat sapientem, et frangit robur cordis eius.*

Hanc commemorationem offero reverendis viris, et permitto, ut ipsi pro sua pietate et prudentia quaerant remedia magis salubria. Me semper fuisse cupidum pacis plerique norunt, quibus vita mea nota est, qui sciunt, me annis fere triginta saepe magnis iniuriis affectum esse, easque refutasse non rixando sed placide ferendo. Oro autem Deum aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, ut nos omnes gubernet. *Philippus* manu propria [21]). Die 21. Ianuarii 1557.

No. 6165. 21. Ian.

Pastores Sax. ad Melanth.

Edita in Epistolis Scholasticor. Witeberg. — Item in Mel. Consil. lat. a Pezelio P. II. p. 260., et in Backmeisteri Actis Philipp. p. 35. — Sequutus sum epistolas Scholasticorum. — Apographa in Actis tentatae pacificat. in cod. Gall. I. p. 204. et in cod. Monac II. p. 209. et denique in cod. Goth 19. p. 181.

Epistola Pastorum Saxonicorum ad Philip. Melanth.

Reverende D. praeceptor. Nos ex animo agimus immensas gratias Deo, quod nos in hoc loco collegit, ut de rebus maximis, et ad aedificationem Ecclesiae necessariis pie et amice colloqui et conferre possimus, et oramus filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, caput et Pontificem Ecclesiae [1]), ut iuxta suam dulcissimam promissionem in medio nostrum adsit, et omnia nostra consilia, et colloquia, et actiones suo Spiritu sancto gubernet, ut faciamus utilia et salutaria Ecclesiae.

Deinde etiam ingentes gratias agimus V. R. quod tam paterne et amanter sumus accepti. Rogamus etiam, et per Dominum Iesum Christum obsecramus, ut V. R. sic omnino de nostra voluntate statuat, quod hanc longam profectionem hoc tempore, non aliam ob caussam susceperimus [2]), quam quod adiuvante divina gratia, Ecclesiae vulnera, pro nostra mediocritate sanare coneremur [3]).

Etsi autem nunquam de V. R. pia voluntate, et ad studium pacis, et concordiae propensissima dubitavimus: tamen valde laetis animis V. R. scriptum hodie legimus, quo nobis facta et confirmata est spes Christianae transactionis istius caussae, propter quam huc venimus. Iudicamus et nos valde utile et necessarium esse ad concordiam, ut de toto genere doctrinae sit summa consensio. Haec est enim optima et compendiosissima via ad piam pacem, quam V. R. nobis monstravit. Sed quia petivit V. R. ut nos etiam pro nostrorum ingeniorum tenuitate cogitaremus de remediis piis et utilibus, ideo et officii nostri, et ipsius caussae rationem id a nobis postulare indicavimus, ut V. R. petitioni obsequeremur. Ac deliberata inter nos tota caussa, iudicavimus, non tantum propter Ecclesiam, quae nunc est, sed etiam propter posteritatem, horum articulorum diligentem considerationem esse pernecessariam.

I. *Consensus constituatur in doctrina iuxta confessionem Augustanam, et Schmalcaldicos articulos.*

II. *Reiiciantur omnes contrarii errores Papistarum, Interimistarum, Anabaptistarum, Sacramentariorum.*

III. *Ex articulo de iustificatione tollantur omnes corruptelae, pugnantes cum sincera doctrina Apostolica, et Augustana confessione, praecipue corruptelae de necessitate operum ad salutem.*

IV. *Ecclesiae Saxonicae non possunt discedere a confessione, quum ediderunt tempore proximae persecutionis [4]).*

V. *Ne fiat conciliatio cum Papistis de ceremoniis, nisi prius convenerit de doctrina, et ipsi desierint esse persecutores doctrinae.*

VI. *Tempore persecutionis edatur ingenia confessio, et non admittatur servitus pugnans cum libertate Christiana.*

VII. *Petimus quoque amanter a Rev. Domino praeceptore, ut publico quodam scripto conte-*

---

19) *quod*] Backm. *qui.*

20) Backm. *instituto.*

21) *Philippus* etc.] non habet Pez.

1) Epp. Schol. et Backm. *nostrum*, mendose.

2) Pez. et Backm. *suscepimus.*

3) *coneremur*] Backm. *conemur*; Pez. *cupimus.*

4) Pez. *confessionis.*

stari velit, suam sententiam de rebus adiaphoris, et necessitate operum ad salutem, cum nostrarum Ecclesiarum confessione coniunctam esse.

VIII. *Si altera pars existimatur occultare aliquos errores, requiratur declaratio.*

Rogamus Reverendissime D. praeceptor, ut R. V. de his articulis, quos ex sinceris cordibus, (quae novit Deus cordium inspector) offerimus, nobis suam mentem et voluntatem declarare velit, ut cum altera parte quoque agere possimus. Dominus noster Iesus Christus, qui est autor et donator omnis verae et piae pacis, nos omnes in veritate fidei, et caritatis conservet, et retineat, et V. R. quam diutissime conservet incolumem propter Ecclesiam [5]). Actum 21. Ian. 57.

Valentinus Curtius Superintendens Lubecensis, cum suo collega.
Ioachimus Moerlin D. Superintendens Brunsvicensis, cum suo coadiutore.
Paulus ab Eizen D. Superintendens Hamburgensis, cum suo collega.
Fridericus Henningus Superintendens Lunebergensis, cum suo collega.

No. 6166. 22. Ian.

Flacius ad Morlinum.

† Ex Actis tentatae pacificat. in cod. Gall. I. p. 194.

Epistola Illyrici ad Morlinum, summo mane missa d. 22. Ian.

S. Charissime in domino frater. Tametsi non libenter tempus perdamus, tamen non est quod verearis, ne hinc vobis insciis discedamus. Nos enim omnino constituimus iam vel per vos amice agendo aliquid eximium in ista controversia efficere, vel, si isti omnino piam ac Ecclesiae salutarem errorum abolitionem ultro suscipere ac praestare non volunt, gravissimam aliquem protestationem et contestationem istis et vobis offerre ac postea publicare, ut tota Ecclesia Dei cognoscat, quod et antea ferme satis perspexit, istos nolle tetros errores, a se in Ecclesiam Dei invectos tollere, nec piae pacis cupidos esse. Quare propter dominum Iesum vos oro ac obtestor, ut seposita paululum discipulorum ac praeceptorum persona sic cum istis severos monitores arbitrosque praestetis, ac erga me, si ego illorum perniciosorum errorum autor essem, praestaretis. Personarum enim certe respectum in tantis rebus, nempe in christiana doctrina et religione, cui etiam ipse Dei filius omnia agendo ac patiendo, ut tantum scriptura impleretur, semet ipsum subiecit, habere omnino fas non est. Salutant vos omnes fratres, inter quos et M. *Albertus Christianus*, Superintendens Cotensis a principe *Wolfgango* Anhaltino huc missus. Bene in domino Iesu valete. Cosvici, 22. Ianuar. 1558. [1557.]

5) *propter Ecclesiam*] Pez. et Backm. non habent.

No. 6167. 22. Ian.

Melanth. ad Past. Sax.

Edita in Epistolis Scholasticor. Item a Pezelio in Mel. Consil. lat. P. II. p. 262., Backmeistero in Actis Philipp. p. 44., et in den unschuldigen Nachrichten ann. 1702. p. 476. — Apographa in Actis tent. pacif. in cod. Galli I. p. 205 b, in cod. Monac. II. p. 209 b. et in cod. Goth. 19. p. 183.

Melanthon ad Pastores Saxonicos.

Iam annos triginta labores in his Ecclesiis sustinui non mediocres in docendo, in explicatione dogmatum, in quotidianis iudiciis, in conventibus, et certaminibus insidiosis. Et misereri vos mei iam decebat. Nunc in me unum incurritis, cum ista, quae mihi obiiciuntur nec a me uno acta sint, nec ad me unum pertineant. Sed accidit mihi, quod praedixit vir honestissimus *Iacobus Sturmius*, cum Ratisbona me decedentem aliquo usque cum aliis amicis comitaretur, eique dicerem, nos in hac vita non iterum conventuros esse. Tunc ille: Imo rursus conveniemus ad te crucifigendum.

Propemodum id nunc fit, cum me unum [1]) oppugnatis, et quidem de quibusdam negotiis, quae prorsus ad me non pertinent. Si ut arbitri accessistis, non solum aequalitas servanda erat, sed etiam mitiganda ἐπιεικείᾳ. Deinde nulla fit dogmatum collatio: Tantum articuli proponuntur, in quibus non me tantum iugulare iubeor [2]), sed etiam multos alios in his Ecclesiis. Flacio parcitis: Iubetis petere declarationem, si quid occultare videatur. Isti articuli non impedient eum, et ipsius manipulares, quo minus pergant, me ut volent [3]), exagitare.

Caepit iam atrociter reprehendere definitionem Evangelii. Ait eam patrocinari Antinomis. Movet controversiam περὶ λόγου. Dicit epistola Barbiensis, nusquam filium dici λόγον, nisi in Apocalypsi, qui liber sit ἀπόκρυφος. Hanc sceleratam orationem si legent homines non stolidi, quid cogitent, satis intelligitis. Quam dulcis fuerit mihi amicitia cum quibusdam ex vobis, ipsi

1) Pezel. *iam.*
2) Cod. Goth. 19. *iugulari video.*
3) Pezel. *volunt.*

scitis. Quo magis miror, qui fiat, quod tam duriter mecum agitis. Si non assentiar vestris articulis, concitabitis adversus me vestros: Sin autem assentiar, querentur multi in Ecclesiis nostris, se mea sententia laesos. Ita utrinque mihi periculum est, et rectius erat, hac de re cum multis agere. Sed respondebo simplicissime.

De vestris articulis primum et secundum amplector, et in secundo nominatim volo addi Serveticos, Thammericos[4]), Antinomos, Stenckfeldianos[5]), Osiandricos furores[6]). In tertio articulo mihi non displicet, expresse poni hanc propositionem: *Etsi nova obedientia eo ipso necessaria est, quia ordo divinus immotus est, ut creatura Deo obtemperet: et filius Dei non ideo missus et passus est, ut nos in peccato et morte maneamus, et confirmentur teterrimi hominum furores: et fit donatio Spiritus sancti, ut obedientia inchoetur, iuxta dictum: Dabo legem meam in corda eorum*: tamen hac phrasi non utamur, BONA opera sunt necessaria ad salutem.

Sed in articulo vestro praecedens membrum prorsus omitti volo, ubi in genere dicitis de tollendis corruptelis, et me et alios accusatis, quasi hactenus corruptelas de articulo iustificationis docuerimus et defenderimus. Hoc falsum crimen in me, et in has Ecclesias nequaquam conferri volo. Scribit Gallus, a nobis corruptam esse doctrinam de poenitentia, nec dicit ubi, in quo scripto, ac ne suspicari quidem possum, unde sumat occasionem fingendi huius criminis.

Extant mea scripta, et quidem mea consuetudo est, propter adolescentiam, easdem res saepe, et pene iisdem verbis repetere, et ut ille inquit, *τὰ αὐτὰ περὶ τῶν αὐτῶν* dicere: Unde et quidam fastidiunt[7]), me eandem cantilenam canere. Proferri igitur ex meis scriptis aut dictis volo, si quae ibi sunt corruptelae. Non parvo labore evolvi plaerasque materias, ex magna confusione opinionum, inde usque a prima inspectione Ecclesiarum, cum etiam in me incurrerent Aureus et alii, qui docebant, omnia necessario fieri, et electos, cum essent iustificati, non nisi[8]) iusta facere, et praedicationem poenitentiae omittebant, et quia horridas[9]) formas loquendi reprehenderam, et dixeram, recte dici: *Debere nos recta facere*, ille[10]) in concione magnos plausus ciebat hoc dicto: Das Muß ist versaltzen. Et possem alia multa narrare.

Cum igitur iubeatis omitti corruptelas, proferantur nominatim: Et quia video, vos longam telam de aliis materiis etiam instituisse, oro ut pro nostra amicitia candide vos aperiatis, et semel vos[11]) evolvatis, ut mecum de tota actione deliberare possim. Quale hoc genus est disputandi inter amicos? velut ex cauda equina pilos excerpere: paulatim una particula mihi erepta progredi, et deinde convellere aliam particulam? Extant meae sententiae, quae si non placent, quid opus est has conciliationes instituere? Sum unicus[12]), sine Principum ac populi praesidiis, et sum persona scholastica, nec iudicia Ecclesiae defugio.

Articulos sequentes, Quartum, Quintum, et Sextum, etsi nos praegravant, recipio tamen, quia plagam accipere malo, quam videri deesse concordiae. De VII. nihil opus est novo scripto, cum quid de adiaphoris sentiam, ex libris meis notum sit.

Hanc responsionem ad vestros articulos, ego quidem iudico aequam esse, et vos oro cum propter pietatem vestram, tum propter amicitiam nostram, ut non tam duriter mecum agatis, et vestra consilia potius, quam Flaciana[13]) sequamini. Possum dicere, quod Aeschines dixit *ἐμπέπλεγμαι ἐν πολιτείᾳ ἀνθρώπῳ γοήτι*. Videtis enim, quantum sit in illo astutiae, et insidiarum. Ideo has actiones metuo, sed oro filium Dei, ut nos gubernet. 22. Ian. 1557.

Phil. Mel. manu propria.

No. 6168. 22. Ian.

Melanthon ad Past. Sax.

Edita in Epist. Scholasticor. Viteb. — in Pezelii Consil. lat. II. p. 269. et in Backmeisteri Actis Philipp. p. 54. — Est postscriptum pertinens ad epist. antecedentem. — Flacius magno crimini dederat Melanthoni, quod dixis-

4) *Themericos* cod. Goth. 19.
5) *Schwencf. et* cod. Goth. 19.
6) *furores*] Pez. et Backm. non habent.
7) Pezel. Backm. et epp. Schol. mendose: *falsi dicunt.*
8) *non nisi*] excidit in epp. Schol.; Backm. *postea.*
9) *huiusmodi* cod. Goth. 19.
10) *illi* cod. Goth. 19. et postea *ciebant.*
11) *vos simul* cod. Goth. 19.
12) Cod. Goth. 19. *unus.*
13) Pezel. *Flacica.*

set: „non pugnandum esse de particula *sola*" (*sola* fide iustificamur), et quod de eadem re usus esset particula vornemlich. Ea de re respondet Mel. legatis Flacii.

Reverendis viris eruditione et virtute praestantibus, D. Doct. Ioachimo Morlino et Dm. Doct. Paulo ab Eitzen carissimis fratribus suis, S.

Reverendi viri et carissimi fratres. Scio, me nusquam [1]) scripsisse: non pugnandum esse de particula *sola*, sed aliquando, cum toties vociferarentur adversarii, vocabulum *sola* non poni in scripturis, semper dixi, exclusivam in Paulo saepe repeti, et hanc nos firmissime retinere. Ideo [2]) ego primus in apologia usus sum vocabulo exclusivae [3]). De particula vornemlich valde tumultuatur, [Flacius], quae nusquam sic posita est, sicuti ipse narrat. Sed contra Papistas dicentes: dilectionem esse iustitiam [4]), ex hypothesi hoc [5]) posui: etiamsi [6]) esset iustitia praecedere fidem oporteret [7]), et haec praecipuum esset [8]) iustitiae. Si locus fuerit inspectus, non offendet vos [9]). (d. 22. Ian. 57.)

Philippus Melanthon.

No. 6169. 22. Ian.

Magdeburgenses ad Pastores Saxon.

Ex cod. Galli I. p. 194.

(*Epistola Magdeburgensium tempore prandii d. 22. Ian. missa Vitebergam ad Mediatores, Theologos Saxon.*)

S. Reverendi in domino patres ac fratres. Tametsi de vestra prudentia ac pietate praeclare speremus, tamen propter dominum Iesum vos oramus ac obsecramus, ut primo quoque tempore in omnium vestrum conventu honestiss. praefationem Reverendi in domino viri ac eximii Christi organi, d. D. *Aepini* super meum libellum de Adiaphoris, et epistolam Hamburgensium anno 49. cum omnium eius Ecclesiae doctorum subscriptione ad Viteberg. missam perlegere velitis, quo tanto rectius quis tunc rerum status in Ecclesia Dei fuerit vel cognoscere vel vobis in mentem reducere possitis. Ille enim eximius vir, si quis alius tunc temporis in tota Germania et perspectum habebat statum Ecclesiae et eius calamitatibus afficiebatur; cum aliqui vestrum partim longius ab hisce terris in vinea domini laborarunt, ut minus [experti] *) pericula et miserias illius tristiss. paroxismi, partim non in ea dignitate regiminis erant, partim etiam nimium iuvenes. Scimus Dei beneficio rerum statum in Ecclesia paulo et non paulo feliciorem tranquilliorемque esse, quam tunc erat. Sed sicut ille pulchre inquit: tu, si hic sis, aliter sentias! sic vos eius temporis Ecclesiae Dei tristissimam et luctuosissimam faciem diligenter, si nostras et aliorum actiones consiliaque recte expendere vultis, intueri ac contemplari omnino necesse est. Quare quod de praelectione illorum duorum scriptorum oravimus, id iterum atque iterum humiliter ac per dominum Iesum a vobis petimus ac contendimus.

(Sequitur in cod. narratio haec:)

„Dum in prandio sunt Magdeburgenses bonus ac pius senex *Michael Stifelius* ad eos Viteberga venit, posteaquam a Morlino Vitebergae, a quo et accersitus erat a *Pruck* civitate, ubi Pastorem agit, intellexisset, D. *Illyricum* iam esse Cosvici. Is cum multa de *Philippo* commemorasset, tandem a Magdeburgensibus rogatus est, ut rediret Vitebergam, ac coram D. *Philippum* hortaretur atque obtestaretur, ut suos affectus nonnihil reprimeret, et communem Ecclesiae Christi concordiam sedulo adiuvaret. Adiunxerunt autem ei Magdeburgenses M. *Matthiam Iudicem*, qui coram D. *Morlino* caeterisque legatis exponeret, Magdeburgenses per Christum obtestari Mediatores, ne ullo modo actionem subito abrumpant, utcunque res cadat, sed aliquandiu Vitebergae commorentur, tentent omnes rationes atque ad ipsos quaecunque causae statum **) referant. Tum ipsos de rebus omnibus in timore Dei consulturos esse quid deinceps sit faciendum. Causam enim esse gravem et geri in aspectu Ecclesiae, neque omnes pro meris infantibus aut umbris habendos, qui citra omnem actionem repellendi sint. Quod si sumptibus parcerent, ipsos ei daturos esse; modo ut adhuc aliquot diebus Vitebergae subsisterent, et cum ipsis de ineundis consiliis conferrent."

No. 6170. 23. Ian.

Magdeburgenses ad Past. Sax.

† Ex actis tentatae pacificat. in cod. Galli I. p. 195 sq.

---

1) *nusquam*] non habet Backm.
2) *Ideo*] Backm. *Imo.*
3) Backm. *exclusivo.*
4) Backm. *sufficientiam.*
5) *hoc*] Backm. *sic.*
6) Backm. *etiamsi dilectio.*
7) Backm. *tamen fidem praecedere oportere.*
8) *esset*] Backm. *est.*
9) Dicunt scholastici Witteberg., eiusmodi locum in scriptis Melanthonis reperiri non potuisse.

*) *Experti* vel simile hic desideratur.
**) Desideratur verbum: *attingant*, vel simile.

(*Magdeburgenses Theologi ad Mediatores Viteberg.*)

S. Reverendi in domino plurimumque colendi viri. Non sane ignoramus vestras molestias ac labores, quos tum in itinere, tum multo magis, ut quidem suspicamur, isthic iam studio tollendi Adiaphoricos errores ferre cogimini, non etiam certe de fide ac diligentia vestra ullo modo dubitamus: sed tamen ut petita prius venia quod verum est dicamus. Moleste certe nonnihil ferimus quod cum iam hic in tertium diem otiosi desideamus expectantes responsa vestra ad ternas hactenus communi nomine ad vos omnes simul missas literas nihil tamen nobis communi penitus omnium vestrum nomine indicetur; non certe quod vos nostri contemptus, qui tamen nec quicquam tale de vobis suspicamur, nec etiam valde magni pendi postulamus, admodum male habeat, sed quod in tam gravi negotio, ubi de Dei gloria deque verae religionis puritate, ac demum totius Ecclesiae tranquillitate agitur, vehementi sollicitudine angamur, quonam tandem res causaque evasura videatur, aut quid etiam a vobis pie utiliterque fieri aut omitti debeat aut possit. Quare vos propter dominum oramus, ut dignemini nobis primo quoque tempore aliquid certi ac perspicui de actione ista, deque spe ac eventu, quicquid vel nostis vel divinatis, fraterne communicari. Habemus apud nos, sicut et in aliis literis antea vobis indicavimus, literas, ut vocant, credentiales nostri honestissimi Senatus et simul instructionem fidelissimorum in Ecclesia Magdeburgensi Christi ministrorum de eo, quod pie ac utiliter ad gloriam Dei ac Ecclesiae utilitatem facere ac vobiscum agere debemus, quas post finitam demum actionem vobis reddere summum nobis dedecus esset. Quapropter propter dominum Iesum vos oramus, ut primo quoque tempore nobis significetis, ubi, quo loco ac tempore vobis praedicta scripta ac legationem exponere debeamus. Mire sane anxios nos haec causa Christi totiusque Ecclesiae habet, non solum quod vestra amplissima legatio simulque et noster adventus etiam magnam apud omnes spem excitant rei in hac causa praeclare utiliterque agendae, apud quos, si nihil effecerimus, ridiculi sane merito habebimur, sed etiam quod de istis nostris actionibus Deo ipsi in extrema die rationem reddere omnino cogemur, praeterquam quod Ecclesiae Dei plurimum aut obesse aut prodesse, si dextre aut minus agemus, poterimus. Quare vos per unicum servatorem nostrum, qui pro nobis ac toto mundo semet ipsum in extremum exitium ignominiamque tradidit, oramus ac obsecramus et terque quaterque obtestamur, ne nimis praecipitanter tantae causae actionem abrumpatis, sed prius nobiscum iterum atque iterum et saepius diligenter conferatis, et postea etiam de nostra sententia cum ipsis quoque denuo colloquamini. Nos enim sane non ita pueriliter finem huic actioni imponere cogitamus, sed Deo nos iuvante omnino aliquid serium ac tanto negotio dignum agere ac tentare, quoquo modo res ceciderit, cogitamus. Dominus Iesus et vos et nos et istos etiam, cum quibus agimus, homines suo sancto Spiritu regat, et ex sua Ecclesia omnia scandala, errores et offendicula clementer tollat, Amen. Cosvici, 23. Ianuarii, 1557.

No. 6172. (23. Ian.)

(*Narratio.*)

† Ex cod. Galli I. p. 196 b.

(*Narratio eorum, quae Pastores Saxonici cum Legatis Magdeburg. egerunt Cosvici d.* 23. *Ian.* 1557.)

Venerunt Cosvicum ad Magdeburgenses D. ***Morlinus***, D. Fridericus ***Henningus***, Superint. Luneburgensis, et Mag. Ioachimus ***Westphalus*** ante meridiem, 23. Ianuarii. Ubi consedissent, et Mediatores et Magdeburgenses, ***Wigandus*** commemorat, qua occasione huc Cosvicum convenerint, nempe quod ipsimet Mediatores Magdeburg. confessi essent, hanc causam non esse privatam unius aut alterius personae, sed totius Ecclesiae; deinde quod petierint, ut aliquot ministri Magdeburg. in hunc locum se conferrent cum D. ***Illyrico.*** Re igitur deliberata Magdeburgi ab omnibus eius Ecclesiae ministris aliquot personas, quae iam adessent, esse delectas, addita instructione quam iam exhiberent[1].

Deinde quia et Senatus Magdeburgensis non minima pars fuisset confitentis Ecclesiae in difficillimis temporibus persecutionis, ideo etiam ad ipsos consilium Mediatorum esse delatum. Summopere autem omnes hanc tentationem compositionis approbasse et quosdam ex ministris Cosvicum misisse, datis insuper quibusdam literis ad mediatores[2], quae nunc etiam traderentur[3]. — — — —

Postea D. ***Martinus*** nomine Mediatorum dicere incipit. Proximo die Martis, hoc est 20.[4] Ianuarii Mediatores Vitebergam ingressos esse, et eo ipso die Dom. ***Philippum*** duos ex ipsorum numero adiisse ac petiisse, ut D. ***Philippus*** eos audiret, quandoquidem haberent gravissima negotia, quae suarum Ecclesiarum nomine ei essent expposituri. Constituta autem hora sexta posterioris diei mane, hoc est, 20. Ianuarii sese omnes ad ipsum convenisse et indicasse, se habere commissiones a suis Ecclesiis, quibus traditis et lectis et facta potestate rem totam commemorandi, ***Morlinum*** reliquorum nomine causam recensuisse, nempe dissidia tetra post publicam promulgationem Interim Augustani in Ecclesia Christi exorta esse, et inter doctores varia scripta sparsa, gravesque controversias motas, quibus pusillus grex Christi horribiliter turbatus et offensus esset. Cum autem hoc tantum scandalum adhuc duret et impediat cursum ac fructum Evangelii, se tandem precibus ac gemitibus piorum, et inprimis ut nomen Dei sanctificaretur et sincera doctrina tanquam depositum a Deo traditum et a Reverendo in Christo patre D. ***Martino Luthero*** etiam relictum ad posteros propagari possit, adductos, ut piam, optatam ac salutarem pacificationem tentarent, etsi agnoscant, se ad tantam rem transigendam non esse satis idoneos: verum cum alii multi hactenus eam provinciam detrectarint, se

1) Vid. d. 18. Ian.

2) d. 18. Ian.

3) Sequitur argumentum epistolae Senatus.

4) Cod. Galli 29. *Ian.*, ex mendo. Vid. etiam Peuceri epist. ad Camerar. d. 26. Ian.

tandem necessitate compulsos, ut hanc rem aggrederentur. Diiudicationes dogmatum summopere esse necessaria, praesertim cum petulantia ingeniorum quotidie crescat. Eas autem haberi et exerceri non posse, nisi inter praecipuos Ecclesiae Christi doctores pia et salutaris pax et concordia constituatur. Rogare igitur se, ut ipsorum pios conatus benigne accipiat, et hanc transactionem pro sua pietate adiuvet. Tandem propositas esse pacificationis vias a domino ***Illyrico*** in libello de unitate ineunda praescriptas.

Philippum autem his auditis statim se in querelas diffudisse, ac enumerasse cum ingenti stomacho, quantis iniuriis sit hactenus affectus; deinde clare ac diserte pronunciasse, se Flacianos articulos nunquam approbaturum esse. Post multos vero sermones ultro citroque iactatos, et instantibus Mediatoribus et rogantibus, ut ipse commodiores proponeret, tandem postulasse ***Philippum***, ut ipsi legati seu mediatores, sicut moris esset, articulos quosdam conderent et in medium proponerent, iuxta quos putarent, piam concordiam iniri posse.

Hac occasione et necessitate Mediatores adductos, ne omnis actio statim in principio abrumperetur, ut de conscriptione quorundam articulorum cogitarent, qui quidem utrique parti proponi possent, idque sic fecisse, ut quilibet Superintendens cum suo comministro sursim deliberaret, et postea communiter statueretur, quod ad causae huius compositionem facere videretur. Conscriptos porro articulos unanimi consensu sese ***Philippo*** simul exhibuisse ac indicasse, se petere, ut nunc utraque pars declararet suam sententiam, quid desideraret, quid amplecti vellet. Hic ***Philippum*** legatis quoddam tradidisse scriptum, ut legerent, atque ipsis articulis exhibitis ipsaque causa tantopere fuisse commotum, ut vererentur mediatores, ne in gravem aliquem morbum incideret, eamque ob causam se minus libere cum eo colloqui potuisse. Praeterea ***Philippum*** ita acerbe in eos invectum esse ut nihil supra. Post illam actionem eo, quod ***Philippus*** eos suspectos haberet, quasi insidiose cum eo agerent, se cepisse consilium, ut M. ***Paulum Eberum*** rogarent, qui intercederet apud ***Philippum***, ne tales suspiciones de mediatoribus haberet, seque pararet actioni propter communem Ecclesiam. Placatum hoc modo ***Philippum*** postremum scriptum de articulis oblatis contexuisse et permisisse, ut et alteri parti exhiberetur. Insuper postulasse, ut corruptelae, de quibus accusaretur, clare et perspicue ex manifestis scriptis non ex mutilatis aut dubiis indicarentur.

Iam igitur se offerre haec tria scripta, primum de voluntate ***Philippi***, secundum, quod contineret articulos, tertium de sententia ***Philippi*** quod ad hosce articulos attineret; postremo rogare, ut sententiam suam Magdeburgenses declarent, corruptelas dilucide commonstrent, et ea, quae paulo durius a ***Philippo*** dicta essent, dissimularent, etiam suo ipsius exemplo, imo verum omnium maxime Christi exemplo unici nostri Servatoris, qui multo plura perpessus esset nostri gratia, moderentur affectus summo conatu, et tantum ipsam rem aggrediantur. Se tamen ipsi negotio et causae, quae non sit privata sed totius Ecclesiae nihil adimere velle. Libero ipsos spiritu deliberare et sententiam suam exponere posse.

Hisce addiderunt, mediatores Vitebergae magno in periculo esse, in tanta nimirum laxatione disciplinae et petulantia studiosorum, quam coram cernant, et quosdam iam eis dilapidationes esse minatos. Sed se ista terriculamenta et pericula non formidaturos esse hac innixi fiducia, Deum in sua totiusque Ecclesiae causa laborantes sine dubio protecturum esse. Quin et hoc subindicatum est, hoc agi non exiguo studio Viteberg., ut mediatores in Vitebergensium partem concedant, eisque subscribant, omissis penitus iis, qui contra Adiaphoristas scripserunt, vel saltem ut aliqua inter ipsos mediatores fieret scissio. Ideo prudenter agendum esse.

Habita deliberatione Magdeburgenses respondent, se habere et agere dominis Mediatoribus immortales pro susceptis laboribus in componendis dissidiis totius Ecclesiae, non dubitare, quin Deus abunde sit compensaturus. Caeterum se non parum esse perturbatos, quod indicarint, ipsos non satis libere potuisse cum ***Philippo*** colloqui, cum quidem causae gravitas hoc vel inprimis cogitet*). Nihil enim se de causa boni sperare posse, nisi hoc fiat, ac rogare per Christum, ut magis gloriam Dei ac salutem totius Ecclesiae, denique etiam veram ac salutarem conversionem peccatorum quaerant, quam hominem, unum praesertim, vel metuant vel colant. Scripta exhibita se accipere, et in timore domini lecturos et expensuros, ac postea responsionem reddituros esse.

Mediatores his auditis petunt, ne existiment Magdeburgenses, se minus libere coram ***Philippo*** dixisse, quae ad hanc causam pertinere necessario videntur, sed interdum eius commotioni nonnihil concedendum fuisse, ne, si, quod absit, repente in morbum incideret, postea omnis causa in ipsos transferretur. Se bona fide hanc causam Dei acturos et liberrimo spiritu, ut aliquando Deo coram iudicio iustiss. reddituri sint rationem.

Etsi autem D. ***Morlinus*** condixerat, se postridie habiturum concionem Vitebergae loco ***Pomerani***, tamen promisit, se mansurum Cosvici, donec re deliberata certum responsum ad suos reportare posset; se enim agnoscere causam esse maximi momenti et requirere graves deliberationes, neque ullo modo praecipitandam esse.

Sub vesperam huius diei venerunt Cosvicum M. ***Petrus Arbiter***, Pastor Muncheneuburgensis, et Mag. ***Heinricus Brentius***, Kalbensis concionator, et Mag. ***Anthonius***, pastor Northusanus.

No. 6172. 24. Ian.

(*Narratio.*)

† Ex Actis tentatae pacificat. in cod. Galli I. p. 207.

(***Narratio eorum, quae a Pastoribus Saxon. d. 24. Ian. Cosvici acta sunt.***)

A prandio diei 24. Ianuarii rogati ex diversorio ad Magdeburgenses redeunt praedicti mediatores, accepturi re-

*) Sic haud dubie mendose pro *flagitet*, vel simile.

sponsum. Ibi ***Wigandus*** pauca communi omnium nomine praefatus est in hanc sententiam.

Fratres in hoc loco congregatos mediatoribus agere gratias summas, quod tanta benevolentia dignati sint ad eos accedere; deinde rogare amanter, ne eam moram, quam coacti essent facere, aegre ferrent. Causam enim esse gravem et arduam, quae accurata deliberatione indigeat, id quod etiam ipsi pro summa pietate et prudentia haud dubie agnoscerent. Quod ad ipsam causam attineret, scripta sibi Viteberga allata et exhibita, se in timore domini, quantum quidem Deus esset largitus, legisse et expendisse, cohorrescere autem ex toto pectore, tantum in adversariis esse duritiem, ut ne quidem peccatum agnoscere velint, cum quidem in aliis privatis epistolis ad ***Illyricum***, ante hanc actionem scriptis, aliqua peccata visi fuerint sponte fateri. Cum igitur tanta pertinacia fortis illius atrium tenentis conspiceretur, se rogare mediatores per Christum, ut libera spiritus admonitione veram poenitentiam Vitebergensium tentarent, atque in ea re Deum magis quam ullum hominem respicerent. Oportere enim fores crepare et canes latrare, ut bos ille cubans et suaviter dormiens aliquando tandem excitetur. Fratres omnes quotquot adessent dare ipsis potestatem, imo amanter orare, ut libere se quoque commonefaciant, sicubi vel in ipsis vel in causa aliquid reprehensione dignum cernerent, vel animadverterent ipsos contra verbum Dei aliquid suscipere. Daturos enim se omnino operam, ut errores contra verbum Dei commissos revocent, et ab impiis atque illicitis conatibus desistant. Idem officium, ut et alteri parti praestent, et pietatem ipsam et iam hanc ipsam transactionem postulare. Quod de periculo dixissent, id non nimium esse exaggerandum, nec propterea actionem abrumpendam; Deum enim, cuius causa ageretur, ipsos protecturum. Deinde nihil periculi esse a studiosis metuendum in hac totius Ecclesiae causa. Postremo quo certiorem sententiam ad suos Vitebergam reportare possent, fratres scriptis quibusdam mentem suam comprehendisse, et iam exhibere tria scripta, primum ad D. Mediatores directum, quod ***O.*** notatum est, alterum in quo contineretur iudicium de scripto ***Philippi*** postremo, in quo dira et tetra convicia in sese evomuit quod habet literam ***P.***, tertium quod haberet indicem corruptelarum, sicut eum a vobis flagitassent, (hic index ***Q*** notatus est), ac rogare, ut ea scripta perlegere, expendere et in iis porro tradere velint, ad quos haec causa pertinere; denique propositiones quasdam ipsis obiter legendas exhiberi ex homiliis ***Maioris.***

Illyricus addit, se hac nocte parum dormire potuisse, idque propter ingentes curas ac sollicitudines, quas diu noctuque in hac gravissima causa volvat, et videre se quod minus minusque spei in convertendis Adiaphoristis emergat; non hominem sed Spiritum sanctum hactenus principaliter arguisse istas tetras defectiones, abnegationes, corruptelas Adiaphoristarum; ideo magis mirandam esse tantam istorum hominum contumaciam, excruciari autem suum animum de quinque potissimum rebus, quarum tria essent iam sanata satis conscientia permissa. ***Primum*** iam condonata esse eis sponte et non deprecantibus convicia tetra et infinita, quae in sese et alios pios ipsis resistentes hactenus effudissent. Se, ***Illyricum***, privatis ad ***Philippum*** literis ultro se obtulisse, quod si de quibusdam conviciis clare fuisset convictus, sese publico scripto revocaturum esse, quod ***Philippus*** non deberet facere, sed quia ***Philippus*** nullam pacificationem ante hanc actionem voluisset amplecti, sese iam quoque non amplius hoc promissurum esse. ***Secundum***, in sacris literis sancitum esse, neminem recipiendum esse nisi agentem poenitentiam; sese cum suis Adiaphoristas recipere, nec requirere veram conversionem; contentos esse, si tantum publice damnarent errores. ***Tertium*** esse, quod, etsi requiratur revocatio mandato divino, iuxta illud praeceptum de non dando falsum testimonium et de scandalo, tamen iam illud quoque esse *) neglectum. Superesse adhuc ***duo***, quae ut similiter eripiantur, nullo modo pati se posse. Primum esse, sine revocatione veritati testimonium dandum esse communi scripto publice extante, in quo expresse et palam Lipsicum Interim damnetur. Alterum, cum se tota Germania participem fecerit tantorum peccatorum, defectionum, abnegationum, corruptionum, persecutionum et scandalorum, et iam ira Dei exarserit, cometae et alia prodigia praedicent horrendas poenas, et pro foribus adsit Turcicum flagellum, ideo necesse esse, homines etiam deinceps de tam tetris peccatis commonefieri. Praedixisse et ***Lutherum***, Deum Germaniam puniturum esse propter peccata, et nunc officium omnium concionatorum esse, ut assidue populum ad agnitionem tantorum peccatorum et ad serias preces faciendas deducant, si forte imminentes poenae Turcici flagelli possent averti. Quod ad agnitionem utranque partem faciendam attineret, sese hoc quoque ex animo cupere, ut fiat se paratum esse, sicubi iuxta verbum Dei de aliquibus erroribus commonefieret, ultro cedere; sin minus, se non impedire pro publicano et ethnico haberetur. Praeterea mirari se vehementer, qua fronte ***Philippus*** ausit, se criminari, quasi sentiret, filium Dei non dici ***λόγον,*** cum tamen nihil publice ea de re ediderit, et ***Wernero*** tantum mandaverit, ut cum ***Philippo*** conferret, quod generationis modum tantopere inculcaret iuventuti non expressum in sacris literis et supra modum periculosum, nempe quod cogitando filius ex patre natus sit. Item, cum constet ex libris contra ***Stenckfeldium*** editis, nihil a communi nostrarum Ecclesiarum sententia a se tradi, imo etiam in praefatione Chronici Sulpitii Severi contra Servetianos disseruerit. Accedere etiam hoc, quod nuper admodum literas apertas Vitenbergae affigi curaverit subiecto chirographo, in quibus suam sententiam declararit, quas quidem ipse ***Philippus*** avulsisset et aliis monstrasset. Denique cogi se, ad comprimendam hanc tam atrocem calumniam, ad edendum scriptum, non facta tamen cuiusquam mentione. Ne autem ipsis prolixa oratione molestiam aliquam adferret, exhiberi iam dominis mediatoribus tria scripta communi nomine, et addi obiter ipsis propositiones ex homiliis ***Maioris*** extractas, ac rogare, ut attente perlegant, et serio atque constanter rem tantam agant.

Habita perbrevi deliberatione ***Morlinus*** Mediatorum nomine respondet, sese lubenti animo hanc moram fecisse et intelligere causam esse arduam et nullo modo praecipitandam; sese etiam bona conscientia hanc causam agere

---

*) *sit* debuisset scribi.

et articulos condidisse atque in medium proiecisse, ne praecideretur omnis actio, et ut explorari liquido posset, utra pars sese ad actionem pararet; praeterea ut possent mediatores testimonium dare petentibus, per quos potissimum stetisset, quo minus hic articuli accepti et concordia facti fuissent. Item, D. ***Illyricum*** ipsumet dixisse, se posse ferre, ut alii articuli praescriberentur, quos repudiare nollet, nisi aliquid enorme insertum fuisset. Postremo sese petere, ut uno atque altero verbo indicaretur, nisi tamen ipsis scriptis insertum esset, quid fratribus de articulis propositis videretur.

Illyricus ad haec breviter respondet, errores apertos tollendos esse ex Ecclesia, et quid de articulis propositis sentiant fratres, in literis exhibitis esse comprehensum. Caeterum de aliis articulis conscribendis etiam fuisse semper suam sententiam, ut ex verbo Dei et firmis rationibus viae in libello de unitate everterentur, et aliae meliores ex verbo Dei exstructae, satisfacientes Deo, omnium piorum conscientiis et toti Ecclesiae Christi perscriberentur. Nondum autem indicatum esse, ex quibus causis propositae viae prorsus essent repudiandae. Quae vero de novis articulis fratrum sit sententia, ipsos ex literis oblatis cognituros esse.

Post haec ***Morlinus*** ait, mediatores quoque posse admonitiones placide ferre; homines sese esse, ac versari in causa difficillima, et agere cum adversariis, qui sint viri magni nominis; nihilominus se iuvante Deo facturos, quod bona conscientia possint, et non ulterius progressuros esse.

Cum omnes dicendi finem fecissent, M. ***Anthonius Otto*** conclusionem addit, actionis genus in hac causa esse mutatum, id quod magno animi dolore audiat, et se communi omnium nomine orare, ut rem tantam iuxta prius institutas vias agant, et in confessione et sincera veritate peccatorum conversionem et concordiam totius Ecclesiae quaerant.

Morlinus ad haec respondet, se iudicum officium sibi non sumere, et quandoquidem ***Philippus*** recusasset articulos ***Illyrici***, ideo sese alios in medium protulisse, et liberum fecisse, ut alius meliores daret; sese non semper molliter a nostris adversariis accipi.

His pactis redeunt mediatores Vitebergam.

Vesperi huius diei ex fide dignis studiosis, qui ad Cosvicum expatiebantur, comperimus, M. ***Ioannem Sturionem*** loco ***Pomerani*** concionem habuisse, et inter alia in haec verba, praesente ***Philippo***, caeteris doctoribus ac professoribus et denique in frequenti auditorio erupisse: **wir haben je und allweg gelehrt, daß wir allein durch den Glauben an Christum aus Gnaden gerecht werden, und wollen noch hinfürder also lehren, und die uns anders schuld geben, thun uns Gewalt und Unrecht; und Illyricus, der Schalk und Bube, leugt uns an.** Nominatim etiam Saxonicos perstrinxit. Haec fuerunt bona nova, quae accepimus dimissis mediatoribus in ipsa hac actione compositionis contra ius gentium, contra omnem pietatem, aequitatem et humanitatem. Haec ita accidisse et mediatores postea coram narrarunt.

Eodem die missus est Cosvicum pasquillus proprio nuncio ad praefectum arcis, quem suis hospitibus, (nam in arce Cosvicensi Magdeburgenses commorabantur) daret, qui et Vitebergae sparsus fuerat, et autor deprehensus, sicut D. ***Morlinus*** et reliqui mediatores dicebant, nempe gener D. ***Maioris***, M. ***Paulus Krellius***, cuius etiam sigillum agnoscitur, et probari potest exemplar literarum ad praefectum.

Retulerunt et hoc mediatores, statim postquam Vitebergam venissent die Mercurii, hoc est **20.** Ianuarii, ***Pomeranum*** multa de calumniis declamitasse, et non obscure verba in praesentem actionem de mediatione direxisse.

(Sequuntur in cod. scripta, antea commemorata, primum *O.* Flacii, cuius summam dedit Flacius in oratione, quae hic narrata est, quare illud praetermisimus; porro *P.* iudicium Flacii de responsis Melanthonis datis d. 21. Ian. satis longum, quod, quum nihil faciat ad rem ipsam melius cognoscendam, hic missum fecimus; postea *Q.* sive index corruptelarum quas reperisse sibi visus est Flacius in Interim Lipsico, quem itidem praeterivimus, quum Flacii accusationes aliunde satis sint notae; porro propositiones ex homiliis *Maioris* excerptas, quo scripto hic facile carere potest lector; denique scriptum famosum (ex quo quaedam dedit *Saligius* in d. Historie d. Augsb. Confess. T. III. p. 247 sq.), quod hic subiunximus, ut quanto in odio fuerit Flacius apud Vitebergenses indicari possit. Praecedit epistola, cum qua missum fuit illud scriptum ad Magdeburgenses Cosvicum.)

Dem gestrengen und ehrnvesten Wolfen Freiberg, Hauptmann zu Coswig.

Meine ganz willige Dienste zuvorn. Gestrenger ehrnvester Herr Hauptmann. Weil diese Schrift eure Gäste sämmtlich betrifft, als bitt ich, ihr wollet ihnen dieselbe zugleich überantworten. Datum Wittenberg.

Hans Hucuff, Student zu Wittenberg.

Ad manus proprias legatorum civitatum Saxoniae.

Ad Legatos Illyrici.

Qui huc venistis legati
Illyrici permerdati,
Ab illo concaecati,
Polypragmones inflati,
Illius natibus nati,
Quae communio veritati
Mendacio et vanitati?
Nulla unquam sit compositio
Veritati cum mendacio
Viro bono cum fallaci
Viro candido cum mendaci.
Cum bonis bonus eris,
Cum malis perverteris.
Cum uno bono res agitur
A multis dolo, nec peragitur.
Quae negotia sunt multorum
Non sunt unius nec stultorum.
Scribuntur utrinque schedae breves,
Multi dicunt satis leves,
Habendae pro oraculis;
Cantate nobis a graculis.
Feruntur conditiones multae,
Insunt insidiae occultae.
Estote igitur prudentes
Sicuti dicitur serpentes,
Ut columbae simplices,
Ne vos decipiant fallaces,
Ne rebus his compositis
Autores dissidiorum sitis.
Curte sis Curtius
Ne nobis fiat Portius,
In more Morus sis,
Si sophos esse non vis.

Esse sperabamus paulum Paulum,
Utinam non videamus Saulum,
Irenaee quod diceris sis,
Et erit pax utrinque, ut vis.
Martine, lieber Domine,
Da nobis vinum bibere,
Magnum Martinum Martine age,
Paedones Dalmaticos fuge.
At tu, Westphale, Westphalus es
Semper tu Wüstphalus manes.
Pudor sit vos esse legatos
Podice Illyrici ut natos.
Re infecta domum redite
Musas bonas non impedite.
Quisquis sapis, picem Illyricam
Ut pestem fuge teterrimam,
Λόγῳ Dei inimicam,
Tranquillitatem publicam
Ecclesiae aureae pacem
Turbantem, et ut facem
Et fontem omnis dissidii,
Quem sanet auctor omnis boni.

No. 6173. 25. Ian.

Magdeburgenses ad Past. Sax.

† Ex Actis tentatae pacificat. in cod. Galli I. p. 227. — Mane scripta est haec epistola, haud dubie a Flacio ipso antequam redierunt et advenerunt Past. Saxonici.

(*Magdeburgenses legati ad mediatores.*)

S. Reverendi in Christo patres. Non tantum nos contristat priorum dierum Ph. asperitas, ira et teterrima impoenitentia, sed etiam hesterna petulantia et maledicentia in publica concione palam in nos effusa, ubi certe audimus, inter alia quidem alios sine nomine, sed *Illyricum* nominatim mendacii accusatum ac nebulonem vocatum. Quod profecto fieri non potest sine voluntate Ph., ad cuius voluntatem se isti inflectunt, quique et in hac ipsa concione coram fuit. Iam nos non tantum ista maledicentia male habet, quae nunc in amica pacificatione contra omnem aequitatem et humanitatem in nos effunditur, quique ne si quidem vere haeretici essemus iure hoc tempore in nos oblaterari, quam quod non videmus quomodo pia pax cum tam hostilibus, comnotis ac impoenitentibus animis nobis convenire aut constitui possit.

Talia impura maledicta multa in vos ac alios sine modo ac fine in publicis concionibus ac lectionibus toto anno libere et impune effunduntur, et tamen interim praeclare dictitant, accipimus colaphos etc. Quare propter dominum Iesum vos oramus ac obsecramus, ut recordamini, nos *) Magdeburgenses professos esse, causam nostram esse vestram et omnium Christi Ecclesiarum, vos esse nobis adiunctos, vos nostros labores probare et pro iis nobis gratias agere. Cogitate etiam mediatorum officium esse, et praesertim in hac gravissima causa ipsius Dei et Ecclesiae, utrasque partes monere, ubi errent, ubi iniuste faciant, audire rationes, et contra de veritate docere, hortari partem impoenitentem, ut Deo gloriam et veritati tribuat. Etsi autem mediatores non exactissimum iudicium instituunt, tamen sine omni iudicio causae agere non possunt. Agite itaque in domini nomine, monete libere, et arguite ista impoenitentia corda, ut agnita culpa ac ira Dei omnino remollescant, conterantur, et convertantur, quo aliqua christiana pax iniri possit. Urgete istas corruptelas a nobis missas. Adiaphorismus eorum toti orbi ferme fuit notorius, quippe per quem infinitae Ecclesiae corruerint et conciderint. Forte dominus dabit benedictionem, ut, sicut Saulus hodie *) conversus est, ipsi quoque aliquando convertantur, et de tantis peccatis poenitentiam agant, sicque et se et alios a ventura ira Dei in hac et futura vita liberent. Alioquin si tam induratis et efferatis indulgebimus, et illos et nos et alios et demum ipsam Dei Ecclesiam ac sanctissimam causam tetrum in modum perturbabimus. Haec scribimus pia sollicitudine moti in hac gravissima causa, non ut abrumpatur actio, neve deterior aliqua in Ecclesia Dei laceratio accidat, sed ut in timore domini omnia peragantur. Mirum profecto est, si vos ista tam tetra petulansque virulentia ac maledicentia nunc in ipsa pacificatione non conturbet, cum etiam in saevissimis bellis, quando de pace agitur induciae sint, capitaleque sit, si quisquam miles alteram partem ulla ratione violet. Magis igitur *ἄσπονδον πόλεμον*, seu implacabile odium isti erga nos exercent, quam cruentissimi sibique invicem infensissimi hostes in furoribus huius mundi solent. Dominus Iesus nos suo spiritu regat, et corroboret, ut constanter ea, quae coram ipsius oculis recta sunt, in nullius faciem respicientes agere et peragere possitis. Cosvici, 25. Ianuarii anno 1557.

*) Cod. Galli *vos*, quod mendum est.

*) Scripta est ep. die Convers. Pauli.

No. 6174. (25. et 26. Ian.)

(*Narratio.*)

† Ex actis tentatae pacificationis in cod. Galli I. p. 228.

(*Narratio eorum quae Cosvici a Magdeburgensibus et Pastoribus Sax. acta sunt d. 25. et 26. Ianuarii.*)

D. 25. Ianuarii circa tempus coenae Mediatores Saxonici omnes, excepto uno M. *Martino Kemnitz*, Viteberga venerunt Cosvicum. *Martinus* ipsorum nomine haec indicat.

Mediatores omnes scripta sibi a fratribus chariss. missa accepisse et diligenter perpendisse. Iam si res penes ipsos staret, se habere in promptu quid agendum esset, sed se mediatorum officio fungi. Quod igitur ad corruptelas attinet, se considerasse, quod isti negotio principes simul involverentur, deinde totam actionem iis exhibitis abruptam iri. Ideo re bene deliberata tantum quosdam maxime insignes articulos de iustificatione *Philippo* oblatos esse, et tandem rem eo deductam, ut *Philippus* dixerit, se articulos amplexurum, veruntamen iuxta suam declarationem; quod si praeterea aliquid urgere vellent Magdeburgenses, se nihil amplius consensurum. Satis esse

quod propter Ecclesiam plagam hanc accipere sit paratus. Praeterea addidisse ***Philippum***, recte Maiorismum reprehendi severiter, sibi hoc non displicere, et scripta edita in Ecclesia Saxonica se probare. Nunc videri hasce duas vias superesse, diligentissime fratribus considerandas: an urgenda revocatio instanter sit, an vero propter Ecclesiae tranquillitatem mollior aliqua ratio pacificationis ineunda. Etsi autem non possint, neque velint nobis rationem aliquam certam praescribere, tamen se consolationem ex eo capere, quod scriptum sit: sive vehementiores sumus, Deo sumus, sive moderati sumus, vobis sumus. Verum se non officium iudicum sustinere, ideo rogare per Christum, ut consentiant in articulos praescriptos. Sese in tanta caritate rerum omnium Vitebergae maximos sumptus facere, et optare causam maturare, et paulo tempestivius ad suos domum reverti.

Wigandus nomine ministrorum ad haec respondet: — — — quod exposuissent corruptelas ipsius *) etiam iussu et flagitatione bona fide collectas, non esse integre ***Philippo*** exhibitas, sicut aequitas et ipsius rei necessitas, deinde etiam vera conversio errantium postulassent, ex animo se dolere. Parcendo enim peccatoribus induratis voluntatem Dei non expediri, neque saluti proximi recte consuli. Ne autem praecipitarent responsionem, et recte cogitationes suas intenderent, ac deliberare de re gravissima utiliter possent, sese petere in quatuor partibus mediatorum declarationem.

Primum, ut directe et praecipue indicarent de articulis, quid ademptum, quid concessum sit iuxta commonefactiones quas ipsi addidissent. Secundo significarent de Lipsico Interim, an deberet expresse inseri, vel non. Tertio, utrum ius ac potestas reprehendendi haec Interimistica peccata, defectiones, abnegationes, etiam deinceps manere deberent sine expressione personarum seu nominum. Quarto, de scripto publice edendo cum subscriptione nominum utrinque facta, an illud quoque fieri deberet. Postremo se insuper amanter ipsos orare, ut scripto sententiam suam perspicue comprehendant et sibi exhibeant.

Morlinus iterum ait, omnia esse in suis articulis luculenter comprehensa, ac se libenter coram copiosius eos declaraturos esse; licere omnibus modis et in posterum ea peccata taxare. Publicum scriptum esse edendum, in quo testatum fuit toti Ecclesiae ac posteritati de hac pia et salutari concordia. Licere etiam ***Maioris*** errores reprehendere. ***Philippum*** confessionem ab omnibus editam et Saxonica scripta approbare. Denique se nobis spatium cogitandi datum esse.

Illyricus quoque instat et orat, ut in scripto suas declarationes exhibere dignentur, quo rectius et expeditius de his tantis rebus cogitare fratres possent. Sed mediatores iubent ipsos iterum articulos expendere.

Digressis mediatoribus articulos rursus examinant accuratius, et adiiciunt communi consilio, quae ipsis omnino non omittenda videbantur.

Summo mane (d. 26. Ian.) per M. ***Petrum Arbitrum*** mediatoribus articuli a Magdeburgensibus correcti mittuntur, ita quidem descripti, ut in spatioso margine suas censuras adiicere deberent quid resecandum esset, quid relinquendum, id quod etiam expresse rogabantur. Exemplar istorum articulorum est:

1. Consensus, firmiter usu et concione seu docendo tenendus, constituatur in doctrina iuxta sacra biblia, Symbolum Apostolicum, Nicen. et Athanas., confessionem Augustanam, Apologiam et Schmalcaldicos articulos, et inprimis quae in iis de antichristo, et omni cum [eo] collusione aut conciliatione comprehensa sunt.

2. Reiiciantur et damnentur omnes contrarii errores Papistarum, Interimistarum, Adiaphoristarum et Maioristarum, et omnium conciliationum ex Interim ortarum, Anabaptistarum, Sacramentariorum, Serveticorum, Osiandristarum, Stencfeldistarum, Thammeri, et Antinomorum.

3. Ex articulo iustificationis tollantur omnes corruptelae, tum veteres, tum recens ortae, ac pugnantes cum sincera doctrina apostolica et Augustana confessione, Apologia, articulis Schmalcaldicis et confessionibus Saxonicis, praecipue corruptelae de necessitate operum ad salutem, et coniunctae.

4. Ecclesiae Saxonicae non possunt discedere a suis confessionibus et scriptionibus, quas ediderunt tempore proximae persecutionis, sed in illis usu et docendo permanere omnino, Deo adiuvante, volunt.

5. Ne fiat ulla conciliatio, quocunque demum praetextu cum Papistis de ceremoniis, nisi prius liquido convenerit de vera doctrina, et ipsi desierint esse persecutores doctrinae, sicut etiam Schmalcaldici articuli habent, sed omnes tum hactenus factae tum in posterum faciendae perspicue damnentur, et tota constitutio Ecclesiae Christi ministris ipsique Ecclesiae permittatur.

6. Tempore persecutionis edatur ingenua et libera confessio, et non admittatur servitus pugnans cum libertate christiana, et quae admissa est damnetur. Sint etiam claves Christi eius ministris ac Ecclesiae usque quaque liberae ac integrae citra omne impedimentum politicorum.

7. Damnabus et damnabimus Lipsicum Interim, seu Lipsicum Beschluß, seu conciliationem nostrae religionis cum Papistica Lipsiae initio 49. anni factam, seu conciliationes omnes in hisce tetris ab anno 48. usque ad 51. cum Papistis factas, seu omnes collusiones Evangelicorum doctorum cum Papistis ab anno 48. usque ad 51. factas, seu omnes horum temporum adiaphoricas corruptelas. Ex hisce una aliqua formula seligatur, aut aliqua prorsus idem valens subiiciatur, ut deliberare de eo in timore domini possimus.

8. Necesse est, et domini mediatores consentiunt, edi scriptum commune, in quo hi articuli aut de utrinque convenerit, clare et diserte ponantur, citra omnem fraudem in praefatione aut conclusione adhibendam, cum contestatione restitutae in domini nomine unitatis cum subscriptione utriusque partis.

Annotatiuncula. Si altera pars existimatur occultare aliquos errores, requiratur declaratio, quae se offert ad communem damnationem suarum sententiarum, si quas falsas sparsit, quae quidem dominis fratribus iuxta rationem circumstantiarum, et inprimis quod non fuit hactenus

*) videl. *Morlini.*

de ullo errore admonita nec quicquam falsi pertinaciter defendit, aequa et pia visa fuerit. Offert enim se ea pars, quod ita in tollendis suis falsis sententiis se gerere velit, ut omnes clare cernant, se non pugnare de sua gloria aut ἀναμαρτίᾳ seu impeccabilitate.

Quoniam vero haec nostra pacificatio seu unitas praecipue ideo suscipitur, ut in domino unum esse, nosque invicem in difficili ministerio Evangelii fideliter adiuvare et nequaquam impedire possimus ac prompte velimus, ideo necesse est, simul piam quandam praxin Ecclesiae salutaris unitatis praeformari. Cuius forte haec capita esse possunt, ut quotiescunque aliquis vehementior error maiori vi in Ecclesiam Dei incubuerit, omnes ei unanimiter voce et scriptione omnibusque modis resistamus, ut posthac nullus falsorum dogmatum sparsor pertinax et defensor in Ecclesia Dei recipiatur sine clara et publica revocatione, nec ullo modo amnistia sive in re sive in persona admittatur. Item, ne vel doctoribus malae vitae aut doctrinae in uno loco pulsis aut punitis alibi mox prospiciatur, similiterque ne Magistratui, sine causa pium Doct. pellenti, concedatur, mox alium ministrum vocare, aut vocatus pro fratre non habeatur. Summa, ut omnia membra huius eccclesiastici corporis sese invicem ad publicam salutem modis omnibus adiuvent, et nullo modo impediant, inprimisque ut quod una Ecclesia iuste ligaverit, in aliis quoque ligatum sit, quod item solverit, solutum sit. Quod si aliquid non recte ligatum solutumve ex verbo Dei videbitur, de eo aliqnid certum christianum, ac a libertate christiana nequaquam alienum iudicium legitime et ordinarie fiat, ut sciri possit, an ligatio solutiove recte ac pie facta sit:

1. articulus est receptus a Dom. **Philippo**. Magdeburgenses petunt addi: sacram scripturam, symbola etc.

2. receptus, et D. **Philippus** petit addi, Serveticos, Osiand., Stenckfeld., Thammerum, Antinomos. Magdeburgenses petunt addi Maioris, Adiaphor.

3. D. **Philippus** petit priorem partem omnino omitti, et nominari corruptelas. Magdeburgenses petunt, nominatim addi: omnes Adiaph. corruptelas. Altera pars accepta est a D. **Philippo**. Magdeburgenses petunt corruptelam **Maioris** sic poni sicut posuerunt mediatores, et volunt, non tantum phrasin reiici, sed rem.

4. 5. et 6. recepti sunt a D. **Philippo**. Magdeburgenses petunt damnari expresse Lips. Interim.

7. **Philippus** refert se ad priores libros, Apologiam, locos communes etc. Illi necessariam esse publicam contestationem de sublatis erroribus et concordia etc. In recessu hoc dabit ipsa res.

8. Magdeburgenses addunt articulum de Papa, qui est in Articulis Schmalcaldicis.

Circa septimam antemeridianam legati Saxonici ad Magdeburgenses in arcem veniunt, et **Morlinus** sic oritur sermonem:

Se articulos una cum correctionibus perlegisse attente, verum quod ad ea pertineret, quae sub finem adiecta essent de Marchicis Ecclesiis, nempe qua ratione ipsis quoque consuli posset, se de iis rebus nihil habere a suis Ecclesiis in mandatis. Nam amplissimos senatores suarum Ecclesiarum tantum sibi commissionem, ut vocant, dedisse de personis conciliandis per adiaphorica certamina exacerbatis, eo, quod ingentia dissidia in Ecclesia Christi grassarentur, Sathanas turbationem totius religionis moliretur, et magistratus cogitaret de instituendo conventu Ecclesiarum, in quo plenius istae controversiae omnes diiudicari deberent. Verum eiusmodi congressum institui non posse in tanta animorum distractione. Itaque personis conciliatis primo quoque tempore Synodum instituendam esse. Proinde non esse obscurum, si haec cum Marchitis deberent tentari, se et causam turbaturos et non parva pericula sibi accersituros esse, et forte hac occasione pulsos iri ex Ecclesiis, et praemium prophetarum accepturos. Deinde de regulis in certis casibus Ecclesiae observandis, in ea synodo recte transigi et decerni posse, ac se iam haec omnia movere non posse, neque praesenti causae consultum videri. Lipsicum porro Interim in articulis positis non obscure comprehendi, nec esse ignotum, quod ex aula et civilibus negotiis natum sit, ac se tantum in hoc esse, ut caveant maiores motus, ac pacem constituant. Hasce ob causas suadere, ne tantopere urgeant Lipsicum Interim, ne et pericula maiora inde sequantur. Articulos a se propositos singulari consilio ita esse adornatos, ut unus alterum declaret. Quapropter se rogare, ne detrectent articulos, eosque prout sonent amplectantur, ne omnis spes concordiae prorsus adimatur. Negotium et causam Magdeburgensibus se omnino integram et inviolatam relinquere, nec vocare eam causam in dubium, et vel hinc dubium, et vel hinc ipsos posse iudicium facere, quid mediatores sentiant, quid reprehendant. Iterum igitur se hortari ne discedant quicquam ab istis articulis, quos obtulissent. Quod si autem eum sensum repudiaturi et denegaturi essent, se ista unica consolatione sustentari, quod bona conscientia omnia egissent, ut qui sint brevi in novissimo die iusto iudici reddituri rationem, se etiam pro ipsis esse sollicitos, ne omnis Unglimpf, quod Germani dicunt, ex ipsorum parte haereat, hoc est, ut per ipsos stetisse videatur, quo minus salutaris pax sit inita. Aliis etiam hanc ipsam rem terrori futuram, ut in posterum nemo facile eiusmodi pacificationes suscepturus sit. Secutura etiam alia incommoda, ut gemitus piorum etc. **Philippum** promisisse, sese hosce articulos immobiliter et summa fide in omnem usque aeternitatem observaturum esse. Dixisse etiam **Philippum**, recte factum esse, quod acriter **Maior** sit reprehensus, et in maxima angustia Maiorem esse constitutum, sursum ac deorsum cursitare, ac consilia agitare, ipsamque adeo coniugem **Maioris** prae perturbatione hinc inde per civitatem oberrare et amicos sollicitare. Mediatores igitur negotium hoc compositionis non habere in sua manu, se tantum esse amicos intercessores ac petitores, ac se precari Deum, ut utrinque cogitationes et consilia ad sui nominis gloriam regat, et inclinet ad eam pacem, quae cum verbo Dei consonet, et Ecclesiae Christi sit fructuosa.

Wigandus rursus communi nomine respondet: intellexisse se a mediatoribus, articulos ipsorum in medium proiectos esse, non ut alterutra pars ad eos cogeretur, sed utrinque sententiae audirentur, et postea unanimiter

concluderetur, quid tollendum quid abiiciendum esset hoc fine, ut gloria Dei et Ecclesiae salus omni studio quaereretur. Mirari igitur se vehementer, quare tantopere quasi adigantur, ut in praedictos articulos consentiant, nec vel minimum pro causae gravitate et conscientiarum ratione vel addere vel demere sibi fas esset. Rogare autem se omnes, ut scripto aliquo perspicuo articulos declarent, ne alicubi in deliberationibus turpiter impingant.

Hic iterum ***Morlinus***, collatis breviter sententiis cum suis sociis, iudicat, non opus esse aliquo scripto, sese mox coram declaraturos esse articulos, et rem ipsam aggreditur. Articulos suos omnia complecti, quae quidem in postrema via ab ***Illyrico*** in libello de unitate evulgata, sint comprehensa; imo vero adhuc amplius quiddam. Nullam prorsus vim causae, quam cum Magdeburgensibus haberent communem, inferri; praeterea unum articulo alio perspicue declarari; Lipsicum Interim, quod cupiant inseri, in ipsa mentione Interim esse comprehensum et quasi incorporatum, ut Germani loquuntur; Adiaphora quoque contineri in secunda propositione diserte ubi dicitur: reiiciantur omnes contrarii errores, item ubi habetur: ne fiat conciliatio cum Papistis, atque ibi quidem formaliter includi. Item in sexta propositione facile etiam hinc intelligi, priores actiones adiaphoricas damnari, quandoquidem in posterum tales prohibentur fieri. Sese quidem non potuisse impetrare a Vitebergensibus, ut nominatim actiones adiaphoricae damnarentur, sed in genere tamen hoc fieri. De ***Maioris*** propositione reiicienda ***Philippum*** consentire. In quarta propositione omnia certamina Saxonicarum Ecclesiarum probari, quae vero illa fuerint, omnibus constare. Porro, si scriptionum etiam mentio facienda essent, novum sibi certamen nasci, und würde weitläuftig Ding werden. In quinto clare omnia, quae antea essent acta damnari, ut non sit necesse aliud insuper adiici. Quod ad septimum articulum attinet, si penes ipsos staret, scire se, quid agendum esset; sed se tantum proponere, nec posse obtinere, quia dictitent, aulas simul intricari. Quod denique ad editionem seu publicum testimonium attinet, se summa diligentia apud dom. ***Philippum*** acturum, ut scriptum publicetur, nec dubitare, quin sint ei persuasuri, idque omnium maxime propter posteritatem. Quapropter se hortari, ut articulis assentiantur, praesertim cum ipsum negotium maneat salvum. ***Philippum*** iam sibi ultimum responsum dedisse, nec posse quicquam amplius extorqueri. Liberam reprehensionem istorum praeceptorum in posterum quoque non prohiberi. ***Maiorem*** iam in summis angustiis esse; ac, si hanc actionem amplecterentur, ***Maiorem*** in maxima ignominia apud omnes futurum.

Magdeburgenses paucis respondent, articulos nimis generaliter esse scriptos, et controversiam, de qua praecipue agatur, non expresse comprehendi. Iam aliter ***Philippum*** hosce articulos accipere, aliter mediatores, et ipsos debere intelligere, denique lectores pro favore partium eosdem aliter interpretaturos esse. Mandatum autem Dei esse, ne quis dicat falsum testimonium, et ne quis simplicium animo in tam gravibus causis generalitatibus involvatur aut decipiatur. Petere se adhuc aliquam scriptam declarationem, ut deliberationem de tantis rebus rectius instituere possint.

Cum autem viderent mediatores, Magdeburgenses nondum declarationi isti posse acquiescere, exeunt, quasi de hac parte diligentius inter se collaturi sententias. Interim, cum Magdeburgenses putarent, mediatores in diversorium abiisse, parant se ad audiendam conciunculam et preces faciendas, sicuti aliis quoque diebus consueverant. Vix incoeperat M. ***Antonius*** praelegere Cap. 4. 2. epist. ad Timoth., ecce de improviso revertuntur mediatores. Rogati, ut, priusquam suam sententiam explicarent, auscultarent, conciunculae assident, et ea finita D. ***Illyricus*** compellat mediatores, ut in hac difficillima causa et maximis nostris perturbationibus ac curis aliquam brevem consolationem suggerant. ***Morlinus*** ait, causam esse communem toti Ecclesiae Christi, et mediatores ipsi negotio nihil praeiudicaturos esse. Magdeburgenses hactenus Ecclesiae Christi praeclare serviisse, sese cum ipsis in doctrina coniunctos futuros esse, et rogare Deum, ut ipses in sua veritate dirigat, nec dubitare, quin hoc ipsum clementer sit facturus. Absoluta hac consolatione addunt mediatores, se rogare, ne urgeantur ad scribendam declarationem. Esse enim articulos omnes per sese satis conspicuos, et iam paratos esse, copiosius, si sit necesse, coram sensum eorum explicare.

Ad haec Magdeburgenses: se iam propterea consedisse, ut peractis precibus in timore domini sententias de articulis conferrent; quare petere, ne hanc moram ferant moleste, praecipue cum non sit consultum in causa tam ardua, nempe ipsius Dei et totius Ecclesiae iudicium temere ferri.

Ipsis digressis articulos in paucissimis locis corrigunt Magdeburgenses eo prorsus animo, ut abunde suam promptitudinem ad concordiam sarciendam testatum faciant, et ne in ipsis iure desiderari aliquid possit.

A prandio in paucis locis correctos articulos exhibent Magdeburgenses mediatoribus, simul exponentes, admodum sibi grave videri, quod tantopere articuli urgeantur, nulla propemodum data potestate abiiciendi seu demendi aliquid. Conscientias suas gravissime esse sauciatas eo, quod corruptelae, quae tamen ut conscriberentur petebantur, non essent traditae, neque hactenus esset quaesita ulla vera conversio eorum, qui atroces lapsus in Ecclesia Christi commisissent, et scandala plurima ac tetra excitassent, nunc etiam magis ipsis vulnerari, quod generalitatibus causa Ecclesiae involvenda et obscuranda esset. Oportere autem se non tantum sui, sed etiam totius Ecclesiae, imo omnium maxime nominis Dei rationem habere. Indigne se contra ius gentium tum publice in concionibus, tum privatim in scriptis ipso pacificationis tempore esse tractatos; sed haec omnia patienter ferre, et dirigere consilia ad salutarem Ecclesiae pacem. Postremo, quia animadverterent, Vitebergenses prorsus nihil amplius largiri velle, se etiam denique in hanc sententiam conclusisse, quod illa verba, quae articulis inseruissent, omnino nollent tolli aut omitti. Esse autem haec ipsa verba et numero pauca et tam generalia, ut honeste, imo citra laesionem suarum conscientiarum abiici nequeant. Facere autem hoc sese etiam ipsorum mediatorum conscientia adductos; sperare se, quod et mediatoribus et parti adversae abunde voluntatem et promptitudinem suam ad pacem componendam declararint, nec dubitare, si

Vitebergenses hasce conditiones detrectaturi essent, quin omnis culpa omnium piorum et sanorum iudicio, quare in hac mediatione nihil sit effectum, in ipsos sit iure transferenda.

His absolutis offeruntur articuli emendati, cum protestatione, se amplius non posse quicquam concedere.

Addit autem et M. *Anthonius* Northusanus suum suffragium hoc modo: Augustinum dixisse, veritatis simplicem esse orationem, res fragiles autem spumeo verborum ambitu exornari. Se igitur de plana causa plane et paucis dicturum. Evocatum se esse Northusa, ac libenter huc profectum, quia audisset, tam probatae fidei viros mediatores fore, ac in spem maximam adductum fuisse, ipsos serio Vitebergensium poenitentiam quaesituros esse. Verum se nunc cum ingenti dolore cognoscere, non tantum pertinaciam Adiaphoristarum, sed etiam quod iis parcatur neque sint exhibitione corruptelarum de peccatis omnium maximis commonefacti. Causam se cum iis, qui Adiaphoristas hactenus oppugnarunt, habere iustissimam et omnium piorum iudicio iam obtentam. Verum in processu nunc multum esse peccatum. Quandoquidem igitur tam pertinaces forent Vitebergenses, ideo eos relinquendos esse quales sint, donec a Deo immutentur. Curavimus Babylonem dicere prophetam, iam unumquemque debere reverti in suam terram.

Illyricus etiam adiicit, sese non temeritate aliqua in hanc causam devenisse, potius enim se sibi alibi victum satis honeste quaerere et suae tranquillitati consulere, sed partim eorum hortatu partim etiam commiseratione erga afflictam Ecclesiam Germaniae esse motum; et initio quaedam satis honeste labefactionibus verae religionis opposuisse, atque adeo in ipsis initiis huius causae consuluisse, praestantiss. virum D. *Aepinum*, Superint. Ecclesiae Hamburgensis, coram, imo totum eius Ecclesiae ministerium, qui et comprobassent suas istas operas, et ne desisteret, hortatores fuissent. *Aepinum* praesentes miserias tum privatim tum in publicis lectionibus graviter et crebro deplorasse; testatum quoque esse suum animum in epistola, quam libello suo de veris et falsis articulis praeposuisset, item in alia de adiaphoris ad Vitebergenses. Accepisse porro se ab eodem, regem Daniae Lipsicum Interim Hamburgensibus obtrusisse, ut, siquidem pacem vellent habere, illud scriptum amplecterentur. Iam vero se reipsa cognoscere, vere hoc esse ulcerosum, quod dicitur, malum, peccatoribus parci, non quaeri veram ipsorum conversionem contra mandatum divinum; se plura largitum esse quam conscientia ferre possit. Considerandum et hoc esse, quantorum malorum causa sit, imo quam atrociter pugnet cum verbo Dei turpis amnistia in causis gravissimis religionis, quae nunc etiam hic attentetur. D. *Morlinum* et se contra amnistiam Prutenicam in causa Osiandrica acriter dimicasse; iam vero eo rem deduci, ut hic quoque aliqua talis sanciatur magno cum detrimento religionis, et in exemplum pessimum toti posteritati. Videndum igitur ipsis mediatoribus esse, quo miseros homines, quotquot ibi essent congregati, inducerent.

Dum ita consurgunt omnes, mediatores iterum monentur, ut liberrime, si quid in Mageburgensibus desiderent, indicent; sed *Morlinus*, reliquis annuentibus et comprobantibus, clare respondet, se nihil prorsus in ipsis desiderare, imo se optare, ut causa maneat integra et salva.

Denique sic redeunt Vitebergam, animos Vitebergensium rursus tentatum.

(Sequuntur in cod. nunc *articuli* mediatorum; porro „causae cur Lipsicum Interim damnari oporteat", quas Mageburgenses scriptas miserunt d. 27. Ianuarii ad pastores Saxonicos Vitebergam, quos vero huc transcribere noluimus, quum aliunde satis sint nota, quae Flacius in Interim Lipsico damnaverit.)

No. 6175. (26. Ian.)

(*Novi Articuli.*)

Epist. Scholasticor. Viteberg. — Item Mel. Consil. lat. P. II. p. 265., ubi autem hi articuli ex errore allati dicuntur d. 22. Ian. — *Backmeist.* Acta Philipp. p. 47. — Apographon in Actis tent. pacif. in cod. Gall. I.

Novi Articuli Cosviga allati per legatos Saxonicos; Et propositi Philippo Melan. die 27. Ian.

I.

Consensus constituatur in doctrina iuxta Biblia, Symbola, Augustanam confessionem, Apologiam et Schmalcaldicos articulos.

II.

Reiiciantur omnes contrarii errores Papistarum, Interimistarum, et omnium conciliationum ex Interim ortarum, Anabaptistarum, Sacramentariorum, Serveticorum, Antinomorum, Stenckfeldianorum, Osiandricorum, et Thammeri.

III.

Doctrina de iustificatione, de salute videlicet, quod sola fide in Christum gratis sine operibus legis iustificamur, et accipimus salutem, et vitam aeternam, retineatur pura propter has graves caussas, nimirum ut tribuatur Deo suus honos, et non obscuretur beneficium mediatoris, et sit firma promissio, et certa consolatio conscientiarum. Ideoque tollatur corruptela de necessitate operum ad salutem cum coniunctis.

IV.

Ecclesiae Saxonicae non possunt discedere a confessionibus, quas ediderunt tempore proximo persecutionis contra Papatum, Interim, et adiaphora.

V.

Non fiat reconciliatio cum Papistis de ceremoniis, nisi prius convenerit de vera doctrina, et ipsi desierint esse persecutores verae doctrinae.

VI.

Tempore persecutionis edatur ingenua confessio, et non admittatur servitus pugnans cum liber-

tate Christiana, sive in doctrina, sive in adiaphoris.

VII.

Petimus quoque amanter a Reverendo Domino praeceptore, ut publico quodam scripto contestari velit suam sententiam de rebus adiaphoris, et necessitate operum ad salutem, cum Saxonicarum Ecclesiarum confessione coniunctam esse.

VIII.

Si altera pars existimatur occultare aliquos errores, requiratur declaratio.

No. 6176. 27. Ian.

Melanthon ad Pastores Saxon.

Epist. Scholasticor. Witeb. — Mel. Consil. lat. P. II. p. 266 sq. *Backmeist.* Acta Philipp. p. 48. — *Rethmeieri* hist. Eccles. Brunsvic. P. III. p. 230. Item in Bertram's Evangelischem Lüneburg P. II. addit. 37. — Apographa in Actis tent. pacif. in cod. Galli I. p. 238. et in cod. Monac. II. p. 208.

Ad Pastores Saxonicos.

Reverendi viri. Et honestissimis civitatibus vestris, et vobis gratiam habeo de instituta reconciliatione, et spero vos intellexisse, mihi non deesse studium pacis. Volo Deo iuvante in his Ecclesiis in communi confessione [1]) perseverare, et non seram dissidia. Vos [2]) tanquam pios Doctores Ecclesiarum semper veneratus sum, et vere diligo. Existimo etiam, genus doctrinae, quod sono, simplex et perspicuum, prodesse iuventuti, ad res necessarias intelligendas, et ad retinendam concordiam. Ac de toto corpore doctrinae meae volo ex scriptis meis et confessione, quae extat, iudicari, non ex mutilatis recitationibus, quae sparguntur, et calumniose corrumpuntur.

Scitis autem, fuisse magnam opinionum confusionem, his triginta annis, in qua difficile fuit, non labi alicubi: Et mihi peculiariter infesti fuerunt, et sunt multi hypocritae. Pertractus sum etiam ad aularum deliberationes insidiosas. Quare sicubi vel lapsus sum, vel languidius aliquid egi, peto a Deo, et ab Ecclesia veniam, et Iudiciis Ecclesiae obtemperabo, nec aliud in tota vita magis opto, quam ut aliquando de toto corpore doctrinae pii et docti viri placide et sine sophistica, et sine pravis affectibus colloquantur, et relinquant posteritati explicatas sententias sine ambiguitate. Non enim ignoratis, de quibus controversiis desideretur explicatio multorum gemitibus, nec ignoratis, quae caussae impediant candidam sententiarum collationem. Quod autem iam tantum mecum agitis de rixis Flacianis, quibus multas alienas caussas miscuit Flacius, scitis ipsi ad multos illa negotia pertinere, nec me sine offensione aliorum aliquid statuere posse. Si hoc agitur, ut ego opprimar, commendo me Deo, et iudiciis piorum. Et Dei beneficio paratum animum ad hos casus habeo, et exempla intueor multorum, qui in dissensionibus civilibus iniuste oppressi sunt. Ne tamen videar aut lucem fugere, aut non expetere concordiam, respondi*) iterum de articulis, quos proposuistis, ut est in pagella, quam addidi. Nec tamen de aliorum iudiciis et voluntatibus quidquam volo polliceri, et hanc volo nunc meam postremam responsionem esse, quae si non satisfaciet vobis, provoco ad iudicium Ecclesiae, in quo vos ipsos quoque iudices esse pariat. Filius Dei gubernet nos omnes, et faciat, ut unum simus in ipso. Anno 57. 27. Ian.

Phil. Mel. manu propria.

1) Bertr. *ecclesia.*

2) Bertr., Backm. et cod. Mon. *Vosque.*

No. 6177. 27. Ian.

Melanthon de articulis.

Epist. Scholasticor. Viteb. — Consil. latin. P. II. p. 268. *Backmeist.* Acta Philipp. p. 50. Bertram's Evangelisches Lüneburg P. II. add. 38. — Apographa in Actis tent. pacif. in cod. Galli I. p. 239., in cod. Monac. II. p. 208 b., in cod. Goth. 19. p. 185 b. et in cod. Goth. 46. in fine.

(*Melanthonis Sententia de articulis novis exhibitis d. 27. Ianuarii, Pastoribus Saxonicis tradita.*)

Etsi multa ita ponuntur [1]) in propositionibus, ut nos praegravent, et video interpretationes insuaves futuras esse, ut est huius seculi sophistica, et aliena est mea natura ab illis ironicis et figuratis sugillationibus [2]): tamen pacis causa plagam aliquam accipere non recuso. In fine tertiae propo-

*) Pez. *respondeo.*

1) Pez. *proponuntur*, et sic etiam cod. Goth. 19.

2) *sugillationibus*] sic Backm., Pez. et codd. Goth. 46. Monac. et Galli; reliqui *sollicitationibus.*

sitionis, ut nunc quidem a vobis formata est[3]), additur: *cum coniunctis.* Haec generalitas odiosa est, et attexet quisque, quod volet. Mallem [4]) explicate poni propositionem de bonis operibus, ut [5]) utrumque exprimatur, quo modo [6]) sit necessaria obedientia, et quod phrasis: bona opera sunt necessaria ad salutem, reiiciatur. Non volo partem priorem occultari, quae est nervus Antinomorum. Miror, cur dicatis sine necessaria declaratione: iustificationem fieri [7]) *sine operibus legis*; malim simpliciter dicere: sine operibus [8]), quia *Iulius* et *Sydonius* [9]) concedunt hanc propositionem: sine operibus legis iustificamur, et intelligunt opera ante gratiam.

De septimo articulo antea [10]) respondi: ex meis scriptis quid sentiam de adiaphoris notum esse [11]), nec volo de adiaphoris aliquam novam disputationem movere, aut damnare [12]) nostros, quorum aliqui mortui sunt, qui retinere [13]) eos ritus, quos Lutherus retinuit, maluerunt, quam pelli pios pastores et miseras familias, et fieri vastitatem in Ecclesiis. Nequaquam volo meo aliquo praeiudicio honestissimos viros, qui fuerunt in illis deliberationibus gravari [14]). Hanc igitur partem septimi articuli nequaquam recipio.

De altera parte [15]), videlicet de bonis operibus, scribam quae iam [16]) dixi. Ac miror occultationes, cur explicate nolitis dicere de priori parte, cur sit necessaria nova obedientia [17]), cum certe haec in Ecclesia necesse sit tradi: necessariam esse novam obedientiam, quia ordo divinus immotus [18]) sit, ut creatura Deo obtemperet, et Paulus inquit: *omnes sumus debitores*, et cum filius Dei ideo venerit, ut tollat peccatum et mortem, et cum Spiritus sanctus ideo donetur, ut inchoetur et postea sit consummata [19]) obedientia [20]). Scio, vos esse viros honestos, et non amare sophisticam; quare spero, vos quoque pertaesos sophisticarum praestigiarum [21]). Ego nunc plura non respondebo; sed, si *Flacius* haec certamina renovabit, spero, Deo iuvante, me honeste responsurum esse. Bene valete. 27. Ianuarii 1557.

Philippus Melanthon
manu propria.

(*Additamenta e Codicibus.*)

I. In cod. Goth. 19. p. 185. haec addita leguntur: „Haec postrema responsio una cum declaratione, quatenus D. Phil. articulos primo quidem propositos sed nunc iterum repetitos et magis aliquanto exacerbatos recipiat, exhibita est D. Legatis d. 27. Ianuarii, qui, re deliberata, responderunt: se de tentatae transactionis successu desperare, sed animadvertere, multa ab altera parte moveri et exasperari, et misceri aliena, quae occasionem praebitura essent novis certaminibus et maioribus distractionibus. Consultum itaque indicarunt, actioni huic finem imponere et ad suos redire. D. 28. Ian., antequam itineri se darent, D. Philippum convenerunt, et ipsi gratias egerunt, *quod tam paterne et amanter ab ipso sint excepti.*"

II. In cod. Goth. 46. et in Actis tent. pacif. in cod. Galli I. adduntur haec: „Hoc Philippi scriptum est veluti Abschied seu conclusio aut praecisio actionis de pace Cosvici 1557. anno habitae, in quo clare ostendit Phil., se adeo non velle damnare adiaphoricos errores, ut ne praegravare quidem velit ulla ratione eos, qui illis impiis deliberationibus ac conciliationibus interfuerunt. Est vero praeterea sciendum, summa inhumanitate, contra ius gentium, in ipsa pacis transactione ac veluti induciis, Vitebergenses tum ipsos mediatores, tum et alteram partem tractasse. Nam de Philippi acerbitate erga utrosque, tum ore coram, ubi fuerit mediatoribus importunissimus, tum scriptis etiam exposita nihil satis dici potest. — — Illud sane certum est, eo usque austeritatis et intemperiei eum progressum, ut ipsismet mediatoribus novo mediatore opus fuerit. Pleraque igitur per Mag. ***Paulum*** [***Eberum***] cum ***Philippo*** agere sunt coacti *). ***Pomeranus*** porro primo die, qua legati ibi in publicum prodierunt, invectus est acriter contra calumniatores, non obscure indicans, se ipse [ipsos]

3) *ut nunc* etc.] non habent Epp. Schol., Backm., Bertr. et cod. Monac.

4) Backm. et cod. Galli *malim.*

5) Schol. *et*, ex mendo; Pez. *sic ut;* cod. Goth. 46. *quod.* Backm. et cod. Gall. neutrum habent.

6) *quo modo*] Pez. quod.

7) *sine necessaria* etc.] exciderunt apud Backm.

8) *legis*, *malim* etc.] exciderunt apud Pezel.

9) Iulius Pflugk, episc. Naumburg. et Michael Helding, episcopus Sidonius, suffraganeus Archiepiscopi Moguntini, qui ambo cum Io. Agricola liberi Interim auctores fuerant.

10) Pez. et cod. Goth. 46. *ante.*

11) Pez. *est.*

12) Pez. *damnari.*

13) Epp. Schol. *retineri.*

14) Pez. *gravare.*

15) *parte*] Pez. *causa.*

16) *quae iam*] Pez. *quod iam*; Backm. *quod tum.*

17) *cur sit* etc.] non habet Backm.

18) *immotus*] Pez. *necessarius.*

19) *consummata*] cod. Goth. 46. *confirmata.*

20) *postea sit etc.*] Pez. tandem consummetur in nobis conformitas cum lege Dei.

21) *pertaesos etc.*] Pez. alienos esse a praestigiis sophisticis.

*) Verba: „*Nam de Phil. acerbitate* etc." cod. Galli non habet.

legatos eorumque Ecclesias, et Magdeburgenses intelligere. Sequente vero dominica *Ioannes Sturio*, diaconus, in publica concione antemeridiana, cum alias omnes Ecclesias saxonicas diserte accusavit, quod falsa de illis dicant ac sentiant, tum *Illyricum* separatim ac nominatim nebulonem ac mendacem appellavit. Item *Philippus* in publico examine die Martis sequenti itidem in *Illyricum* nominatim invectus est. Deinde *Maior* cum suo genero M. *Paulo Crello*, tam foedum pasquillum in omnes Saxonicos legatos composuit, ut nihil eo tetrius omnino excogitari queat. Nominatim in singulos invehitur. Vocat eos legatos permerdatos et ex podice Illyrici natos. Est vero praedictus Maioris gener deprehensus, cum pasquillum in Hamburgensium hospitium proiecit. Hisce semifuriosis doctorum Viteberg. declamationibus ita est inflammata ac veluti furiata imperita iuventus scholasticorum et civium, ut etiam lapidationem mediatoribus Saxonicis minaretur. Haec vera et certa sunt. Hisce igitur rationibus *), cum Viteb. ostenderunt, se pacis cupidos nequaquam esse, tum pacis actionem abruperunt. Cogitent vero omnes pii, quale hoc sit facinus, qualisve illorum hominum animus, ut ne gentium quidem ius in pacis tractatione ac induciis servaverint. Abeant ergo et dictitenti: simus unum etc. Item: nos ex animo pacem cupimus etc.

No. 6178. 27. Ian.

Morlinus ad Flacium.

† E cod. Galli I. p. 237 b. — Responsum Flacii vid. d. 28. Ian.

Fidelissimo Christi servo, Dom. Matthiae Flacio Illyrico, suo in domino fratri.

Gratiam et pacem per Christum. Habes, mi frater, D. *Philippi* responsum, de quo potes cum reliquis hoc vesperi deliberare. Nos cras hinc sumus discessuri. Facite vos quoque quod visum fuerit vobis commodum. Sit gratia Christi tecum et cum caeteris fratribus. Vitebergae 27. Ianuar. 1557.

Tuus Ioachimus Morlin.

No. 6179. 28. Ian.

Flacius ad Past. Saxon.

† Ex apographo in cod. Galli I. p. 239 b. — Praemissa est huic epistolae in codice narratio haec:

„Die 28. Ian. summo mane equitem mittunt Magdeburgenses Vitebergam datis literis ad Mediatores, in quibus rogabant ut pergerent agere, et in aliis quibusdam suam sententiam declarent; sed in ipsa porta in egredientes ac discedentes mediatores nuncius incidit. Ubi venerunt Cosvicum mediatores, et impetratum esset ab eis priusquam transirent, ut daretur Magdeburgensibus breviter cum ipsis colloquendi [potestas], commemorarunt, se nihil amplius apud Vitebergenses posse obtinere. Causam in hoc puncto haerere, quod adiaphoricas actiones nequaquam vellent damnare, sicut scriptum *Philippi* testaretur. Petierunt autem Magdeburgenses, ut mediatores testimonium istius actionis, seu recessum, ut vocant, sibi darent; verum hoc obtineri non potuit, eo quod scriptum *Philippi* postremum, ut aiebant, recessum in sese non obscure contineret. Concessum esse *Philippo* deliberandi spacium per duos menses, idem et Magdeburgenses facere posse. Denique Philippum ad iudicium Ecclesiae provocare; idem et Magdeburgenses facere, et orandum esse Deum, ut immutaretur *); se quoque in ea re sedulo laboraturos esse. Multa hic sub finem mediatores conquesti sunt, quam aspere sint accepti et tractati a Vitebergensibus in hac actione, praesertim a *Philippo*, et quod non semper sibi satis constiterit, praesertim quando a susurronibus suis in transversum actus fuit; sese gaudere, causam adhuc inviolatam relictam esse. Sic re infecta quisque domum est reversus."

(*Epistola Flacii et Magdeburgensium ad Pastores Saxonicos Vitebergam missa summo mane d. 28. Ian. — Est responsum ad brevem epist. Morlini d. 27. Ian.*)

S. Clarissimi viri, ac patres in domino reverendi. Dolemus rem eo deductam, ut nulla amplius spes piae pacis, ac ne actionis quidem de pace isthinc ostendatur. Causa vero ac primarius fons istius tanti mali fuerunt, sunt et erunt errores Adiaphorici, quos isti et ante cum magna pernicie Ecclesiae Dei sparserunt, ac contra omnium piorum vota ac admonitiones pertinacissime urserunt, et nunc, sicut clare ac diserte confitentur, damnare omnino non volunt. In hoc cardine tota res vertitur, sic illi intelligunt et accipiunt omnes istas actiones, ut interea Adiaphora, seu errores adiaphoricos, nequaquam damnari velint, sed rata et probata in tota Dei Ecclesia omnemque posteritatem permanere decernant. Alioqui quod ad alia quaedam puncta seu voculas attinet, de quibus quaeritur, adhuc agere et conferre amanter potuissemus. Nam voculam cum adiunctis, quam ille suspectam tantopere habet, nos de illis sententiis *Maioris*: *nemo unquam salvatus est sine bonis operibus*, *impossibile est quenquam servari sine bonis operibus* etc. intelligimus, et quas jam in huius anni scriptionibus adiunxit, quasque proxima confessiuncula quidam nostrum taxarunt; quare si mavult praedictas propositiones diserte cum ea aut pro ea poni, optime sumus contenti; sin minus cum coniunctis omnino excludatur. De phrase Paulina, *sine operibus legis*, quod ille dicit ac queritur, nihil sane nos in nobis exhibitis propositionibus legimus. Quod ad septimum articulum, in quo petitis, ut ipse de Adiaphoris scribat, pertinet, nos quidem ut excludatur ferre possumus, salvis tamen omnino reliquis. Quod ad illam *sententiam, opera esse per sese necessaria*, ferre eam hisce verbis ac sententia possumus. Nunquam negavimus, novam obedientiam ac bona opera esse necessaria, propterea, quod divino

---

*) Hisce igitur rationibus etc, non habet cod. Goth. 46.

*) Vid. Philippus; cod. Galli *inmutaretur*.

mandato a nobis exiguntur, et si quis huic contrarium docuerit, summis nos ei viribus adversaturos nominatim profitemur.

Habetis nostram sententiam de quibusdam ab eo indicatis punctis, quam vobis ac omnibus piis probatum iri confidimus. Quare, si omnino est possibile, cuperemus ei hanc nostrae voluntatis et sententiae declarationem adhuc proponi, nec actionem penitus abrumpi. Deum enim testamur, nos piae pacis cupidissimos esse, eaque si non fiat, non per nos stare, sed per ipsos, qui expresse dicunt ac de sese profitentur, quod Adiaphora proximorum cribationis Ecclesiae Christi annorum seu adiaphoricos errores damnare omnino non volunt, in quo puncto omnis controversia consistit. Quod autem nobis sophisticen obiicit, quod suam seu Adiaphoristarum partem pro ***Lutheri*** ritibus pugnasse nosque contra oppugnasse affirmat, indicamus aut esse falsissimam sententiam aut certe astutissimum sophisma. Quod item ***Illyricum*** multas alienas causas Adiaphorico certamini admiscuisse adfirmat, optat ***Illyricus***, se de omnibus suis erroribus aut alioqui enormiter prave factis tum ab ipso tum a vobis perspicue erudiri, omnemque emendationem, correctionem et mulctam, quam in Ecclesia Dei talibus culpis imponi aequum est, laturum se patienter affirmat, nosque omnes eius nomine affirmamus, idque nisi praestiterit, pro ethnico et publicano nos eum habituros, clare et ex animo coram Deo et eius Ecclesia pollicemur.

Quapropter iterum atque iterum vos, charissimi in domino fratres, adhuc oramus et obtestamur, ut ipsius durum et asperum animum denuo tentetis, si forte adhuc mollescere, et Dei metu piaeque pacis studio perniciosos Adiaphorismi errores diserte damnare velit. Quod si mavult iudicium, ut subindicat oramus, et clare constituatur de tempore, loco et personis, sicut nos in hesternis literis prolixius mentem nostram ergo V. R. P. aperuimus. Dominus Iesus regat vos suo sancto Spiritu, et nos una, ut nos ita geramus, ut, sicut vos ingenue 26. Ianuarii confessi ac professi estis, nihil vos in nobis desiderare posse, ita et in omnem posteritatem omnia scandala vitare, nostrasque actiones Deo et hominibus probare possimus. Valete item in domino.

No. 6180. ex. Ian.

Fragmentum ep. Melanth.

† Ex apogr. in cod. Galli II. p. 204 b.

Verba ***Philippi*** *de transactione inter se et legatos iam descripta ex eius autographo, missa ad* ***Electorem Augustum.***

Post meam postremam responsionem discesserunt legati, et petiverunt, ne quid intra mensem ederetur contra ***Flacium***, ac dixerunt, se idem a Flacio petituros, ne quid ipse intra mensem contra nos ederet. Interea se daturos operam, ut totum dissidium tolleretur, et se nobis scripturos esse, quid effectum esset. Respondi, me libenter ipsorum literas expectaturum esse. Hic finis fuit actionis, quae nunc hic fuit instituta. Hospitum colloquia alioqui mihi grata fuerunt, et a me amanter excepti sunt, ut amici veteres, et sunt inter eos viri docti et graves et non probantes rabiem Flacii. etc.

No. 6181. (ex. Ian.)

(*Narratio.*)

Edita in Unschuld. Nachr. Jahrg. 1708. p. 529 sq. Quis hanc narrationem scripserit editor non dixit, neque de tempore quo scripta sit, satis constat. Adiunximus igitur eam hic reliquis scriptis, quae ad hanc rem pertinent. Fortasse aliquis pastorum Saxonicorum ipse Senatui suo hanc scripsit narrationem. Legitur eadem in *Becmanni* Geschichte des Fürstenthums Anhalt T. VI. p. 98 sqq. qui vero etiam non dixit, unde eam hauserit. Textus eius ubique cum priore convenit.

Bericht, woran es gefehlt, daß die Sache zwischen den Adiaphoristen und dem Gegentheil zu Coswick nicht verglichen und vertragen ist, *Anno* 1557. im Jenner.

Es haben die Mediatores oder Unterhändler denen, so wider die Adiaphoristen bisher gestritten, angezeigt, daß sie wollten mit den Adiaphoristen dergestalt handeln, daß sie ihnen die Artikel und Wege vom Illyrico, im Buche von der Einigkeit, vorgeschlagen, wollten vorhalten und sie vermahnen, daß sie entweder die annehmen, oder sie aus Gottes Wort widerlegten, und dagegen bessere aus der Schrift anzeigten. Als sie aber gen Wittenberg gekommen und vermerkt, daß der Philippus auf solche Wege nicht zu vermögen, denn er sich dermaßen mit Affecten und Geberden erzeiget, daß sie besorgt, wo sie würden dermaßen fest anhalten, es möcht an seiner Gesundheit etwa ein Schade geschehen. So haben sie auch zwar auf Philippi Begehren etliche generales und gar gelinde Artikel gestellt, und die als ins Mittel, wie sie vorgeben, geworfen, darauf sich beide Theile hätten zu bedenken und zu erklären, mit dem Beding, daß jeder Theil Macht hätte nach Nothdurft der Sache dazu oder davon zu thun.

Folgen die Artikel.

1. Es soll ein Consens oder Einigkeit in der Lehre aufgerichtet werden, nach der Augsburg. Confession, Apologia und den Schmalkaldischen Artikeln.

2. Dagegen sollen gestraft und verdammt werden allerlei Irrthum der Papisten, Interimisten, Wiedertäufer und Sacramentirer.

3. Es sollen allerlei Verfälschungen und Irrthümer, so wider die reine Apostol. Lehre und Augsburgische Confession streiten, aus dem Artikel von der Rechtfertigung ausgethan und verdammt werden, sonderlich aber die irrige und falsche Proposition: gute Werke sind nöthig zur Seligkeit.

4. Die sächsischen Kirchen wollen auf ihrer Confession oder Bekenntniß, das sie gethan in der Zeit der nächsten Verfolgung, fest und beständig beruhen und bleiben.
5. Man soll mit den Papisten keine Vergleichung in den Ceremonien vornehmen, es sey denn, daß sie zuvor in der Lehre mit uns einig seyen, und nicht mehr das Evangelium verfolgen.
6. Wir wollen zur Zeit der Verfolgung einhellig und aufrichtig das Bekenntniß führen, und es soll keine Dienstbarkeit, die der Christen Freiheit entgegen sey, eingeräumt oder zugelassen werden.
7. Wir bitten auch ganz christlich, der ehrwürdige Herr Philippus wolle sich erklären, daß er von der Adiaphoristen Sache und Nothwendigkeit der Werke mit unserer Kirchen Bekenntniß allerdings einerlei Meinung habe und halte.
8. So etwa ein Theil in Verdacht ist, als verbergen sie etlichen Irrthum, so soll man weitere Erklärung von ihnen fordern.

Erklärung der Artikel Phil. Mel.

Darauf hat sich der Herr Philippus also erklärt, daß er begehrt, man solle ihm anzeigen die Corruptelas oder Verfälschung der Lehre, die er sollte haben in der Kirche eingeführt, und hat den ersten, andern, vierten und fünften angenommen, den dritten aber geändert und corrigirt, also, das erste Theil, ex articulo iustificationis tollantur etc. soll man auslassen, denn sie würden darin heimlich beschuldigt, als hätten sie den Artikel von der Rechtfertigung verfälscht, und man sollte diese Wörter davor setzen: Wiewohl der neue Gehorsam eben darum vonnöthen ist, daß es Gottes Ordnung ist, und der Sohn nicht darum gesandt ist und gelitten hat, daß wir in der Sünde bleiben sollten, und wird der heil. Geist darum gegeben, daß ein neuer Gehorsam angefangen werde, nach dem Spruche, ich will mein Gesetz in ihre Herzen geben. Doch wollen wir diese Phrasis oder Weise zu reden nicht gebrauchen: Gute Werke sind nöthig zur Seligkeit.

Wie dem Gegentheile zu Coswick die Artikel und die Erklärung derselben gefallen.

Nachdem nun die Artikel mit der Erklärung des Philippi dem andern Theil überantwortet, haben dieselben nicht geringe Beschwerung daraus gehabt, daß die Unterhändler ohne Vorwissen und Willen der von Magdeburg nicht allein genus actionis mutiret, sondern auch solche weitläufige Artikel vorgeschlagen hätten, darin der Haupt-Sachen nicht einmal ausdrücklich gedacht würde, nemlich, daß man das Leipziger Interim, oder die Adiaphora und die errores, welche daraus entsprungen, und die Kirche Christi irrig und unruhig gemacht, verdammte, oder auch klar und mit einer gedruckten und von beiden Partheien unterschriebenen Schrift verdammen sollte, und jedermann gewarnt würde, sich dafür zu hüten. Und weil Philippus begehrt, die corruptelas oder Verfälschung der Lehre, so von den Adiaphoristen eingeführt wären, anzuzeigen, so hat man dieselben zusammen geschrieben und den Unterhändlern übergeben, und daneben sich auf die Artikel erklärt, mit dem Begehren, solche Corruptelas Philippo nach seinem Befehl zu übergeben. Es haben aber die Unterhändler dem Philippo diese Schrift nicht überantwortet, mit Vorwendung der Ursachen, daß, wenn man sie dem Philippo zugestellt, würde er allzu sehr zornig werden. Also, daß man etliche daraus gezogen und sind zu dem andern Theil gen Coswick gekommen, und gebeten, sie wollten, so viel sie ohne Verletzung der Gewissen thun könnten, sich nur auf die Gewissen einfältigst erklären; denn sie würden dasjenige, was sie zuvor vorgeschlagen, in der Erklärung nicht erhalten.

Wie sich das Gegentheil zu Coswick auf die vorigen Artikel erklärt.

Darauf haben die Prediger, zu Coswick versammelt, wiewohl mit beschwertem Gewissen, allein darum, daß doch möchte ein ziemlicher Friede und Einigkeit in der Kirche Gottes aufgerichtet werden, oder aus überflüssiger Begierde der Einigkeit und Friedens, sich auf die Artikel erklärt, und die alle angenommen, allein daß sie gar wenig Wörter hinzu gethan; auf daß gleichwol das Leipziger Interim und die Adiaphoristen müßten nahmhaftig verdammt werden. Denn zu dem andern Artikel ist allein gesetzt, daß man verdammen solle das Interim, und allerley Vergleichung, so daraus entspringen, damit das Leipziger Interim, Adiaphora, obscure und generaliter gemeint. Zum dritten Artikel war gethan, cum coniunctis, daß die Proposition: gute Werke sind nöthig zur Seligkeit, und was der anhängig, als diese: daß unmöglich sey, ohne gute Werke selig zu werden, daß niemals jemand ohne gute Werke selig geworden sey, solle verdammt werden.

Zum vierten Artikel ward gesetzt, Interim und Adiaphora, daß die sächs. Kirchen nicht könnten abtreten von ihren Bekenntnissen und Schriften, so sie haben ausgehen lassen wider das Papstthum, Interim und Adiaphora.

Die andere Erklärung Phil. Melancht. auf die vorigen Artikel.

Darauf hat sich Philippus, mit Abreißung dieses ganzen Handels, erklärt, daß er mit dem Wörtlein: *cum coniunctis*, so sie im dritten Artikel hinzu gethan, nicht zufrieden sey, und daß er nicht wolle die Wörter, wie sie von den Unterhändlern im dritten Artikel gesetzt, also stehen lassen; sondern man solle den Umschweif daran machen: Obgleich gute Werke nöthig seyen den Neugebohrnen, etc. Doch wollen wir diese Art und Phrasis zu reden nicht gebrauchen: gute Werke sind nicht nöthig zur Seligkeit. Für das andere, so könne er nicht leiden, daß die Adiaphora oder die adiaphorischen Händel verdammt würden, auf daß er diejenigen, so bei den Händeln gewesen, und nun verstorben wären, nicht beschwerete. Für das dritte, so wollte er auch gar nicht den siebenten Artikel eingehen; denn man aus seinen Schriften genugsam verstehen könne, was seine Meinung von den Adiaphoris oder Mitteldingen sey.

Solches haben die Unterhändler den zu Coswick Versammelten den 29. Januar auf den Abend zugeschickt und sagen lassen, sie sollten sich alsbald davon machen, welches sie sich geweigert, denn sie wollten zuvor einen Abschied des Handels von ihnen erwarten.

Bericht, woran es gemangelt, daß die Adiaphoristen und das Gegentheil zu Coswick sich nicht vertragen.

Die Mediatores aber sind den andern Tag früh von Wittenberg aufgebrochen, als sie selbst daran gezweifelt, daß auf solchem Wege die Sache könnte versöhnt werden, und wie sie gen Coswick gekommen, und die Antwort empfangen, daß Illyricus mit den Seinen, wie auch oft zuvor ihnen angezeigt, sich nicht könnten mit den Adiaphoristen in andere Wege vergleichen und zufrieden seyn, es wäre denn, daß neben dem augsburgischen Interim auch die adiaphorischen Händel, und die errores oder Verfälschung der Lehre verdammt und auch in einer öffentlichen Schrift jedermann davor gewarnt würde; darauf haben die Unterhändler angezeigt, daß es bei den Wittenbergern unmöglich sey zu erhalten, und haben zum öfteren, da sie gefragt, ob sie was Mangels an den Predigern zu Coswick versammelt in diesem Handel und an ihrem Erbieten hätten, angezeigt, sie hätten sich genugsam erboten, und wüßten ihnen nichts Schuld zu geben, und stieße sich allein daran, wie Philippi Schriften ausweiseten, daß die Wittenberger ganz und gar nicht wollten die Adiaphoristen Händel, nach dem Interim geschehen, verdammen.

Die Mediatores zu Wittenberg übel tractiret.

Es haben auch sonst die Unterhändler allewege geklagt, daß sie zu Wittenberg sehr hart und rauh sind angefahren worden, und mancherlei Pasquillen und Schmähschriften wider sie ausgebreitet, und öffentliche Schmäh-Predigten gethan, auch ius gentium, das heidnische Recht, ihnen, als den Legaten, nicht gehalten haben. Gott erbarme sich über seine arme Kirche, da die höchsten Häupter nicht allein geschwinde sündigen, sondern auch dieselben nicht erkennen noch verdammen wollen; und gebe in der Zeit der Gnade Bekenntniß, damit nicht ewige Strafe und Zorn hernach erfolge. Amen.

(*Finis Actorum Cosvicensium*).

No. 6182. 23. Ian.

Alberto Duci Pruss.

Ex autographo edita a *Fabro* in epist. p. 216. ep. 63.

Alberto Duci Borussiae.

S. D. Illustrissime et Clementissime Princeps. Ut veniens annus sit faustus et foelix Ecclesiis dei in hac ora Germaniae et in ditione Celsitudinis vestrae, et ipsi Celsitudini vestrae et filio illustrissimo. Accepi formam doctrinae mihi missam ab Illustrissimo Principe Electore Duce Saxoniae *). Sed inter alia negocia, cum nemo statim flagitaret responsionem, distuli lectionem eius scripti. Vidit Celsitudo vestra formam doctrinae Ecclesiarum Megalburgensium, quae a reverendo viro Doctore *Iohanne Aurifabro* collecta est, et placuit Principi Palatino *Wolfgango* qui etiam suis Ecclesiis eam proposuit. Si Celsitudo vestra eam formam consideraverit, spero placituram esse. Potest Celsitudo verstra et reverendi viri D. *Brentii* consilio uti. Ac prodest multas Ecclesias una forma doctrinae coniunctas esse. Sed tamen perlegam formam quam Celsitudo vestra misit, et, ut iussus sum, mittam meum iudicium ad Electorem Ducem Saxoniae.

De Conventu Ratisponensi haec narrantur. Episcopi non volunt colloquium institui, sed postulant generale concilium. Nostri offerunt se ad Colloquium, et Concilii autoritatem detrectant. Rex Ferdinandus respondit, ne posse quidem convocari Concilium cum Papa gerat bellum. Et non prodesse colloquium theologorum. Sed placere sibi, ut principes et aliqui ex praecipuis con-

---

*) Es ist hier von der berüchtigten Kirchenordnung die Rede, welche der Herzog durch den M. Matthäus Vogel, zweiten Professor der Theologie und Pfarrer im Kneiphof, anfertigen lassen, Melanthon und andern berühmten Theologen zur Beurtheilung zuschickte und welche im Jahr 1558 im Druck erschien.

Das von Melanthon eigenhändig corrigirte Exemplar, welches jedoch nicht die ganze Kirchenordnung, sondern nur den ersten Theil, der die Dogmata fidei enthält, in sich begreift, wird im geheimen Archiv aufbewahrt *).

Die Streitigkeiten und Unruhen, welche diese in der Folge wieder aufgehobene Kirchenordnung besonders deshalb veranlaßte, weil dem Manuscript zuwider, im Druckexemplar, auf Aurifabers Veranlassung, das Taufformular geändert und der Exorcismus weggelassen war, sind aus den, die Preußische Kirchenhistorie abhandelnden Werken bekannt. Es wird sich in den Papieren des geheimen Archivs darüber noch viel Neues finden, der Zweck dieser Anmerkungen erlaubt aber nicht, davon mehreres aufzunehmen. (Faber.)

*) Der verstorbene Consistorialrath D. und Professor der Theologie rc. Hennig, hat von diesem Manuscript in seiner im Jahr 1803 pro gradu doctoris gehaltenen Disputation: De reliquiis quibusdam Philippi Melanchthonis literariis quae Regiomonti asservantur, ausführlich gehandelt. — Daß diese Briefe Melanthons in demselben Archiv existirten, war damals noch Niemand bekannt. (Faber.)

siliariis deliberent et de Ecclesiis et de pace. Polonicas et Hungaricas historias notas esse Celsitudini vestrae non dubito. Retrahi Turcos exercitus in Asiam scribitur, quia mortuo Rege Persico Patre, filius bella rursus movet. Celsitudinem vestram et filium servet deus incolumes, et gubernet omni tempore. Datae 23. Ianuarii 1557.

Celsitudini vestrae
addictus
Philippus Melanthon.

No. 6183. 25. Ian.

Wolfgango, Palatino.

† Ex apographo in cod. Galli II. p. 243b.

Illustrissimo Principi et Domino, Dom. Wolfgango, Principi Palatino, Duci Bavariae et Comiti Veldentiae etc. Domino suo clementiss.

S. D. Illustrissime et clementiss. princeps. In Ecclesia Ratisponensi docet Evangelium pie et fideliter vir venerandus *Martinus Schallingius*, natus patre Pastore Ecclesiae cuiusdam in urbe Argentorato, notus familiariter viro Reverendo *Hieronymo Rauschero,* docenti Evangelium in Ecclesia Celsitudinis verstrae *). Est autem in Academia nostra frater illius *Martini Schallingi*, *Ioannes Schallingius*, modestus et eruditus, qui petivit, suam voluntatem Celsitudini Vestrae significari. Libenter in Ecclesia aliqua Cels. Vestrae serviret propter excellentem virtutem et pietatem Celsitudinis Vestrae. Orat autem propter Deum, ut C. Vestra ipsi, cum sit orphanus, et natus ex pio pastore Ecclesiae, et C. V. servire cupiat, opem in studiis ferat. Scriptum est: esto pater orphano, tunc Deus magis te diliget, quam diligit te mater tua. Quid potest promitti amore Dei tanto quod superet maternam στοργήν, quae est ardentissima?

Hunc igitur orphanum ingenio valentem ut iuvet Cels. Vestra reverenter et propter Deum oro. Videt C. V., universam Ecclesiam orphanam esse et mirabiliter a Deo protegi et servari. Ut igitur gratitudinem Deo ostendamus, simus omnes in iuvandis orphanis officiosi. Deus aeternus pater domini nostri Iesu Christi, pater orphanorum, servet et gubernet Celsit. Vestram omni tempore. Datae die Conversionis Pauli anno 1557.

Celsitud. Vestrae
subditus
Phil. Mel.

*) Fuit concionator aulicus.

No. 6184. 25. Ian.

Ge. Buchholzero.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54³.

Georgio Buchholzero, Pastori Ecclesiae Berlinensis.

S. D. Reverende vir et cariss. frater. Pagellas de morte *Forsteri* misi, et alias quasdam. Scripsi etiam, curaturum me esse, ut filiis epitaphia non inepta scribantur. Id Deo iuvante faciam. De concionatore Polonicae linguae gnaro respondebo intra paucos dies, nam hic nuncius non expectabat nostram deliberationem cum amicis. Iam adsunt Doctor *Ioachimus Morlin*, pastor Ecclesiae Brunsvicensis, et alii, Pastor Lubecensis, Hamburgensis et Luneburgensis, ut tollant controversias inter *Illyricum* et me. Sed initio testati sunt, se nolle de doctrina instituere colloquium. Quid propondituri sint nondum scio. Bene vale. Die conversionis Pauli.

Philippus. *)

No. 6185. 26. Ian.

A. Hardenbergio.

Epp. ad Hardenberg. ep. 6.

D. Alberto Hardebergio.

S. D. Reverende vir, et carissime frater. Post iter tuum [1]) venerunt huc Pastores Ecclesiarum

*) Margini adscripta leguntur ad nomen *Philippus* haec: „Er hat unterschrieben: *Paulus*, quia festinarat.

1) Verosimiliter Hardenbergius ipse ineunte Ianuario venerat Witebergam. Vid. d. 22. Decb. 1556.

Brunsvicensis, Hamburgensis, Lubecensis, Luneburgensis, ut sint διαιτηταί et arbitri inter *Flacium* et me. Dixi me non recusare, quo minus instituant reconciliationem. Sed velle me, ut de toto corpore Doctrinae agatur. Illi diserte testati sunt, se non venire, ut de doctrina instituatur collatio; tantum se reconciliationem tentaturos esse. Adhuc igitur cum *Flacio* deliberant, quos articulos mihi proponant. Nec certiora iam scribere possum, quia nondum ventum est ad ἐπίτασιν huius actionis. De tua causa nondum ulla mentio facta est. Te oro, ut et significes mihi vestra omnia, et ne properes. Spero enim fore, ut plures de hac causa in colloquium conveniant. Bene et feliciter vale, cariss. frater. Die Ian. 26. Philippus Melanthon.

No. 6186. 26. Ian.

Peucerus ad Camerarium.

Edita in Unsch. Nachr. 1726. p. 361.

Clarissimo viro D. Ioachimo Camerario, Patri et Praeceptori suo reverenter colendo Casp. Peucerus.

S. D. 20. Ianuarii venerunt huc Apostoli civitatum Saxonicarum, invitati vel conducti potius a *Flacio*, ut ceu arbitri controversias, quas movit et cum applausu theatri Saxonici repetivit crebro et ursit, cognoscant, disceptent ac dirimant, integra ac salva ipsius existimatione, etsi se fingunt ab Ecclesiis suis missos esse, non ut iudices et censores, sed pacificatores. *Flacius* ipse, ne procul absit, iusta cohorte suorum manipularium stipatus ἀκρόπολιν Cosviciam occupavit, inde et leges ac conditiones pacis fert arbitris, et exspectat responsa. Coeperunt itaque postridie, quae fuit 21. Ianuarii, de consilio suo referre quaedam ad socerum meum solum, reliquis, ad quos eadem pertinent, exclusis, nec carebat compellatio prima aculeis satis mordacibus et minacibus. Quos cum retunderet *Philippus* ac refutaret vehementiore oratione, quam existimaram eum facturum, mitescebant, et cum deprecatione quadam de sua erga *Philippum* voluntate et affectione prolixe testabantur. Convenerunt tandem volente et requirente *Philippo*, ut conditiones ipsi ineundae concordiae proponerent. Id cum de praescripto fecissent, etsi omnibus illis praegravabatur, quasdam tamen recepit, quasdam repudiavit. Sed indulsit ac tribuit eis nimium, et ne hac lenitate novum sibi periculum conciliet, et mox novis implicetur certaminibus, suoque iuguletur tandem gladio, metuo.

Sententiam de oblatis conditionibus *Philippi* ad suum retulerunt pontificem legati, cuius decreta iam expectamus. Historiam totius tractationis scribam, ubi finita fuerit, aut in novum et priori maius incendium eruperit. Nam et ipsi inter se pacificatores manifeste dissentiunt, et plerique a *Flacio* repudiantur tanquam Philippo addictiones. Sed tota actio insidiarum et periculi plena est, nec dum intelligo quid quaeratur, quove consilia spectent aut Flaciana aut legatorum, etsi plerique hac prae se ferunt, quaeri coniunctionem Saxonicarum Ecclesiarum cum nostra. Deus dirigat haec et gubernet ad gloriam nominis sui et Ecclesiarum omnium salutem ac tranquillitatem!

Περὶ τῆς τοῦ Νεοπτολέμου τελευτῆς *) quae scribis comperimus certa esse etiam de aliorum scriptis, qui addunt, cum seria magni doloris testificatione poenitentem animam exhalasse. Sed Norici nescio qua suspicione infecti vini malvatici, quod Norimbergae emtum sit, ridicule satis praegravantur, quod metuisse eos multo ante, cum periclitari de vita diceretur, ex te videor intellexisse. *Hülsio* apud *Selneccerum* locus erit, quandocunque advenerit, Ioachimo apud me. Mittas huc ergo utrumque cum videbitur tibi commodum et ipsis. De *Cummerstadii* filio et cum socero sum collocutus diligenter, et curae mihi erunt quae curae meae commmendasti, scilicet ut mensae adiungantur nostrae, et sub praeceptoris sit disciplina ipsius aetati et moribus accommodati. Plura quae scriberem non erant. Optarim, te expatiari huc ad nos vel dum adsunt legati vel post discessum illorum, ut de tota causa cognoscas coram. Apollodorum nollem repetere abs te, nisi requirerent nostri, inprimis *Paulus* et *Vitus*. Quare si inspexisti concedas usum eius nostris in aliquot dies. Remittam si voles quam primum. Bene et feliciter vale. 26. Ianuarii.

Caspar Peucerus.

Salutem opto toti domesticae Ecclesiae tuae, et inprimis coniugi, quam recte valere cupio.

---

*) Loquitur de Alberto Marchione Brand.

No. 6187. 1. Febr.

Nicolao (?) Palladio.

† Ex autographo Mel., quae est prima epistolae scriptura, in Tabulario Senatus Altenburg. asservata, mihi descripta a S. V. *Hesekiele.*

*Reverendo viro eruditione et virtute praestanti D. Nicolao**) *Palladio Dano Philippus Melanthon.* S. D.

Grata est deo pietas tua, qua servere taxas Idolorum adorationes et monstras veri dei et domini nostri Iesu Christi invocationem, sicut scriptum est: DOMINUM deum tuum adorabis et ipsi soli servies. Ut antea praeceptum est Evangelii ministris, ut voce doctrinae animos hominum ab Idolis abducant, cum quidem non sint armati ferro et carceribus: ita politicis Magistratibus severissime mandatum est, ut suo quisque loco manibus et armis tollant Statuas, ad quas fiunt hominum concursus et Invocationes et puniant Suppliciis corporum insanabiles, qui Idolorum cultum pertinaciter retinent, aut blasphemias serunt. Est enim Magistratus custos totius legis in externa disciplina, videlicet, primae et secundae tabulae Decalogi. Ac de dignitate et officio Magistratus multum detrahunt qui dicunt, Magistratum velut armentarium, tantum corpora et ventres populi curare debere, id est tantum horum praeceptorum custodem esse: Non occides et Non furaberis. Imo sciat Magistratus, se divinitus praepositum esse ceteris hominibus, ut sonet praecipue vocem legis divinae de deo et de vinculis humanae societatis, et ostendat discrimen iusticiae et iniusticiae, primum voce, deinde et factis, tollat e medio reos sceleris et protegat iustos, sit acer et ardens zelo in tollendis insanabilibus et fortis ac vigilans in protegendis obedientibus, et paterna *στοργῇ* adficiatur misericordia erga hanc imbecilliorem partem generis humani, videlicet modestam, et eam suaviter foveat. Ideo in Psalmo dictum est: Ego dixi DEI estis, id est, vicem dei sustinentes inter homines, et munera divina exhibentes, Sapientiam, agnitionem dei, discrimen virtutum et viciorum, et iusticiae defensionem ac pacem. Qui maior honos cogitari potest, quam nominari DEOS, id est, organa et vicarios dei esse. Attribuit enim deus hanc honorificam adpellationem gubernatoribus, non ut sit inanis titulus, sed ut re vera sint organa dei, voce ipsorum sonantis legem suam et manu eorum destruentis sceleratos, et foventis obedientes. Idem dicit Sapientia dei apud Salomonem: Per ME Reges regnant et principes iusta constituunt. Haec Sapientia non est tantum ventris sagina, sed est monstratrix veri dei, postea docet fovendam esse hominum societatem, ut in ea deus sese hominibus communicet. Fuerunt igitur iusti et grati deo labores Iosue, Iosaphae, Ezechiae, Iosiae, Constantini, Theodosii et multorum aliorum piorum Regum et principum qui populo monstraverunt veri dei invocationem, ardentes zelo fortiter deleverunt Statuas. ad quas falsae Invocationes fiebant. In talium Regum honestissimo choro etiam vester Rex *Christianus* in illa celesti Ecclesia in tota aeternitate et letus deo gratias aget, a piis omnibus, ac praecipue a vestris Ecclesiis celebrabitur. Quare ut tua adhortatio in hoc scripto alloquitur pios doctores *), ita velim etiam quolibet loco Magistratus de suo officio commonefieri et Filium dei dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis et resuscitatum toto pectore oro, ut in multis gubernatoribus accendat primum verae doctrinae lucem, deinde iustam indignationem et magnas flammas Zeli non errantis. Est in quibusdam voluntas recte faciendi, sed offundunt eorum oculis ac mentibus praestigias Empusae Sophisticae, ne veritatem cernant et amplectantur. Hanc magnam calamitatem generis humani omnes pii ingenti dolore deplorant, qui quidem etiam assiduis votis precantur deum, ut propter filium sanet aliquos, et ut hostes veritatis reprimat, qui sicut Anteus Neptuno templum condidit ex craniis interfectorum hospitum, ita isti furiosi et crudeles mactatione piorum deo sacrificare videri volunt. Interea, o rem miseram, nos ipsi dimicamus inter nos velut Cadmei fratres, cum, siqua oriretur controversia, pia diiudicatione tolli errata deberent, et sanabilium voluntates rursus coniungi. Sunt igitur confusiones horribiles undique, quorum consideratio piis ingentem dolorem adfert, gubernatores vero exuscitare deberet ad curam sanandi nostrarum Ecclesiarum vulnera. In tanta infirmitate hominum deinde in hac *ἀναρχίᾳ* horum temporum, postremo et in his deliriis

---

*) Nicolao? — In libro edito dicitur Petrus. Puto Melanthonem ex errore in prima scriptura scripsisse *Nicolao.*

*) Vid. praefatio in Palladii librum, quae sequitur.

ultimae senectae mundi, ne fieri quidem potest quin discordiae oriantur, sed deus vult sapientes gubernatores cohercere ingeniorum petulantiam et aegroto corpori mederi etc. praecipue curandum esset, ut in nostris Ecclesiis coniuncti essent doctores contra communes hostes, ut conspici consensus piorum, et confirmare multos possit. Vagatur iam in Mindensi vicinia *Thammerus* qui scripta blasphema edidit, quem hostes Evangelii tantum ideo complectuntur quia rabiose maledicit Lutheranis, cum palam ethnicas et blasphemas opiniones in publicis scriptis ediderit. Et passim Rhetores Papistici magna volumina tanquam fulmina contra Ecclesias nostras emittunt quibus opponi refutationes a pluribus utile esset, *καὶ συμφερτὴ ἀρετὴ κρείσσων*. Oro igitur filium dei dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis et resuscitatum et vere colligentem aeternam Ecclesiam in genere humano voce Evangelii, ut faciat, ut omnes docentes in nostris Ecclesiis in Ipso Unum simus. Datae Cal. Februarii Anno 1557.

No. 6188. 1. Febr.

P. Palladio.

Edita in „Isagoge ad libros propheticos et apostolicos, scripta a *Petro Palladio*, Theol. Doct. et Episcopo Roschildensi." (Editionem quae prodiit anno 1557. non vidi.) — *Strobelius* in biblioth. Mel. No. 571. commemorat edit. quae prodiit Witeb. 1561. 8. — *Lunzius* habuit edit. quae prodiit Witeb. 1573. apud *Io. Schwertel* 8. ex qua hic epist. est descripta. Legitur etiam in Melanthonis Declamationibus T. IV. p. 650.

Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, Domino Petro Palladio, Doctori Theologiae, Episcopo Roschildensi, Philippus Melanthon S. D.

Saepe cogitare testimonia, quae mentes hominum partim convincunt, partim invitant, ut assentiantur doctrinae, quam Deus proprie tradidit Ecclesiae suae, et in ea conservat, valde prodest, quorum hic numerus traditur: Miracula, Antiquitas, Genus doctrinae, Conservatio miranda inter ruinas Imperiorum, Confessorum constantia, et Arrabo in corde.

Primo loco *miracula* numerantur, quae sunt miranda facta extra ordinem naturae. Etsi enim totus ordo naturae de Deo et testimonium et commonefactio est, tamen cum doctrinam protulit, praesertim extra conspectum rationis positam, addidit singularia facta extra ordinem naturae, ut sciri posset, non excogitatam esse ab hominibus, sed a naturae Domino et liberrimo creatore prolatam esse, distinctam ab aliarum gentium opinionibus, quae etiam sua quaedam miracula narrant. Sed alia propria sunt Ecclesiae, non imitabilia ullis creaturis, ut Resuscitatio mortuorum, sisti cursum Solis, Regressus Solis, Puerpera virgo et alia. Haec vult Deus adspici, ut certo statuamus, doctrinam ab ipso naturae Domino traditam esse. Annumero miraculis etiam vaticinia Prophetarum de imperiis et [1]) aliis negotiis, quae nulla creaturarum sapientia certo prospicere potuit. His cum responderint eventus, praedictiones monstratas esse a mente divina, omnia sciente, fatendum est.

Secundo loco *Antiquitas* numeratur, quae non, ut miracula, convincit animos, sed invitat tamen. Consentaneum est enim, Deum initio se patefecisse, et semper in genere humano voluisse aliquam esse partem, a qua recte agnosceretur, nec initio totum genus humanum tantum ad aeternum exitium conditum esse. Dulcis est igitur primae aetatis consideratio, et non inerudite a Tertulliano dictum est: Primum quodque verissimum esse. Sic et [2]) Iustinus, et Clemens refutant Ethnicos: cum antiquior sit Ecclesiae doctrina opinionibus Ethnicis, hanc veram esse et reiiciendas esse contrarias opiniones. Ac Mosi libros vetustiores esse Ethnicorum scriptis, ipsa series temporum et Imperiorum [3]) ostendit. Nulla gens habet certam seriem annorum ab initio, ut libri Ecclesiae. Ostendunt et nomina Gentium, priora esse monumenta primae Ecclesiae. Retinent Graeci nomina *Iapeti*, *Iovis*, *Aeoli* et alia multa. Unde hi sint orti ignorant. Cum autem stirpes ostendat narratio Mosaica, fatendum est, eam Graecis monumentis antiquiorem esse. Potens et celebrata gens fuit *Cimmerii*, quorum posteros esse *Cimbros* vestros nihil dubium est. Stirpem autem Graeci ignorant, quam vocabuli sonus indicat esse *Gomer*, filium Iaphet. Hodie nomen est Aegypti in lingua ipsorum vernacula, et in

---

1) Decl. *et de.*

2) *et*] non habent Decl.

3) *Imper.*] Decl. *superiorum*, ex mendo.

lingua Arabica *Mizrai*[4]). Narrant autem nostri libri, Mizraim fuisse filium Cham. Existimantur res vetustae esse apud Graecos bellum *Argonauticum*, et deinde *Troianum*, at[5]) series annorum, quos ipsi Graeci tradiderunt, ostendunt bellum Troianum non multum antecedere Davidem. Herculem autem fere coaetaneum fuisse Samsoni. Sic Ethnica nomina et historiae testantur, libros Ecclesiae antiquiores esse, quod a studiosis considerari valde utile est.

Tertio loco *genus doctrinae* posuimus, cuius duae sunt partes, Lex et Evangelium. Cum autem Legis notitia omnium hominum mentibus insita sit, ratio in omnibus hominibus fateri cogitur, impossibile esse, ullam gentem populum Dei esse, quae sancit leges contrarias divinae Legi. Sunt autem hi communes furores omnium Ethnicorum, invocare turbam Deorum, et prodigiosas fabulas de Diis fingere, et legibus concedere tetras libidinum confusiones. Apud multos etiam eximii cultus fuerunt mactationes hominum, stupra ac adulteria. Fateri igitur ratio cogit, Legem in Ecclesia rectius doceri. Hoc argumento et veteres in refutationibus Ethnicorum usi sunt. Praeterea Evangelium, etsi non est rationi notum, tamen eas res patefacit, de quibus nihil affirmare certi doctrinae Ethnicae possunt, quarum tamen cognitionem necessariam esse fatendum est. Cum homo sit imago Dei et sit conditus, ut agnoscat et celebret Deum, unde sint tantae dubitationes in mentibus humanis[6]); unde dissidium mentis et cordis; unde tanta sit in corde contumacia et tanta vitiorum incendia, cum Lex in mente luceat? sintne conditi homines, ut sint in sempiternis vitiis et miseriis? quid sit peccatum et unde sit? unde sit ingens moles calamitatum in genere humano? unde tam variae dissensiones de Deo; an Deus et cur exaudiat homines; an postquam corpora extincta sunt, secutura sit alia vita, in qua futurum sit discrimen inter iustos et iniustos? qui homines sint templum Dei, et quos exaudiat et iuvet? De his tantis rebus quantae sunt tenebrae in universa Ethnicorum sapientia, quam varii Philosophorum furores? qui sicut Titanes bellum inferunt coelo, fingunt aut nihil esse providentiam, aut Deum caussis secundis alligant, et omnia scelera necessario fieri disputant. Cum igitur fatendum sit, hominibus necessariam esse doctrinam de caussis et remediis mali, et sapientia Ethnica veram doctrinam ignoret, amplectamur vocem divinam in Ecclesia, cum quidem Deus illustria testimonia addiderit. Fatetur ratio, Legem nusquam incorruptam tradi, nisi in Ecclesia. Ibi cum certum sit esse vocem Dei, audiatur et haec doctrina, de qua Ethnicos fateri necesse est, in suis religionibus et doctrinis tenebras esse, et tamen harum quaestionum explicationem ad agnitionem Dei, ad quam homo conditus est, et ad veram consolationem necessariam esse. Itaque bonis mentibus doctrinae genus in Ecclesia dulcissimum est, cum fontes incorrupti hauriuntur. Non enim nomino *Ecclesiam* Romanos tyrannos et Monachos, eorum satellites, qui pro doctrina filii Dei sparserunt in mundum tetra venena, et Ecclesiae doctrinam transformarunt in Ethnicas opiniones. Invocant homines mortuos, iubent adorari Deum Mazam, videlicet panem, quem in pompis gestant, sacrificia pro vivis et mortuis vendunt, fingunt cultus Dei, scenicum restitutum, et alias praestigias, confirmant vagas libidines. Hoc impium agmen non nomino Ecclesiam, sed hos, qui sonant incorruptam doctrinam filii Dei, traditam in Propheticis et Apostolicis libris et in Symbolis. Corrumpunt et alii multi simplicem doctrinam, et delectant quosdam praestigiae disputationum, ut olim Stoicos et[7]) Epicureos et Academicos. Cum autem genus doctrinae laudamus, removeri volumus et corruptelas et inanium disputationum ludos.

Quarto loco numeramus mirandam *conservationem Ecclesiae* inter ruinas imperiorum, quae etsi in primo testimonio, videlicet inter miracula, comprehendi potest, tamen eo discernitur a primo genere[8]), quia est perpetuum miraculum et testimonium adsiduae praesentiae Dei, et ad singularem regulam pertinet: Verbum Domini manet in aeternum; et quidem non humanis praesidiis, ut scriptum est: Non in exercitu, nec in robore, sed in Spiritu meo, dicit Dominus exercituum.

Quinto loco Confessorum constantia numeratur, quae dupliciter confirmat alios; primum quia miraculum est, quo Deus ostendit, se robur

4) Decl. *Mizras.*
5) *at*] recte in Decl. Sed Lunz *ac.*
6) *humanis*] non habet Lunz.
7) *et*] non legitur in Decl.
8) *genere*] excidit apud Lunz.

addere infirmis contra terrores et supplicia, et praesentiam suam multipliciter declarat; sicuti multi in ipsis suppliciis excitarunt mortuos, et alias res miras effecerunt: Deinde quia celsitudo animorum in his, qui supplicia placide sustinent, ostendit Evangelium efficax esse in ipsis, et semen esse Dei, ut Ioannes nominat, quo inchoantur aeterna vita, iustitia et laetitia.

Sextum Evangelii testimonium in ipsis credentibus perspicue convincit mentes et pectora, videlicet consolatio seu laetitia, quae accenditur a Spiritu sancto, de qua Paulus inquit: Accepistis Spiritum, quo clamamus, Abba Pater; quo sentiunt se in magnis doloribus erigi, qui sustentant se cogitatione Evangelii et invocatione, sicut Paulus inquit: Spiritus opitulatur infirmitati nostrae.

Haec testimonia saepe cogitanda sunt, ac de *sexto* simus vigilantes, ne id nobis excutiatur Fanaticorum hominum praestigiis, ut *Anabaptistae* et *Stenckfeldiani* falsos adflatus iactant, qui, remoto *verbo Dei*, fingunt in otio se habere suos quosdam Enthusiasmos, ut comperi talium multorum mendacia, et Monasteriense exemplum multorum ostendit et vanitatem et malitiam. Scribit *Stenckfeldius*, Deum sese communicare hominum mentibus sine medio, ac inde ratiocinatur accendi divinos motus non cogitatione scriptae doctrinae, non ministerio Evangelii, sed simulatione torvitatis et gestuum tragoediis, si misceant sermoni ficta suspiria et crocodili lacrimas et alias imposturas arte accersitas. In quibus maxime augent auctoritatem obtrectatio et paradoxa, ut *Sebastianus Francus* docentibus maledicebat, et collegerat magnum volumen dictorum Propheticorum et Apostolicorum, quae in speciem non congruere viderentur. Inde hoc extruebat, non ex litera iudicandum esse, sed iudicium esse Enthusiasmi. Et arte in paradoxis spargunt accommodata ad adfectus vulgi et ad amplificationem licentiae. Sunt et qui libros Sibyllinos circumferunt, ex quibus sumunt oracula accommodata ad eorum adfectus, quibus adsentantur. Hoc genus Corybantum considerandum est, et firmissime retinenda est regula: Lucerna pedibus meis verbum tuum: item Ad legem et ad testimonium: item Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Nec sunt audiendi impostores, qui vociferantur adflatus aliunde petendos esse sine cogitatione scriptae doctrinae. Tenenda est regula filii Dei, qui iubet praedicari [9]) poenitentiam et remissionem peccatorum in nomine suo. Ad hunc usum referatur doctrina, ut crescant in nobis cogitatione verbi Dei Poenitentia, Fides, Invocatio, Nova obedientia, et celebretur Deus veris officiis, iuxta dictum: Milita bonam militiam, retinens fidem et bonam conscientiam. Non struantur insidiae hominibus iactandis adflatibus, ut saepe vidimus hac arte, tanquam fascino populum ab impostoribus deceptum esse. Ideo Filius missus est, ut promissionem reconciliationis arcanam et ignotam omnibus creaturis patefaceret, et hac audita fides accendatur, et Deus sese nobis communicet; sicut Paulus inquit: Fides ex auditu est, auditus per verbum Dei. Quare contumelia Filium Dei adficiunt, et fidem et omnia exercitia fidei tollunt illi Corybantes, qui abducunt mentes a scripta doctrina. Quanti furores secuti essent, si remotis scriptis Propheticis et Apostolicis cuilibet hypocritae liceret ficta oracula ex suo Enthusiasmo tanquam in sua tripode proferre? Ac [10]) eius rei exempla vidimus in tragoedia Monasteriensi et alibi. Quare omnes pii doctores et auditores constanter illis deliramentis adversari debent.

Tuum igitur, *Petre*, consilium et studium laudo, quod et adhortator es ad lectionem omnibus piis, sicut Paulus inquit: Sis assiduus in lectione, monstrans viam ad singulos libros monstratis argumentis. Utinam magis ad lectionem et piam precationem adsuefieret iuventus, quam ad cavillationes disputationum! Certe enim rebus recte explicatis, et non falsa [11]) constituta forma doctrinae, oportet disputationum esse modum. Et verissimum est dictum *τὸ λίαν ἀκριβὲς συκοφάντας ποιεῖ.*

Cumque sapientia incliti Regis et piorum doctorum in regno vestro diligentia sic regantur studia discentium, ut non concedatur licentia cavillandi, utiliter consulitur Ecclesiarum tranquillitati, et ingenia ad modestiam adsuefiunt. Omnia, quamvis recte tradita labefactari possunt, si cavillationes audiantur, quales olim Pyrrhoniorum et Academicorum fuerunt. Ideo gravissime Paulus ad Philippenses iubet doctrinae Canonem retineri. Oro autem Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, ut et servet et gubernet

---

9) Lunz. *praedicare.*

10) *Ac*] Lunz. *Ex*, mendose pro *Et.*

11) Decl *falso.*

Ecclesias in regno Danico et in Germania, et faciat, ut semper in ipso unum sint. Bene vale. Cal. Febr. An. 1557.

No. 6189. 6. Febr.

Io. Stigelio.

Danz. epp. ad Stigel. ep. 87. Cod. Goth. 188. ep. 156.

Clarissimo viro, ingenio, eruditione et virtute praestanti, D. Ioanni Stigelio, τῷ Θεῷ, καὶ ταῖς Μούσαις, φιλτάτῳ, fratri suo cariss. S. D.

Clariss. vir et cariss. frater. Scis, Musas in Cadmi et Harmoniae nuptiis cecinisse hoc carmen:

ὅττι καλὸν φίλον ἐστὶ· τόδ' οὐ καλὸν οὐ φίλον ἐστί.

Amant igitur omnes sani excellentia dona, quibus a Deo ornatus es, ingenii et virtutis praestantia. Quare et hic *Petrus Sickius* ad te accedit, et ut aditum ad te haberet, literas a me petivit. Fuit meus convictor, et in Academia Rostochiana, ubi ornatus est gradu Magisterii, et hic docuit. Vir modestus et eruditus est, et te, ut iustum est, veneratur. Tibi et ceteris amicis, quorum facis mentionem in proxima epistola, gratiam habeo, quod benevolentiam erga me non abiicitis. Nec profecto causam video, cur illa βλακικὴ factio, tam dirum odium adversus me, qui iam sum cadaver, conceperit. Discedam autem ex hac vita non multo post, non solum ita, ut sperem aequiora posteritatis iudicia, sed etiam honestorum et eruditorum, qui et voluntatem meam et labores nunc norunt. Bene vale. die 6. Februarii 1557.

Philippus Melanthon.

No. 6190. 7. Febr.

D. Chytraeo.

(Ex David. Chytraei epistolis p. 1219.)

Davidi Chytraeo.

S. D. Clarissime vir et cariss. frater. Scio bono consilio et honestissimas civitates huc misisse Pastores, et ipsos pastores tam difficili tempore suscepisse iter, ut *Flacianas* controversias tollerent, etsi ita respondi, ut intelligi posset, me pacis cupidum esse, quod et ex silentio meo iudicari potest. Ac tota de re ex vicinis vestris acta cognoscere poteris. Dixi, me et Illustrissimo Principi *Iohanni Alberto* respondisse, optare me ut ipse sit διαιτήτης, et ut de toto genere doctrinae agatur. Movet enim *Flacius* subinde novas quaestiones. Reprehendit Evangelii definitionem a me traditam. Ait, filium Dei nusquam dici λόγον, nisi in Apocalypsi. Edidit pagellam in qua calumniatur dictum a me discrimen politicae gubernationis et evangelicae iusticiae. Iusticiam Christianam esse lucem in corde accensam fide et agnitione filii Dei. Et quotidie inveniet alia. Cum tali Sycophanta quae potest esse pax? λόγον παρ' ἐχθροῦ μήποθ' ἡγάσῃ φίλον dixit vetustas. Ego versum sic repeto, λόγον σοφιστοῦ μήποθ' ἡγήσῃ φίλον. Haec tibi ut fratri significo, teque oro ut ad coniunctionem tuendam consilium et studium conferas. Optime animatos esse intellexi viros reverendos Pastores Ecclesiarum, qui hic fuerunt. De Marchionis *Alberti* morte literas fratris mei expecto, quia Phorcae mortuus esse scribitur. Bene vale et rescribe, 7. Febr.

Philippus.

No. 6191. 7. Febr. (h. a.?)

Nic. Clausio.

Epist. lib. II. p. 556. (edit. Lond. lib. II. ep. 578.).

D. Nicolao Clausio.

S. D. Cum leges *Stigelii* carmen περὶ ἐκλείψεως quod mitto, scio te magno cum gemitu simul reipub. pericula cogitaturum esse, quae quoties ego cogito, simul venit in mentem, diris illis significationibus siderum incendi mala ingenia. Quare bona ingenia et tum a natura ad moderationem facta, cum doctrina ad virtutem excitata, magis amemus et quidem hortemur, ut eo studiosius regant suos impetus, quia iam facilius incenduntur animi fatalibus causis. Comperi autem hunc *Andream* modesto ingenio praeditum esse, et laudo voluntatem, quod amat scholasticas operas. Id plerumque est specimen animi fugitantis ambitionem. Nam qui properant ad illud summum Ec-

clesiae fastigium, videlicet ad concionandi munus, significant non raro, se popularibus certaminibus nimium delectari. Foveamus ergo modesta ingenia, et quantum possumus, nos seniores, ut *Nestor* suos Principes, ita ipsi iuventutem hortemur ad moderationem, quod certe sedulo facio, et hunc *Andream* *) eo magis diligo, quod animadverto natura placidum esse. Quare cum et usui futurus sit reipub. et propter mores dignus sit amore, te etiam atque etiam rogo, ut eum adiuves. Bene et feliciter vale. 7. Februarii.

No. 6192. 8. Febr.

M. Collino.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Matthaeo Collino, in Academia Pragensi.

S. D. Clarissime vir et cariss. frater. Etsi de multis rebus ad te scribere cupiebam, tamen fui brevior propterea quia et de fide nuncii dubitabam, et aliis multis scriptionibus oneratus eram. Habebam etiam in manibus refutationem *Stenkefeldianorum* deliramentorum, quam oportet me *Augustanae* Ecclesiae mittere [1]). Senatui *Iglaviensi* nihil respondi, tantum dedi nuncio pagellam, in qua ostendi, me dolere, quod tam immitia decreta de concionatore pio et de scholasticis fecerunt. Nos hic hospitalibus officiis adolescentes adiuvimus. Coronationem *Maxaemiliani* optamus omnes faustam et felicem esse patriae, Ecclesiae, vobis [2]) et universae Germaniae. Scis quam necessarium sit omnes nos precari Deum, ut det salutares principes, qui et Turcicam barbariem depellant a patria, et idolorum defensores sophistas et sycophantas reprimant. Utinam sit Iosiae similis hic princeps, ac vere sit patriae et Ecclesiae *αἱμύλιος καὶ εὔνους*. Bene et feliciter vale carissime frater. Die 8. Febr. 1557.

---

*) Andreas Offenaeus, de quo vid. epist. ad Clausium d. 27. Apr. 1557.

1) Iam mense Octob. 1556. voluerat id facere. Vid. supra d. 1. Oct. 1556. et infra d. 27. Febr. et 26. Iun. 1557.

2) *vobis*] scripsi pro *urbis*, quod mendum est.

No. 6193. (hoc temp.)

H. Buscoducensi.

Edita in der Dänischen Bibliothek, P. IV. p. 172. et in *Pontoppidani* Kirchengeschichte des Reichs Dänemark Vol. III. p. 357. (Danz.)

Ad Henricum Buscoducensem.

Reverende vir et carissime frater. Fuerunt hic D. *Ioach. Morlin*, D. *Paulus* Hamburgensis, D. *Valentinus* Lubecensis et *Pastor Luneburgensis*, ut dirimerent controversiam *Flacianam*. Sic respondi, ut sperem ipsos testes fore mihi non deesse studium pacis, quod quidem et ex silentio meo apparet. Dedi scriptas responsiones. Sic autem discesserunt, ut ostenderent, se post mensem rescripturos esse, quid effecerint. Utinam sit finis horum clamorum. Nam si non desinet, incendet certamina de maioribus rebus. Iam cavillatur definitionem Evangelii et alia quaedam, de quibus respondere me cogit, quod Deo iuvante ita faciam, ut prudentibus et eruditis sperem me satisfacturum esse. Quaeso ut causam viduae *Zecchianae* reverenter commendes inclyto Regi. Bene et foeliciter vale A. 1557. m. Febr.

Philippus.

Apud Episcopum Mindensem est *Thammerus*, pessimus nebulo qui transformat Evangelium prorsus in Ethnicam doctrinam. Extant libri eius publice editi.

Philippus.

No. 6194. 12. Febr.

G. Fabricio.

Epist. lib. V. p. 426 sqq.

Georgio Fabricio, gubernanti scholam Misnensem.

Inter caetera Constantini *κατορθώματα*, cum quidem multa in Imperio nova constituerit, hoc quoque probo, quod legem tulit, ut equitum possessiones in provinciis ad posteros pertinerent, ut familiarum decus ad longam posteritatem propagaretur. Eum ordinem, sensit, nervum esse gubernationis, quod cum ita sit, et veneror ordinem, et semper fui hortator iunioribus, ut ordines in

Politia discernere, et suo quenque loco γεωμετρικῇ ἀναλογίᾳ venerari discant. Praecipue vero gentis Mysorum nobilitatem magnifacio, quia vidi doctrinarum et studiosam et capacem esse. Et Deum oro, ut huius regionis statum clementer tueatur. Ubi potero aliquorum studiis prodesse, non deest mihi voluntas. Et spero, *Schleinicios* in familia honesta apud *Matthaeum Plochingerum*, doctum virum et modestissimum, habituros hospitium. Dei beneficio tranquillitas est in ea domo et familia, quam si videres, laude dignam esse duceres. Et vera invocatio Dei est honestissimarum matronarum, socrus viduae et coniugis, quae regunt Oeconomiam. Bene vale. Scriberem plura, nisi iam ad iudicium accederem. Mitto Marchica poëmata. Bene vale. Die 12. Februarii.

No. 6195. 13. Febr.

Io. Stigelio.

Danz. epp. ad. Stigel. ep. 84. Cod. Goth. 188. ep. 152.

Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Ioanni Stigelio, τῷ Θεῷ, καὶ ταῖς Μούσαις, φιλτάτῳ, *fratri suo carissimo*, S. D.

Clariss. vir, et carissime frater. Non, si tantum fundere lacrymarum possem, quantam volvit undarum molem hic noster turbidus Albis tot seculis, exhauriri meus dolor posset, quem circumfero annos fere triginta, propter dissidium περὶ σπονδῆς, quae pignus esse debebat foederis cum filio Dei et Ecclesiae civium inter sese. Ac multa privatim ea de re collocutus sum cum *Luthero* et cum multis viris optimis et doctissimis. Explicandae erant in ea quaestione proprietates Naturarum in Christo; intuenda erudita et minus corrupta antiquitas; discernendus usus a rebus extra usum. De his tantis rebus tecum, et cum aliis bonis viris libenter colloquar, si, ut existimatur, convenient ex Ecclesiis nostris praecipui doctores.

Nec ego ignoro, quos de me sermones spargat ὁ ὑπεραύχος [1]), quem, si non parcerem miserrimae Ecclesiae, refutarem non inani Apologia. Et fortassis tandem depellere me calumnias coget. Sed haec coram.

1) Danz. ὑπεραυχής. Loqui videtur de Stoltzio, concionatore Wimariensi.

Nunc meo more tibi initio anni mitto significationem animi fausta optantis, et oro filium Dei, custodem Ecclesiae suae, cui certo adfuit inde usque ab initio, et adhuc adest recte eum invocantibus, ut te et Ecclesiam tuam domesticam servet incolumem et gubernet. Mitto nostros versiculos *), quorum sententiam vellem te tuis versibus dulcissimis reddere. Bene vale et rescribe. 7. Idus Feb. **)

Philippus Melanthon.

No. 6196. 14. Febr.

Cracovio.

† Descripta a Mich. *Val. Zwerg* ex apographo in biblioth. Academiae Havniensis anno 1776. et missa h. *Noesselto*, qui illo tempore epistolas Mel. colligebat. Ex hoc apographo illam mecum communicavit Doctiss. *F. Galle*, Halensis.

Philip. Melanthon Valerio [? — *Georgio*?] [1]) *Cracovio.*

S. D. Clarissime vir et amice charissime, adfuerunt hic Pastor Ecclesiae Brunsvicensis, D. *Ioachimus Morlin*, et D. *Paulus* Hamburgensis et *Valentinus* Lubecensis, et *Fridericus* Luneburgensis, qui instituerunt pacificationem inter *Flacium* et me. Quid composuerunt et quid responderim, ex paginis intelligi potest, quas mitto, et oro, ut exhibeatis iis, quibus Clarissimus D. *Mordisin* exhiberi iussit. Velim autem a Rev. viro D. *Daniele* [2]) inspici et iudicari. Ac non impedio quo minus legant addicti Flacio. Hactenus eo inscio [3]) publice edidi, quia sciebam si responderem, fore ut alia certamina de rebus maioribus moverentur. Nunc movet tamen *Flacius*, ut est inquieta [4]) natura, novas contentiones. Definitionem Evangelii a me traditam reprehendit. Sed senatus Magdeburgensis edi illuc ipsius scriptum prohibuit. Si non desinet me irritare, respondebo Deo iuvante sic, ut bonis viris satis-

*) Versiculi primum de cantico Angelorum: gloria in Excelsis etc.; deinde Precatio initio anni 1557, a Melanthone conscripti leguntur in Scriptis publ. Acad. T. III. p. 38 sq.

**) Cod. Goth. 188. addit: 1556.

1) *Valerio* videtur esse error describentis, pro *Georgio*.

2) Daniele Gressero, Pastore Dresdensi.

3) Excidit sine dubio *nihil*.

4) Apographon habet: *ingesta*, mendose.

facturus sim, et expositurus res utiles. Scio quorum confidat applausu *Flacius*. Sed sapientum et bonorum iudicia sunt aequiora. Nos totum doctrinae corpus toties repetivimus, et magna cura exposuimus. Illa turba Flaciana nunquam gravem controversiam explicat, excerpit tantum quae cavilletur. Tales Sycophantias comperi displicere illis ipsis pastoribus Ecclesiarum Saxonicarum, qui adfuerunt. Sed Deo me commendo. Te oro, ut significes mihi, an has paginas, quas mitto, acceperitis. Bene vale. Salutem vobis omnibus opto. Die 14. Febr. a. 1557.

No. 6197. (22. Febr.)

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camer. p. 715 sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 858.).

Ioachimo Camerario suo

S. D. Etsi decreveram cum *Menio* istuc accedere, cum ex oppido *Dessa* ad vos proficisci eum vellem, tamen cum mihi hodie in musculos costarum tantum pituitae defluxerit, ut et spiratio et corporis motus impediantur, malebat me domum redire *Menius*. Ex *Dessa* *) discedimus *ἄπρακτοι, καὶ οὐδὲν ἄλλο αἴτιον ἐστὶ, πλὴν τῆς μικροψυχίας, ὁτίτινες φοβοῦνται τὰς περὶ τὸν βλακικὸν συκοφαντίας.* Tantum illorum regnum est. Nunc te oro tantum, ut deducas *Menium* ad Consulem, nec existimo nisi re ad aulam relata, Consulem responsurum esse, et nunc abest *Mordisius*. *τάχα οὖν ὁ συμφράδμων ὅμοια φοβήσεται.* Cogitemus igitur de Noricis amicis, et de Faesula in ripa Rheni. Valde te oro, ut mihi significetis vestras responsiones. Bene vale, ex *Dessa*.

Philippus.

No 6198. 25. Febr.

Iohanni Alberto D. M.

Iohannes Albertus Dux Megapolensis valde optabat, ut pax fieret inter Flacium et Melanthonem eorumque adseclas. Ideo *Georgium Venetum*, Doctorem Theol. in Acad. Rostoch., et *Andream Mylium*, Consiliarium suum, Witebergam misit cum literis et conditionibus pacis, Melanthoni tradendis. Qua de re vid. *Saligii* hist. Aug. Conf. T. III. p. 251 sqq. et *Planckii* Geschichte des protest. Lehrbegriffs Vol. VI. p. 28 sq. et p. 92 sqq. — Coniunxinius hic A) epistolam Iohannis Alberti ad Melanthonem, et B) Melanthonis responsum. Editae sunt hae literae a *Pezelio* in Mel. Consil. lat. P. II. p. 269—284., a *Backmeistero* in Actis Philipp. p. 55 sqq. — Apographa in cod. Monac. II. p. 213 b. et in cod. Monac. 86. p. 21 sqq., quae, exceptis mendis, cum Pezelii verbis conveniunt. — Responsum Melanthonis habetur etiam in Epistolis Scholasticor. Witeberg.

*) Ascanii noluerunt recipere Menium. C. W.

A)

Iohannes Albertus, Dei gratia Dux Megapolensis, Philippo Melanthoni.

Inter tristissima vulnera, quae proximo octennio Ecclesiae Dei diabolus inflixit, turpissimam labem nostris Ecclesiis aspersit, et gravissima damna dedit docentium praecipue dissensio et intestina de multis doctrinae articulis, et ritibus adiaphoris certamina, quae magno animi dolore semper aspeximus, iisque ut Principem pium, et Ecclesiae nutritium decet, pro nostra facultate studuimus mederi. Cum autem indies animorum distractiones, et contentionum acerbitatem augeri, et nisi idoneis remediis occurratur malo, Ecclesias nostras horribiliter deformari, et adversariis ludibrio exponi, bonos ubique terrarum offendi, et ab Evangelio deterreri, et certissimam Ecclesiis nostris perniciem adferri [1]) videamus, omne nostrum studium, consilium, et operam ad piam et salutarem concordiam inter docentes, et inprimis inter D. Philippum, et Matthiam Illyricum instituendum conferemus, praesertim cum uterque suis ad nos literis, et cupidum se esse ostenderit concordiae, et serio a nobis petiverit, ut articulos, seu concordiae formulam ipsis proponeremus, qua sublatis dissidiis pia pax Ecclesiae restituatur. Itaque [2]) te diligenter cum nostris Consiliariis et Theologis deliberata, sequentem formam conciliandae pacis Christianae lenissimam et rectissimam [3]) esse iudicavimus, ac nostris fidelibus ac dilectis, vere nobili D. *Georgio Veneto*, sacrae Theologiae in Academia nostra Professori, et *Andreae Mylio* Consiliario nostro mandata dedimus, ut propositam formulam primum ad Dominum *Philippum*, deinde ad *Illyricum* deferant, et utriusque sententiam et voluntatem penitus perspiciant. Quod si uterque propositam formulam

1) Pez. mendose: *offerri*.
2) *Itaque*] Backm. *Hacque*.
3) Cod. Monac. *iustissimam*.

probaverit, vel aliam similem formulam magis proprie et perspicue explicatam proposuerit, eique subscripserit, quod facturos ipsos non gravatim speramus, nihil ad perfectam pacificationem amplius erit reliquum, agemusque Deo gratias, qui composita hac periculosa lite, pacem piam, et salutarem Ecclesiae restituerit. Si vero alterutra pars mutari[4]) aliquid in propositis articulis, quod ad sententias dogmatum attinet, vel detrahi, vel addi volet, id legati nostri non prius ratum habebunt, quam ad nos detulerint, ut re rursus de liberata certa formula constitui possit, quam uterque se amplexurum polliceatur.

Duo sunt autem genera offensionum, quibus disiuncti sunt inter se dissidentium Doctorum animi. Aliae privatim ad singulorum personas, et non ad doctrinam Evangelii pertinent: aliae ex dissensione de doctrina, et ex consiliis, actionibus, ad gloriam Dei, et verae doctrinae puritatem retinendam, et Ecclesiae salutem spectantibus extiterunt.

Privatas iniurias, suspiciones, calumnias, obtrectationes, simpliciter iudicamus mutua ἐπιεικείᾳ, et moderatione condonandas, et aeterna oblivione delendas esse[5]). Et quanquam incendia dolorum et cupiditatis vindictae non prorsus extingui in corde, et deleri possunt, tamen afflatu Spiritus sancti flectuntur piorum, et non contumaciter repugnantium divino Spiritui, animi, ne indulgeant acerbis[6]) affectuum flammis, nec vel sermonibus, vel scriptis, vel factis dissidia et contentiones alant, et Ecclesiam eiusmodi scandalis deforment, sed ut reprimant sese, et memores sint dictorum Christi, *Remittite, et remittetur vobis;* et: *μὴ μνησικακεῖν.*

In altero autem genere dissensionum de articulis fidei, et rebus ad gloriam Dei, et Ecclesiae multarum gentium salutem pertinentibus, necesse est, eam concordiae rationem iniri, quae non obscuret, nec oblivione, aut ambiguis, aut falsis opinionibus veram Evangelii doctrinam ad Dei invocationem, et confirmandam fidem, ad agnoscendos et vitandos errores, necessariam involvat, sed perspicue et categorice veritatem illustret, et errores palam ac nominatim iudicet, et consentienti animo et ore improbet ac repudiet.

Cum itaque non modo de adiaphoris, verum etiam de multis aliis, et praecipuis doctrinae christianae articulis[7]) de filio Dei, de λόγῳ[8]), et mediatore invocando, de iustificatione hominis coram Deo, de sola fide iustificante, de necessitate operum, de praesentia Christi in Coena Domini, de efficacia externi verbi in ministerio sonantis, de synergia voluntatis humanae, et similibus controversiis proximis annis motae, et in nostris Ecclesiis agitatae sint, necesse est de singulis veras et explicatas sententias sine ulla ambiguitate proponi et retineri, et omnes errores perspicue monstratos abiici et condemnari.

Commodissima igitur et lenissima conciliandae in controversiis dogmatum piae concordiae ratio nobis haec esse videtur, ut iuxta seriem locorum doctrinae Christianae brevis et perspicua explicatio verae sententiae de singulis dogmatibus, quae in contentionem venerunt, et improbatio errorum gravi deliberatione, et collatis aliquot eruditorum iudiciis proponatur, cui D. *Philippus*, *Matthias Illyricus*, et alii consentientibus animis et manibus subscribant, eamque constanter deinceps tueantur.

De tota doctrina.

Consentienti animo et ore credimus et confitemur, unam solam extare in genere humano veram de Deo, et aeterna salute nostra doctrinam, quae scriptis Propheticis et Apostolicis comprehensa est. Hanc vero corde amplectimur, in ea sententia, quam membra scriptorum divinorum inter se collata gignunt, et quae in Symbolo Apostolico, Nicaeno, et in confessione Augustae, Anno 1530. Imp. Car. V. exhibita, et in Reverendi viri D. *Lutheri* confessione, et Catechismo, et *Philippi* locis Theologicis expressa est. Quidquid autem ab hac verae doctrinae norma discrepans in nostris vel aliorum scriptis, consiliis, vel actionibus extitit, extat, vel extabit, id eadem mente, ore, et manu reiicimus et damnamus. Et quia fere totam doctrinam in nostris Ecclesiis sonantem, quam non dubitamus veram Evangelii vocem esse, Romanus Pontifex, et ipsius complices palam condemnant, et persequuntur, palam nos quoque profitemur, nos toto pectore a decretis

4) *mutari*] non habet Pez.
5) *esse*] non habet Pez.
6) Backm.: *accensis.*

7) *christianae articulis*] Pez. *Ecclesiae.*
8) Backm. *filio Dei λόγῳ.*

Concilii Tridentini, et omnibus corruptelis doctrinae, et idololatricis cultibus quos Pontifex seu Antichristus Romanus tuetur, abhorrere, et omnes conciliationes cum doctrina et cultibus [9]) pontificiis, quales in libro Augustano seu Interim in comitiis Anni 1548. Ecclesiis nostris [10]) obtruso, et scriptis inde enatis, et ad eius defensionem seu conciliationem cum nostra doctrina institutis, promulgatae sunt, toto pectore execrari, et coniunctis suffragiis, et viribus publice et constanter deinceps velle oppugnare.

De Deo et filio Dei mediatore invocando.

Consentienti corde et ore confitemur, et iuvante Deo, constanter propugnabimus doctrinam de solo vero Deo, et de tribus personis ὁμοουσίοις, aeterno patre, filio λόγῳ, et Spiritu sancto, sicut in testimoniis divinis, in Symbolo Nicaeno, et Athanasiano, in confessione et scripto Lutheri de novissimis verbis Davidis, et in locis Philippi explicata est. Toto igitur pectore improbamus et execramur furores Arii, Photini, Samosateni, ante annos 1280 damnati, quos nostra aetate *Michaël Servetus* Arrago editis in Gallia et Germania libris renovavit, et nunc in Lituania et Polonia fanatici quidam spargunt. Credimus autem et confitemur, λόγον in Iohanne significare personam a patre distinctam, et ὁμοούσιον patri. Damnamus et *Petri Canisii* Iesuitae furorem, qui ut invocationem hominum mortuorum stabiliat, asserit filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, nunc sedentem ad dextram patris, tantum ratione meriti, et non ratione intercessionis esse mediatorem, contra expressa dicta Ebr. 7. *Christus salvare in perpetuum potest accedentes per ipsum ad Deum, semper vivens, ut intercedat pro nobis* [11]). Docemus itaque et confitemur, filium Dei ὁμοούσιον aeterno patri, verum Deum et hominem, nostrum aeternum sacerdotem esse, qui nunc quoque pro nobis intercedit, et deprecatur [12]), nec tantum hominem esse Christum mediatorem, sed etiam filium Dei λόγον. Sicut gravissime [13]) loquitur Augustinus. *Non mediator est homo praeter Deitatem: Non mediator Deus praeter humanitatem. Ecce divinitas sine humanitate non est mediatrix: nec humanitas sine divinitate, sed inter divinitatem solam, et humanitatem solam mediatrix est divina humanitas, et humana divinitas Christi.*

De iustificatione.

Unanimi corde credimus, et voce confitemur, hominem peccatorem poenitentiam agentem, non propter ulla sua merita aut opera [14]) congrui, vel condigni, sed gratuita bonitate et misericordia Dei, propter solum filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum pro nobis passum et resuscitatum iustificari, hoc est, remissionem peccatorum, imputationem iustitiae, et vivificationem per Spiritum sanctum consequi, et ad vitam aeternam recipi. Et hoc beneficium sola fide accipi, qua et personam et beneficia Christi agnoscimus, et omnibus articulis Symboli assentimur, et certo statuimus, nobis peccata propter Christum gratis remitti, et nos reputari iustos, iuxta promissionem gratiae in Evangelio revelatam.

Nec tantum ratione initii, fide iustificamur, sed etiam post primam conversionem omni tempore statuendum est, nos non dilectione, et caeteris virtutibus, sed propter solum Christum sola fide [15]) iustos esse, et Deo placere. Ut igitur particulas exclusivas a Paulo usurpatas, *Gratis iustificamur, sine operibus, sine lege*, necesse est conservari, ut et debitus soli Christo honos iustificationis tribuatur, et conscientiae certam et firmam consolationem in doloribus ortis ex sensu irae Dei adversus sua peccata habeant: Sic hanc quoque exclusivam, sola fide, constanter necesse est in Ecclesia retineri, et recte explicari, videlicet quod particula, Sola, non excludat poenitentiam, contritionem, timorem Dei, et caeteras virtutes, ne adsint, nec dignitati seu merito fidei, quatenus est virtus in nobis, tanquam caussae iustificationem tribuat: sed quod neget, contritionem et caeteras virtutes esse caussam seu meritum remissionis peccatorum, et asseveret, solius Christi obedientiam, passionem, et mortem esse caussam, et meritum, propter quod remissio peccatorum, et haereditas vitae aeternae nobis done-

---

9) *quos Pontif. — cultibus*] non habet Pez.
10) *Ecclesiis nostris*] non habet Pez.
11) Addit Backm.: „Rom. 8, 34.: Christus est ad dextram Dei et intercedit pro nobis."
12) Backm. *intercedat* et *deprecetur*.
13) *gravissime*] Backm. *promiscue*.
14) Cod. Monac. *merita*.
15) *sola fide*] non habet Pez.

tur, et hanc sola fide a nobis agnosci, accipi [16]), et nobis applicari; sicut tota haec doctrina in epistola ad Galatas a Luthero, et aliis nostrorum scriptis copiose illustrata est.

Damnamus igitur omnes huius articuli corruptelas, quae in doctrina Papistarum, et in libro Augustano Interim, et scriptis ad eius defensionem aut conciliationem cum nostra doctrina compositis sparsae sunt, quales sunt:

Quod fide, et spe, et caritate simul coniunctis iustificemur.

Quod fides tantum sit initium et praeparatio, ut postea per dilectionem vere iustificemur.

Quod principaliter propter Christum iusti simus, et minus principaliter propter nostram dilectionem, et caeteras virtutes.

Quod fides, cui adiuncta est caritas, et aliae virtutes, iustificent.

Quod particula sola [17]) *sit abiicienda.*

Damnamus etiam unanimiter Osiandri *κενοφωνίας,* qui negat, iustitiam hominis coram Deo esse remissionem peccatorum, aut obedientiam, passionem, et mortem Christi, qua legem pro nobis implevit.

Negat item Christum esse nostram iustitiam, eo quod pro nobis natus, passus, et mortuus sit, sed tantum, quia [18]) vere et natura Deus sit. Ideoque affirmat nostram iustitiam esse nihil aliud, quam essentialem totius divinitatis iustitiam in nobis habitantem et efficacem. De hac controversia et sententiam nostrarum Ecclesiarum, et formas loquendi in nostrorum refutationibus, et praecipue in scriptis *Matthiae Illyrici*, et Ecclesiae Hamburgensis erudite explicatas et defensas, concordibus animis et linguis amplectimur et propagabimus.

De necessitate bonorum operum [19]).

Docemus in omnibus fide propter Christum Deo reconciliatis, necessario novam obedientiam cum voluntate Dei congruentem, seu bona opera sequi oportere. Est enim ordo necessarius, et immutabilis, ut creatura rationalis Deo creatori obtemperet. Ideoque fit conversio, et recipimur a Deo, ut deinceps vitemus peccata, et novam obedientiam, et vitam conformem voluntati divinae agamus. Et certum est, gratiam Dei, Spiritum sanctum, et haereditatem regni coelorum amittere eos, qui se polluunt malis operibus, ut 2 Corinth. 6. Ephes. 5. et alibi expresse dicitur. Et Deus horribilibus poenis praesentibus et aeternis mala opera seu scelera punit, ac vult in hac vita disciplinam coli, et societatem publicam [20]) conservari tranquillam, et honestis exemplis alios ad agnitionem Dei, et virtutem invitari.

Propter has caussas docemus, necessaria esse bona opera, seu novam obedientiam. Nequaquam tamen assuendum est, bona opera ad salutem et vitam aeternam consequendam necessaria esse. Ut enim remissio peccatorum propter solum Christum *gratis* donatur, et sola fide accipitur, ita etiam salus et haereditas vitae aeternae propter solum Christum, sine ullis operibus, gratis credentibus donatur, Roman. 6. *Donum Dei est vita aeterna per Dominum nostrum Iesum Christum.*

Horribilis igitur blasphemia est, honorem soli Christo debitum, qui solus sua morte et resurrectione iustitiam, et vitam aeternam omnibus piis donandam promeruit, in opera nostra transferre, et tetra conscientiarum carnificina sunt, et pavidos ad desperationem adigunt hae sententiae, quae affirmant, *Bona opera ad salutem necessaria esse, et impossibile esse quenquam sine bonis operibus salvari.*

Quare quaecunque tandem excusationes, aut *σοφὰ φάρμακα* hisce formis loquendi ante multos annos ab ipso *Luthero* et Ecclesia explosis, et nuper in Ecclesia renovatis adhibentur: tamen quia et ambiguae sunt, et cum Papisticis corruptelis et [21]) formis loquendi congruunt, quae et gloriam filii Dei, et puram doctrinam de articulo iustificationis, et veram consolationem piorum delent, atque etiam ex diametro repugnant Paulinis fulminibus, quae perspicue asseverant, ex operibus legis nullum hominem coram Deo iustificari et salvari: Ideo unanimi consensu reiicimus et damnamus has propositiones: *Impossibile est homi-*

---

16) *accipi*] Backm. *dari.*
17) Backm. *sola fide.*
18) *quia*] Backm. *quod.*
19) De hoc articulo maxime perspicua est Ph. Mel. explicatio in responsionibus ad legatos Saxonicos et in formula Wormaciae Anno 57. a Phil. Melanth. perscripta. (Pezel.)
20) *publicam*] Backm. *politicam.*
21) *et*] Backm. *et ipsorum.*

nem sine operibus salvari: Nemo unquam sine operibus salvatus est: Bona opera sunt necessaria ad salutem.

De Coena Domini.

Credimus et confitemur in Coena Domini, cum administratur, sicut a Christo ordinata est, vere adesse Christum Deum et hominem, et distributis et acceptis externis symbolis, pane et vino distribui, et sumi verum et substantiale corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi propter hunc finem, ut promissio de remissione peccatorum singulis applicetur, et fide in sumentibus confirmetur, et membra verae Ecclesiae ab impiis discernantur.

Unanimi autem consensu reiicimus et damnamus multa tetra idola, abusus et superstitiones, quibus Coena Domini a Papistis contaminata est. Adest Christus in Coena, cum administratur, sicut ab ipso ordinata est, praesens, voluntaria praesentia propter institutionem, nec magica virtute verborum attrahitur in panem corpus Christi, ita ut in pane incluso aut circumgestato manere cogatur extra actionem et usum a Christo institutum. Sed in actione, seu cum accipitur, comeditur, bibitur, adest Christus, et est efficax, ac suum corpus et sanguinem impertit.

Horribilis igitur idolomania est, quod Papistae panem consecratum circumgestant, et adorandum proponunt tanquam Deum, non secus ac Persae et Chaldaei ignem, quem Orimasda vocabant, Regibus praetulerunt, et velut Deum adorarunt. Nec minus tetra sunt, et in sacrificium Christi contumeliosa Missarum spectacula, et alii abusus, de quibus nostrae confessiones, et scripta consentientia passim extant.

Improbamus etiam Anabaptistarum et Sacramentariorum errores, qui fingunt in Coena Domini panem et vinum tantum symbola esse absentis corporis et sanguinis Christi, et contendunt hanc propositionem, *Hoc est corpus meum*, metaphorice aut *μετωνυμικῶς* accipiendam esse. Sentimus enim haec verba et proprie, sicut sonant, intelligi debere, ac Christum veracem et omnipotentem esse, qui et velit et possit ubique esse praesens, quocunque se suo verbo alligavit.

Et quanquam ratio humana sicut etiam in caeteris fidei articulis fremens absurditate offenditur: tamen statuimus fidem verbo Christi toties iisdem syllabis et literis repetito niti debere.

De efficacia verbi.

Colligit sibi Deus ex genere humano aeternam Ecclesiam, eique sua beneficia impertit per duo media, per verbum a se traditum ac in ore ministrorum sonans, et per Sacramenta a se instituta, ut clare dicitur: *Fides ex auditu est, auditus per verbum Dei.* Item, *Evangelium est potentia ad salutem omni credenti.* Nec impertit se Deus et sua bona immediate hominibus repugnantibus, qui nec verbum Dei audiunt, et amplectuntur, nec Sacramenta, cum eis possint uti, usurpant [22]). Consentiente igitur animo et ore damnamus *Caspari Stencfeldii* Silesii haereses, qui libris editis, *tum alios errores spargit, tum vero affirmat, Deum se immediate, et non per verbum hominibus communicare, et verbum, et Sacramenta tantum externi* [23]) *hominis exercitia esse.*

De libertate voluntatis humanae. [24])

Primo Stoicorum furores reiicimus, qui contendunt, omnes eventus et omnes actiones humanas, bonas et malas, scelera Iudae, Neronis, Caligulae necessario, et Deo impellente, et efficaciter volente fieri. Certissimae enim sunt sententiae: *Deus noster absque ulla iniquitate, rectus et iustus est.* Item, *Non Deus volens iniquitatem tu es.*

Secundo fons contingentiae est libertas voluntatis in Deo, Angelis, et hominibus: hoc est facultas, quae [25]) voluntas potest eligere [26]), vel suspendere electionem, vel sic, vel aliter agere.

Tertio certum est, reliquam esse aliquam voluntatis humanae libertatem in actionibus locomotivae [27]) regendis, in actionibus artificum, et moribus externis honeste gubernandis; sicut Paulus expresse dicit: *Non ex operibus iustitiae, quae nos faciebamus.*

Quarto in actionibus spiritualibus in vera agnitione Dei, fide, et invocatione, patientia, perseverantia, certum est, voluntatem humanam

---

22) *nec Sacramenta* etc.] Backm. *nec Sacramentis utuntur.*
23) *externi*] Backm. *externa.*
24) Hunc totum articulum planissime et rectissime explicavit Phil. Mel. in responsione ad articulos Bavaricos. (Pezel.)
25) Backm. *haec est libertas*, *qua.*
26) Cod. Goth. addit: *vel non eligere.*
27) Backm. *locomotiva.*

non posse suis viribus quidquam velle aut perficere, nisi praeveniat ipse Deus per verbum, et afflatum divinum movens, et impellens voluntates, ut assentiantur et obtemperent [28]).

Quinto post hunc motum et impulsum voluntatis divinitus factum, non est pure passiva voluntas humana, sed mota et adiuta a Spiritu sancto non repugnat [29]), assentitur, obtemperat Deo, et *σύνεργος ἐστὶ,* ut Paulus loquitur. In Ioseph retinente casti pudoris decus [30]), et abstinente ab herili coniuge, voluntas non est pure passiva, sed impulsa et adiuta a Spiritu sancto assentitur, repugnat illecebris, et coërcet externa membra. In Davide audiente consolationem, *Dominus abstulit peccatum tuum*, voluntas non est prorsus otiosa, sed assentitur et repugnat diffidentiae, et dubitationibus, et secum ipsa luctatur.

Hanc simplicem et veram sententiam de *συνεργείᾳ* voluntatis humanae consentientibus animis amplectimur, sicut eadem doctrina in loco de libero arbitrio, et alibi a nostris expressa est.

De adiaphoris.

Adiaphora proprie nominamus ceremonias seu opera, quae Deus nec praecepit, nec prohibuit, sed libera Ecclesiae reliquit pro locorum, temporum, et personarum conditione usurpanda ad aedificationem Ecclesiae, seu ut Epiphanius loquitur, *διὰ τὴν ἐγκρατείαν καὶ πολιτείαν*, hoc est, propter disciplinam et bonum ordinem, seu *εὐταξίαν,* ut sunt certae in templis lectiones, certa concionum et precum tempora, feriae, certa quaedam cantica, ceremoniae funerum, copulationes coniugum, vestitus decens.

Nequaquam autem sub adiaphororum titulo complectimur per se impia et divinitus prohibita, ut magicas consecrationes oleorum, aquae, herbarum, extremam unctionem, Papisticam confirmationem, Missas sine communicantibus, ieiunia, in quibus delectus ciborum praecipitur, vota monastica, invocationem et cultus sanctorum.

Haec manifeste impia, et cum Evangelio pugnantia, neminem bona conscientia et salva pietate recipere et approbare posse sentimus et confitemur.

Neque etiam inter vera et utilia adiaphora recensemus ridiculos gestus, et ceremonias, quae Ethnicam vanitatem prae se ferunt, et religionem nostram ludibrio exponunt, doctrinam obscurant, superstitionum Papisticarum nervi sunt, et nec ad disciplinam, seu bonum ordinem conducunt, ut ridiculae gesticulationes in celebratione Missarum, circuitus coemiterii, circumgestationes statuarum et reliquiarum, depositio crucis in sepulcrum, ludus ascensionis Christi, et similes ineptiae.

His nugis onerari Ecclesias, praesertim in gratiam hostium, et persecutorum verae doctrinae Evangelii, qui omnes abominationes Papisticas hisce initiis restituere conantur, et perniciosum verae Ecclesiae, et doctrinae Evangelii, et impium esse iudicamus. Imo etiam in veris et utilibus adiaphoris, item de Episcoporum autoritate, iurisdictione, et ordinatione, nulla cum adversariis conciliatio institui debet, nisi prius vere conveniat de doctrina, et externis cultibus necessariis, ut in epistola ad Norinbergenses de hac ipsa controversia prolixius disputatur.

Quare cum mutationes rerum etiam vere *ἀδιαφόρων* sint coniunctae cum abnegatione verae doctrinae, et pios scandalo afficiant, et pie constitutas Ecclesias turbent, et aditum ad mutationem verae doctrinae, et restituendos cultus idololatricos patefaciant, omni studio et constantia eos vitandos et fugiendos [31]) esse censemus. Denique de tota hac controversia sententiam in locis *Philippi* de ceremoniis humanis in Ecclesia, de scandalo, de libertate Christiana, et in epistola ad Norinbergenses publice composita, consentientibus animis, et linguis nos amplecti profitemur. Et quidquid contra hanc sententiam in consiliis, scriptis, et actionibus tempore promulgari Interim Augustae, Lipsiae, in Marchia, et aliis locis tentatum est, improbamus.

Hanc concordiae formam Nos *Iohannes Albertus* Dei gratia Dux Megapolensis piam et ad restituendam pacem Ecclesiae salutarem profuturam esse iudicamus: Et filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum oramus, ut haec tristia Ecclesiae vulnera sanet, et mentes docentium in Ecclesia, et inprimis eorum, quibus utrinque

---

28) At vero de ordine, quo Deus movet voluntates, quaeritur. Non est enim motus Enthusiasticus, aut sicut sol radios spargit in dolium, aut ignis agit in stramen. (Nota Pez.)

29) *non repugnat*] non habet Pez.

30) Backm. *castum pudorem.*

31) *verae doctrinae* etc.] Backm. *verae doctrinae faciant, et respuendos et vitandos.*

petentibus hanc formam concordiae proposuimus, Spiritu suo sancto copulet, ut omni dissensione sublata coniunctis in posterum animis, et voluntatibus veram Evangelii doctrinam late spargant, Ecclesiam Dei aedificent, errores et haereses perspicue et constanter refutent et damnent, et posteris veram et consentientem de gravissimis nostrorum temporum controversiis sententiam transmittant. Datum Sverini, Calend. Feb. Anno 1557.

Ut autem de nostra hac sententia certo constaret, signum manumque nostram, ut testes sint voluntatis nostrae, iudicavimus esse apponenda.

I. A. H. Z. M. manu propria.

B)

Responsum Philip. Melanthonis ad articulos praecedentes datum legatis, 27. *Feb.* 57.

Primum reverenter ago gratias Illustrissimo Principi ac Domino *Iohanni Alberto* Duci Megapolensi, etc. quod et publicae concordiae, et meae tranquillitatis cura afficitur. Cognosci autem potest et ex meo silentio, et ex responsionibus, quas dedi Pastoribus Ecclesiarum Saxonicarum huc missis, mihi non deesse studium pacis. Nec credendum est, me in hac senecta bella appetere, in qua me non procul a morte abesse video. Nec adeo ferreus sum, ut horribiles confusiones generis humani sine magno dolore intuear. In his tantis malis augere dilacerationes sciens non velim. Certe ubi potui nostros ad coniunctionem tuendam hortatus sum, et fuerunt in eo genere officia mea mediocria.

Ut autem nunc respondeam de forma concordiae oblata a legatis Illustrissimi Principis: pauca praefari me necesse est. Aliter in bellis recipiuntur illi, qui hostilem animum habuerunt, et dimicarunt, aliter qui, etiamsi sunt apud hostes, tamen nec animum habuerunt hostilem, nec praeliati sunt. Ego autem nunquam harum Ecclesiarum, in quibus vivo, hostis fui, nec cum hostibus unquam collusi [32]). Studia verae doctrinae meo loco etiam, quantum Deus concessit, adiuvi, et totum genus doctrinae saepe repetivi, ac de mea sententia ex scriptis meis iudicari volo [33]). Et me esse civem Megalburgensis Ecclesiae, ostendit liber, qui extat, in quo forma doctrinae Megalburgensis Ecclesiae comprehensa est.

Tunc etiam cum illa sphinx Augustana, quae nominatur Interim, prolata est, nequaquam doctrinam, quam antea professus sum, mutavi. Lacrymans etiam suasi, ne qua mutatio fieret, et de multis necessariis materiis refutavi quosdam ingeniis praestantes, et astutos homines, qui sphingis illius aenigmata tuebantur. De ritibus quibusdam non pugnavi, qui magna ex parte adhuc usitati erant in nostris Ecclesiis, fuique in his abiiciendis minus vehemens, ne pellerentur ex Ecclesiis Pastores, et ut prudentes intelligerent, res necessarias esse, quas retinere cupiebam. Nec de his ipsis ritibus postea rixatus sum, cum ***Flacius*** mihi contradiceret.

Talis cum fuerim, nunc mihi conditiones feruntur, ut proditori et hosti harum Ecclesiarum.

In titulo de adiaphoris forma concordiae intexit quasdam narrationes, in quibus petitur a me confessio proditionis, et magnorum scelerum; dicit [34]) in gratiam persecutorum Evangelii receptas esse quasdam superstitiones; dicit abnegationem veritatis esse, etiam si qua vere adiaphora recipiantur; petit et condemnationem aliorum, etiam mortuorum. Has duas conditiones, si hostis fuissem, imponi mihi non mirarer. Fuit mitior actio Pastorum Saxonicorum. Etiamsi quid a me languidius actum est, certe hostis nunquam fui. Ac miror tam duras conditiones imponi, cum diserte *ἐπιείκειαν* Principis excellentis sapientia implorarim. Clare igitur profiteor, me non assentiri narrationibus illis, quae arte intextae sunt, ut me, si eas recepero, ipse iugulem.

Si iudicant Principes, me [35]) collusisse cum adversariis, aut delectatum esse ulla Ecclesiarum perturbatione: non talibus decretis, sed palam interficiant me. Multis praestantibus viris noti sunt mei labores, et nota perpetua voluntas. Multi viderunt meas lacrymas in illis ipsis consiliis, cum de sphinge Augustana deliberaretur. Nunc ut hosti conditiones feruntur; qua de re non addam longiorem querelam, sed oro, ut Illustriss. Princeps formam propositam leniat sua *ἐπιείκεια,* quae lucere in Principe debet, ac mitto responsiones datas Pastoribus Saxonicarum Ecclesiarum, quae

32) *nec cum* etc.] non leguntur in cod. Monac. nec apud Backm. nec in Epp. Schol.

33) Backm. et Epp. Schol. *volui.*

34) Cod. Monac. *dicit enim.*

35) Pez. *si me iudicat Princeps.*

etiam ostendunt, me pacis cupidum esse. Nec ab iis conditionibus discedo, quanquam illae quoque eo sunt inaequales, quia [36]) mihi metae circumdantur, *Flacio* autem conceditur, ut nova bella moveat.

Is reprehendit definitionem Evangelii, in qua pio consilio haec verba posui, praedicationem poenitentiae. Recens etiam in scripto edito, taxat dictum, a me [37]) in repetitione confessionis in capite de Magistratu, positum, ubi discerno politicam iustitiam, seu externam disciplinam ab interiore novitate. Inde excerpit haec verba: *Iustitia est lux in corde accensa agnitione et fiducia filii Dei.* Haec calumniose depravat. Tales praestigiae cient plausus apud imperitos.

Curavit ad me scribi per alium subornatum, *περὶ λόγου* epistolam, quam nemo sine gemitu legere potest. Nunc editis pagellis piam veterum interpretationem, (qui declarant, quare filius dicatur imago) transfert in Basiliden, et tamen arte occultat, quid ipse de praecipua quaestione in ea re sentiat. Quae autem spes pacis erit, si hoc modo perget cavillari, quae volet?

Non genui nova dogmata, sed summam doctrinae receptae in his Ecclesiis, ut potui, collegi, et quaedam propter iuniores minus horride recitavi. Haec forma doctrinae si non placet *Flacio*, edat aliud doctrinae corpus, quod si Ecclesiae anteferent, nihil repugno. Nunquam sensi me *ἀναμάρτητον* esse, dolui potius impediri pias [38]) deliberationes, et cogitationum collationes: sed me semper subieci iudicio Ecclesiae. Cumque Ecclesiam nomino, non fingo ideam Platonicam, sed Pastores doctos et pios in urbibus Saxonicis, et lectores in omnibus Academiis, quae puram Evangelii vocem sonant, intelligi volo. Horum iudicio nunc quoque me subiicio, quorum scio eam esse iustitiam, ut sint servaturi legem Atticam, *ὁμοίως ἀμφοῖν ἀκροᾶσθαι.* Oro autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis, et resuscitatum, qui vere colligit aeternam Ecclesiam voce Evangelii, ut nos omnes gubernet, et faciat, ut unum in ipso simus. 25. Februarii, Anno 1557.

Philippus Melanthon.

---

36) *quia*] non habet Pez.
37) Hic finitur apogr. cod. Monac.
38) *pias*] Backm. *meas*.

No. 6199. — —

(*Narratio de legatorum Megapol. actione.*)

† Ex apographo in cod. Monac. 86. No. 3. p. 220. — Legitur ibi: „*Narratio pacificationis inter Adiaphoristas et Magdeb. per legatos Mechelburgenses anno dom.* 1557. *mense Februario tractatae*", cuius eam partem hic subiungere voluimus, quae narrat ea, quae a legatis Megalburg. Vitebergae cum Melanthone coram acta sunt. Videntur excerpta ex epistola quadam, cui quantum fidei tribui possit, videndum est.

(*Narratio.*)

„Eam formulam [videl. pacis inter Melanth. et *Flacium* faciendae, missam a *Ioanne Alberto*, Duce Megal. per legatos Vitebergam] una cum literis per legatos suos, Dominum *Georgium Venetum*, lectorem Theologiae in Academia Rostochiana, et M. *Andream Mylium*, Consiliarium, misit [Ioannes Albertus] Viteberg. ad *Philippum* et deinde ad *Illyricum* Magdeburgam, petens clementer, ac propter Deum obtestans, ut sicut antea ad pacem sese prompte obtulerant, ita iam quoque eam alacriter amplecterentur, et vel illi suae formulae simul subscriberent, ac secundum eam pacem inter se inirent, vel tota commutata, vel aliquibus vitiosis eius partibus.

Profecti itaque illi recta Vitebergam circiter 20. Febr. advenerunt, absente *Philippo*, qui cum *Menio* Dessaviam et Lipsiam profectus ei ob Maiorismum profugo functionem quaesivit. Facta igitur mora dierum aliquot, *Philippo* reverso, mox eum adierunt, eique literas et formulam obtulerunt, et mandata petitionesque principis exponere coeperunt. Verum ubi ille et ex initio formulae et ex eorum sermone animadverterat, taxari adiaphorismum, et eius aliquam vel lenem damnationem quaeri, mox summa impatientia exiliit, eosque, obnixe principis nomine se audiri petentes, suum sermonem pertexere nequaquam passus est, sed erumpens in invectivas ac lacerationes *Illyrici* aliorumque, et demum etiam in ipsum principem ac legatos declamavit, vociferans, Illyricum multos tetros errores occultare, nullum tamen proferens; non putasse se, illustriss. principem tam sibi esse inclementem; non ita de se eo esse meritum, ut tales sibi gratias referre deberet; quaeri suam oppressionem; interficere eum potius debere ipsum, si cum Babylonia Thaide collusit, quam talibus decretis iugulare;

se nolle quenquam ex illis praegravare, qui adiaphoristicis deliberationibus interfuerint, et iam mortui sint; et alia similia multa. Item, adhiberi ad eam actionem homines partiales, ipsos suscepisse patrocinium *Illyrici*; haberent eum sibi, foverent, exoscularentur etc. Eum multas pravas opiniones de filio Dei habere. Cum autem illi dicerent, satis sibi fieri confessiuncula proxima *Illyrici* de Deo, ille contra clamavit: sibi non satis fieri; eum multa occultare. Tandem finitis rixis ac declamatione invectiva dixit, se eis sequenti die responsum daturum esse. Interim retinuit formulam, diligentius eam perlegit, et quaedam, quae minus placebant, expunxit, praesertim in Adiaphoris adiiciens in margine: *Reiicio.* In capite de iustificatione ubi erat positum, quod iustificatio sit remissio peccatorum, ille vivificationem tanquam alteram partem iustitiae adiecit, quod alteri parti cum Interim, Osiandro et Papistis consentire visum est.

Sequenti die venit ad eos in hospitium, comitatus *Peucero*, afferens responsum apertum Principi offerendum, et totam actionem simpliciter et absque longiori colloquio aut conditione abrumpens. Cum autem illi denuo obsecrarent eum, ut saltem ipse aliquam meliorem commodioremque formulam piae pacis praescriberet, quam principi et alteri parti ostenderent, iratus negavit, se ullam praescripturum, et non finito sermone erumpens ex hospitio exclamavit: „*si vultis me opprimere, opprimite; sic solet pacificis accidere, ut etiam Therameni, qui a collegis oppressus est. Ego me Deo commendo.*"

Peucerus vero, qui et pridie acerbior fuerat iam egresso *Philippo* magna cum austeritate ad legatos dixit: Ihr sollt forthin meinen Schwähern zufrieden lassen mit solchen Händeln ꝛc. Et hoc fuit valete.

Literae eandem ferme molestiam, pacis studium ac sententiam exprimere dicuntur, quae pridie colloquio a *Philippo* deprompta ac exhibita fuit. Digressi itaque sunt legati circiter finem Februarii, ac ad alia quaedam loca expediendorum aliorum negotiorum causa declinarunt, non nimium Magdeb., tanquam iam in irrito conatu festinantes. Quare illis peractis 12. demum die Martii eo venerunt. Ibi cum *Illyrico* et *Wigando* oblatis principis literis formula pacificationis expositisque principis mandatis, actione et aspera repulsa Vitebergensium de tollendi ratione adiaphoricos errores, constituendaque pia pace in Ecclesia Dei collocuti sunt. A quibus altera die responsum literasqae acceperunt, quibus illi, post gratiarum actionem erga ipsos ac principem, sunt testati, se etsi viderent tenuissime ac mollissime adiaphoricas corruptelas damnari, tamen studio pacis eam, si et altera pars complexa fuisset, ac serium pacis tollendique adiaphoricos errores studium commonstrasset, suscepturos fuisse, eosque ac principem ipsum summis precibus orare, ut nihilominus adhuc in hac causa agere ac conari aliquid pergerent, idque serio agerent, ut errores adiaphorici tollantur, omnisque ista nunc, proh dolor, promiscua vulgi et principum collusio et scortatio cum Babylonia Thaide severiter damnentur.

Ad eam vero rem nihil videri aptius conve nientiusve quam iudicium ecclesiasticum primo quoque tempore constitui. Haec cum legatis quoque ratio maxime probaretur, si modo et altera pars adduci posset, ut se ex animo ac re ipsa non verbis tantum iudicio subiiceret. Decimo quinto Martii discesserunt.

No. 6200. 27. Febr.

B. Hencelio.

Epist. lib. II. p. 314. (ed. Lond. lib. II. ep. 350.).

D. Iohanni Baptistae Hencelio

S. D. Clarissime vir et patrone colende, Non remisi scriptum concionatorum vestrorum *), quia propter certas causas ipse retexere coepi. Et tamen inchoatum opus aliis multis occupationibus et itineribus mihi toties interrumpitur, ut nondum absolverim. Iudico autem prodesse perspicuam explicationem illarum materiarum edi. Volui quasdam phrases in vestrorum scripto omitti, Haec mihi causa fuit retexendi. Et *Stenckfeldii* imposturae monstratis fontibus refutandae sunt. Prior pars de Filii natura exstructa ex *Samosatenico* seu *Servetico* furore: Altera pars de ministerio ex Enthusiastarum deliriis. Impedierunt me et negotia inspectionis Ecclesiarum in hac regione. Sed pertexam inchoatum librum brevi.

*) Adversus Schwenckfeldium.

De vino Senatui et vobis gratiam habeo. Hanc autem Epistolam dedi filio Doctoris *Iohannis Forsteri*, qui in nostra Academia interpres fuit *Hebraeae* linguae *). Proficiscitur autem adolescens mortuo patre ad patruos, ut vidua mater et sorores leventur sumptu. Nam pater domum et supellectilem suis reliquit, in tot exiliis pecuniam colligere non potuit. Cum autem et bene meritus sit pater de Ecclesia, in propagatione linguae *Ebraeae*, et aliis laboribus, et adolescens sit eruditus, quaeso ut eum et suis et amplissimo Senatui commendes, et tu eum ornare studeas. Poterit usui esse in docenda lingua *Latina* et artium initiis. Cumque sit civis et *Augustae* natus, sperat et reverenter petit auxilium a Senatu, donec in schola aliqua docendi locum adipiscatur. Quaeso ut et de patris laboribus cogites, et de dicto *Syracidae*, *Esto pater orphano, tunc Deus magis te diliget, quam mater tua te diligit.* Bene et feliciter vale. **27. Febr. Anno 1557.**

No. 6201. 3. Mart.

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camer. p. 713 sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 855.).

Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo cariss.

S. D. Genus officii quale sit, quod nostri collegii nomine petitur, non ignoras. Etsi mihi tuo colloquio nihil dulcius est, tamen discerno inter haec *μικρὰ φιλοφρονήματα*, et alia graviora. Et opinor his ipsis diebus apud vos futuros esse *Mordisium*, et Legatos, inter quos erunt *Glebingerus* et *Ulricus Sicingerus*, qui deliberationes afferunt, *περὶ συλλόγου ἴσως δὲ καὶ συμμαχίας*. Impendent novi motus, quos ut Deus gubernet precemur. Nam *Adolphus Dux Holsatiensis*, certo in Angliam traiicit conductos equites adversus Gallos. Et Dux *Allobrogum* [1]) Helvetiis bellum minatur.

Fortassis igitur expectatione *Sicingeri* retineberis, et cogito filium tuum in comitatu Legatorum esse. Etsi igitur mihi gratum erit, si ad nos veneris, tamen non adeo morose iudicabo, si te caussae graviores retinebunt, ut vestros iudicasse intelligo de nobis, cum nuper istuc non accessimus. Litteras tamen huic nuncio dabis, quem Decanus noster ad te misit. Bene et feliciter vale, die 3. Martii.

Philippus.

*) Obiit d. 8. Decb. 1556.

1) Dux Sabaudiae.

No. 6202. 3. Mart.

H. Buscoducensi.

Edita in der Dänischen Bibliothek P. IV. p. 174. (Danz.)

Ad Henricum Buscoducensem.

Reverende vir et charissime frater. Hoc tempore nec historica habebam, quae scriberem, *ἄξια λόγου,* nec libellos alios, quos mitterem praeter Orationem de Duce *Ernesto Lunaeburgensi* [1]), cuius exemplum mitto. In Quaestionibus, quae edita sunt, dicta quaedam veterum iucunda lectu recitantur [2]). Ex Polonia scribitur, Turcas minitari *Viennae* obsidionem. Sed nondum audio novos exercitus Turcicos in Pannoniam venisse. Et Persicis bellis impediri Turcas narratur. Haec nuper inclyto Regi scripsi. Bene vale, die 3. Martii 1557.

Philippus.

No. 6203. 3. Mart.

Io. Matthesio.

Epist. lib. II. p. 84. (ed. Lond. lib. II. ep. 68.).

D. Iohanni Matthesio

S. D. Reverende vir et charissime frater, Verissime dictum est a Platone, *Utraque pessima, libertas et servitus immoderata: Utraque optima, libertas et servitus moderata; sed laxari vulgus libertatem sine fine et sine modo cupit.* Hinc quantae confusiones oriantur videmus. De desertore illo sponsae libenter copiose vel scriberem, vel coram tecum loquerer. Aliquid interest inter

1) Secundum Mylii Chronologiam libror. Mel. prodiit anno 1557.

2) Loquitur haud dubie de Quaestione Zachariae Praetorii Mansfeldensis, recitata die 16. Febr. 1557., quam habes in Melanthonis Quaestionibus acad. ab *Ebero* editis p. 150 sqq.

desertorem sponsae, et desertorem uxoris. Sed si iste desertor condemnatus est a suo Magistratu, ne potest quidem Magistratus sententiam priorem abolere, poenam remittere potest. Haec politicae poenae remissio ad ministros Evangelii nihil pertinet, sed prodest desertori ut alibi habitare possit. Si est iuste condemnatus et tamen coniugium expetit, sine publica poenitentia non est recipiendus. Do autem consilium talibus, cum sine coniugio caste vivere non possunt, ut ducant uxores in iis locis, ubi deserta non habitat, et doceo ex quo fonte sumpta sit haec ἐπιείκεια. Saepissime sic respondimus *Lutherus* et ego. Ac facilior causa est in desertione sponsae, ubi post biennium diserte lex ipsa concedit nubere alteri. Liberatur ergo is qui tam diu abfuit, sed peccavit tamen. Et pronunciet eum minister Evangelii libenter liberum, sed poenitentia praecedenti. Sumo etiam rationem ex alio fonte, quam aliquando vel coram tibi exponam, vel significabo per eruditos amicos. Bene vale. Mitto orationem de Duce *Luneburgensi Ernesto.* Et sunt additae quaestiones *), in quibus dulcissimae quaedam veteres sententiae recitantur. Iterum vale et rescribe. Die 3. Martii.

Quod obiicis notato in Ecclesia civem non daturum filiam, doceas eos, Ecclesiasticam censuram non nocere ei in politia. Potest res etiam mitigari, ut adhibitis paucis in sacrario absolvatur. Iniustum est nullas velle leges pati.

No. 6204. 3. Mart.

Ge. Buchholzero.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Georgio Buchholzero, Pastori Ecclesiae Dei in urbe Arctoa.

S. D. Reverende vir et cariss. frater. Pastores Ecclesiarum articulos proposuerunt minus duros quam dux Megalburgensis; itaque magis placide pastoribus respondi. Curabo utramque actionem describi, ac vobis mittam, ut integre possitis agnoscere quid et proposuerint et responderim. Me cupidum esse pacis, silentium meum ostendit. Sed *Flacius* non desinit nova bella moliri. Iam scripsit librum, quem Senatus Meideburgensis non voluit edi, in quo reprehendit, quod in definitione Evangelii feci mentionem poenitentiae, cum Evangelium proprie patefaciat peccatum, quod mundus nec novit filium Dei nec credit ei. Audio eum reprehendere etiam quaedam de peccato originis. Respondi Duci Megalburgensi, ut, si hoc corpus doctrinae, quod pio studio collegi, non placet *Flacio*, edat novum de omnibus articulis. Si illus doctrinam Ecclesiae anteferent, nihil repugnabo. Hoc agit, ut calumniis captet aures populares, et passim a multis pecuniam extorqueat. Multi iam cernunt quod agat.

De *triumpho* iussi pingi integram seriem, quae extat in Plutarcho in vita Pauli Aemylii. Primo ibant milites gestantes spolia et pictas urbes et regiones. Proxime currum antecedebant capti Reges et Principes. Deinde veniebat sedens in curru victor. Et sedebant apud eum filii parvi et filiae, ut spectarent paternam gloriam. Sequebantur proxime liberati ab hostibus cives et principes. Deinde sequebantur senatores et capitanei praecipui, qui fuerunt apud victorem. In postremo agmine pars militum erat et plebs. Facilis accommodatio est. Praecedunt angeli gestantes crucem, in qua pendent chirographa deleta tanquam spolia. Haec imago dulcissima est: peccata superata esse, et legem spoliatam iure accusationis. Deinde ante currum ducuntur vincti diaboli et tyranni et haeretici et impii Pontifices. Postea venit Christus in curru triumphali, quem trahunt prophetae et Evangelistae. Et sunt libri in curru. Currum sequuntur liberati patres: Adam, Heva, Abraham et tota multitudo sanctorum.

De Enthusiastis vide librum scriptum tripartitae historiae. Prorsus similes fuerunt *Stenckfeldio* et Anabaptistis. Dicebant, divinam illuminationem petendam et expectandam esse ieiuniis et aliis exercitiis; Deum non esse efficacem cogitatione scripturae et usu sacramentorum. Nec intelligebant, fide sic erigi corda a Deo, cum intuentur scriptum verbum et se scripta promissione sustentant. Iam Augustani petiverunt, ut hac de re scribam. *Megalburgensis* nominatim petivit in suis articulis, ut damnarem, quae in Marchia concessa sunt, cum fuerunt deliberationes de Interim. Adeo duriter mecum egit. Sed repudiavi illas conditiones perspicue. Mitto tibi

---

*) Habentur in Mel. Quaestionib. acad. editis ab *Ebero* p. 150.

orationem de duce Luneburgensi *Ernesto.* Potes illustrissimo Principi exemplum mittere. Mitto et intimationem de *Forstero.* Bene vale. Die 3. Martii 1557. Philippus Melanthon.

No. 6205. 4. Mart.

Io. Praetorio.

Epist. lib. V. p. 145.

Iohanni Praetorio, docenti Evangel. Vratislaviae.

S. D. Venerande vir, et charissime frater. Vetus hoc est Euripidaeum, sed tamen sapienter dictum: *Iustus est aliis natus.* Talis est vita, ut semper aliorum officiis utendum sit. Quare et ego saepe aliis servio, et ab amicis multa officia peto. Nunc quoque te oro, ut huic *Iohanni Olaviensi* istic stipem colligas. Narrat se discessisse ex monasterio: ut absit ab Idolorum cultu: Habere et se amitas Vratislaviae. Nihil de eo promitto: sed an vera narret, ipse cognosces. Bene vale. Die 4. Martii 1557.

Philippus.

No. 6206. 6. Mart.

Cph. Libio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Christophoro Libio, Pastori Ecclesiae Brandenburgensis.

S. D. Reverende vir et cariss. frater. Postquam hinc discesserunt pastores Saxonicarum Ecclesiarum, venerunt legati a Duce Megalburgensi, *Io. Alberto*, qui conditiones multo asperiores attulerunt. Miratus sum, principem, cuius Ecclesiis mediocriter servivi, tam inclementer mecum agere, ac breviter respondi: si me talem iudicent esse, qualem in illis conditionibus me pingit iste, non me talibus decretis sed palam interficiendum esse. Mox irati legati discesserunt. Scio Flacium non quaerere veritatem: ideo me Deo commendo. *Bremae* dissidia accensa sunt *περὶ τῆς ἀρτολατρείας.* Et *Iohannes Ambsterdamus*, expatiatus ad comitem Hoiensem, mortuus est subito morbo. Oro filium Dei, ut nos gubernet. Bene vale. 6. Martii 1557.

Philippus.

No. 6207. 8. Mart.

Milichius ad Ioachimum Pr. Anhalt.

† Ex apographo in cod. Galli II. p. 310[b]. — Propter argumentum hanc epist. hic inserumus.

I. M. D. [i. e. *Iacobus Milichius*, Doctor]

An Fürst Joachim zu Anhalt.

Ich schicke Ew. F. G. zwo Epistel[1]) eines sehr wohlgeschickten Gesellen. Ist vom *Illyrico* angenommen und bestellet, daß er ihm seine Chronica[2]) sollte helfen verfertigen. Was nu dieser Magister von Illyrico zeuget, werden diese Schriften ausweisen; denn er sich gar und ganz von dieser Rotte gesondert, und ihnen

---

1) Videl. *Theodorici Artopoei* epistolas datas d. 25. Febr., alteram ad Melanthonem, alteram ad Casp. Peucerum. Utriusque apographa habentur in cod. Monac. II. p. 309 b et seq. Subiunxi hic illam ad Melanthonem, quae sic se habet:

Clarissimo viro Ecclesiae Dei vigilantissimo excubatori Philippo Melanthoni, viro optimo, domino suo et praeceptori perpetuo reverenter colendo.

S. P. Etsi, observande dom. Praeceptor, principio haec T. H. scriptio insidiosa non iniuria videbitis*), quod T. H. multum negotii ab astutis his et insidiosis hominibus cum quibus versatus sum hactenus exhibetur, et iuste T. H. suspectum esse debet quicquid ab eis proficiscitur, ut ipso facto et re iam evidentissime comperi: tamen et conscientia mea et bonorum virorum testimoniis dicere possum, me nunquam cum *Illyrico*, *Wigando* et reliquis vociferatoribus aut communicasse quicquam consilii, quod extra opus historicum**) esset positum, et cordium inspector mihi testis est, vehementissime mihi posteaquam conatus et finales eorum causas perspexi, displicuisse. Ita enim adverto hos in vos ferri, ut fere sibi erepti nihil cogitent, nihil agitent, nisi ut doctrinae corpus bene ac salubriter constitutum membratim concitant et convellant, circumcursare mare et aridam, quo aliquid inveniant, in quo Witebergensibus molesti esse queant. Opera eorum hoc facile indicant. Et quidem hactenus cum de mediis rebus fuit concertatio citra conscientiae magnam labem et iacturam tribunitios clamores neglexi. Nunc autem, cum doctrinam locorum, expositionem symboli Niceni oppugnare incipiunt, nullo modo perferre potui. Quare coram in faciem haec his artificiosis machinationibus obieci, et testatus sum, me ab eis opinione dissentire. Ex quo distractio voluntatum in eis statim sequuta. Ideoque praeter pactum tempus ab eis exauctoratus gratias ago filio Dei, me ab eius hostibus divulsum, et hanc voluntatem meam dominum Praeceptorem non volui celare. Oro autem filium Dei, adsit suo adflicto coetui, in quo sic callide vulpes grassantur, ut non minus hostilia ab eis sint expectanda atque a declaratis hostibus. Hoc pio et candido animo a me, rogo, D. Praeceptor accipiat. Filius Dei *λόγος* T. H. Ecclesiae et Scholae diu servet incolumem. Magdeburgae apud Ambrosium Kirchner, anno 1557. 25. Februarii. Vale.

Theodoricus Artopoeus Suollensis
T. H. studiosissimus.

2) Centur. Magdeburg.

---

*) Puto: *videbitur.*

**) Centur. Magdeb.

unter Angesicht in publico zu Magdeburg gesaget, daß sie der heil. Schrift Verfälscher seyn. Das haben viel angehöret und hier angezeigt, denn er in seinem Schreiben solchs nicht meldet etc. Ich kann auch Ew. F. G. nicht unangezeigt lassen, daß auf den Sonnabend vergangen[3]) der Pfarrherr von Dresden Herr Daniel[4]), sampt dem Pfarrherrn von Torgau M. Caspar hieher kommen seind mit einer Schrift des Churfürsten von Sachsen an D. Philippum ganz gnädig geschrieben, daß Sein Chf. G. in Erfahrung käme, wie daß er sich sollte hart bekümmern, daß die Handlungen, so Illyrici halben bei ihm wären gesucht, ihren Fortgang haben könnten. Und so dem also, wäre S. Chf. G. gnädiges Gesinnen, er wollte sich nicht bekümmern, und solcher und dergleichen Handlungen sich ganz entschlahen; er wollte mit Gottes Hülfe darauf bedacht seyn, daß nur diese heillosen unruhige Leut keine Meuterei in seinem Lande anrichten sollten, wollte auch D. Phil. für ihren muthwilligen Auflegungen wohl entsetzen. Und dies haben gemeldte Pfarrherr weiter anzuzeigen befohlen, welches auch also heut geschehen. Das weiß ich wohl und bins gewiß, daß Illyricus mit allerlei bösen unruhigen Handlungen nicht rasten noch ruhen wird, bis er ein Feuer anzünde. Dat. Witteb. Montag pos Invocavit 1557.

No. 6208. 9. Mart.

A. Hardenbergio.

Epp. ad Hardenberg. ep. 32.

D. Alberto Hardebergio.

S. D. Post Saxonicorum Legatorum abitum venerunt huc Megalburgenses legati: qui multo duriores conditiones pacis tulerunt. Respondi: malle me palam interfici, quam talibus decretis iugulari. Oro autem filium Dei, ut ipse, qui est *λόγος* aeterni patris vivens, opituletur veritati, quam ipse patefecit. Si procedet colloquium, quod Mense Augusto *Wormatiae* instituendum est, necesse erit, etiam *τῆς ἀρτολατρείας* mentionem fieri. Ad id tempus velim te adesse: teque oro, ut cum videas, quanti sint impetus hominum, illum conventum expectes. Bene vale. Die 9. Martii.

Philippus Melanthon.

---

3) i. e. d. 6. März.

4) Daniel Gräser.

No. 6209. 9. Mart.

Ioachimo Pr. Anhalt.

Becmanni access. hist. Anhalt. p. 120. Apographon in cod. Galli II. p. 239.

An Fürst Joachim zu Anhalt.

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Sohn Jhesum Christum unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer, der ihm gewißlich ein ewige Kirchen der menschlichen Geschlechte durchs Evangelium sammlet, zuvor, Durchlauchtiger Hochgeborner gnädiger Fürst und Herr. Ich habe die ganze Schrift, die mir E. F. Gn. zugesandt, gelesen und etlich Puncten dabey verzeichnet, wie E. F. Gn. sehen werden. Und acht ich ganz nöthig, daß E. F. Gn. dem Rath zu Meidburg diese Anzeigung thun lassen. Und wiewohl mir auch gefällt, daß diese Anzeigunge allein mündlich geschehe, gleichwol so sie die Schrift begehrten und *Illyricus* hernach seine Glossen darüber machen wollte, ist solches nicht zu scheuen. Denn des *Illyrici* Gift und Heucheley wird täglich besser erkannt, und so das Colloquium zu Worms fürgenommen wird, dieweil da vieler Chur- und Fürsten, und Städte Prädicanten zusammen kommen werden, wird davon auch geredet werden. Hat er doch nicht einen Artikel in der Lehr erkläret, sucht nur Calumnias und Lästerungen, und hilft auch Heucheley und Irthum stärken, davon zu seiner Zeit auch zu reden seyn wird. Und wiewohl ich weiß, daß E. F. Gn. dieses sehr wehe thut, daß der Hochlöbliche Fürst, E. F. Gn. Herr Bruder Fürst George Sel. Gedächtnis, also fälschlich und lügenhaftig gelästert wird*) und thut solches vielen frommen Leuten wehe, so wollen doch E. F. Gn. dem Schmerzen widerstreben, und nicht zweiflen, Gott wird mit der Zeit die Lästerer strafen. Ich habe dergleichen Anfechtungen nu bey dreyßig Jahren gehabt, und hat mir dennoch Gott gnädiglich ausgeholfen, da man mich zu Gefängnis hat einziehen wollen etlich mahl. Wer in solchen großen Sachen zu thun hat, findet solcher Leute Widerstand, die ihr eigen Vortheil suchen. Der allmächtige Gott Vater unsers Heilandes Jhesu Christi wolle E. F. G. an Seel und Leib stärken, und lange Zeit in glückseliger Regierung erhalten vielen Christlichen Menschen zu gut. Datum nono die Martii, 1557.

E. F. G.

unterthäniger Diener
Philippus Melanthon.

---

*) Cf. etiam epist. ad Ioachim. Anhalt. d. 15. Decbr. 1556.

No. 6210. d. aequinoct.

Ioach. Mollero.

Epist. lib. II. p. 524. (ed. Lond. lib. II. ep. 549).

D. Ioachimo Mollero

S. D. Clarissime vir, et charissime frater, Nuper fasciculum literarum *Henrici* fratris dedi doctori *Paulo ab Eizen*, cum nobiscum esset. Post eas literas nihil ab *Henrico* accepi, sed expecto ab eo literas quotidie. Nunc ad vos mitto orationem de Duce *Ernesto*, optimo Principe, quae etsi multo est tenuior, quam vellem: tamen ostendit studium nostrum, et pleniorem edere cupio, quam ad rem velim nobis facta et decreta aliqua insignia Ducis *Ernesti* mitti. Et tales commemorationes utiliores sunt iuventuti, quam Satyrae et *βωμολοχίαι*, quales nunc scribuntur a multis, qui passim *κροτοθορύβους* cient. Te oro, ut mihi rescribas. *Paxmannum* commendabis et socero et Principibus. Salutem opto et socero, et vobis omnibus. Datae die Verni aequinoctii. Bene vale.

No. 6211. d. aequinoct.

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camer. p. 714. (ed. Lond. lib. IV. ep. 856.)

Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo carissimo,

S. D. Etsi te iam expectabamus, dedi tamen *Crucigero* hanc brevem epistolam, cui adiunxi historiam de morte *Aeacidae* *), quam profecto non sine lacrymis legi, cogitans de communi hominum infirmitate, cum quidem multa exempla simul intuerer eorum, qui intra paucos annos in istius bellis perierunt. Precor autem filium Dei, ut nos gubernet, et tegat sua dextra nostras familias, quarum imbecillitas ipsi nota est. Cancellarium *Stratium* scribit mihi meus frater in aula Palatina esse. Erit ergo ibi arx, Asyli similis. In conventu pugnarunt Legati quorundam, ut *Polyphemi* filii inter collocutores essent, sed omnes alii ac praecipue *Charitini* eos repudiarunt. Bene et feliciter vale, die aequinoctii verni.

Philippus.

*) Alberti, Marchionis Brandenb.

No. 6212. d. aequin.

P. Rhodio.

Select. epist. p. 391. Epist. lib. I. p. 238. (ed. Lond. lib. I. ep. 77.)

Reverendis viris, eruditione et pietate praestantibus D. Paulo Rhodio, Pastori Ecclesiae Stetinensis, et inspectori vicinarum Ecclesiarum, et collegis eius, fratribus nostris colendis,

S. D.

Reverendi viri et charissimi fratres, Nulla vox neque in coelo neque in terris ardentior unquam audita est, voce Filii Dei, qua in agone suo precatus est, ut aeternus Pater et sanctificet Ecclesiam in veritate, videlicet, in Evangelii doctrina incorrupta, et ut faciat, ut unum in ipso simus. Veritatem et concordiam in Ecclesia Filius Dei vult et intelligi et retineri, ut in aliqua parte generis humani recte colatur Deus: ad huius summi Sacerdotis Filii Dei precationem et nostros gemitus adiungimus, et oramus Deum ut in vestris et nostris Ecclesiis servet et veritatem et concordiam; Et existimamus, vos in controversiis aliquot annorum cognovisse et voluntatem et labores nostros. Nunc quoque de controversia, quam movit *Balticus Gorgias*[1]), extant nostrae responsiones moderate scriptae, quas tamen et veras esse, et cum vestris iudiciis congruere non dubitamus. Consiliis et laboribus meis et Doctoris *Bugenhagii* constitutae sunt Ecclesiae vestrae, quare et doctrinae vocem in eis initio traditam, et benevolentiam erga nos tueri cupio, et cupiunt idem caeteri. Cumque viderimus disputationes cum *Artopoeo* habitas[2]), recte sentire vos iudi-

1) Osiander.

2) Quae cum *Artopoeo* Pastore Stettinensi, cui cum aliis etiam Paulus a Rhoda, concionator ibidem, contradixit, acta fuerint, ea uberius narravit *Salig.* in der Historie der Augsb. Conf. P. II. p. 1045 sqq. Artopoeus, quanquam confessiones ei propositae subscripserat, quum tamen denuo renovaret suas sententias, ab officio amotus, et a. 1557. ineunte Vitebergam missus est, ut Theologis ibidem suam traderet confessionem.

camus. Nec ab ea sententia discedemus, nec quicquam contra illam vestram sententiam unquam acturi et petituri sumus. Optamus enim aeternam harum Ecclesiarum concordiam esse, ut simul Deo gratias agamus in consuetudine coelesti in tota aeternitate. Hospes est apud nos senex *Artopoeus*, ac de dogmate semel omnino collocuti sumus, non sine contentione, postquam exhibuit nobis hanc confessionem quam mittimus. Etsi autem longiorem fortassis desideratis, tamen cum domi non fuerimus, nondum prolixe colloqui potuimus. Illud oramus, ut Illustriss. Principis piam voluntatem in eo iuvando in hoc exilio confirmetis. Scitis enim quam triste sit senem habentem infantum turbam abesse a suis, aut vagari a tali grege. Haec etsi sunt tristia et nobis magnum dolorem adferunt, tamen anteferri veritatem, et Ecclesiae vestrae tranquillitatem necesse est. Pie tamen faciet Illustriss. Princeps, si has aerumnas ei leniet, et vel sumtus dabit, vel collocabit eum in alio loco, sic tamen, ne a vobis dissentiat. Ipse quidem adfirmat, se non velle a vobis dissentire, nec defensurum aut excusaturum esse *Osiandri* dogma. Haec ad literas vestras nunc respondimus, ut, lecta hac *Artop ei* confessione, vestrum consilium cognosceremus. Bene et feliciter valete. Die verni Aequinoctii, Anno 1550.[3])

No. 6213. 14. Mart.

Iac. a Zizewitz.

† Ex autographo Melanth. in bibliotheca regia Berolin. Apographon huius epistolae accepi ab *Olshaus.* — Interim edita a Clariss. *Foerstemanno* ex eodem autographo in den Neuen Mittheilungen aus dem Gebiet historisch-antiquarischer Forschungen. Vol. I. Pt. 4. p. 137.

Clarissimo viro, nobilitate generis, sapientia et virtute praestanti Dom. Iacobo a Zizewitz, Cancellario inclyti Ducis Pomeraniae ..uo [suo] Patrono[1]),

S. D. Clarissime vir et patrone colende. Quod non solum optas, tolli dissensiones, sed etiam consilium ostendis, agnosco tuam pietatem erga Ecclesiam et erga me benevolentiam, ac tibi gratiam habeo. Si vidisti meas responsiones datas Saxonicis concionatoribus, spero te quoque iudicare, mihi non deesse studium pacis. Nec discedam ab illis conditionibus. Aula Megalburgensis tulit mihi duriores conditiones, quas breviter repudiavi. Nunc audio *Flacium* multa in dogmatibus reprehendere. Quid igitur de prioribus attinet conciliationes instituere? Potius expectemus reliquam telam, quam texit. Nec expeto[2]) societatem sycophantae, si calumniabitur doctrinae explicationem. Oro igitur, ne princeps Pomeranicus huic negotio admisceatur.

Adolescens *Aegidius*[3]) recte valet et discit. Doctorem *Andream* imbecillitas corporis non sinit iam peregrinationem suscipere, cui ut vires corporis et animi confirmet deus, toto eum pectore oro. Habet reliquias aulicae militiae satis periculosas. Bene vale. Die 14. Martii.

Philippus Melanthon.

3) In anno manifestus est error. Scripta est anno 1557.

1) Foerst. *Pomeraniae ac Patrono suo.*

2) Foerst. *expecto*, mendose.

3) Apogr. Olshaus. *Aegidius Beck.*

No. 6214. 25. Mart.

Testimon. de Eschfeldero.

Edita ex autographo tabularii Embracensis in programm. Pentecost. Regiomontano 1822. 4. p. 5.

Omnibus lecturis has literas S. D.

Sriptum est: esto pater orphano, tunc Deus magis te diliget, quam diligat te mater tua. Quid promitti maius potest amore Dei erga nos tanto, qui superat maternam *στοργήν*, quae est ardentissima. Hac invitati promissione libenter benefaciamus orphanis, praesertim honestis, piis et servituris reipublicae. Talis est hic *Iohannes Eschenfelder*, Sigensis, natus honesto patre, praetore Sigensi et avo celebrato ab *Erasmo Roterodamo* propter doctrinae studia et officia erga literarum cultores. Est autem eo magis laudanda huius *Eschenfelderi* virtus, quod in orbitate literas non deseruit, cum quidem et de patrimonio suo viveret. Fuit hic auditor *Antonii Walteri*, cuius excellens fuit eruditio et virtus, et ad latinae et graecae linguae studia adiunxit dialecticam, arithmeticam et initia philosophiae de natura rerum et de motibus coelestibus, et Ecclesiae doctrinam. Ac pietatem animi vera invocatione dei,

in agnitione et fiducia domini nostri Iesu Christi et honesta morum gubernatione declarat. Commendo igitur hunc modestum et studiosum adolescentem orphanum omnibus honestis viris, et eos oro, ut cogitantes de communi orbitate et Ecclesiae et omnium hominum magis sint officiosi erga orphanos modestos. Vidimus enim verae Ecclesiae deesse humana praesidia. Et nullus homo sine divina protectione tutus est; sicut psalmus inquit: *nisi dominus custodit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.*

Omnes igitur a Deo auxilium et defensionem propter filium mediatorem petamus. Datae anno 1557. die 25. Martii, quo die ante annos 1523 filius Dei in cruce victima factus est, quo die et Adam et Hevam scribitur creatos esse ante annos 5519.

Philippus Melanthon
manu propria.

No. 6215. 29. Mart. Lipsiae.

H. Langueto.

Epist. lib. II. p. 551. (ed. Lond. lib. II. ep. 573.).

D. Huberto Langueto

S. D. Clarissime vir et charissime frater, Quod benevolentiam erga nos tuam non extingui sinis, et debeo tibi, et habeo gratiam, teque adhortor, ut si nondum habes commodius hospitium, ad nostram familiam redeas, in qua scis te amicos habere, in quibus nihil est fuci, *Casparum* patrem et *Casparum* filium. Iudicio autem et hoc tibi significandum esse, me literis *Palatini* Electoris in patriam vocari, quo si proficiscerer, maxime velim te mecum esse, quia prudentiam tuam et fidem sperarem ibi mihi usui fore, et facile in aula *Palatina* locum inventurus esses. Nondum autem de profectione decrevi, quia et nostrae aulae cognoscenda est voluntas. Et quanquam *Flacianam* factionem non solum ultra *Harcinios* saltus, sed etiam ultra *Riphaeos* montes fugere cupio: tamen vides in hac tristi confusione generis humani ubique multum esse malorum ingeniorum et periculorum. Sed scies quidquid de profectione decretum fuerit. Exulibus *Gallicis* et *Anglicis* doleo meam intercessionem lenissime scriptam non profuisse apud *Fesulanos**). Quale sit regnum illorum, qui eis praecipue adversati sunt, non ignoras, quod homines modesti tranquillitatis publicae causa ferunt gementes, quorum exaudiet Deus vota et lachrymas. Expecto et flagito tuas literas. Haec scripsi *Lipsiae* apud *Camerarium*, cuius tibi literas mitto. *Casparum* generum meum hodie expectamus. Bene et feliciter vale. Die Martii 28.

No. 6216. 31. Mart.

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camer. p. 716 sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 859.).

Clariss. viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo carissimo,

S. D. Pridie Cal. Aprilis hanc epistolam scripsi, quo die anno a natali Christi 420. Hieronymus anno suae aetatis nonagesimo primo mortuus est in Bethlehem, quo fugerat et ipse Sycophantarum rabiem. Fugissem et ego in illa ipsa ἐρείπια, si familiam non haberem. Domum reversus statim *Maierium***) adii, quem cum viderem, magno dolore affectus sum. Postea mihi et mea coniunx aegrotans dixit, se quoque malle ex hac vita discedere, quam continuis morbis affligi. Caeteri recte valent omnes Dei beneficio.

De Repub. audio *Rippergum* equitem mihi notum ingenio seu Ulysseo seu Sinonio praeditum, exercitum Saxonicum colligere Gallico Regi, et minitari hostilia omnibus impedituris iter. Talis est privatorum licentia in hac ἀναρχίᾳ. *Albertum* tibi commendo. Scripsi et ego Administratori *Waldsassensi*. Bene et feliciter vale cum Ecclesia tua domestica.

Philippus.

No. 6217. 2. Apr.

Scholasticis.

Scripta publ. T. III. p. 69. — Melanthonem haec scripsisse Fasolto, nullum mihi est dubium.

---

*) i. e. *Vesaliensem* Senatum. Vid. d. 19. Nov. 1556.

**) Vid. infra scriptum d. 2. Apr.

Rector Academiae Witebergensis Melchior Fasolt.

Urbs est Celticae pulcherrima, *Aurelia*, cum aliis multis rebus celebrata, tum vero *Attilae* Hunnorum regis obsidione, cuius horribilis impetus cum funditus delevisset maximas urbes in Belgico et in Celtica, ad eam urbem primum repressus est. Fuerat pro urbe Aurelia deprecator senex Episcopus *Anianus*, sed spreta eius deprecatione Attila tentata oppugnatione urbem capere et delere conatus est. Ibi cum in muro stans *Anianus* precationem diceret inspectantibus hostibus et civibus, subito tonitrua orta et fulmina de coelo missa multos hostes in fossis et in scalis interficiunt, et Attilam consternatum avertunt; qua occasione *Aetius* Dux cum videret dissipari exercitum Attilae, subito adortus palantes et trepidos, magnam multitudinem trucidavit. Fugit*) igitur Attila cum reliquiis et infelicem obsidionem deseruit. Ita propter Aniani et aliorum preces urbs Aurelia divinitus servata est, et pulsus tyrannus, quem nulli exercitus antea vastantem Germaniam et Galliam reprimere potuerant, cum quidem trecenta millia hominum secum traheret.

In ea urbe Aurelia natus fuit *Andreas Maierius*, et ibi inter doctissimos homines latinam et graecam linguam didicit. Postea Lutetiae philosophica studia adiunxit, et cum audiret et consideraret genus doctrinae, quod ibi Theologi et docent et propugnant, tamen quia linguae graecae et ebreae non erat rudis, fontes quaerebat. Cumque videret, interpretationes Sorbonicas dissidere a fontibus, quaerere sincerius doctrinae genus coepit, de quo postea multa Aureliae cum viro clarissimo, *Iacobo a Zizeviz*, qui nobilitatem generis sapientia, virtute et eruditione ornat, et nunc Illustrissimi Ducis Pomeraniae Cancellarius est, conferens, pie veritatem amplexus est. Ac patronum hunc virum nobilem et beneficum *Zizevicium* nactus, discessit ab idolorum cultibus et in Germaniam venit. Postea cum specimen eruditionis et modestiae ostendisset, Illustriss. Princeps Dux Pomeraniae *Philippus* voluit ab eo filios erudiri, inter quos maximus natu linguam latinam et Ecclesiae doctrinam ita didicit, ut recte loqui et scribere latinam orationem possit. Tandem cum militiam illam docendi in aula propter valetudinem reliquisset, in Academiam nostram rediit. Sed huc morbi initia attulit, male adfectum Epar, quod cum restitui non potuerit, hodie mane, saepe repetita invocatione filii Dei, placide decessit. Saepe morbi tempore de beneficiis filii Dei multa pie commemorans et sese confirmans dicebat: ut noctu iter facientes laetantur cernentes mane auroram, sic se laetari spe illius clarissimae lucis in coelesti Academia, in qua hanc sapientiam de Deo, cuius in hac vita discimus elementa, intuens Deum coram, plenius percepturus esset, et avide consuetudinem Dei et filii et totius agminis coelestis optabat, sicut Paulus desiderium ostendit inquiens: cupio dissolvi et esse cum Christo. Saepe etiam venturas dissensiones Ecclesiae deplorabat. In vere sequentis anni in Aprili rursus duae Eclipses erunt, sed maxime terribilis obscuratio Solis, cum in nona domo vicini erunt Sol, Luna, Saturnus et Mars. Hic positus ingentes confusiones Imperiis et Ecclesiae minitatur. Saepe igitur et gemitibus et votis petebat a filio Dei mitigationem publicarum calamitatum; deinde et se ipsum filio Dei commendabat. Non dubitamus igitur, hunc *Andream* in numero esse illorum, de quibus scriptum est: beati mortui, qui in domino moriuntur. Plena piorum officiorum vita in aula et deinceps fuit. Nec ei quicquam eruditis et piis sermonibus dulcius erat, et saepe amicos de rebus maximis gravissime seu commonefecit seu erudiit. Concordiam in nostris Ecclesiis non solum amabat, sed etiam suo loco arte tuebatur, ferebat iniurias, nec de omnibus negotiis pugnandum esse iudicabat, et saepe versus Nazianzeni recitabat, de his qui dissidia accendunt ut sibi potentiam quaerant:

ταῦτα μὲν οἷσι φίλον, καὶ κεκρώπων κράτος εἴη,
αὐτὰρ ἐγὼ χριστοῦ πλήσομαι ἀτρεμέων.

Et illud:

ἀλλήλοισι χέρες τε καὶ οὔατα καὶ πόδες ἐσμέν.

Tali et amico et commilitone orbati non possumus non dolere. Oramus autem filium Dei, custodem Ecclesiae suae, et ut calamitates publicas et privatas leniat, et ut nos gubernet, et multis bonis ingeniis det longa vitae spacia propter communem utilitatem.

Nunc vero hortamur scholasticos, ut ad funeris ceremonias hodie hora quarta conveniant, ubi singuli vitam suam et Ecclesiam et hospitia Ecclesiae Deo commendent. Die secundo Aprilis. Anno 1557.

*) Textus: *fuit.*

No. 6218. 3. Apr.

Ge. Buchholzero.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Georgio Buchholzero, Pastori Ecclesiae Dei in urbe Arctoa.

S. D. Reverende vir et cariss. frater. Etsi nunc in multis locis grassantur fames et bella, tamen sequens annus multo maiores calamitates adferet. Erunt enim horrendae Eclipses solis et lunae, et dissidia opinionum et prophanitas hominum attrahent poenas. *Thammerus*, qui Mahometicas seu ethnicas opiniones spargit, vagatur in dioecesi Mindensi, quem publicis suppliciis magistratus politici adficere debebant. Interea nostri vicini, de ipso tacentes, litigant de adiaphoris. Sed oro Deum, ut nos gubernet et protegat. Scribere prolixius festinante tabellario non potui. Bene valete et rescribite. Die 3. Aprilis. Mitto vobis duo exempla concionis *Matthesii*, quorum alterum potestis dare Illustrissimo Principi.

Philippus.

No. 6219. (fere d. 3. Apr.)

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camerar. p. 717. (ed. Lond. lib. IV. ep. 860.).

Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camer. fratri suo carissimo,

S. D. Etsi gratulor *Maierio*, felicem migrationem ad celestem Academiam, qualem et ego opto, tamen orbatus amico, viro docto et candido, non possum non dolere. Oro autem filium Dei, ut nos gubernet. De *Alberto* misso in arcem Voburgicam, quae metuis, mihi quoque solicitudinem afferunt, ac mallem Borussiacum, quem initio indicavi, eo profectum esse. *Henricus* concionator Heidelbergensis eum laudat in litteris, quas nuper accepi, quibus me hortatur, ut in patriam veniam. Ego malim sequi *Maierium* ad communem patriam, quia video certamina et dissidia crescere. Mitto epistolam Hungaricam, quam hodie accepi. Sanctae Matronae tuae coniugi mitto concionem *Matthesii*. Bene vale.

Philippus.

No. 6220. 4. Apr.

Hier. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 224 sq. Hic ex autographo in cod. Monac. I. p. 219.

Hieronymo Bomgartnero, Senatori inclyt. urbis Noribergae.

S. D. Si quid haberem ἀξιόλογον de his regionibus, significarem. Tantum hoc audio, ut olim in Graecia spargebatur aurum Persicum, ita nunc in litore Baltico ad conducendas Equitum et peditum copias spargi aurum Gallicum et Belgicum. Turcicae minae ibi ridentur. *Henricus Brunsvicensis* est in specula, ut impediat concursationes. Sed metuo si quando seditiosum agmen convenerit, fore ut totam viciniam populetur. In hac ἀναρχίᾳ quantum sit licentiae, vos quoque et experti estis et quotidie cernitis. Teneamus autem hanc veram consolationem; Filium Dei custodem esse sui coetus, quem imperia regere non student.

Haec scripsi cum ad alias aerumnas mihi etiam novum dolorem addidisset interitus eius viri, de quo pagellam mitto, quem propter eruditionem, pietatem et eximium candorem valde dileximus, ego et alii multi. Sed adflixerat vires corporis ipsius aula Pomeranica, in qua Principes adolescentes docuit.

Si *Fabricii* filium istic a ministerio Evangelico removetis, offert se vobis *Laurentius Dürrenhofer*, natus ex *Petreii* Typographi vestri coniuge; cuius ingenium bonum esse iudico, et minus κοῦφον, quam est *Fabricii*. Genus doctrinae *Laurentii*, formam expositionis, vocem et pronunciationem laudant, qui hic concionantem audiverunt: Et concordiae tuendae studiosum fore spero. Bene et foeliciter vale. Oro filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut vestram Ecclesiam publicam et urbem et tuam Ecclesiam domesticam servet et protegat. Die Ambrosii*).

Philippus.

---

*) Alia manus adscripsit: 1557.

No. 6221. 5. Apr.

U. Mordeisen.

Epist. lib. V. p. 160 sq. a Sauberto edita. Hic ex autographo in bibliotheca Orphanotroph. Halens.

Ulrico Mordisin, Doctori Iur., inclyti Ducis Saxoniae Electoris Consiliario, patrono suo colendo.

S. D. Clarissime vir, et Patrone charissime. Existimo vos scire, colligi magnum agmen equitum et peditum in vicinia Bremae. Nec certum est, quorum consilio res gubernetur, etsi ego eosdem esse puto, qui vivo *Marchione Alberto*, his regionibus minitati sunt. Oro Deum, ut nos protegat, et spero vos futuros esse in specula.

Mitto epistolam Ducis Electoris *Othenrici*, quo *Heidelbergam* vocor ad tempus, ad deliberationem de Academia. Necesse fuit me hoc indicare Illustrissimo Principi, Duci Saxoniae Electori. Mihi quidem multa contraria in mentem veniunt. Non appeto plura et aliena negocia. Et scio Heidelbergae magnam esse voluntatum dissimilitudinem, et diversarum Nationum homines, Belgas, Gallos et alios. Est et opinionum diversitas. Etsi igitur Patria est, et scio ibi quosdam viros doctos et candidos esse, quorum mihi consuetudo suavis esset, tamen migrationem non appeto. † Contra vero propter *Flacianae* factionis furores haec commoditas offertur, quod in ea loca venire possem, in quibus liberius respondere istis rabiosis et indoctis possem. Nec vero dubium est, quin proxime veniens annus habiturus sit maiores tumultus in imperiis et opinionibus, quam fuerunt hactenus, quos deus mitiget." *) Mitto vobis epistolam heri ex Hungaria allatam, quae narrat duos fortes viros sophistice retractos esse, cum promissa esset eis fides publica. In tantis confusionibus Orbis terrarum nescio, quid praeterea in epistolis addere possim. Sed oro Filium Dei, ut nos gubernet et protegat. Oro autem, ut et responsionem Illustrissimi Principis mihi significetis, et vestram sententiam de profectione mea in Patriam ostendatis. Bene et feliciter valete. Die 5. Aprilis 1557.

Philippus.

*) Totum hunc locum praetermisit Saubertus.

No. 6222. 7. Apr.

Ioach. a Gersdorf.

Ex autographo edita in den Unsch. Nachr. Jahrg. 1738. p. 27.

Nobilitate generis, sapientia et virtute praestanti Ioachimo a Gersdorff, Consiliario inclyti Saxoniae Electoris, Domino Patrono suo colendo,

S. D. Videtis imperia ruere, sed filius Dei suam cymbam servabit. Ideo recte facitis, quod hominem idoneum ad docendum Evangelium quaeritis. Misi igitur ad vos hunc honestum et doctum virum, filium concionatoris Brunswigensis, quem, si gubernabit Ecclesiam vestram, spero recte facturum officium. Coniugem habet honesti civis Torgensis filiam. Fui igitur hortator, ut ipse locum et officii circumstantias videat, et vos eum coram videatis, ut mea consuetudo est, utrisque permittere, ut suo arbitrio constituant. Commendo autem eum vobis, et oro, ut propter Deum ei benevolentiam vestram erga nos scholasticos declaretis. Nomen est ei *Iohannes Gudenus*. Et quamvis est iuvenis, tamen honestate, pietate, et eruditione sarcit id, quod in aetate desideratur. Non dubito, vos probaturos esse eius modestiam et in officio diligentiam.

Res Hungaricas existimo vobis notas esse. Sed venientem annum magis metuo, quam hunc annum. Saxonica gens nunquam quievit neque quiescet. Nunc scitis in vicinia *Bremae* exercitus esse. Utinam illi tumultus non negligantur. Sic scripsit Sidonius Arelatensis, vir doctus, tempore Theodosii: *nihil est truculentius hoste Saxone.* Sint igitur vigilantes principes vicini. Bene valete. Die 7. Aprilis anno 1557.

Philippus.

Mitto pagellas; quaeso, ut *Gudeno* adiungatis aliquem, ut locum videat, et constitutis *) possit et vobis suam voluntatem exponere.

*) Praetermissum hic videtur aliquid; fortasse: *constitutis a vobis condictionibus.*

No. 6223. 7. Apr.

M. Collino.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54 [3].

Matthaeo Collino, in Academia Pragensi.

S. D. Clarissime vir et cariss. frater. Scrbit Demetrius Phalerensis, Aristotelem dicere solitum, si quid prolixiorem expositionem poscebat: *ταῦτα μὲν οὐκ ἔστιν ἐπιστολικά.* Possem idem dicere *περὶ διαλλαγῆς,* quam instituerunt quidam, ut fierem supplex *Flacio.* Ne id quidem recusarem, si veritatem amant. Sed nec aperit se, quid sentiat de maximis rebus, et recte tradita labefactat praestigiis sophismatum. Ideo societas eius non est appetenda. Eduntur iam legatorum acta in urbe Parthenope, ubi addentur *βλακικὰ* emblemata, quae leges, quia video tales delicias appeti. Sed omitto haec, teque oro, ut nostrae amicitiae memoriam non sinas in animo tuo extingui. Scis graecum versum celebratum a vetustate: *ἅπαν τὸ χρηστὸν τὴν ἴσην ἔχει φύσιν.* Scriberem et clarissimo viro d. *Mattheolo* et *Proxeno,* si concessisset plus temporis nuncius. Sed te oro, ut reverenter eis salutem dicas meis verbis. Bene vale. Die natali Platonis *) 1557.

No. 6224. 10. Apr.

Iac. Bordingo.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Iacobo Bordingo, doctori artis medic. in inclyta Academia Rostochiana.

S. D. Clariss. vir et cariss. frater. Apud Pindarum est senis Nerei praeceptum: virtutem etiam in inimicis laudandam esse; quod recte dictum esse eo **) indico: Cum virtus Dei opus sit, ubicunque est, quisquis eam non probat Deo adversatur. Cum igitur sciam, te non solum eximiis naturae bonis a Deo ornatum esse, sed lucere in te illas etiam virtutes, quas filius Dei voce Evangelii et Spiritu sancto accendit, facerem iniuste, si illa pulcerrima Dei opera non venerarer. Non igitur iudicium de te meum mutarem, etiamsi voluntatem tuam a me alienatam existimarem. Sed nec inimicum te esse iudico, nec meam erga te benevolentiam extingui sinam. Nec de decreti vestri asperitate tecum disputabo. Non solum legi vetera exempla civilium dissensionum, sed novi ipse praestantissimos viros, qui iniquis iudiciis oppressi sunt. Quare cum similia mihi accidere possint, animum praeparo ad ea ferenda quae patienda erunt, et Deum oro, ut me gubernet. Sed tamen miror, mihi non ut civi, sed ut hosti, conditiones latas esse, praesertim cum adhiberi *ἐπιείκειαν* petiissem. Tuli hactenus iniurias non leves, de quibus eo non respondi, ne maiora dissidia orirentur. Sed si rabies inimicorum tandem me respondere coget, dicam Deo iuvante et grata piis et insuavia istis, qui non quaerunt veritatem, sed arte se ad potentum adfectus inflectunt. Te autem oro, ut pro tua excellenti sapientia in hac causa, de qua multa coram dicere possem, potius naturae tuae moderationem, quam aliena iudicia sequaris, nec benevolentiam erga me tuam abiicias. Commendo tibi adolescentem *Boscelium,* dignum bonorum favore et auxiliis, ac mea ei officia non defutura sunt, ubi primum Deus occasionem ostendet, qua tradi ei vel schola vel munus docendi in Ecclesia poterit. Amisimus hic virum doctum et tui amantem, Aureliensem *), de quo pagellam tibi mitto. Bene et feliciter vale. Deus servet totam Ecclesiam tuam domesticam. Die 10. April.

*) Is fuit secundum Calendar. Eberi d. 7. Aprilis.

**) eo] fortasse: *ego.*

No. 6225. 10. Apr.

H. Buscoducensi.

Edita in der Dänischen Bibliothek T. IV. p. 174. (Danz.)

Ad Henricum Buscoducensem.

Reverende vir et carissime frater. Scio gratam esse Regibus ac Principibus nunciorum celeritatem, ideo non remoror properantes. Heri mecum fuit adolescens nobilis: sed eodem die hinc abiit. Hodie venit huc *Nicolaus*, alas habens in pedibus, ut Mercurius. Properat eodem modo, ut ille heri, et cogitat hodie pergere. Scribam igitur per alios copiose de quaestionibus, quas misisti. Historica haec heri accepi. In Italia certum est Gallicos exercitus esse progressos ad Boloniam usque, sed fame dissipatos. Papa rece-

*) *Aureliensem* rescripsi pro *Anialensem*, ut habet apographon. Est Andreas Meirerius Aureliensis, ut docent Scripta publ. Acad. T. III. p. 69 sqq.

pit oppida, quae *Albanus* occupaverat. *Albanus* Neapoli aegrotat. Turcam tyrannum regressum esse Constantinopolim certum est. Ante tres horas exemplum litterarum misi Anhaltino. In vicinia *Bremae* exercitus est, quem dissipare conatur dux *Henricus Brunsvicensis*: nescimus, an Gallicis aut Belgicis stipendiis conductus sit. Spero harum regionum Principes in specula esse, ne has regiones populentur. Deus protegat harum regionum Ecclesias et Ecclesiarum hospitia. Mitto pagellas, quae ostendunt academiae studia ac pacem. Bene vale. Nunc plura scribere, propterea quia nuncium remorari non volui, non poteram. die 10. Aprilis 1557.

Philippus.

No. 6226. 10. Apr.

Commonefactio de Thammero.

„De Thammero vagiente in Diocesi Mindensi commonefactio, Vuitebergae edita anno M. D. LVII. 1. pl. 8." — Praemissi sunt versus hi:

Epigramma.

Haec te qui monitum vult lector amice, salutem
 Diligit ille tuam diligit ille suam.
Nec tam fortis equi, quamvis animosus, amore,
 Quam studio verum, flagrat, amante Deum.
Si tamen haec pietas deliri in tempora secli
 Incidit, atque suos sustinet aegra dies
Iudicium, praesens quo semper claudicat aetas
 Sincerae melius posteritatis erit.
P.(etrus) V.(incentius) Vratislav.

Christiano et pio Lectori S. D.

Thammerus homo rabiosus et fanaticus, quem vagari audimus in Diocesi Mindensi, aliquanto iam tempore et scriptis et viva voce contra doctrinam Evangelii in Ecclesia evomuit blasphemias, quae refutandae sunt non tantum disputatione aut scriptis, sed etiam iusto officio pii Magistratus. Summam doctrinae ipsius (si tamen doctrinae appellationem tanta impudentia, tantus furor, tanta rabies meretur) et praecipua capita typis evulgavimus, nihil quidem veriti, ne ulli homines sani, etiam inter caeteros doctrinae Ecclesiarum nostrarum adversarios, absurdissimae hominis ad flagitium usque insani adsentirentur vanitati, ne dicam, an diabolicae impietati, Sed primum omnium, ut publica voce testatum faceremus, nos a Thammeri furoribus toto pectore abhorrere, et eos expresse damnare, deinde ut, cognita flagitiosi hominis impudentia et audacia, pii omnes toto orbe terrarum considerent ista nostri seculi tam effrenis licentia et impunitas convellendi dogmata tradita expresso Dei verbo, et in nostris Ecclesiis beneficio filii Dei, λόγον ἀϊδίου πατρὸς recte explicata, quo tandem prorumpat et evadat impietatis. Cum autem in editis ab ipso autore libris multo horribiliores blasphemiae extent, quam quae his pagellis recitantur, nos quidem horribile organum diaboli Thammerum ita rabiose conspurcantem fontes doctrinae Evangelii contra suam ipsius et applausorum, si qui sunt, conscientiam, indignissimum esse, adversus quem vel scriptionis vel refutationis verborum in manifestis blasphemiis opera sumatur, non dubitamus, communi totius Ecclesiae consensu iudicari. Vetat enim filius Dei preciosissimam verbi sui gemmam porcis et rabiosis canibus obiici, nec soli Timotheo praecipit Paulus, sed toti Ecclesiae, ut a fanaticis seductoribus, qui non acquiescunt sanae et piae doctrinae Christi sed mentis perversitate absorpti, et religione ad questum vel ambitionis vel ventris causa abutentes, blasphemas λογομαχίας spargunt, tanquam ab αὐτοκατάκριτοις aversa sit. Sed crescente indies scelerata petulantia levissimorum ingeniorum, Principes, qui confessioni doctrinae Evangelii sese coniunxerunt, memores esse debebant officii sui in cohercendis post legitimam cognitionem blasphemis et omnibus palam et contumaciter in Deum et adversus Evangelium contumeliosis. Hoc enim est quod ipsis praecipitur Psal. 2.: et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram, servite Domino. Et Proverbiorum 28.: aufer impietatem a vultu Regis et firmabitur iusticia thronus eius. Neque enim, si Magistratus politici non possunt evellere ex perversorum hominum mentibus impias de Deo opiniones, ob eam causam externorum etiam delictorum cum Decalogi praecipua parte et Evangelio pugnantium impietatem concedere oportet, quin doctrinae perversitatem et blasphemias severissime prohibeant et puniant, cum propter gloriam Dei, tum exempli causa, ne malum pestiferum seu*) contagio et licentia noceat pluribus. Quod quidem gubernatores pios non modo in populo iudaico, sed aliarum etiam Reges gentium cognita vera de Deo doctrina legimus fecisse sedulo, ut adversus Deum contumelias sanctissimis

---

*) *seu*] scripsi pro mendoso *sui*.

edictis et gravissimis poenis coercere studerent. Ut Danielis de Nebocadnesare et Dario Medo abunde testantur historiae. Dedit vero et Genevensis Reipub. Magistratus ante annos quatuor punitae insanabilis blasphemiae adversus filium Dei, sublato *Serveto* Arragone pium et memorabile ad omnem posteritatem exemplum.

Hanc piam curam tollendi Alastoras et professionem impiorum dogmatum, quae adversus Deum palam contumeliosa sunt, si Principes et Magistratus aut ad se minus pertinere, aut sibi licere arbitrantur ociosos spectatores esse prophanati Evangelii et nominis divini contumelia adfecti in suis territoriis, non solum officii sibi divinitus commissi praecipuam partem non intelligunt, sed etiam sui periculi ignorant magnitudinem, dum alieni sceleris et socios se et reos faciunt.

Debebant autem meminisse gravissimae irae Dei, quam sibi perpetua omissione praecipui officii cumulant, et atrocissimarum poenarum, de quibus concionatur vox divina inquiens 1 Reg. 2.: glorificantes me glorificabo, et contemnentes reddam contemptos. Et Zach. 10.: super pastores populi iratus est furor meus. Sed in omnium manibus sunt Dei beneficio Prophetici et Apostolici libri, et extant nostrorum hominum de ea re uberiora scripta. Hanc vero commonefactionem addidimus publicationi errorum, vel potius insaniae Thammeri, ut extaret Ecclesiarum nostrarum de homine flagitiose impio et adversus Deum scelerato iudicium, et publice constaret, nos furores eius, ut par est detestari loco nostro, eosque ut voce divina et omnium Doctorum scriptis in Ecclesia Dei iam dudum damnatos execrari. Oramus autem filium Dei *λόγον ἀΐδιον ἀϊδίου πατρὸς,* custodem Ecclesiae toto terrarum orbe, ut nos omnes luce verbi sui gubernet, et vasa misericordiae salutaria Ecclesiae et nobis faciat, ac reprimat diabolum impellentem organa sua ad maledicendum Deo, Evangelio et Ecclesiae, et glorioso suo adventu, quem laeti expectamus, finem faciat tristissimarum in genere humano confusionem. Witebergae die Aprilis 10. Anno a Christo nato supra millesimum quingentesimum quinquagesimo septimo.

Capita errorum Theobaldi Thammeri Mindae in summa aede Evangelium Dei infideliter docentis.

1. Sola fides, quae nititur promissionibus divinis de gratuita misericordia Dei propter Christum, non iustificat peccatorem. — 2. Bona opera seu praestatio officii est vera fides, haec salvat, non illa. — 3. Christi nativitas, meritum, crux, mors, resurrectio, ascensio, non sufficiunt ad iustificationem peccatoris. — 4. Peccatorum omnium maximum est occisum esse filium Dei, statuere autem hoc maximum peccatum tibi imputari ad iusticiam, extrema insania est. — 5. Christus non est ideo mortuus, ut vel tibi vel mihi eius mors vel resurrectio ad iusticiam imputetur. — 6. Sed per hoc Sacramentum, id est, mortem suam, maximum peccatum ipse patefecit. — 7. Per Christi mortem maximum peccatum innotuit, ut nos illud porro fugiamus. — 8. Per resurrectionem eius summa iusticia illuxit, in qua si iuxta exemplum Christi vixerimus, nos quoque resurreximus, et vere Christiani sumus. — 9. Fateri nos esse massam peccati, atque adeo quicquid in nobis est, nihil posse aliud nisi peccare, est doctrina perversissima. — 10. Nemo ex sacra scriptura probare poterit, nudam fidem, vel alienam iusticiam, aut externum aliquod meritum nobis imputatum iustificare. Nam Deus esset *προσωπολήπτης* acceptor personarum, si nobis impiis et malis existentibus iusticiam imputaret, et non potius unumquemque ex operibus iudicaret. — 11. Quemadmodum unusquisque posteaquam Christianus factus operatus est, sive bonum illud fuerit sive malum, ita iudicatur, non iuxta meritum Christi, quod ille sibi vult reservare, et non tibi aut mihi imputare, hic nulla est imputatio. — 12. Per nudam aut solam fidem nullum fit discrimen inter Turcas, Iudaeos, Gentiles et Christianos, sed per veram fidem, quae est praestare suum officium, seu fidere, Glauben leisten. — 13. Caro seu humanitas Christi facit solummodo ad agnitionem voluntatis divinae, ad salutem seu vitam nihil prodest. — 14. Deitas vero et spiritus, ubi iuxta eiusdem doctrinam ad gloriam Dei operatus fueris, vivificat. — 15. Si porro patri usque ad mortem obediens fueris, tuamque crucem portaveris, ac tuum officium feceris, quemadmodum Christus tibi exemplum praebuit suumque officium fecit, iustificatus es. — 16. Si Christi externum meritum per nudam fidem nobis applicatum sufficit ad iusticiam, ad quid tot sententiae, quae de bonis operibus concionantur, nobis praescriptae sunt. — 17. Vir non est caput uxoris, quia vir et uxor una caro sunt, ideoque et *coniugium* vocatur, ut sit idem velle et idem

nolle inter eos, atque una rem domesticam administrent, et aerumnas perferant. — 18. Melius est sacerdotem domi alere concubinam, quam vivere in legitimo coniugio, et aliam post aliam ducere. — 19. Lutherani non intelligunt, quid sit Lex et Evangelium, quid autem Christus vel fides sit, penitus ignorant. — 20. Per nudam fidem et mortuam literam tantopere sunt fascinati et excoecati, ut omnino sibi persuadeant, sua mendacia esse divinam veritatem, aurique spumam et feces esse purum putum. — 21. Lutherana doctrina de sola fide revera est Antichristi doctrina. — 22. Omne peccatum contra conscientiam est peccatum in Spiritum sanctum. — 23. Homicidae, latrones, fures, adulteri, scortatores etc. etiam post ultimum supplicium, quo mundo tantum satisfit, non autem Deo, nunquam remissionem peccatorum consequuntur, sed aeternis poenis afficientur, horum autem poenitentia nihil eis prodest.

Theobaldus Thammerus in der Apology, wider M. Hartmann Beyer.

Lache du und spotte mein wie du willt, heiße mich auch einen Gänsdoctor und Bärenringer darzu, so will ich mehr aus Aristotele lernen denn die ganze Welt kann oder vermag aus des Luthers verkehrte teudsche Bibel lernen, welche nichts denn Ketzerisch, Rotten, Secten, Aufruhr, und Mord mit ihren verblümbten Worten, wie jederman kund und offenbar ist, gebiehret, und wo sie nicht bald abgethan, noch viel mehr gebähren wird. Ich zweifel auch ganz und gar nichts, diese Bibel sey des Antichrists leibliche Mutter, und der Sola fides sein Vater, Luther die Obstetrix und Wehemutter, ihr seine Discipel und Jünger die Säugammen, eure hohe Schulen des neugebornen Königs Regenten, die Gelehrten seine Ritterschaft, so ihm zu Hofe reiten, die euch zuhören und dieser falschen Lehre Gehorsam leisten, seine Unterthanen, durch welche er solchen Gewalt und Tyranney erhält und bestätiget. Der Herr wölle Vater, Mutter und Sohn mit dem Geist seines Mundes stürzen, und durch seine heilsame Zukunft abthun.

No. 6227. 12. Apr.

D. Chytraeo.

(Ex Dav. Chytraei epistolis p. 1216.)

Dav. Chytraeo.

S. D. Doctissime Vir et cariss. frater. Quod ipse filius Dei in agone aeternum patrem orat, ut faciat, ut et sit Ecclesia ipsum recte invocans, et ut sit unum in ipso, idem nos maxime optemus. Silet iam in nobis studium tuendae coniunctionis. Gaudeo *Tilemannum* *) fore Rectorem studii doctrinae in nostra patria, et filium Dei oro ut eum gubernet. Misi tibi literas aulicas per *Henricum* aurigam, de quibus mihi ut rescribas, peto, quia et aulae Palatinae et tibi ostendere cupio, me fideliter officio functum esse. Nunc et *Palatinarum Ecclesiarum formam* tibi mitto. Ostendendam Ill. Principi Duci *Iohanni Alberto* qui inde intelliget gratam fuisse aliis gentibus formam Ecclesiarum vestrarum. Expecto tuas literas. Bene vale. die 17. Aprilis.

Philippus.

No. 6228. 15. Apr. (h. a.?)

G. Buchholzero.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54 ³.

Georgio Buchholzero, Pastori Ecclesiae in urbe Arctoa.

S. D. Reverende vir et cariss. frater. Si mihi plus otii esset, non solum exempla epistolarum mearum describerem, sed etiam componerem eas accuratius. Sed manifestum est, quam parum sit mihi otii. Non habeo exempla epistolarum, quae mitti petis, sed nunc alias pagellas mitto, ac ostendi velim Illustrissimo Principi. Quam primum potero ad te colloquii causa expatiabor. Hunc hospitem virum et honestum Magistrum *Iohannem Caselium*, amicum meum, tibi commendo. Bene vale. D. 15. April.

Philippus.

No. 6229. 18. Apr.

U. Mordeisen.

Epist. lib. V. p. 177 sq.

---

*) Hessbusium.

Ulrico Mordisin, Consiliario Ducis Sax. Elect.

S. D. Clarissime vir, et Patrone charissime. Exposuit mihi Doctor *Georgius Cracovius* mandata vestra, ex quibus intelligo, placere Illustrissimo Principi, ne in Patriam proficiscar*). His mandatis obtemperabo. Non enim faciam contra voluntatem Illustrissimi Principis. Etsi quis hic mei usus esse potest, libenter velim ad huius coetus conservationem servire. Nec post bellum volui novam Troiam condere, nec ignoro, quantum in Patria difficultatis foret, condere quasi novam Academiam, etsi me quidam veteres amici valde orant, ne ipsis desim. Nunc autem vos oro, ut literas huius Academiae Illustrissimo Principi exhibeatis, et consilio et autoritate vestra ea, quae scripsimus, adiuvetis. Nos indicamus *Eberum*, *Esromum* et *Petrum Vincentium*, sine ullo privato adfectu, ac verissime utilitatis publicae caussa, quia et eruditi sunt et consilio valent, et sunt instructi eloquentia ac facultate scribendi, ut autoritatem Academiae addere possint. Quare eos commendo vobis ornandos, et oro Deum, ut has Ecclesias et earum hospitia protegat et gubernet. Bene valete. In Paschate.

Philippus.

No. 6230. 18. Apr.

A. Hardenbergio.

Epp. ad Hardenberg. ep. 64.

D. Alberto Hardebergio.

S. D. Reverende vir et carissime frater. Etsi in conventu Ratisbonensi decretum est de colloquio: tamen Episcopi statim contradixerunt, et sunt talia decreta *σχήματα πολιτικὰ λόγου*, ut nominant uterque Herodotus et Thucydides. Nec existimo ullos gubernatores istic tecum velle instituі disputationem. Pellitur e medio sapientia, vi geritur res. Oro autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut gubernet te et nos omnes. Si res ad disputationem deducetur, initio erunt veterum scriptorum expressa, luculenta, manifesta testimonia proferenda, de utraque quaestione *περὶ τοῦ πανταχοῦ, καὶ περὶ τῆς ἀρτολατρείας*. Ac urgenda est regula: Nihil extra usum habere rationem Sacramenti. Petes autem ut ex Academiis aliqui vocentur. Bene et feliciter vale. In Pascate Anni 1557.

Philippus.

*) Vid. ep. ad Mordis. d. 5. Apr. h. a.

No. 6231. 18. Apr.

Praefatio.

Praefatio praemissa libro: Eine Trostpredigt über dem Begräbniß der Edlen Erbarn Frawen Brigitten von Miltitz rc. durch Sebastianum Bock von Finsterwalde. Mit einer Vorrede Phil. Melanth. Witteberg 1557. 8. (Habetur hic liber in bibl. Norinb., ex quo mihi praefationem descripsit S. V. *Rannerus*.)

Vorrede Philippi Melanth.

Eine edle tugendreiche Frau, genannt Sabina, ist von wegen christlicher Bekenntniß zu Rom in Kerker gezogen, wiewohl sie die Zeit schwanger gewesen und Schmerzen geklaget, spricht der Hüter, dem die Gefangen befohlen waren, so sie jetzund in der Geburt also kleinmüthig sey, werde sie viel kleinmüthiger seyn, so man sie über drei Tage von wegen ihres Glaubens zum Tod führen werde. Darauf antwortet sie bald: jetzund in der Geburt sey sie schwach und voll Schmerzen, denn dieses Leiden sey ihr eigen als eines Weibes, das den Frauen von wegen der ersten Sünde aufgelegt sey; aber hernach werde sie nicht leiden als ein Weib, sondern der Herr Christus werde leiden, der stark und unüberwindlich sey, denn da werde sie nicht von wegen ihrer Sünden, sondern zur Rettung göttlicher Ehre und Wahrheit vorgestellet, und werfe dasselbige Leiden ganz auf den Herrn Christum.

Diese Antwort ist wohl zu merken, und ist wahr, daß ein großer Unterschied ist zwischen unsern Leiden in Straf unsrer Sünden, und dem andern Leiden in der Bekenntniß. Denn eine rechte Sach, und sonderlich Bekenntniß göttlicher Wahrheit giebet großen Trost und große Freud dem Herzen. Denn zu diesem hohen Gottesdienst, zu Gottes Ehr, und zu vieler Menschen Seligkeit, und zu widersprechen den Teufeln und seinen Gliedmaßen, die Gott lästern, sind wir vornehmlich berufen. Auch ist gewißlich Gott selbst in diesen Menschen, welche in diesem ernsten Streit rechte Lehre be-

kennen, und giebt ihnen Stärke und Freude, denn er ehret seine eigene Sache, und will sie selbst erhalten, und ist keiner Creatur Macht also gewaltig, dadurch Gottes rechte Erkenntniß möge erhalten werden. Darum wirket er selbst gewaltiglich, und will also seine Gegenwärtigkeit in seiner Kirchen beweisen. Also spricht er Esaiä 48.: um meinen Willen, ja, um meinen Willen will ichs thun, daß ich nicht gelästert werde, denn ich will meine Ehre keinem andern lassen; und Matth. 10.: seyd nicht ängstig, was ihr reden sollt &c., ihr seyds nicht, die ihr redet, sondern der Geist eures Vaters ists, der in euch redet; und sind dieser Verheißung sehr viel, die in Sonderheit reden von der Hülfe in der Bekenntniß zu Erhaltung der Sachen.

Dabei aber ist gleichwohl dieses auch zu wissen, daß Gott auch in andern Leiden helfen will den Personen und Sachen in ordentlichem Beruf, obgleich das Leiden eine Strafe ist, als: einer gottfürchtigen Mutter in der Geburt, einem gottfürchtigen Kriegsmann in der Schlacht in rechten Sachen, einem löblichen Regenten in mancherlei Anfechtung und Verfolgung, die vorfällt, Recht und Schutz zu erhalten, einem treuen Hausvater in täglicher Sorge, Armuth, Krankheit und mancherlei Elend der Kinder. Diese Anfechtungen im Beruf gehören alle in diesen Spruch im Psalmen: befehl Gott deinen Weg, und vertraue auf ihn, so wird er selbst der seyn, der es schaffen und ausführen wird. Und soll diese nöthige Regel des Lebens täglich betrachtet werden, nämlich daß wir in unserm Beruf treulich dienen sollen und Gott um Hülfe bitten, und nicht zweifeln, Gott wolle helfen, Rath und Stärke geben, wie der Psalm auch spricht: die andern trauen auf Wagen und Pferde, wir aber wollen Gott anrufen. Darum sollen wir wissen, daß Gott auch in diesen gemeinen Leiden im Beruf will angerufen werden, und will bei uns seyn, und will gnädiglich helfen, wie viel Historien, uns als Zeugniß vorgeschrieben, beweisen. Also hilft er im Beruf dem Samuel, David, Josaphat, Ezechias, Josias &c., und müssen alle Menschen, die Gott recht anrufen, bekennen, daß sie in ihrem Leben in mancherlei Fährlichkeit Gottes Gegenwärtigkeit und Hülfe erfahren, und müssen alle schreien wie Jacob: ich bin viel zu gering gegen deinen großen Gaben.

Dagegen aber spricht die menschliche Vernunft, die voll Zweifels ist: so Gott im Beruf helfen will, warum werden denn Jonathan, Urias, Josias, Maccabäus und sehr vieler heiliger Kriegsmänner im Felde erstochen? Warum sterben viel heiliger Mütter in der Geburt? Antwort: gewißlich ist Gott bei diesen, die je wahrhaftiglich anrufen, als bei Jonatha, Uria, Josia, Maccabäo, und hilft je in ihrem Beruf so lange und also, wie er selbst beschlossen hat. Das Amt ist Gottes, und muß etwas darin fruchtbarlich gewirket werden, sollen menschlich Natur, Regiment, Haushaltung, Kirchen bleiben, und nicht ganz untergehen. Also giebt er unter dem verworfenen König Saul dennoch nützliche Hauptleute, David und Jonathan, und thut Jonathas viel Jahr viel Gutes; endlich wird er gleichwohl erstochen, und ist doch nicht von Gott verworfen, sondern Gott ist auch bei ihm im Tod, giebet ihm Trost, Stärke, ewige Freude durch rechte Erkenntniß göttlichen Willens und durch den heiligen Geist. Aber der Beruf in diesem Leben ist vollendet; denn Gott hält die Regel: er wirket durch den Beruf, doch setzt er selbst Zeit, Ziel und Ende, und will beides, etwas erhalten und dennoch die Personen unter das Kreuz legen, darin sie sollen gehorsam seyn, wenn er sie abfordert. Und sind die äußerlichen Ziel und Maß ungleich, damit wir allezeit im Glauben und Anrufung leben. Johannes Baptista prediget ohngefährlich zwey Jahr, nach Anfang seiner Tauf; Paulus prediget fünf und dreißig Jahr; Polykarpus spricht, da er soll verbrannt werden: er diene nun dem wahrhaftigen Gott sechs und achtzig Jahr. Esaias predigt bei achtzig Jahren, wird hernach durch Manasse grausam ermordet. Also ist die Zeit des Berufs ungleich, und wirket Gott darin, dieweil er währet. Eine Mutter lebet lang, die andre kurz. Ein Kriegsmann treibts lange, als Gedeon regieret 40 Jahr; Samson nur 20 Jahr &c.

Daß aber Gott diese Ungleichheit hat im äußerlichen Leben, dieses sollen wir seiner Weisheit heimstellen, und sollen wissen, daß er beides will: im Beruf wirken so lange wir in der Arbeit seyn sollen, und uns gleichwohl unter das Kreuz legen, darin wir ihm sollen gehorsam seyn wenn und wie er will, und sollen im Glauben und Anrufung leben. Wenn alle Menschen zugleich ihres Lebens hundert Jahr gewiß wären, wie große Sicherheit und welcher Trotz würde daraus folgen? Ist doch der Frevel über die Maßen groß, wiewohl wir keinen Augenblick des Lebens sicher sind. Darum sollen wir diese Regel wohl merken: Gott will im Beruf helfen, will aber selbst Ziel und Ende setzen, und will uns zugleich unter dem Kreuz halten, daß der Glaube und Anrufung allezeit leuchten, und wir Gehorsam erzeigen,

und unser Gehorsam der Lehre und Glaubens Zeugniß sey, und in uns die Sünde erkannt, beklagt und gedämpft werde, und fleischliche Sicherheit und Stolz niedergedrückt. Item: daß wir bekennen und betrachten, daß wir nicht allein zu diesem elenden, sterblichen Leben erschaffen sind; item, daß wir unserm Herrn und Heiland Christo auch im Leiden gleichförmig werden, und sind in Summa sehr viel großwichtiger Ursachen, darum die Kirche unter das Kreuz gelegt ist, welche alle christliche Menschen wissen, und oft betrachten sollen, zur Belehrung und zu Stärkung des Glaubens und der Anrufung.

Diese Lehre, daß Gott seine Kirchen also will erhalten, daß der Lehrer, nämlich der Herr Jesus Christus mit rechter Lehre bei uns seyn werde, und daß wir Brod und Wasser, doch mit Betrübniß, haben werden, ist Esaiä 30. klar ausgedruckt in diesen Worten: und der Herr wird euch Brod und Wasser geben, doch mit Trübsal, und wird deine Lehrer nicht von dir nehmen, und deine Augen werden deinen Lehrer sehen ꝛc. Und ist durchaus in göttlicher Schrift diese Lehre erholet [i. e. wiederholet], denn sie soll allen christlichen Menschen zu Stärkung des Glaubens wohl bekannt seyn, daß wir nicht gedenken, so uns Unfall in unserm Beruf und gebührender Arbeit widerfähret, wir sind darum von Gott verworfen, sondern sollen beides thun in gutem Gewissen, und mit Gottes Anrufung in unserm Beruf treulich und ernstlich arbeiten, und sollen doch das End zu Gott stellen, und wissen, wenn wir gleich in solcher Arbeit sterben müssen, oder sonst Unfall haben, daß Gott dennoch nicht von uns weichet, sondern giebt gewißlich Trost und Freude im Herzen, wie mit Jonatha, Uria, Josia und Maccabäo geschehen ist.

Dieses habe ich guter Meinung hie angehängt, dem Ehrenvesten und Gestrengen Heinrich von Staupitz, Hauptmann auf Belitz und Rabenstein, zu Erinnerung in seiner Betrübniß, denn ich auch besondere Ehrerbietung dem edlen Geschlecht derer von Staupitz schuldig bin von wegen des Ehrnwürdigen Herrn Doctor Johann Staupitz, der auch sich gegen mir als ein Vater erzeiget hat, und hat der christlichen Kirchen in vielen Sachen treulich gedienet. Der allmächtige Gott, Vater unsers Heilandes Jesu Christi, wolle alle Betrübten, die ihn recht anrufen, trösten, und wolle gnädiglich diese Land bewahren und regieren. Datum 1557. In Pascate quod est ab exitu Israelitarum ex Aegypto Pasca 3066.

No. 6232. 19. Apr.

N. Gallus ad Melanth.

† Ex apographo in Cod. Galli II. p. 227.

Nicolaus Gallus Philippo Mel.

S. in Christo, mortuo pro nobis et resuscitato. Reverende et clariss. dom. *Philippe.* Ut adolescentes hos Barones sperabam commendatiores a me tibi fore initio actionis de mutua inter nos reconciliatione, cuius eos esse cupidos praedicastis semper; ita frustra iam tentata ea reconciliatione veritus equidem fuissem, denuo ad te scribere de ipsis adolescentibus, nisi ea te esse et sapientia et iustitia nossem, ut propter publicas nostras dissensiones alienos privatim minus non complectereris tui perquam studiosos, nosque ipsos non repelleres cupientes adhuc piam tecum colere pacem publice et privatim. In uno me non esse falsum opinione, missa epistola ostendit et officiorum in Barones amica pollicitatio. De altera spem facit naturae eximia bonitas, mittendo etiam literario munere, in me ipsum iam declarata, pro qua humanitate tibi, ut debeo, gratiam habeo. Rursus annuit eam spem sapientiae et pietatis tuae cogitatio, novi criminis obiectio*) in medio tandem relinquit. Vox illa de te opprimendo, ne conatus quorundam impedias, nunquam nec audita nec lecta mihi est nisi in tua iam, et altera ad *Hunpertum* prius acerbiore quadam epistola. Est Deus etiam testis studiorum meorum, quid quaeramus, veritatem an opes. Et ipsa res testimonium perhibet, ubi plausus sit summorum pene et infimorum, ubi alia maiora vitae huius commoda. Ipse tecum rem aestima, optime Philippe! Remotis arbitris impedientibus sanum tuum iudicium. An non expedierit fuisse aliquos, qui hostium et ipsarum nostrarum aularum vestris etiam male persuasis et extortis actionibus contradicerent? An debeant iam aut possint illi etiam ipsi prius transigere vobiscum, quam doctrinam et Ecclesiam in eum, non dico quem accepistis, sed quem potestis locum velitis restituere? In doctrina res nobis ad pauca prope rediit. Abiicite non tantum *ῥητὸν* sed ipsam etiam *διάνοιαν* de necessitate operum ad salutem; item definitionis liberi

---

*) *novi crimin. obiectio*] in cod. leguntur quidem post *eam spem*, sed ut quisque videt ex errore describentis.

arbitrii, quod ipsum in utraque re *Lutherum* fecisse nostis. Novae obedientiae necessitatem in renatis, in non renatis necessitatem disciplinae, conatus etiam exterioris seu carnis ad regenerationem et conversionem verbis et argumentis scripturae nobiscum docete, cor soli Spiritui s. relinquite novandum, et facile nobis de doctrina, credo, conveniret. Restitutionem tot conscientiarum implicatarum superioribus vestris actionibus si non ducitis necessariam, cur non ostenditis? etiam modum ipsi ostendite, si omnino iudicatur necessaria, quem pie sequi possitis. Nos si talium rei unquam fuerimus vel cessionum vel mutationum in doctrina et Ecclesia, pergratum habebimus, deferri nobis deliberationem hanc de necessitate et modo restitutionis huius, quin a vobis adscribi haud moleste feremus. Atque haec iam sine, quaeso, non stomachosa, non acerba nec ἄλογα prorsus committere sapienti tuae cogitationi, quam etiam gravem servati depositi rationem Christus sit efflagitaturus, et nos non inhonestam habituri simus de vobis querelam coram ipso et eius Ecclesia, si nulla vos prorsus ratione flectere ad necessariam satisfactionem et piam reconciliationem possumus. Vir sapiens es, mi *Philippe*, et bonus, bene etiam consulendo aliis; ipse iam tibi sis sapiens et bonus, quodque prius saepe consuluisti, seiunge tuas cogitationes a politicorum et carnalium praesertim hominum et*) consiliis. Bene vale in domino Iesu, ac me non ita esse alienum a vobis persuasum habe. Rhactisburgi feria 2da pascatis, anno 57.

No. 6233. 20. Apr.

Ad. Sibero.

Epist. lib. II. p. 580 (ed. Lond. lib. II. ep. 605.).

D. Adamo Sibero.

S. D. Quantum referat habere collegam convenientem, καὶ μὴ ζυγομαχοῦντα, non solum discimus ex veteribus exemplis et commonefactionibus, sed etiam ex nostris, praesertim in hac tristi confusione Imperiorum. Nec parva pars est gubernationis institutio adolescentiae, etiamsi a Centauris et Cyclopibus deridetur. Opto igitur, ut habeas collegam convenientem. *Schellenbergium* existimo modestum esse: et si me allocutus fuerit, scribam de ipso ad te copiosius. Iuvemus studia iuventutis propter gloriam Dei, quantum possumus: et speremus Filium Dei servaturum esse et doctrinam et Ecclesiae reliquias. In aliis regionibus aut nihil est literarum, aut assuefiunt ingenia ad Ethnicam sapientiam: et recens editum est alicubi scriptum, in quo renovantur furores *Samosatenici*, quod non sine gemitu cogitare possum. Sed ipsum Filium Dei λόγον καὶ εἰκόνα ἀϊδίου πατρὸς oro, ut sit adsertor suae veritatis, et nos regat et protegat. De tuo opere *Lipsiae* in mercatu colloquemur. Bene vale. Die Aprilis 20. Anno M.D.LVII.

No. 6234. 21. Apr.

Io. Brentio.

Ex libro: Fama Andreana reflorescens, s. Iac. Andreae vita etc. Argentor. 1630. 12. descripta in Collect. Ballenst. Vol. II. No. 29.

Reverendo viro eruditione et virtute praestanti, D. Iohanni Brentio, gubernanti Ecclesiam Dei in regione Wurtemb., fratri suo cariss.

S. D. Reverende vir et frater carissime. Adolescenti *Balthasaro Gültlingero* reditum felicem in patriam opto, eumque ut suis commendes peto. Intelligit honesta officia, et virtutem amat, et ait, se velle procedere in studio iuris. Utinam aulae habeant iustos eiusmodi prudentes et eruditos gubernatores, qui propter eruditionem etiam magis foveant Ecclesias et doctrinarum studia.

Me vocaverat *Otho Henricus* ad deliberationem de academia in patria*), sed retineor in hac Scythia seu fato seu mea timiditate. Pendeo velut ad Caucasum alligatus Prometheus, etsi verius sum Ἐπιμηθεύς; cum quidem gravissimas causas et habuerim ante viginti annos et adhuc habeam, ex hac rabie ingeniorum procul discedendi. Sed non est hominis vita eius, ut propheta inquit. Oro autem filium Dei, ut me gubernet. Bene vale, et saepe ad me scribito. Die April. XXI.

---

*) *et*] aut est supervacaneum, aut excidit verbum.

*) Vid. ep. d. 5. et d. 8. April. 1557.

No. 6235. 22. Apr.

U. Mordeisen.

Epist. lib. V. p. 181.

Ulrico Mordisin, Consiliario Ducis Sax. Elect.

S. D. Clarissime vir, et Patrone colende. Die 22. Aprilis redierunt nostri Bibliopolae, qui narrant Rhenanam oram tranquillam esse. De rebus Italicis scripsit ad me amicus ea, quae in hac pagella legetis. Sed certiora vos habere non dubito. Servet Deus Germaniam. Videmus enim horribiles Italiae vastationes et mutationes impendere, ut in Sibyllino carmine scriptum est: *ῥώμη μὲν ῥύμη ἔσεται, καὶ Δῆλος ἄδηλος.* Roma erit vicus et Delus, videlicet Campania Deli Colonia erit obruta. Accepi et hodie ex Vratislavia literas, in quibus haec pagella fuit de oppido in Transylvania capto. Deus protegat Germaniam. Bene et feliciter vale. Die 22. Aprilis.

Philippus.

No. 6236. 23. Apr.

H. Langueto.

Epist. lib. II. p. 552. (ed. Lond. lib. II. ep. 574.).

D. Huberto Langueto

S. D. Clarissime vir et charissime frater, Meum iter aulae nostrae decreto impeditur *), nec ego valde pugnavi, quia metuo in patria etiam iudiciorum dissimilitudinem, ut vides ubique regna calumniarum. Si vitam mihi Deus longiorem concedit, velim te rursus familiam nostram videre. Nec mihi in hac mea senecta quicquam dulcius esset tua consuetudine. Non frangor animo propter *Flacianas* sycophantias, quae tamen si crescent, si vivam, in ea loca discedam, ubi respondere potero, ac Deo iuvante, dicam recta et utilia Ecclesiae. Doctori *Sneidewino* itineris molestiam te lenire volo tuis colloquiis. Scis honestum et ingeniosum virum esse. Tuas literas quas *Francofordiae* nostris civibus dedisti, accepimus, tibique gratiam habeo, quod saepe ad nos scribis. Bene et feliciter vale, et salutem dicito *Petro Antonio* civi Francofordiano, et Hospitibus *Gallis* et *Anglis*. *Iohannes Laski* Vilnae nunc est. Die 23. Aprilis.

*) Vid. epp. d. 5. Apr. et d. 8. Apr. 1557.

No. 6237. (hoc t.)

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camerar. p. 718. (ed. Lond. lib. IV. ep. 861.).

Clarissimo viro, eruditione, sapientia, et virtute praestanti Ioach. Camerario fratri suo cariss.

S. D. Mihi quoque ut tibi et caeteris, viri optimi *Padorni* amicis, luctus ipsius multiplicem dolorem affert dolemus ipsum honestissima et carissima coniuge, sobolem matre orbatam esse. Et angimur animis propter ipsius *Padorni* imbecillitatem. Sed in his fluctibus testimonia divina intueamur, quae docent, nos non ad huius vitae aerumnas tantum nasci. Nec vero dubito, quin et *Padornum* et te consolationibus divinitus propositis erigas. Coniungamus etiam gemitus et vota ad Deum, ut animi et corporis vires *Padorno* confirmet, et nos omnes gubernet. Tuam domesticam Ecclesiam, et recens natum nepotem et matrem servet Deus conditor generis humani et custos Ecclesiae suae. Quid scribere aliud possum? *οὐδὲν ἔχω σοφόν* inquit illa ut scis in Tragoedia, nisi lacrymas, nos addimus gemitus et preces ad Deum.

De lectoribus nostris expectamus aulicum decretum. Iter meum in patriam impediri non moleste fero. Quantum enim fabellarum maledica vicinia sparsisset. Et scio influxisse in meam patriam hospites *), quorum sunt dissimillima iudicia. Si *Flaciana* rabies me fugere coget, ostendet Deus alicubi hospitium. Sed oro filium Dei, ut nos gubernet, et protegat. Bene vale.

Philippus.

*) sub Ottone Henrico. C. W.

No. 6238. 26. Apr.

Philippo Mel. filio suo.

Manlii farrag. p. 359. et in *Strobelii* Melanthonianis p. 33.

Charissimo filio suo Philippo Melanthoni, civi Torgensi,

S. D. Charissime fili: Pagellas, quas mitto, dabis reverendo D. pastori, et gubernatori scholae. De tuis rebus aut scribes *) mihi, aut ipse advenies. Fueram vocatus a *Palatino Electore.* Sed retineor seu fato, seu aliis causis: nec cupio mihi plura negocia accersere, in tam maledico seculo. Bene vale. Die Aprilis 26.

*) *scribas* Str.

No. 6239. 27. Apr.

N. Clausio.

Epist. lib. II. p. 557. (ed. Lond. lib. II. ep. 579.).

Clarissimo viro, prudentia et virtute praestanti, Nicolao Clausio, Consuli in veteri Francorum Colonia Frankenhausen, amico suo chariss. S. D.

Clarissime vir, et amice colende, Cum ad vos proficisceretur hic noster auditor, viri honesti filius **), dedi ei hanc Epistolam; non solum ut ipsum tibi commendarem, sed etiam ut ostenderem, me retinere memoriam veteris erga me benevolentiae tuae, meque tuarum virtutum recordatione delectari. Spero autem et me adhuc abs te diligi, quia scio te virum integerrimum cum in caeteris virtutibus, tum etiam in amicitia constantiam praestare, ut in veteri dulcissimo versu dicitur:

Ἅπαν τὸ χρηστὸν τὴν ἴσην ἔχει φύσιν.

Nunc vero et hunc nostrum auditorem tibi commendo, quem et propter patrem et propter suos mores diligo. Fuit enim mihi cum patre eius dulcis amicitia, et spero hunc *Andream* recte facturum esse officium, quem quidem iussi tuo consilio uti in omnibus rebus, ac praecipue in gubernatione adolescentiae, teque ei non defuturum esse spero. Mitto pagellas paucas, quia nunc plures non erant ad manum. Bene vale, et aliquando rescribe. Die 27. Aprilis. Anno 1557.

**) Andreas Offenaeus, ut intelligitur ex epist. seq. ad Comitem a Koenigstein et Stolberg.

No. 6240. (hoc t.)

Comiti a Stolberg.

† Ex apographo in cod. Monac. 88. no. IV. p. 69. et cod. Monac. 90. no. IV. p. 345.

Ad Illustrem et Generosum Comitem a Koenigstein et Stolberg.

S. D. Illustris et Generose comes. Scio Cels. V. pro sua excellenti prudentia multa de Republ. cogitare, praesertim in his tantis periculis orbis terrarum, cum arma Turcica in vestibulo Germaniae grassantur, et multae sunt discordiae domesticae. His tantis miseriis cum summi principes non quaerant idonea remedia, magnum beneficium Dei est, quod passim aliqui sapientes gubernatores suo loco mediocriter regunt disciplinam, et suas Ecclesias ornare literis student. Quo in numero et Cels. V. esse gaudeo, et Deum oro, ut nostra consilia regat et iuvet. Cum autem inter ornamenta civilia singulari diligentia scholas tueatur Cels. vestra, rogavit me M. *Offenaeus,* a Senatu Franckenhusano ad munus ecclesiasticum electus, ut testimonium sibi de moribus et studiis ad Cels. V. scriberem, quod arbitratur, se plus in docendo authoritatis habiturum, si Cels. V. commendatus et probatus esset. Cum autem in Academiis aliquot fuerit et scholam Stolbergiam diu rexit, satis illustre specimen modestiae et eruditionis dedit. Ipse etiam audivi eum in examine, cum gradum peteret, et comperi, eum latine eleganter scribere et loqui, et in dialecticis et reliquis philosophiae partibus cum quadam dexteritate versatum esse. Scio autem, paci et tranquillitati civitatum et scholarum aptiora esse placida ingenia quam vehementes naturas. Eruditionem vero egregie ornat placidis moribus, quos non dubito et Cels. V. magnopere placituros esse, et profuturos ad scholae tranquillitatem. Comperi ex multis signis, mite esse ingenium in hoc *Andrea* *), quod

*) Vid. de eo epist. ad Clusium Consulem Frankenhus. d. 7. Febr. et d. 27. Apr. 1557. Videtur igitur haec ep. eodem tempore scripta, et Offenaeum [Offenhaus?] munus accepisse concionandi et simul in scholis docendi.

doctrina praeclare excultum sit, et diligentiam in officio suo pollicetur. Rogo, ut Cels. V. eum commendatum habeat. Vale.

No. 6241. 30. Apr.

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camerar. p. 719. (ed. Lond. lib. IV. ep. 862.).

Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo cariss.

S. D. Si *Iosias* *) ideo Noriberga discedit, ne litiget, philosophicus animus laude dignus est. Ego quoque si possem, fugerem, non ut in carmine dicitur, ultra Sauromatas et glacialem oceanum, sed certe in aliquas latebras, quascunque Deus offerret. Et si vivam diutius, expecto exilium. Petit autem locum *Iosiae* hic Hamburgensis Magister *Bernhardus*, vir eruditus, cuius modestiam et integritatem spero valde placituram esse Noribergae iis, cum quibus versabitur. Quare te oro, ut ei, si nondum alteri spem fecisti, tradas *Iosiae* locum. Heri ex aula *Ambergensi* allatae sunt a filio ad fratrem *Ioachimum* litterae, in quibus de *Lucretio* narratio est, quae exemplum recitat non contemnendum. Bene et feliciter vale, Prid. Cal. Maii.

Phil. Melanth.

No. 6242. 1. Maii.

Io. Aurifabro.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Iohanni Aurifabro (in Academia Regiomontana).

Reverende vir et cariss. frater. In Psalmo querela est Ecclesiae, quod exulet inter Mesach et Kedar. Id iam fit *κατὰ ῥητόν*. Moschi, qui sunt Mesech, Ecclesias vastant in Livonia; Mahometici, qui sunt Kedar, Arabum discipuli, in Pannonia latrocinium exercent. Utinam vero in Livonia nostri colonias suas tuerentur; sed *πάλαι ποτ᾽ ἦσαν ἄλκιμοι γερμανοί*. Privatim vero opem feramus ubi possumus. Hic doctor *Iohannes Funck*, natus in urbe Rhetica Memmingen, Iurisconsultus, habet coniugem in urbe Riga, natam ex honestis civibus in urbe Riga. Hanc ad se accersere decrevit, et vicinitate movetur, ut apud vos nidum quaerat. Fuit in urbe Riga tanquam civis, sed ad deliberationes de controversiis ut Iurisconsultus ab aula saepe adhibitus est, et egit Nobilium causas in iudicio camerae Imperii, ut nominant. Poterit et vobis usui esse in aula, Consistoriis aut Academia. Vir honestus est et dignus bonorum benevolentia. Quare te oro, ut eum complectaris, et illustrissimo Principi commendes. Scis Deo gratam pietatem esse honestis exulibus benefacere, cum quidem et ipsi simus exules et nobis exilii aerumnas leniri optamus. Bene vale. Kal. Maii. 1559. *)

Ph. Mel.

No. 6243. 1. Maii.

Testimon. Bullingero datum.

Ex autographo Mel. in cod. Hamb. inscripto: Literae theolog. sec. XVI. [*O.*] Eandem epistolam editam iam habes in Bibliotheca Bremensi, Fasc. II. Class. 2.

Salutem dicit omnibus lecturis has litteras Philippus Melanthon.

Excellens virtus est et Deo grata in tantis confusionibus generis humani, tamen constanter hanc sententiam retinere, vere colligi a filio Dei aeternam Ecclesiam voce Evangelii; eamque ob causam doctrinae studia colere et mores honeste regere. Haec cum faciat *Henricus Bullingerus Tigurinus* **) favore honestorum virorum dignus est. Ut fontes doctrinae de Deo et aliarum honestarum artium recte cognosceret, didicit non solum linguam latinam, sed etiam graecam et ebraeam. Deinde percepta disserendi et iudicandi ratione, considerare naturam rerum coepit, quod studium praecipue amat propter gloriam Dei, quia vestigia Dei naturae impressa libenter adspicit, et

---

*) Iosias Memus, Dantiscanus.

*) Annus sine dubio ex arbitrio adscriptus est propter commemorationem belli in Livonia. Sed idem bellum iam anno 1557. gerebatur, ad quem haec epistola pertinet, quum d. 1. Maii 1559. aliam ad Io. Aurifabrum habeamus epistolam, quae utique anno 1559. scripta est.

**) Vid. de eo ep. ad patrem, Bullingerum, d. 16. Septbr. 1556.

hac consideratione confirmari adsensionem de providentia vere iudicat. Amplectitur autem doctrinam de Deo patefactam illustribus testimoniis divinis et comprehensam in scriptis propheticis et apostolicis, et recitatam in Symbolis, apostolico, Niceno et Athanasiano et consensum veteris Ecclesiae sequitur. Ac animi pietatem vera invocatione Dei in agnitione et fiducia filii Dei D. N. I. Christi et honesta morum gubernatione declarat, qui in eo non solum naturae moderatione, etsi haec quoque in eo eximia est, reguntur, sed etiam luce, accensa a filio Dei per Evangelium et a Spiritu S. Non dubito igitur honestos et eruditos viros ubique iudicaturos esse, benevolentia sua hunc *Henricum* propter eruditionem et optimos mores dignum esse. Oro autem filium Dei D. N. I. Chr. crucifixum pro nobis et resuscitatum, qui sedet ad dextram aeterni patris, ut dona det hominibus, ut totius vitae *Henrici* cursum gubernet et eum faciat *σκεῦος ἐλέους* et organum salutare suae animae et aliis.

Datae Cal. Maii Anno 1557.

No. 6244. 1. Maii.

Lectori.

Praefatio in librum: Epigrammatum libelli tres a *Sebastiano Hubero* Hainense Myso compositi. — Cum praefatione et commendatione Dom. Phil. Melanchthonis erudita ad ingenuos. (s. l.) 1557. 8. (Nec Mylius in chronolog. libror. Melanth. nec Strobelius hanc praefationem cognoverunt.).

Philippus Melanchthon Lectori.
S. D.

Etsi vetustas gentium appellationes multi prorsus extinctas esse contendunt, nec volunt nomina vetera ad haec tempora accommodari: tamen existimo vetustae gentis Mysorum et celebratae multorum scriptis reliquias esse eam gentem, quae hodie vetus nomen Mysorum retinet, ut et multarum aliarum gentium, quae progressae sunt versus occidentem et meridiem, reliquiae et nomina restant, ut non dubium est Cimmerios, Suevos, Henetos et Alanos ex oriente ad nostras regiones progressos esse, et cum Henetis processerunt Mysi eorum vicini. Ea autem regio, quae nomen retinet, propemodum inclusa est triangulo, cuius alterum latus est Albis, alterum fluvius Pica seu *κίττα*, Basis est iugum montium Bohemicorum, inter Albim et Plawen. *Κορυφή* Trianguli est ubi Sala in Albim influit, quo in loco Ptolomaeus oppidum nominat Calegiam, quod mutilatim est ex Salebia. Nec vero in hac descriptione constituo fines, ut in iudicio finium regendorum: sed limites illustres ostendo, ut situs Regionis agnosci possint, etiamsi alicubi spacia hoc tempore vel angustiora vel breviora sunt. In hoc Triangulo olim fuisse Hermunduros certum est, quorum laudata est virtus a Cornelio Tacito, et nunc sunt Mysi. Est autem oppidum non procul a ripa Albis, cui nomen est a nemore Hain, quod nunc Dei beneficio ornatum est Ecclesia Christi, disciplina, literis, aedificiis et aliis civilibus ornamentis. In eo oppido natus fuit *Caspar Bornerus*, qui olim Petri Mosellani auditor et amicus fuit, ac postea gubernavit philosophica studia Academiae Lipsicae, et de Ecclesia et patria optime meritus est, cuius viri virtuti debetur hoc officium, ut memoria beneficiorum eius transmittatur ad posteros. Et opto ut exemplo eius multi ad amorem Ecclesiae, doctrinarum et patriae incitentur. Cumque nunc in eo oppido studia literarum digna sint laude, oro filium Dei custodem Ecclesiae suae, ut et has regiones protegat et gubernet, et non sinat in eis extingui doctrinarum lucem.

Specimen studiorum Epigrammata *Sebastiani Huberi* viri docti, qui ibi adolescentiae linguam latinam tradit, ostendunt. Quantum suo loco quisque potest, in hac delira senecta mundi, et in his regnorum ruinis annitatur, ut conserventur Ecclesiae Christi honesta disciplina, et doctrinae, quas Deus generi humano propter Ecclesiam et disciplinam tradidit. Bene vale Candide lector. Calend. Maii. M.D.LVII.

No. 6245. 2. Maii.

Barth. Francio.

Melanth. Consil. latin. P. II. p. 284 sq.

Bartholomaeo Francio Pastori in oppido Lusatiae Sommerfeld.

Ante viginti annos ad Reverendum D. Doctorem *Martinum Lutherum* attulit eandem quaestionem de muta et surda *Fridericus Myconius* Pastor Gotthanus, de qua tu nunc interrogas. Aderant

Reverendi viri; *Ionas*, *Pomeranus*, *Menius*, et ego. Narrabat *Fridericus*, mores illius Gotthanae mutae modestos esse, et ostendere eam gestu, se cogitare de Deo, et de vita aeterna: habere in manibus libellum, in quo sint picturae creationis, nativitatis, et passionis Christi, ac iudicii postremi. Iudicabat *Lutherus*, omnino illam mutam ad Coenam Domini admittendam esse. Haec historia multis, qui adhuc vivunt, nota est, et assentior huic sententiae.

Pertinet ad hos quoque promissio gratiae, ut non dubium est: Quare et membra Ecclesiae tales esse sinamus, praesertim cum honestate motuum ostendunt fidem. Nec afflictis addenda est afflictio. Sed retinenda regula: *Calamum quassatum non confringet.* Pertinet promissio ad infantes: Ideo statuamus eos ad baptismum admittendos esse. Et regulam teneamus: *Quos elegit, hos et vocavit.* Plus consilii est in mutis et in surdis. Ideo cum signa sunt pietatis, non excludantur ex Ecclesia. Die 2. Maii, 57.

No. 6246. 5. Maii.

G. Buchholzero.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54 3.

Georgio Buchholzero, Pastori Ecclesiae Berlinensis.

S. D. Reverende vir et cariss. frater. Nescio, an pagellas de *Thammero* vobis miserim [1]). Ideo nunc mitto. Semper fuit rixosa et hallucinatoria ipsius natura. Nunc plane fanaticos errores habet [2]). Adversus tales oportebat nos, qui Dei beneficio recte docemus, coniunctiores esse. Mitto et aliam pagellam de Orione [3]). Post mercatum Lipsicum scribam et mittam plura. Bene vale. Die Maii quinto.

Philippus.

1) Pagella de Thammero prodiit d. 10. Apr. 1557.

2) Cod. Par. *habent.*

3) Est pagella de Orione, qua Peucerus enarrationem Euclidis d. 1. Maii 1557. indixit, et legitur in Scriptis publicis T. III. p. 76.

No. 6247. 9. Maii.

A. Hardenbergio.

Epp. ad Hardenberg. ep. 65. et in Peuceri tract. histor. p. 95.

D. Alberto Hardebergio.

S. D. Reverende vir, et carissime frater. Crescit, ut vides, non modo certamen, sed etiam rabies in scriptoribus, qui ἀρτολατρείαν stabiliunt. Itaque confugiamus ad F. D. Dominum nostrum I. C. et petamus, ut ipse sit βραβευτὴς huius certaminis. Incitantur aulae et gynaecea. Quare de literis ad Regem [1]) scribendis [2]) hoc consulo, ut reverenter scribas, te orare, ne Rex credat calumniis, sed tibi alteram aurem servet, ac petas, ut cum tanta sit ipsius autoritas, ut piam Synodum indici curet, in qua et explicetur tanta controversia, et non tantum inimici tui audiantur, sed etiam alii docti viri. Aut si ad *Wormatiense* colloquium aliqui conventuri sint [3]) multorum Principum Legati, seu delecti ad colloquendum, mittat Rex suos aliquos, quia necesse sit tunc [4]) et nostros inter nos de hac causa conferre, cum alii aliter loquantur, etiam ex nostris. Talem generalem responsionem primum mittas. Interea et confessionem tuam componas, et expresse dicas, quousque progrediaris, quas propositiones retineas, et quas non retineas, et sine rixis adde aliquot illustria testimonia antiquitatis sincerae. Haec παρασκευὴ necessaria est, si res ad disputationem deduceretur. Interea autem velim, te in concionibus non saepe ad hanc quaestionem digredi. Nescio quid praeterea moneam. Deum oro, ut nos omnes gubernet. Bene et feliciter vale. Die 9. Maii 1557.

Philippus.

No. 6248. 13. Maii.

Io. Stigelio.

Danz. epp. ad Stigel. ep. 88. Cod. Goth. 188. ep. 157.

1) Danicum? Vid. ep. ad Regem Daniae d. 22. Maii 1557.

2) Peuc. addit: *primum.*

3) Peuc. *sunt.*

4) Peuc. *tum.*

Clarissimo viro, ingenio, eruditione et virtute praestanti, D. Ioanni Stigelio, τῷ Θεῷ, καὶ ταῖς Μούσαις, φιλτάτῳ, fratri suo carissimo, S. D.

Clariss. vir et cariss. frater. *Παθὼν ἔμαθον* quos cruciatus et quae incommoda luxatio humeri adferat. Valde igitur dolui, et adhuc doleo, tibi sive humerum, sive clavem, ut scribis, afflictam esse*). Sed oro filium Dei, custodem Ecclesiae suae, ut tibi animi et corporis vires restituat, et tribuat tibi longa et tranquilla vitae spatia, propter publicam Ecclesiam, et tuam domesticam Ecclesiam. Cum *Francisco Vimariense* dulcissime collocutus sum hodie; quo in colloquio saepe et tui mentio honorifica facta est. Bene vale et de curatione tui humeri seu clavis nobis quamprimum scribito. die 13. Maii **).

Philippus Melanthon.

No. 6249. 19. Maii.

Laur. Mollero.

Epist. lib. V. p. 456.

Laurentio Mollero.

S. D. Clarissime vir, et charissime frater. Vidit hic noster hospes *Theodoricus*, tantum fuisse hoc biduo concursum occupationum, ut multa scribere non potuerim. Tecum certe colloqui me posse optarim quotidie, *ψυχῆς γὰρ νοσούσης φάρμακον φίλον λόγος.*

In Academia nostra, Dei beneficio, doctrinae vox est eadem, quam in nostris scriptis legis, et docentium non solum consensus est, sed etiam mutua benevolentia. DEUM oremus, ut nos gubernet et protegat. Bene vale. Die 19. Maii 1557.

Philippus.

*) Eberus in Calend. hist. d. 27. Aprilis: „M. Matthias Flacius Illyricus Ienam venit, et ibi theologiam profitetur a. 1557., cum biduo ante Stigelius brachium fregisset." (*Dz.*)

**) Cod. Goth. addit: 1557.

No. 6250. 22. Maii.

H. Buscoducensi.

Edita in der Dänischen Bibliothek. T. IV. p. 175. et in Pontoppidani Kirchengeschichte von Dänemark. T. III. p. 358. (*Danz.*)

Ad Henricum Buscoducensem.

Reverende Vir et charissime frater. Psalmos Davidis redditos latinis odis inscripsit inclyto Regi Danorum *Iohannes Sascerides*, conterraneus tuus, vir valde eruditus in latina, graeca et ebraea lingua, et adeo modestus, ut velim, si possim, ei addere aliquid alacritatis. Sed tamen Isocrati placet in virtutibus potius citra medium resistere, quam ulterius provehi. Oro te propter Deum et propter studia doctrinae et propter exulis pii aerumnas, ut inclyto Regi et laborem huius Magistri *Iohannis* commendes, et ipsum qua poteris ratione adiuves. Quia ideo in nostris Ecclesiis duriter vivere mavult, ut absit ab idolis, quam inter Pontificios esse, ubi in deliciis vivere posset. De aliis respondebo iusto volumine: sed hactenus non institui meam scriptionem, quia optarim multos ac doctos viros colloqui de certa forma verborum in explicatione controversiae de coena Domini. *Westphalus* reprehendit hanc meam propositionem: Nihil habet rationem sacramenti extra institutum usum *). Hanc propositionem et *Lutherus* probabat, cum eam in conventu Ratisbonensi opposuissem *Eccii* furoribus, qui adorationem in circumgestatione et alios furores stabiliebat. Sed de hac causa scribam alias. Ecclesiae in hac regione Dei beneficio tranquillae sunt et retinent explicationes, quibus semper usi sumus, cum adfuisti, quae extat in Confessione. Bene et feliciter vale. Die 22. Maii 1557.

No. 6251. 22. Maii.

Christiano III., Reg. Dan.

Schumacher Briefe an die Könige in Dänem. Vol. II p. 79. epist. 28.

(*Christiano III., Regi Daniae.*)

Gottes Gnad durch seinen eingebohrnen Sohn Jesum Christum, unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer,

*) Vid. ep. ad Matthes. d. 30. Iul. 1557.

der ihm gewißlich ein ewige Kirchen im menschlichen Geschlecht durchs Evangelium samlet, zuvor. Durchleuchtister, großmächtiger, gnädigster König und Herr. Daß ich auf E. K. M. vorigen Schriften nicht nach der Länge geantwortt, ist Ursach, daß die Boten sehr eilen, wenn sie anher kommen. Auch bin ich so sehr beladen mit Arbeit, daß ich dieses Lebens müed bin; und über dieses alles, von der Bremischen Uneinikeit zu schreiben, bedarf es Zeit und nothdurftigen Bericht. Ich hab vor vielen Jahren und oftmal die Prädicanten zu Bremen ermahnt auf beiden Seiten, diesen Streit nicht zu erregen, sondern bei der Confession ohne Streit [zu] bleiben, welches ein Zeit lang also still gewesen; aber hernach ist die Sach weitläufiger worden.

Nu haben der Ernwirdig Herr Pastor, Doctor Johann Bugenhagen, ich und andere an einen ehrbaren Rath geschrieben, daß sie Zwietracht verhüten wollten, haben auch dabei unser Bedenken angezeigt, auf des einen Theils Artikel; des andern Theils declaration haben wir noch nicht empfangen.

Aber nöthig ist, daß sich gottforchtige, gelahrte Männer unterreden, auch den Nachkommen zu gut, und ein einträchtige Forme fassen, wie von dieser Sach zu reden, daß dennoch päbstliche Abgötterei nicht gestärkt werde.

Ich habe diese Rede gebraucht wider Ecken im Reichstag zu Regensburg Anni 1541. und zuvor oft, die auch dem Ernwirdigen Herrn Doctori Martino gefallen hat: nichts kann Sacrament seyn außer seinem eingesetzten Brauch. Dieser Spruch ist im Erhalten *) wider falsche Anbetung, im Umtragen etc.

Jetzt wird diese wahrhaftige proposition durch etliche angefochten, so doch Eck nichts dagegen reden kunnt, sondern erzürnte sich also in Beiseyn Pfalzgraf Friedrichs, Churfürsten, und Herrn Granvels, daß er dieselbige Nacht krank worden, und hernach in keine Handlung mehr kommen und von derselbigen Krankheit hernach gestorben ist.

Durch Gottes Gnad ist in Kirchen dieser Land Einigkeit, und bleiben wir zugleich bei unser Confession, ohne fremde disputation.

Ewr. Königl. Majestet hat ein sehr zuchtiger junger Mann die Psalmen Davidis in lateinischen Vers gebracht zugeschrieben. Dieses gottforchtigen, gelahrten Manns, Magister *Iohannis Saceride*, Arbeit bitt ich in Unterthänikeit, wollen E. K. M. gnädiglich annehmen. Er lebet in großer Armuth in unsern Kirchen, so er doch bei den Papisten in Brabant reich seyn konnt. Ich bitt um Gottes willen E. K. M. wollen sich gnädiglich gegen ihn erzeigen.

In Hungarn ist kein neu Kriegsvolk ankommen; aber Johannes hat Siebenbürgen inn, und nennt sich König in Hungarn.

Der allmächtige Gott, Vatter unsers Heilandes Jesu Christi, der gewißlich ihm ein ewige Kirchen im menschlichen Geschlecht durchs Evangelium samlet, wolle E. K. M. und E. K. M. Königin und junge Herrschaft an Seel und Leib stärken und gnädiglich allezeit regirn und bewahren. Dat. 22. Maii Anno 1557.

E. K. M.

unterthäniger Diener
Philippus Melanthon.

*) Fortasse: zu erhalten, i. e. festzuhalten.

No. 6252. 24. Maii.

Io. Matthesio.

Epist. lib. II. p. 105. (ed. Lond. lib. II. ep. 91.).

D. Iohanni Matthesio

S. D. Reverende vir et charissime frater, Non dubito te saepe circumferre oculos et cogitationem per totum orbem terrarum, et considerare ruinas Imperiorum et gementem petere, ut Filius Dei Dominus noster Iesus Christus triumphum suum ostendat universae Ecclesiae, et rursus ad te dulcissimam coniugem tuam adducat. In *Italia* fit hoc quod praedictum est, *ῥώμη μὲν ῥύμη ἔσεται καὶ δῆλος ἄδηλος* [1]). Vastatur *Italia* Pontificiis, *Gallicis* et *Ibericis* latrociniis. Die Paschatos in *Pedemontana* regione Regis *Gallici* exercitus vi cepit oppidum, interfectis multis *Hispanis*, dimissis *Italicis* et *Germanicis* militibus. Deploremus magnitudinem eius calamitatis, et Deo gratias agamus, quod nobis concedit, ut Pascha felicius celebremus. Haec dicas tuae Ecclesiae. *Caspar Ebrardus* ad nos, ut sperabamus, non rediit. Quaeso ut significes nobis, an in *Salinas* migret. *Περὶ ὀρνιθοσυνόδου* [2]) scribam si ad colloquium

1) Vid. de hoc dicto epist. ad Mordisin. d. 22. Apr. 1557.

2) Synodus avium, carmen in contemptum Flacianorum, quod prodiit a. 1556, habes simul cum aliis in Scriptis Academ. T. III. p. 4 sqq.

in urbe *Vangionum* aves convolabunt. Valde multa sunt de quibus tecum colloqui decrevi. Nam ad te Deo iuvante accedam, si iter ad *Rhenum* non suscipiemus. Bene vale, charissime frater. Die 24. Maii.

No. 6253. 24. Maii.

Hier. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 225 sq. — Hic ex autographo in cod. Monac. I. p. 221., cui Baumgartnerus adscripsit: „1557. 3. Iunii per Bernhardum."

Hieron. Bomgartnero, Senatori incl. urbis Noriberg.

S. D. Clariss. vir et Patrone cariss. Etsi vocaverat me *Palatinus Elector*, ad deliberationem de Academia Patriae, et causae non leves sint, cur ibi esse mallem, ubi respondere Sycophantis liceret, tamen voluntati nostrae aulae cessi, quae petivit ne discederem. Oro autem filium Dei ut me gubernet.

Hanc epistolam dedi Magistro *Bernardo Moller* Hamburgensi, qui vobis offert suam operam in eo munere, quod *Iosias* reliquit, qui quidem mihi interroganti, cur istinc discessisset, respondit, nullam causam esse, nisi quod diutius audire ibi nostri Aristarchi seu Momi censuras de nobis noluisset. Vestra erga se beneficia valde praedicat. Nunc ergo, si res est integra, hunc tibi *Bernardum* doctum, prudentem et modestum virum commendo, quem quidem tuis consiliis in omnibus obtemperaturum esse existimo, rixas vero sapienter vitaturum. Vides signa moderationis in gestu et in oratione. Oro autem Deum ut nos omnes gubernet. Bene vale. Die 24. Maii *).

Philippus.

No. 6254. 24. Maii.

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camer. p. 738. — Non referenda est cum editore ad an. 1558. haec epistola, sed ad ann. 1557.

Clarissimo viro, eruditione, sapientia, et virtute praestanti Ioach. Camerario fratri suo cariss.

S. D. *Iosias* mihi interroganti caussam, cur ex urbe digna laude *), et munere mediocri discessisset, respondit, non aliam caussam fuisse, nisi quod taederet audire nostri Momi censuram de nobis, et ineruditam et venenatam. Miror unde sit haec acerbitas. Sed Deo commendemus.

Nunc decrevit proficisci hic *Bernardus* Hamburgensis, vir doctus, prudens, et modestus, et ut est gentis natura, siquid displicebit, non statim seu iudicium, seu dolorem suum ostensurus. Te oro, ut D. *Hieronymo* eum commendes, quem quod nihil respondit, ratiocinor quaerere alium, et illud Aeschyli cogitare, *ἄλλος πρὸς ἄλλην πόλιν τεταγμένος.* Sed hic *Bernardus* urbem illam videre decrevit. Bene vale, XXIIII. Maii.

Philippus.

No. 6255. 27. Maii.

Matth. Luthero.

Epist. lib. V. p. 724 sq.

Matthiae Luthero, Syndico Northusano.

S. D. Honestissime vir, et charissime frater. Si posset fieri, etiam quotidie libenter vobiscum colloquerer, quare libenter ad vos scribo. Sed tanta est magnitudo rerum, de quibus optarim, nos colloqui, ut complecti literis non possim. In Academiis his vicinis, Dei beneficio, mediocria sunt doctrinarum studia, et vox eadem, et inter nos non solum consensus, sed etiam vera benevolentia mutua, ac Deum oramus, ut ipse nos gubernet. Servatur enim Ecclesia Filio Dei protegente, servante et gubernante. Italiae, Galliae, Belgiae, Angliae calamitates scitis. Harum consideratio monere nostros debebat, ut magis amare domesticam concordiam studerent. Sed ruunt Imperia fatalibus causis. In Paschate exercitus Gallicus oppidum quoddam vi cepit in Regione Pedemontana, interfectis multis Hispanis, et dimissis

---

*) Ann 1557. alia manus adscripsit.

*) Noriberga. Est Iosias Memus Dantiscanus. Non anno 1556. scripta est haec epistola, ut visum est editori, sed anno 1557.

Germanis militibus et Italicis *). Res Saxonicae vobis notae sunt. Bene valete. Die, quo celebratur memoria Triumphi, quo Filius DEI in coelum ascendit.

Philippus.

No. 6256. 27. Maii.

Consuli Wesaliensi.

† Ex apographo in cod. Paris. D. L. 54[3].

Ad Consulem Wesaliensem.

S. D. Honestissime d. consul. Scimus Ecclesiam Dei gestari a filio Dei sicut tenelli agni gestantur a pastoribus recens in campis editi. Spero igitur, et filios vestros, quia sunt membra verae Ecclesiae Dei, in itinere a filio Dei protectos esse, vosque oro, ut de eorum ad vos reditu mihi scribatis. Hanc epistolam dedi honesto viro, *Georgio Bulling*, ex cuius literis scriptis ad uxorem quaedam dicta sparsa sunt, quae ipsi apud honestiss. senatum urbis vestrae nocent. Oro autem vos propter Deum, ut senatui eum excusetis et impetretis, ut periculo et damnis liberetur; primum, quod ipse non est autor istius narrationis, sed audivit eam ex *Mauritio* et *Henrico Heiningo*, ac fatetur Henricus Heiningus, qui adhuc vivit, se illa commemorasse, quae Georgius scripsit, et affirmat, se vera narrasse. Non igitur plectendus est hic miser, cum quidem tantum ad uxorem scripserit. Et quoquo modo haec acta sunt, sapiens senatus pie faceret, si haec silentio tegeret, praesertim cum hic Georgius antea quoque propter studium verae doctrinae magnas aerumnas tulerit, et sit homo modestus. Scitis, sapientes gubernatores, praesertim in publicis dissensionibus, lenitate erga sanabilia membra uti oportere, nec de omnibus negotiis certamina movenda esse. Hanc meam epistolam ut boni consulatis, oro. Bene et feliciter valete. Die triumphi filii Dei, quo celebratur memoria ascensionis in coelum. 1557.

Philippus Melanthon.

---

*) Vid. ep. ad Matthesium d. 24. Maii 1557.

No. 6257. 28. Maii.

Io. Matthesio.

Epist. lib. II. p. 69. (ed. Lond. lib. II. ep. 5?.).

D. Iohanni Matthesio

S. D. Reverende vir et charissime frater, Versum veterem nosti: Nam pius est patriae facta referre labor. Existimo et hoc vere. Nam pius est patriae dicere facta labor. Rursus igitur edidi *Germaniam Taciti* [1]), et hanc iussi hic proponi in paedagogio, volo eam et filio tuo notam esse, ideo vobis exempla mitto. Certe hos libellos utiliores esse iuventuti existimo, quam sycophantica scripta *Regii Selini* qui est empusa. Tempore belli erat *Regius Selinus* [2]) nunc est *Christian Aleman*: si legisti illas delicias, significes nobis tuum iudicium, autor est *Basilius Monnerus*. Precor Deum ut Ecclesiis et his regionibus det piam pacem. Bene vale et rescribe. 28. Maii.

No. ——. (ex. Maio.)

Dav. Ungnad.

Praefatio praemissa libro: Germania Taciti. Vocabula regionum enarrata et ad recentes appellationes adcommodata. Harminius Ulrici Hutteni. Dialogus cui titulus est: Iulius. Recens edita a Phil. Melanthone. Wittebergae p. Io. Lufft. 1557. 8. Idem liber cum hac praefatione legitur in Chronico Carionis ed. Francf. ad Moen. 1624. p. 84. Inscripta est praefatio „*Davidi Ungnad Baroni a Sonneck*", qui, ut ex Scriptis publicis Acad. Witeb. intelligitur, illo tempore erat Rector Academiae Witebergensis. (Solebant enim Principes vel Comites et Nobiles iuvenes in Academia Rectores eligere.) Librum hoc tempore prodiisse intelligitur ex proxime antecedente ep. ad Matthesium. Caeterum haec praefatio eadem ad verbum est (excepta inscriptione), quae in prima huius libri editione legitur, inscripta *Ioachimo Schlick*, Comiti in Basan, quamque supra dedimus medio Aug. 1538. (Vid. Tom. III. p. 565.).

No. 6258. 1. Iun.

Ulr. Mordeisen.

Epist. lib. V. p. 162 sq.

---

1) Prior editio prodierat a. 1538., ubi illam vide.

2) *Selians*] Peuc. pro *Selinus*, ex mendo typographico. Nomen *Selini* Monnerum habuisse, docuit *Io. Henr. Stuss* in „Renovata memoria Basilii Monneri. Goth. 1758." Fuit anno 1557. Professor Iuris Ienae. Hoc tempore stetit a parte Flacianorum.

Ulrico Mordisin, Consil. Ducis Sax. Elect.

S. D. Clarissime vir, et Patrone colende. Daniel Propheta inquit: Deus dat sapientiam. Nec profecto in tantis tenebris humanis consilia sine Deo felicia sunt. Oro igitur ipsum Filium Dei, magni consilii Angelum, Dominum nostrum Iesum Christum, ut Principum et Consiliariorum mentes gubernet. In magnis morbis quies optima est. Nec video, quid aliud nunc quidem agendum sit, quam ut expectetur tempus constitutum colloquio. Nec in hac brevitate temporis aliud consuli potest. Si non procedit Colloquium, postea Principes deliberent: Differ, habent parvae commoda magna morae. Profecto in tantis rebus hunc versum et cogitari, et prodesse quietem sensi. Oro autem toto pectore, ut Filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, servet et protegat Illustrissimum Principem et vos, et harum regionum Ecclesias et earum hospitia. Bene et feliciter valete. Cal. Iunii 1557.

Philippus.

No. 6259. 1. Iun.

Andr. Fabricio.

† Ex autographo Mel. in biblioth. Magniducis Badensis. Descripta mihi a Cl. *Moltero.*

Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti Andereae Fabricio, fratri suo cariss. in Northusen,

S. D. Coniugium humanae divina Academia vitae est, ut in dulcissimo *Stigelii* carmine scriptum est. Nam et commonefactio est de Deo multipliciter, et exercitium plurimarum virtutum. Testantur metae coniugii et poenae incestarum commixtionum, Deum mentem castam esse. Et hoc ipsum foedus praecipuum vinculum est universae consociationis hominum. Et miranda conservatio societatis, procreatio et defensio sobolis ostendunt praesentiam Dei in genere humano. Denique amplissima sapientia est in hoc mirando ordine. Estque pietas Deo grata et hanc sapientiam considerare et libenter Deo parere nos ad hoc genus *) vocanti. Consilium igitur tuum laudo, et Deum, creatorem generis humani, auctorem huius dulcissimi foederis, et custodem Ecclesiae suae oro, ut faciat, ut coniugium tuum sit faustum et foelix. Accederem ad vos, nisi hic alligatus haererem molestissimis negociis. Sed vobiscum absens communia vota faciam, ut Deus et vestrum coniugium et Ecclesiam gubernet. Bene et foeliciter vale. Cal. Iunii 1557.

Philippus.

*) Desideratur *vitae.*

No. 6260. 1. Iun.

Testimon. Christ. Rudingero datum.

Edita in Nicol. Cisneri opuscul. cura et studio Quirini Reuteri, (Francof. 1611. 8.) p. 923 sq. (*Lunz.*)

Philippus Melanchthon
S. D.
Omnibus lecturis has literas.

Celebratum est flumen etiam apud veteres *Neccharus*, cuius ripas tenuisse scribunt Charitinos: quae appellatio videtur ab hortis facta esse. Sed ego libenter ad Charitas transfero. Est enim et regionis magna amoenitas et genus hominum placidum, et amans iustitiae et beneficentiae: suntque in ea ripa duae Academiae, in quibus hodie quoque sunt multi docti viri, excellentes eruditione et virtute, qui utiliter serviunt Reipublicae in propagatione doctrinarum. Tota etiam regio habet Ecclesias recte invocantes Deum. Opto autem, ut semper ibi sit χάρις Θεοῦ, et sint ibi Charites, videlicet hominum inter sese mutua benevolentia et beneficentia. In ea regione est oppidum *Mosbach*, clarum scriptis integerrimi et doctissimi viri, *Nicolai Cisneri.* In eo oppido natus est ex honestis parentibus *Christophorus Rudinger*, qui orbatus parentibus in infantia, postea educatus est a Concionatore reverendo viro *Georgio Eschinger*, qui curavit eum doceri literas. Hic Christophorus in Academia nostra cum magna laude modestiae et diligentiae in studiis vixit, et specimen praebuit virtutis, quod et tantum labore suo victum quaesivit, et parvo contentus fuit. Cum igitur initia doctrinarum studiose didicerit, et mores sint honesti et pii, oro reverendum virum *Georgium Eschinger*, a quo educatus est, ne eum deserat: oro et alios honestos viros, ut huic orphano benefaciant. Semper enim cogitanda est

omnibus dulcissima sententia, scripta his verbis: Esto orphano pater: tunc Deus magis te diliget, quam diligit te mater tua. Quid potest promitti maius amore Dei tanto erga nos, qui vincat maternam *στοργὴν*, quae est ardentissima? Hac invitati promissione amplissima libentius benefaciamus orphanis modestis, piis, et honestis laboribus deditis. Datae Witebergae, Cal. Iunii. Anno 1557.

Philippus Melanthon manu propria.

No. 6261. 1. Iun.

(*Commendatio.*)

Manlii farrag. p. 370 b. Item in Script. publ. Acad. Witeb. T. III. p. 81.

S. D. *omnibus lecturis has literas.*

Scitis multos pios pastores recte docentes cum familiis expulsos esse [1]) ex limitibus Bohemiae: qua in re hoc quoque dolorem omnibus augere debet, quod laudata Bohemorum natio, quae olim et sapienter et pie errores Pontificios taxavit, et fortiter armis defendit Ecclesias recte docentes, nunc videt gementibus multis piis, exerceri hanc asperitatem a paucis, qui veritatem manifestam, quod scimus, contra conscientiam suam oppugnant. Magno autem cum dolore hunc senem *Nicolaum*, patrem quinque filiorum et duarum filiarum, audivimus [2]) inter caeteros in hac senecta, et cum misera familia ex limite Bohemico pulsum esse. Quare oramus omnes qui aliquid ei largiri possunt, ut aliquid ad viaticum ipsius conferant. Certissimum est, Deum propter haec beneficia poenas publicas et privatas mitigare: et hanc fidem in hac beneficentia exerceamus. Datae Calendis Iunii, 1558. [3])

Philippus Melanthon
manu propria.

No. 6262. (h. t.)

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camer. p. 720 sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 864.).

1) *esse*] non habent Scripta.
2) Manl. *audimus*.
3) Scripta habent ann. 1557.

Clarissimo viro sapientia eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo carissimo,

S. D. Quod faustum et felix sit, iam ad hymenaeum *Bustii* [1]) proficiscimur. Ideo ne potui quidem multa scribere, tametsi littus Saxonicum satis argumentorum suppeditat. Audio *Danicum* Regem, Ducem *Megapolitanum*, urbes Saxonicas, missuros Legatos ad Senatum Bremensem, ac postulaturos, ut *Albertus* pellatur [2]). Deinde Synodum indicturos [3]), et nova decreta facturos esse. Vides exempla veterum temporum et Synodorum, *Pellitur e medio sapientia, vi geritur res.* Sed precemur filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, ut nos gubernet, impendent enim horrendae confusiones, et tetri furores. Non tantum temporis brevitas, sed etiam dolor vetat plura adiicere. Bene et feliciter vale, cum Ecclesia tua domestica et publica: de domo respondit meus gener.

Philippus.

No. 6263. 11. Iun.

Nic. Agricolae.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54 [3].

*Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, Nicolao Agricolae, docenti adolescentiam in inclyta urbe Augusta Tiberia *), fratri s. cariss.*

S. D. Doctissime *Nicolae*, et carissime frater. Et consilium tuum et orationem probo. Nam et nobis et adolescentiae utile est, accendere animos ad cogitationem et considerationem de publicis periculis et calamitatibus et de earum causis, et exuscitare mentes ad precationem et ad pietatem. Etsi autem non multi his nostris et concionibus et exemplis moventur, aliquos tamen voce docentium ad hanc curam Deus flectit. Orationem

1) Ioachimi a Beust, ICti. C. W.
2) Vid. Planck Gesch. des protest. Lehrbegr. P. V. Vol. 2. p. 214 sq. Loquitur de Alberto Hardenbergio.
3) Luneburgi. C. W.
*) i. e. Ratisbonae.

tuam edere decrevi, sed historias quasdam recentiores intexam, quae magis feriunt animos. Et in his narrationibus decet orationem habere motus et tragica exempla. Consolationem etiam addam: etsi impendent ruinae omnium regnorum, tamen Deum servaturum esse Ecclesiae reliquias. Habeo *Bessarionis* et *Callimachi* orationes eodem argumento scriptas, quorum alter fuit graecus, alter legatus regis Polonici ad *Amuraltum*. Audivi etiam narrationes *Lascii*, qui fuit Byzantii, quod ego nomen esse puto *Beth-Zona*, id est domus cauponae, seu meretricis *καπηλεῖον*. Sed de his alias copiosius. Mitto tibi et *Schallingo* pagellas de veteri imagine in templo Palladis Atticae *). Bene vale. Die solstitii aestivi, 1557.

Philippus.

No. 6264. 11. Iun.

A. Hardenbergio.

Epp. ad Hardenberg. ep. 41.

D. Alberto Hardebergio.

S. D. Reverende vir et carissime frater. Nihil habeo, quod scribam, nisi versum antea ad te perscriptum: *Pellitur e medio sapientia, vi geritur res.* Sed addo: Fraudibus etiam praesidia quaeruntur. Audio hoc agi, ut *Westphalus* fiat Lector in Academia Heidelbergensi, quod eo moliuntur quidam, ut sit magnanimus ibi defensor *τὴν ἀρτολατρείας.* Is scripsit etiam ad Erphordiensem [1]) concionatorem, ut mihi bellum inferat de hac propositione: Nihil habere rationem Sacramenti extra usum institutum. Non defugio certamen et periculum. Sed *τῷ ἀμυνομένῳ βέλτιον ἔσεται.* Et oro filium Dei, ut hos ingentes fluctus sedare velit, et nos regere. Contationem et necessariam et profuturam esse iudico, teque oro, ut non properes. Bene et feliciter vale. 11. Iunii.

Philippus.

*) Vid. ep. ad Mollerum d. 16. Iun. b. a.

1) Vid. ep. d. 2. Iul.

No. 6265. 16. Iun.

Laur. Mollero.

Epist. lib. V. p. 456 sq.

Laurentio Mollero, docenti Evang. in urbe Hildesheim.

S. D. Clarissime vir, et charissime frater. Quo magis lacerant multi *σοροπηγοὶ* Ecclesiarum dogmata, Politias, eo magis nos piam coniunctionem tueamur. Doleo barbariem Antinomorum nondum extinctam esse, cum sacerrimis Lutheri scriptis refutata sit. Et notissima sit vox Filii Dei: Non veni, solvere legem, sed implere. Et docet legem ipse Filius Dei. Sed omitto disputationem in re manifesta. Iudico autem, pie facere omnes, qui reprimunt Antinomos. Et Senatus in re tanta autoritate sua uti debebat *), teque adhortor, ut, quod facis, recte sentientes confirmes. Picturam *ἔριδος* mitto, qualis olim in templo Apollinis Athenis fuit. Utinam procul a nostris templis abesset. B. V. Die 16. Iunii 1557.

Philippus.

No. 6266. 16. Iun.

Ulr. Mordeisen.

Epist. lib. V. p. 183.

Ulrico Mordisin, Consiliario Ducis Sax. Elect.

S. D. Clarissime vir, et Patrone charissime. Scimus, qui sint Paterni adfectus erga filios, praesertim si sint honesti. Quare oro vos propter Paternam *στοργὴν* in vobis erga vestros, ut seni *Lasano* non desitis in petitione, in qua orat Illustrissimum Principem, ut filio *Lasano* in Gallia audienti Iurisconsultos biennio opem ferat. Ingenio valet *Bartolemeus Lasanus* [1]), et recte didicit Philosophiae initia. Hic etiam Iuris initia mediocriter alios docuit, ac optarim, eos, qui

*) Tilemannum Cragium, Superintend. Hildesianum, Senatus amoverat a munere propter lites cum aliis concionatoribus. Vid. *Saligii* hist. A. Conf. Vol. III. p. 411 sqq.

1) Fuit Artium magister et Decanus collegii philosophici anno 1556., ut ex Script. public. Tom. II. E. e. 2. intelligitur. Videtur igitur scripta baec epist. ann. 1557.

nunc quoque privatim docent, praestare similem industriam et assiduitatem. Deo iuvante, usui erit Reipublicae *Lasanus* et in docendo et in negociis agendis. Sed magis moveor senum Parentum adfectu. Et vidistis horum temporum motus, in quibus Deus multa leniit, immensa bonitate, his regionibus. Italia, Belgicum, Anglia et aliae regiones, quo in statu sint, videtis, etiamsi de vicinis Turcici Imperii non dicamus. Credo, Deum propter Ecclesiam dare Halcyonia his regionibus et ut diuturna sint, oro eum toto pectore, et multos pios homines orare non dubito. Oro etiam, ut propter paternam amicitiam cum *Lasano*, Patre [2]), eum complectamini. Bene et feliciter valete. Die sedecimo Iunii.

Philippus.

No. 6267. (fere d. 18. Iun.)

Scholasticis.

Scripta publ. Witt. III. p. 87 b. (Evulgata a *Lunzio* in der N. Leipz. Lit. Zeit. Intelligenzbl. 1807. 44 St. p. 712 sq. ex manuscripto.)

(*Scholasticis.*)

Cicero ait, in oratione *Demosthenis* περὶ στεφάνου tantam esse eloquentiam, quantam inclusa in animos idea requirat. Fortassis haec praedicatio immodica est. Sed vere Plinius dixit, canonem et normam dicendi esse eam orationem. Certe utilissimum est, eam saepe legere, et considerare formam et consilia.

Ideo propter adolescentes rursus eam cras, Deo iuvante, interpretari incipiam. Causa est splendida: an recte fecerit, quod bellum suasit. Aristoteles Demadem reprehendit in rhetoricis, qui dixerat, πολιτείαν Demosthenis fuisse causam malorum, quae secuta sunt. Fallaciam inquit esse Aristoteles ex non causa, ut causa, ὅτι μετὰ τοῦτο, οὐ διὰ τοῦτο illa acciderint. [ann. 1557.]

Philippus Melanthon.

2) Consule urbis Cygneae.

No. 6268. 21. Iun.

H. Huddeo.

† Ex autographo Melanth. in bibl. D. Doct. *C. H. Haeberlini*, Francoford. Mihi a possessore descripta.

Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti, Hermanno Huddeo, gubernanti studia doctrinae in inclyta urbe Minda, fratri suo carissimo.

S. D. Clarissime vir et carissime frater. Dulcissimus versus est Nazianzeni ἀλλήλοισι χέρες τε καὶ οὔατα καὶ πόδες ἔσμεν. Pie igitur facis, quod et coniunctionem tuam cum Ecclesiis nostris ostendis, et nos adiuvas in his publicis laboribus, tibique gratiam habeo, quod significas res vestras, ac filium dei oro, ut nos gubernet, et efficiat, ut quam plurimi unum simus in ipso. Mitto pagellam recens editam, quae brevem commonefactionem continet de impudentia cuiusdam anonymi, qui defensionem *Stenkefeldii* [1]) venenatissimam nuper edidit. Nec tantum pagellis refutandi erant tales praestigiatores, sed coercendi gubernatorum severitate. Sed filium dei, λόγον καὶ εἰκόνα ἀΐδιον ἀϊδίου πατρὸς, oro, ut servet Ecclesiae reliquias, et non sinat exstingui lucem doctrinae suae. Adolescentis *Guielmi* studia ut patri commendes, te valde oro. Si quid putas impetrari posse vel a senatu, vel ab honestis civibus, quaeso annitere. Nam et mens adolescentis pia est, et ingenium doctrinarum capax, et recte didicit initia earum. Bene vale et rescribe. Die 21. Iunii 155 . . [2])

Philippus Melanthon.

No. 6269. 24. Iun.

Ge. Agricolae.

Epist. lib. II. p. 564. (ed. Lond. lib. II. ep. 586.). — Hic ex autographo in cod. Goth. 400. descriptae.

1) Vid. epist. ad Besoldum d. 1. Iulii h. a. — Pagella de qua loquitur, est pagella academica Pauli Eberi d. 21. Iun. 1557., quae legitur in Scriptis Publ. Acad. T. III. p. 88., et fortasse a Melanthone ipso est conscripta.

2) Ultima numeri nota periit.

Georgio Agricolae, gubernanti studia doctrinae in inclyta urbe Norici Amberga, fratri suo cariss.

S. D. Clarissime vir, et charissime frater, Communi foedere copulatae mentes omnium, qui Filium Dei invocant, esse debent, sicut ipse vult nos omnes unum in Deo esse. Diligo igitur et Ecclesiam vestram, et Filium Dei oro, ut vos omnes protegat et gubernet. Postea etiam naturales causae benevolentiam meam erga vos omnes augent. Iudico urbem vestram esse partem patriae meae, quia *Electoris Palatini* imperio continetur. Sed accedit singularis causa. Meus pater vir probatus multis bonis Principibus, ante annos octoginta adolescens in urbe vestra vixit apud eos, qui machinas bellicas fundunt, et postea saepe ibi fuit, ac vestrae urbis mores et disciplinae severitatem magis laudabat, quam *Heidelbergae*, in qua natus erat. Haerent hi sermones in teneris annis, et obversatur menti patris viri prudentis et modesti imago. Nec possum non amare civitatem ab ipso laudatam. Haec tuis amicis istic legas, ut sciant me eorum benevolentia valde delectari. Quod me adversus obtrectatores tuemini, gaudeo, et iudicium de me vestrum, et benevolentiam erga me ostendi. Sed doctrinae formam spero piis et eruditis, et apud vos et alibi probari. Nec discedam ab hac forma, etiamsi aut veteres *Titanes*, Pontificii, aut novi ex illorum sanguine nati, refragentur. Meministi in fabulis dici, terram ex *Titanum* sanguine gigantes deinde genuisse. Ita ex Sophistis Pontificiis videmus novos Sophistas, *Stoicos* et *Cynicos* natos esse. Sed haec alias. Precemur autem Filium Dei, ut nos gubernet, et servet Ecclesiae reliquias apud vos et alibi. *Sebastiano Probo* dedi literas ad Abbatem collegii Reichenbachensis, ut voluisti. Deus tribuat seni mediocrem nidulum, *τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ γερόντων*. Meministi enim Homericum versum. Ego quoque in hac senecta tranquilliorem nidum optarim. Mitto tibi pagellas, quae studia et labores nostros utcunque ostendunt. Die Iohannis Baptistae. Anno 57. Bene vale et rescribe.

Philippus.

Pater meus fuit tibi *ὁμώνυμος Georgii* nomine, et habeo fratrem *Georgium*, te quoque volo inter meos *Georgios* esse.

No. 6270. 26. Iun.

Hier. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 226 sqq. — Hic ex autographo in cod. Monac. I. p. 222, quod Baumgartnerus, ut ipse adscripsit, accepit „1557., 11. Iulii per Andream."

Hieron. Bomgartnero, Senatori inclyt. urbis Noribergae.

S. D. In pagellis quae titulum habent Demetrii Phalerensis, scriptum est, Aristotelem rogatum ut de longiore quaestione responderet, solitum rescribere: *ταῦτα μὲν οὐκ ἔστιν ἐπιστολικά*. Sic ego cum de multis magnis rebus etiam quotidie tecum loqui cupiam, cum in literis illam rerum magnitudinem complecti non possim, utar hac Aristotelica excusatione, *ταῦτα μὲν οὐκ ἔστιν ἐπιστολικά*. Annotavi tamen in pagella inserta huic Epistolae quaedam historica de his, quae antecesserunt conventum *Francofordianum* et alia[1]). Quod in patriae Academiam vocatus, non tantum Principis literis, sed etiam amicorum dulcissimis adhortationibus non sum eo profectus, etsi desiderio patriae afficior, habeo excusationem aulicam, quia Princeps *Elector Saxonicus* petivit, ut manerem. Et non valde contendi, ut dimitterer; brevi enim spero me in coelestem patriam profecturum esse. Si abiissem, longius processissem in ea loca, ubi respondere Sycophanticae Flacianae liberius potuissem.

Haec sunt *ἐπιστολικά*, mendicare scholasticorum causa, et hunc nostrum gregem tibi commendare.

Carolus Schoppius Filius diaconi Ecclesiae vestrae, vir honestus et eruditus est, et non recusat Ecclesiae vestrae servire, petit ut concedatur sibi diutius frui stipendio. Iudico dignum esse benevolentia vestra propter eruditionem et optimos mores, cum quidem rari sint, quorum laudare mores possim. Vides enim quae sit horum temporum licentia, quam tetra disciplinae laxatio. Sed hunc *Carolum* existimo et natura modestum esse, et doctrina ad intellectum et amorem virtutis assuefactum, et vera agnitione filii Dei et a Spiritu sancto ad pietatem accensum. Quare eum tibi commendo.

1) Vid. ep. ad Besoldum d. 1. Iul.

De *Hamburgensi*[2]) tibi gratiam habeo, teque oro, ut consiliis eum tuis et praeceptis regas, ac spero tibi obtemperaturum esse. Beneficia vestra erga se praedicat, et laudat modestiam et temperantiam vestrorum hominum, quare et ipsum has virtutes amare iudico.

Mitto pagellas[3]) nostro more. Libenter autem integrum volumen contra Enthusiasticos *Stenkefeldianos* mitterem, quod multi diu a me petiverunt. Sed toties interruptum est opus aliis negotiis, ut nondum absolverim. Bene et foeliciter vale, vir optime et carissime. 26. Iunii[4]).

Philippus.

No. 6271. (ex. mense.)

B. Mithobio.

Epist. lib. II. p. 340. (ed. Lond. lib. II. ep. 344.). — Hoc mense, ut videtur, scripta, quum Taciti Germania prodierit mense Maio.

D. Burcardo Mithobio

S. D. Illustrissimae Principi agito gratias nostris verbis. Tuo quoque amore et studio erga nos perpetuo, vehementer delector, teque rogo ut tibi persuadeas, vere et ex animo te a me diligi, *ἄνδρα συμφιλόσοφον, καὶ εὐσεβῆ.* Multa scribere non vacabat. Mitto tibi duos libellos, ut vicissim a nobis aliquod munus habeas. Eram additurus tertium, in quo appellationes partium *Germaniae* veteris interpretatus sum, sed non erat ad manum. Bene vale.

No. 6272. 1. Iul.

H. Besoldo.

† Ex apogr. in cod. Goth. 19. p. 172.

Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Hieronymo Besolt, docenti Evangelium in inclyta urbe Noriberga, fratri suo carissimo.

S. D. Reverende vir et frater carissime. Defensio edita est *Stenckfeldii* venenatissima, ficto

2) Mollero. Vid. ep. d. 24. Maii.

3) Pagellam academicam Eberi adversus Schwencfeld. Vid. Script. Publ. III. p. 88.

4) Alia manus adscripsit: 1557.

nomine. Titulus est enim *Theophili Agricolae*[1]). Satis loquax est autor, quisquis est. Eius libri mentio facta in *Eberi* pagina[2]), quam tibi mitto. Adversus tales fanaticos nebulone coniunctionem nostram tueri nos magis oportebat. Haec mihi saepe calamitanti accidit prorsus hoc, quod de sese inquit Demosthenes, cuius haec sunt verba in prima epistola, quae adscribam, quia volo tibi nota esse. *Παρακαλῶ δὲ εἰς ταῦτα, οὐ τυχὼν αὐτὸς τοιαύτης φιλανθρωπίας παρ᾽ ἐνίων· ἀλλὰ ἀδίκως καὶ στασιαστικῶς εἰς τὴν ἑτέρων χάριν προποθείς. Ἀλλ᾽ οὐδὲ τὴν ἰδίαν ὀργὴν ἀναπληρῶν τὸ κοινῇ συμφέρον οἴομαι δεῖν βλάπτειν, οὐδὲ μίγνυμι τὰς ἰδίας ἔχθρὰς εἰς τὰ κοινῇ συμφέροντα οὐδέν. Ἀλλ᾽ ἐφ᾽ ἃ τοὺς ἄλλους παρακαλῶ, ταῦτα αὐτὸς οἴομαι δεῖν πρῶτος ποιεῖν*[3]).

Expecto iam nova decreta ex *Francofordiano* conventu, quo principes adduxerunt theologos. Et voluerunt *Palatinus Elector* et *Wirtebergensis*, ut ex his regionibus etiam aliqui adducerentur[4]). Et tamen arte, existimo, rem ita instructam esse, ut sero id significaretur. Commendo Ecclesiam filio Dei et me in ea, et animum ad ferendas calumnias praeparo. Nam video, tantam esse odii acerbitatem in quibusdam sophistis, ut mirificis artificiis hoc agatur, ut me opprimant et e medio tollant, sicut quidam inter illos dixit. Possum verius dicere quam David dixit: canem mortuum persequuntur. Sed filium Dei dominum nostrum I. C., caput et custodem Ecclesiae oro,

1) Theophili Agricolae Apologia für Hr. Caspar Schwenkfeldten von Ossing etc. 1557. 4. Vid. *Salig.* l. l. Vol. III. p. 1069.

2) Eberi scheda academica, edita d. 21. Iun. 1557. habetur in Scriptis publicis Acad. T. III. p. 88.

3) Idem dictum lege infra in epist. d. 12. Iulii ad Agricolam. Legitur in epist. I. Demosth. p. 1465. ed. H. Steph.

4) De illo conventu vid. *Salig.* in hist. Aug. Confess. Vol. III. p. 255 sq., qui narrat p. 264.: „Wie sich nun die meisten Theologen [an der Zahl 31] zu Frankfurt versammelt hatten, ließen der Churfürst [von der Pfalz] Otto Heinrich und der Herzog Christoph von Würtemberg an die übrigen Fürsten, Grafen und Theologen folgenden Antrag thun: sie wüßten, daß auf dem Reichstag zu Regensburg von Römisch Königl. Majestät auf den 24. Aug. [1557.] ein Colloquium zu Worms bestimmt wäre. Es hätten aber die evangelischen Stände in einem besondern Abschiede für hochnothwendig angesehen, die evangelischen Theologen den 1. Aug., und also zeitig vor dem Colloquio gen Worms zu verordnen, um die bisher unter ihnen höchst beschwerlich getriebenen Zwiespaltigkeiten zu vergleichen, und eine gleichlautende Instruction auf die Augsb. Confession und Schmalkaldischen Artikel abzufertigen." — Vid. etiam ep. ad Matthes. d. 30. Iul. et ep. ad Baumgartn. ibid.

ut me gubernet. Bene vale et rescribe. Cal. Iulii 1557.

Philippus.

No. 6273. 2. Iul.

A. Clavigero.

† Ex apographo in cod. Goth. 401. p. 266 b.

Reverendo viro eruditione et virtute praestanti D. Ambrosio Clavigero pastori Ecclesiae Dei in monte Mariae [Marienberg in Misnia] *fratri suo carissimo*

S. D. Reverende vir et carissime frater. Hanc epistolam cum scriberem in festo, quo celebratur memoria dulcissimi congressus Mariae et Elisabethae, cogitabam, tibi scribendam esse etymologiam nominis *Miriam*, quia et oppido vestro inde nomen est.

Ego iudico, concinnam etymologiam esse *doctricem populi.* Scis enim maximum usum הורה [1]), unde sunt *Thera*, *Maran* et alia. Et typus est illa sapiens virgo Ecclesiae, quam vult Deus esse gentium doctricem. Oro autem Deum, ut nunc quoque servet reliquias verae Ecclesiae, ut tunc servavit inter horribiles dilacerationes. Mitto tibi pagellas nostro more. *Westvalus*, qui Hamburgae est, scripsit ad *Andream* Erfordiensem concionatorem, ut mihi bellum inferat de propositione, quae *Eccio* lethalis fuit, cum eam refutare non posset, in qua dico: *nihil habere rationem sacramenti extra usum institutum* [2]). Vides odio illos etiam veras sententias oppugnare. Sed expecto et flagito literas tuas. Bene vale. 2. Iulii.

Ph. M.

No. 6274. 4. Iul.

Io. Giganti.

Epist. lib. V. p. 532 sq. Etiam in *Kindervateri* Nordhusia illustri p. 80.

Iohanni Giganti.

S. D. Reverende vir, et charissime frater. Gaudeo, vos coniunctionem cum nostra Ecclesia tueri, et vobis gratiam habeo, ac Deum oro, ut faciat, ut in tota aeternitate unum in ipso simus. In tua Patria *Antonius* [1]) ita tumultuatur, ut nuper Propositiones templo adfixerit, in quibus cum aliae erant ambiguae tum haec quoque: Summa ars est Christianorum, nescire legem. Scio, posse bellam interpretationem addi. Sed cur malunt, improprie quam recte loqui? Et tamen re ipsa ille est ἀντίνομος. Recens Senatus *Heldesius* discedere ex urbe iussit Pastorem, similia contra legem vociferantem, qui alium Pastorem, doctum virum, nominavit in concionibus ein Gesetznarre [2]). Doleo, propter has Ecclesiae calamitates, et oro Filium Dei, dominum nostrum Iesum Christum, ut ipse nos gubernet, et harum regionum Ecclesias protegat. Servet et te et tuam domesticam Ecclesiam. Bene vale. 4. Iulii.

Philippus Melanthon.

No. 6275. 4. Iul.

Laur. Mollero.

Epist. lib. V. p. 457 sq.

Laurentio Mollero, docenti Evangel. Hildesiae.

S. D. Clarissime vir, et charissime frater. In his publicis et privatis calamitatibus saepe repetamus precationem senis Iacobi. Benedicat nobis Deus omnipotens, et Angelus Filius, qui et liberavit, et liberabit nos ex omnibus malis. Hunc oro, ut tibi quoque animi et corporis vires confirmet. Et in causa optima et pulcherrima erecto et tranquillo sis animo. Nec nos extra periculum sumus. Sed scio, in cymba nostra, Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum esse custodem invocantium eum.

Edidit propositiones † *Antonius* "*) Northusanus, in quibus, cum aliae sunt ἀκυρολογίαι, tum

---

1) מָרָה ?
2) Vid. supra d. 11. Iunii.

---

1) Antonius Otho, Past. Northusan.
2) Cf. Ep. ad Moller. d. 16. Iun. et narrationem in *Saligii* Historie der Augsb. Confess. Vol. III. p. 411 sqq.
*) Addit A. D.

haec quoque, *Summa ars Christianorum est, nescire legem.* Scio, posse addi bellam interpretationem. Sed cur populo ambigua dicta tradunt, et quidem hoc consilio, ut licentiam amplificent. Mediocria fuerunt mea erga illum*) officia. Nec quisquam ambitiosius mihi maledicit. Sed commendo me Deo, ac, Deo iuvante, ab hac forma doctrinae simplici, qua sum hactenus usus, et quam discentibus prodesse scio, non discedam propter istorum sycophantarum et sophistarum *ἀσέλγειαν.* Valde oro te, ut quamprimum mihi de tua valetudine scribas. Bene et feliciter vale. 4. Iulii 1557.

Philippus.

No. 6276. 7. Iul.

M. Collino.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Matthaeo Collino in Academia Pragensi.

S. D. Clariss. vir et cariss. frater. Scis illud Achillis, qui interrogatus, quos sustinuisset labores omnium maximos, respondit: amicorum causa susceptos. Rursus interrogatus, quos sustinuisset dulcissimos, respondit: eosdem. Opinor te quoque virum optimum nec gravatim suscipere labores amicorum causa. Rursus igitur nostros commendo. Hic *Tilemannus Mumius* natus est in inclyta Colonia Agrippina in familia honesta, nec habet aliam huius itineris causam, nisi ut laudatam nationem vestram videat. Ut igitur ei testis esse possis, habere eum honestam itineris causam, hanc ei epistolam tradidi, teque oro, ut eum amanter excipias. Vir doctus et modestus est, nec vobis oneri erit, sed amicis eum commendabis, ut monstrent praecipua ornamenta urbis. Mitto pagellas nostro more. Bene vale et rescribe. Die 7. Iulii, quo pugna facta est ad Cheroneam. 1557.

No. 6277. 12. Iul.

Io. Matthesio.

Epist. lib. II. p. 85. (ed. Lond. lib. II. ep. 69.).

D. Iohanni Matthesio

S. D. Reverende vir et charissime frater, Scis Principes aliquot convenisse in ripa *Moeni Francofordiae*, ad dirimendam veterem controversiam, quae fuit inter *Cattos* et *Nassavienses**). Et controversia Dei beneficio dirempta est. Postea convocati sunt Theologi, ac illi consessui interfuerunt *Palatinus* Elector, *Wirtebergensis* et *Badensis.* Non voluit interesse *Cattorum* Princeps. Credo quia scivit de meo capite dicendas esse sententias. Dicta est sententia *Attica: ὁμοίως ἀμφοῖν ἀκροᾶσθαι,* ne quid pronunciaretur antequam utraque pars audita sit. Postea sunt et decreta alia facta quae nobis mittentur. Qualia sint, nondum rescivi. Sed *Gallum* scio adfuisse, cuius et cantum et pugnacitatem novimus. Est igitur altera haec *ὀρνιθοσύνοδος.* Audio et *Brunsvigae* futuram *ὀρνιθοσύνοδον.* Precemur Filium Dei, ut ipse nos gubernet et servet Ecclesiae reliquias. Nam quo illa et Aularum et Episcoporum *πολυπραγμοσύνη* tendat, non obscurum est. Bene vale et rescribe. Die Iulii 12.

No. 6278. 12. Iul.

Ge. Agricolae.

Epist. lib. II. p. 565. (ed. Lond. lib. II. ep. 587.). — Hic ex autographo in cod. Goth. 400.

Georgio Agricolae, gubernanti studia doctrinae in urbe Amberga.

S. D. Clarissime et charissime frater, Ut reditus in patriam *Georgio* sit faustus et felix, opto, eumque tibi commendo, comperi enim modestum esse. Haec cum scriberem, habebam in manibus *Demosthenis* primam epistolam, in qua haec sunt verba: *Παρακαλῶ δὲ ὑμᾶς μήτε πικραίνεσθαι, μήτε μνησικακεῖν, οὐ τυχὼν αὐτὸς τοιαύτης φιλανθρωπίας παρ' ἐνίων, ἀλλ' ἀδίκως καὶ στασιαστικῶς εἰς τὴν ἑτέρων χάριν προποθείς· ἀλλ' οὔτε τὴν ἰδίαν ὀργὴν ἀναπληρῶν τὸ κοινῇ συμφέρον οἶμαι δεῖν βλάπτειν, οὔτε μίγνυμι τὰς ἰδίας ἔχθρας εἰς τὰ κοινῇ συμφέροντα. Ἀλλ' ἐπὶ*

*) A. D. *Antonium.*

*) Fuit ille conventus d. 16. Iun. 1557. Vid. de eo *Saligius* in hist. Aug. Conf. III. p. 257 sqq.

ἃ τοὺς ἄλλους παρακαλῶ, ταῦτα αὐτὸς οἴομαι δεῖν πρῶτον ποιεῖν, videlicet μὴ μνησικακεῖν*). Adhortor omnes ad concordiam, tametsi ego a multis iniuria adfectus sum, et propinatus inimicis. Sed non iudico, propterea laedendam esse Rempubl. Nec miscendas privatas offensiones causae communi, idque primus facere studeo, ad quod alios adhortor. In his verbis quia similitudo quaedam describitur meae patientiae, duxi tibi hanc periodum describendam esse, ut talis viri exemplo confirmati virtutem esse cogitemus, μὴ μνησικακεῖν. Verba *Demosthenis* scripsi in pagella, quam inserui his literis. Spero tibi viro optimo iucundam fore lectionem. Discamus hanc tolerantiam inter tam duros Criticos. Simul etiam petamus auxilium a Filio Dei, qui dixit: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Bene vale. Die 12. Iulii. Anno 1557.

Philippus.

No. 6279. 13. Iul.

Senatui Francoford.

Editum a Pezelio in Melanthons christlichen Bedenken p. 490. Etiam in den Frankfurtischen Religionshandlungen, Nr. 6. Beilage p. 44. Iudicat, an exules ex Anglia, quos Ioannes a Lasko primum in Daniam, postea Wesaliam et Embdam, denique Francofordiam ad Moenum duxerat, simulque exules e Gallia, qui a genuina Lutheri doctrina de coena sacra aberrare putabantur, recipiendi et tolerandi sint. Conf. Scriptum ad Wesalienses d. d. 19. Nov. 1556.

„Iudicium oder Bedenken des Herrn Philippi Melanthonis seligen an einen ehrbaren Rath der Stadt Frankfurt am Mayn, wegen der frembden Nationen. 13. Iulii 1557." (Inscr. apud Pez.)

Ob die Gallica Ecclesia und Anglica zu Frankfurt errores hätte Serveti oder Thammeri, oder andre blasphemias wider die Symbola, oder Anabaptisticos errores wider die Kindertauf, wider der Obrigkeit Gericht 2c., so wollte ich treulich rathen und ernstlich vermahnen, daß man sie bald verjagen sollte; denn die weltliche Obrigkeit ist schuldig, erkannte blasphemias und Aufruhr zu verhüten und zu strafen. Ich befinde aber, daß die gedachte Gallica Ecclesia und Anglica in den Artikeln des Symboli vom Sohne Gottes, und in andern Artikeln Symboli rein seynd. Darzu werde ich berichtet, daß sie unsre Confession, genannt repetio confessionis exhibenda Tridentinae Synodo, in allen Artikeln annehmen und halten, ohne daß sie in Einem Wort Bedenken haben, in articulo de coena domini. Darum ist mein Rath und Bitt, daß man sie nicht vertreiben soll, habe auch dergleichen gerathen und gebeten bei den Herrn zu Wesel. Denn obgleich etwas hierin streitig, so ists doch christlich, daß sie zuvor unterwiesen, und nicht ohne Unterweisung in das Elend verstoßen werden, wie ich auch höre, daß sie bitten, man wolle sie hören, und wolle darzu aus andern Landen, Städten und Herrschaften, die auch löbliche christliche Regiment haben, gelehrte und gottsförchtige Männer erfordern, und ist öffentlich, daß diese Sache einer ernstlichen Unterrede bedarf. Denn die Unsere führen dunkle und fremde Reden, und ist nothwendig, daß die Potestaten darzu arbeiten, daß eine einträchtige gleiche Form in der Erklärung de coena domini gefasset werde.

So weiß man auch, daß etliche löbliche Fürsten jetzund in dieser Arbeit seyn, daß eine christliche Unterrede der Fürsten und Gelehrten fürgenommen werde. Solche Unterrede werde nun bald oder nicht bald fürgenommen, so ist nöthig, daß mit der Zeit solchs geschehe, denn diese Sache hat Streit in vielen Landen und Städten. Darum bitt ich um Gottes willen, ein Ehrbar Rath wolle mit diesen Leuten je so lang Geduld haben, bis daß sie auch mögen gehört werden. So man auch Inquisition fürnehmen wollte wider andre Bürger in den Städten, welche Unruhe und Zerrüttung würde daraus folgen in vielen Landen und Städten? Ich hoffe auch mit Gottes Gnaden, so christliche gelehrte Männer zusammenberufen werden, sie würden sich dessen, anderer streitigen Artikeln wegen wohl vergleichen. Denn obwohl allezeit etliche zankbegierige unruhige Leute seynd, so seynd dennoch dagegen auch gottsförchtige Leut, so sie gründlich unterricht werden, die Gottes Ehr und Wahrheit lieben, und in rechter Anrufung bleiben. Etliche halten die Elevation und Adoration, etliche haltens nicht. Diese Ungleichheit bringet Zank, denn das eine Theil in solcher Adoration große Beschwerung hat; darum muß Erklärung geschehen. Gott gebe Gnade darzu. 13. die Iulii anno 1557.

Philippus Melanthon
manu propria.

---

*) Haec graeca scripta habentur in singulari pagella epistolae adiecta, et sic inscribuntur: „Verba Demosthenis haec sunt in prima epistola." Ad verbum προποθεὶς adscripsit Philippus in margine: „sicut ego propinatus sum aliis quibusdam." Idem dictum vid. supra in ep. ad Besoldum d. 1. Iul.

No. 6280. 14. Iul.

Tilemanno Fossano.

† Ex apographo in cod. Monac. 88. no. IV. p. 88 b. et in cod. Monac. 90. no. VII. p. 361 b.

Ad Tilemannum Fossanum

S. D. Arbitror te, ut multos alios viros bonos amantes reipublicae et Ecclesiae in his dissidiis publicis et bellicis tumultibus admodum animo angi, et multa de Ecclesiarum aerumnis et perturbatione disciplinae et studiorum cogitare. Nec ego ignoro tam tristi tempore haec literarum commercia minus iucunda esse. Quare etsi virtutes tuas egregias admodum praedicari audieram, et munere a te provocatus eram, tamen ad te scribere dubitabam. Sed cum rursum alium fascem chartarum misisses, statueremque contra humanitatem esse, nullam gratitudinis significationem praebere, tandem ad te scribendum esse duxi. Ago itaque tibi gratias pro tuo munere, quo non tantum propter usum delector, sed eo etiam, quod hoc tuum officium testimonium benevolentiae esse erga nos tuae iudico. Quid autem nobis in causa non plausibili versantibus gratius esse debet studio et benevolentia bonorum et prudentum virorum? Ego quidem etiam mea causa opto bonorum mihi testimonia non deesse, et propter Rempublicam gaudeo, passim esse aliquos ea virtute et gravitate iudicii praeditos, ut res utiles in Ecclesia patefactas obrui nolint; qui etsi propter duriora potentum iudicia minus contendunt, tamen suae sententiae significatione multorum iniustos impetus remorantur, qua in re multum utilitatem communem iuvant. Nos profecto nulla privata cupiditate dissentimus a potentioribus. Ego etiam vehementer doleo, me a literis et philosophia abstrahi. Sed adversariorum rabies non concedit nobis ocium. Spero autem, in his certaminibus doctrinam Ecclesiae Christi a nobis pie et dextre explicatam esse, ac Deum oro, ut has agonas et mentes nostras ipse regat et suam Ecclesiam augeat. Cum autem nos ad amicitiam humanitate tua provocaris, me ut complectaris rogo, meamque tibi benevolentiam polliceor, quae etsi non potest esse fructuosa, tamen homines doctos meminisse decet, amicitiam virtutem esse, eamque colere sine spe privatae utilitatis, sed tamen anniti, ut illa bonorum consensio reipublicae et Ecclesiae prosit. Bene vale. die 14. Iulii.

No. 6281. 15. Iul.

Ioach. a Berge.

Epistola ex errore a Pezelio in Consil. Melanthonis lat. P. II. p. 286. annexa epistolae Mel. ad Hubertum Languetum d. d. 15. Iulii 1556., ubi conferantur quae diximus. — Testimonium de eius studiis absolutis vid. d. 1. Maii a. 1556.

Generoso Iuveni, nobilitate generis, eruditione et virtute praestanti, D. Ioachimo a Berge, Equiti Silesio, Basileae Helvetiorum nunc agenti.

Oro*) Deum, aeternum patrem domini nostri Iesu Christi, ut te nobis et patriae tuae servet incolumem, et hanc tuam peregrinationem honestissimo consilio institutam, ac totum vitae tuae curriculum fortunet, gubernet et adiuvet, ut sis organum animae tuae, Ecclesiae et Reipublicae salutare. Quaeso te, significa, qualia sint auspicia peregrinationis tuae, et adsperge aliquid de conversatione et colloquiis Helvetiorum. Die 15. Iul. ann. 1557.

Philippus Melanthon.

No. 6282. 15. Iul.

Concionatoribus Soëstanis.

† Ex autographo in tabulario Senatus oppidi Soëst descripta.

Reverendis viris, eruditione et pietate praestantibus D. Erasmo, D. Thomae et D. Francisco, Evangelium docentibus in Ecclesia Dei in inclyta urbe Susato [Soëst], *fratribus suis colendis.*

S. D. Reverendi viri et carissimi fratres. Exposuit mihi et aliis amicis vir Reverendus *Christophorus*, pastor Ecclesiae nobis vicinae, qui

*) Pezelius addidit: *autem*, puto ex arbitrio, ut coniungeret verba cum antecedentibus.

recens apud vos fuit, velle vos adiungi vobis *σύνεργον* in Evangelico ministerio. Et litteras Senatus inclytae urbis Susatensis expectandas esse. Cum autem cogitaverimus, illam moram longam fore, delegimus hunc *Casparum Cornerum*, natum ex honestis parentibus in inclyta urbe Luneburgo, qui in Academia nostra quinquennio audivit Ecclesiae uberrimam et recte didicit incorruptam Evangelii doctrinam, et hortati sumus, ut ad vos proficisceretur et Ecclesiae vestrae se offeret. Quare vos oro, ut hunc *Cornerum* et audiatis et si usui fore Ecclesiae iudicabitis, cum honestissimo Senatui commendetis, et vos ipsi fratres benevolentia complectamini et vobis adiungatis. Eruditione, pietate, castitate et modestia ministerium Evangelii, ubicunque erit, ornabit. Aetatem fortassis maiorem requiretis, sed morum sanctitas sarciet, id quod deest aetati. Et ego in eligendis ministris Evangelii praecipue pietatem, eruditionem, et modestiam considero. Eo etiam libentius eum adiuvate, quia orphanus est. Et scriptum esse scitis: *Esto pater orphano, tunc deus magis te diliget, quam diligit te mater.* Quid potest promitti maius amore dei erga nos tanto, qui saperet maternam *στοργήν*, quae est ardentissima. Hac tanta promissione invitati libentius benefaciamus orphanis, praesertim piis et qui Ecclesiae usui esse possunt. Nec dubito hunc *Cornerum* consiliis vestris in omnibus negociis obtemperaturum esse, et in tuenda concordia Ecclesiae vestrae memorem fore dulcissimae sententiae: *ὁ Θεὸς ἀγάπη ἐστὶ· καὶ ὁ μένων ἐν τῇ ἀγάπῃ, ἐν τῷ Θεῷ μένει, καὶ ὁ Θεὸς ἐν' αὐτῷ.*

Oro autem Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, caput Ecclesiae, omnia in omnibus perficiens, ut vos et nos gubernet et Ecclesiam suam ubique protegat. Bene valete. Die Iulii 15. 1557.

Philippus Melanthon.

No. 6283. 15. Iul.

Paul. Lutherus ad Acad. Witeb.

† Ex apographo in cod. Goth. 123. ep. 182.

(*Paulus Lutherus ad Collegium doctorum artis medicae in Academia Vitebergensi.*)

S. D. Magnifice domine Rector, Clarissime domine decane collegii doctorum artis medicae, et caeteri doctores, quibus huius academiae gubernatio tradita est.

In hac tanta moestitia temporum, quae secuta sunt mortem mei patris charissimi, scitis charissimam matrem meam, et meam sororem, et me in hac academia mansisse, velut ad tumulum patris, cum alii multi quaesiverint loca commodiora, sumque amplexus doctrinae genus, quod multis prodest et nemini nocet, et quo me delectari charissimus pater meus maxime laetabatur.

Cum autem sciatis difficultates nostras, oro, ut mihi pecuniam, quae fisco debetur*), remittatis, qua in re primum charissimi patris mei merita cogitetis, a quo verum est multas magnas res recte illustratas esse; deinde et meam erga academiam observantiam consideretis. Testimonium publicum in hac academia peto, in qua Deus patrem meum ad emendationem Ecclesiae vocavit, et in qua postea vobiscum mansimus, cum multi eam delere conarentur. Sed hanc esse patriam sensi, et mea erga academiam et erga vos benevolentia perpetua erit. Quare ut hoc beneficium, quod peto, mihi tribuatis, oro. Vos pro vestra sapientia spero hanc meam petitionem boni consulturos esse. Bene valete. 15. Iulii anno 57.

M. Paulus Lutherus.

No. 6284. (fere med. Iul.)

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camer. p. 719. (ed. Lond. lib. IV. ep. 863.).

Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo cariss.

S. D. Hunc tabellarium misi propter aulicam epistolam, de *Portensis* scholae Rectore, quam cum legeris, tuo iudicio quaeres *Balduvio* successorem, si probas eum qui[1]) nunc secundum lo-

---

*) Vid. epist. ad Matthes. d. 30. Iul. h. a. — Decretus est Paulo Luthero simul et Severino Goebel gradus doctorum in arte medica d. 29. Iul. 1557. Vid. Scripta publ. T. III. p. 107.

1) Picum Glogaviensem. C. W.

cum tenet, fortassis commodius erit ipsi primum locum tribuere, quam alium novum et ignarum consuetudinis loci illius quaerere, sed totam rem tuo iudicio commendo, praesertim cum et animum habeam hoc tempore cura Rhenani itineris occupatum. Non ita Scyllam et Charybdin Ulysses metuit, ut ego diram Sophisticen et rabiem hypocritarum. malim domi cum filiabus meis dicere pias precationes, quam alibi Sphingos aenigmata audire. Sed oro filium Dei, ut nos gubernet. Die tricesimo Iulii decrevi Lipsiam venire. Bene et feliciter vale. Deus servet te et totam Ecclesiam tuam domesticam.

Phil. Melan.

No. 6285. 18. Iul.

Hier. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 228 sq. — Hic ex autographo in cod. Monac. I. p. 224.

Hieron. Bomgartnero, Senatori incl. urbis Noribergae.

S. D. Hic noster auditor *Henricus Ecardus* patrem habet Norinbergae fabrum lignarium. Et fabricat ipse versus non famae, sed famis causa. Interdum enim accipit a suis Patronis aliquantulum pecuniae pro versibus.. Sed Choerilus foelicior fuit, qui narrant pro singulis versibus in poëmate de pulso Xerxe, numeratos esse singulos stateras, id est, didrachma aurea, a Rege Archelao. Dedi autem huic *Henrico* epistolam ad te, quia tibi notus et commendatus esse volebat. Dedit ei aliquid hactenus *Sigismundus Ortel* civis vester. Orat igitur, ut et huic *Sigismundo* et aliis, qui in hoc genere benefici sunt, se commendes, ut studia ipsius iuventur, donec locum docendi in Schola aliqua aut in templo inveniat. Scio te libenter benefacere modestis et studiosis; ideo et de hoc *Henrico* ad te scribere ausus sum, quem proficere in scribendis versibus animadverti. Bene et foeliciter vale. Die 18. Iulii*).

Philippus Melanthon.

*) Editor addidit ann. 1557. Autographon non habet annum.

No. 6286. 19. Iul.

M. Collino.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Matthaeo Collino, in Academia Pragensi.

S. D. Clariss. vir et amice carissime. Cum Academiae nostrae studia ex scriptis, quae subinde eduntur, cognoscas, multa etiam de Germania et de Ecclesiis ratiocinari potes. Dei beneficio et vox doctrinae eadem est, quam audivisti, et mediocria sunt studia honestorum adolescentum, qui sunt in Academia. Ac unum hoc Deo iuvante agimus, ut simus unum in Deo. Mitto tibi pagellas, et oro, ut scribas ad nos quamprimum poteris. Nondum habeo mandata de itinere ad conventum, qui futurus putatur in urbe Vangionum. Ego quoties potero scribam ad te, et res nostras significabo. Bene vale. Die 19. Iulii, qui est natalis filiae meae, uxoris *Casparis Peuceri*, matris trium filiarum et unius filii. 1557. Clarissimo viro D. Medico *Matthiolo* salutem opto.

No. 6287. 23. Iul.

Cph. Libio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Christophoro Libio, Pastori Ecclesiae Brandenburgensis.

S. D. Reverende vir et cariss. frater. Nihil dubito de tua erga me benevolentia, quia scio, et tui[1]) animi effigiem esse hunc versum: *ἅπαν τὸ χρηστὸν τὴν ἴσην ἔχει φύσιν.* Habeoque tibi gratiam et pro perpetua erga me benevolentia, et pro pomis armeniacis. Scito[2]) autem die Iovis proximo, videlicet die Iulii 29., me et *Paulum Eberum* et *Cracovium* iter ingressuros esse, ut proficiscamur ad Wormatiense colloquium. Quare optarim, te prius ad nos accedere praesertim cum et eo die *Paulo*, *Lutheri* filio, gradus doctorum in arte medica decernendus sit. Bene

1) *tui*] scripsi pro *tua*.
2) *Scito*] scripsi pro *Scio*.

vale. Salutem vobis omnibus opto. Die 23. Iulii anno 1557.

Philippus.

No. 6288. 23. Iul.

Io. Aurifabro.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Ioanni Aurifabro.

S. D. Reverende vir et carissime frater. Multa sunt signa, ex quibus prudentes iudicare possunt, quae sit vera benevolentia, quae fucosa. Quare existimo te, cum noster collega esses, animadvertisse, te a me vere diligi. Nec postea meum de te iudicium nec voluntatem mutavi. Dilexi semper etiam absentem, et spero nobis in tota aeternitate dulciorem fore consuetudinem propter haec amicitiae initia in optimis doctrinis nata. Audivit et frater tuus, Doctor *Andreas*, honorificos de te sermones nostros. Quare nec suspicari te de nobis secus velim, nec ullis fabellis alia narrantibus credere. Nec hoc biennio quisque hic de te parum honorifice locutus est. De vestris rebus colloquemur Wormatiae, quo te quoque venire optarim. Si in his Academiis venire voles, non deerunt tibi mea et *Ioachimi Cramii**) officia. Bene et feliciter vale, frater carissime. Die 23. Iulii 1557.

Philippus.

*) *Camerarii?*

No. 6289. 25. Iul.

Io. Stigelio.

Danz. epp. ad Stigel. ep. 89. Cod. Goth. 188. ep. 164.

Clarissimo viro, ingenio, eruditione et virtute praestanti, D. Ioanni Stigelio, fratri suo cariss. S. D.

Clariss. vir et carissime frater. Cum profecturus ad conventum in urbem *Vangionum* cogitarem, quae certamina impendeant duraque multa meo tristi cum corde putarem; saepe etiam inter vota et gemitus ad filium Dei, priores itinerum meorum socios mente requiro. In his saepe intueor. Si opprimar, oro te, ut sis memor nostrae amicitiae, in qua nihil fuit fucosum. Et nunc tibi gratias ago, quod durissimis temporibus meis benevolentiam erga me tuam non mutasti. Symbolum mitto, in quo in altero latere est *Ludovicus Bavarus* oppressus Hypocritarum Sycophantia, in altero latere *ἐπιγραφή*: *χρῖστος* vincit. Bene vale, et rescribe, cum me audies venisse in urbem Vangionum. Iterum vale. die 25. Iulii.

Philippus Melanthon.

Iturus ad iudicium anno aetatis meae sexagesimo primo misi hoc symbolum *Iohanni Stigelio*, cui gratias ago de perpetua erga me benevolentia. D. 25. Iulii.

No. 6290. 28. Iul.

Ulr. Mordeisen.

Epist. lib. V. p. 163 sq.

Ulrico Mordisin, Consiliario Duc. Sax. Elect.

S. D. Clarissime vir, et Patrone carissime. Literis Illustrissimi Principis Electoris, quae iubent nos expectare adventum vestrum*), libenter obtemperamus et ego et comites mei. Et quidem beneficium esse ducimus, vel exigua mora hoc iter retardari. Essem enim ferreus, nisi et publica et privata pericula cogitarem. Ac de privatis leviter angerer, nisi cum publicis coniuncta essent. Oro autem Filium Dei, custodem Ecclesiae, ut nos gubernet, sicut Rex Iosaphat precatur. Cum nescimus, quid agendum sit, oculi nostri ad te, DEUS, tolluntur! Quem oro, ut vos quoque et vestros servet incolumes. Die 28. Iulii 1557.

Philippus.

No. 6291. 30. Iul.

Io. Matthesio.

Epist. lib. II. p. 106. (ed. Lond. lib. II. ep. 93.).

*) Mordisinus cum Augusto Pr. Electore in Daniam erat profecturus.

D. Iohanni Matthesio

S. D. Reverende vir et charissime frater, Ante sexaginta annos meus pater mihi describi *γενέθλια* curavit a *Palatini* Mathematico viro ingeniosa *Hasfurto*, amico suo. In ea praedictione diserte scriptum est, itinera me ed Boream periculosa habiturum esse, et me in mari *Baltico* naufragium facturum esse. Saepe miratus sum, cur mihi rato in collibus *Rheno* vicinis praedixerit pericula in Arctoo Oceano. Nec volui eo accedere vocatus in *Britanniam* et in *Daniam*. Metuo tamen fata, etiamsi non sum *Stoicus*. Iam proficisci iubeor ad littus *Balticum*, quo Rex *Danicus* venit; et synodus indicitur, in qua *περὶ δείπνου κυριακοῦ* certamina erunt. Accusatur quidam eo quod effuderit vinum. O rem miseram! *Westphalus* me accusat, quod scripsi, nihil habere rationem Sacramenti extra usum institutum [1]). Hac regula sublata, confirmatio magnorum scelerum Papisticorum sequitur. Non recuso de tota hac controversia non difficili meam sententiam dicere inter eruditos et pios, et te velim, si erit eruditorum deliberatio, interesse. Nondum de meis itineribus certa scribere potui, sed quam primum potero, res nostras tibi significabo. Heri filio Reverendi D. *Lutheri*, *Paulo Luthero*, Doctoris gradus in arte medica decretus est [2]), Orationem cum fuerit edita, mittam. Bene et feliciter vale. Die 30. Iulii.

No. 6292. h. t.

Hier. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 229 sq. Autographon, e quo edita est epistola, habetur in cod. Monac. I. p. 225. Non est integrum, sed semifolium, qaod explicit verbis: *de ea causa faciant.* Editor suo arbitrio, sed male addidit: B. V. (bene vale.) Altera pars folii cum inscriptione et conclusione periit.

(*Hieron. Bomgartnero, Senatori Norinb.*)

S. D. Non toto mense ante conventum Francofordianum scripserunt ad Ducem *Saxoniae* Electorem, *Palatinus Elector* et vicinus *Wirtenbergensis*, ut duceret secum Theologos ad Meni ripam. Mittunt Catalogum quaestionum, de quibus disserendum sit. Tempus erat brevius, quam ut haec postulata aliis Principibus harum regionum indicari possent; *καὶ ἐθαυμασώμεθα* *) *τὴν πολυπραμοσύνην ἐκείνων.* Repetebatur in illo Catalogo et *Osiandrica* controversia, quam credo satis perspicue diiudicatam esse apud vos: et movebantur aliae quaestiones. Nunc audio ab Istro *Gallum* ad ripam Meni adductum esse. Si nova decreta cudentur, fortassis classica erunt novorum dissidiorum. Sed oro filium Dei ut nos gubernet.

De bello *Livoniensi* hodie nobis hospites, qui huc venerunt a litore Baltico, narrarunt, exercitum Polonicum ad Livonienses accessisse. Duces etiam nominarunt, et repressum esse in finibus dixerunt a Livoniensibus, et Polonos aliquot in praelio interfectos esse. Fuit apud me ante paucos dies *Timotheus* Secretarius Ducis Borussorum, qui dicebat se Francorfordiam properare, qui etsi de praelio nihil narravit, tamen non esse factam pacem dicebat.

In Daniam sunt missi Pastores Ecclesiarum Hamburgensium, Lubecensium et Luneburgensium, ut certamina dirimant *περὶ δείπνου κυριακοῦ*, seu ut foedera de ea causa faciant.

No. 6293. 1. Aug.

Testim. Ottoni a Ramin datum.

Editum a *Lunzio* in d. Intelligenzbl. der Neuen Leipz. Lit Zeit. 1809. no. 21.

S. D. *Omnibus Lecturis has literas.*

Dignissima est consideratione definitio vetus iustitiae, quae apud *Clementem Alexandrinum* extat, et recte intellecta comprehendit duas Decalogi tabulas, quae omnibus hominibus debent esse norma vitae, iuxta dictum: in praeceptis meis ambulate. Verba haec sunt: *δικαιοσύνη ἐστὶ κοινωνία θεοῦ μετὰ ἰσότητος.* Iustitia est societas, qua sese Deus nobis communicat, et est aequalitatis conservatio. Duas partes iustitiae complectitur: alteram, quae proprie in prima tabula Decalogi traditur, quae est agnitio vera Dei, iuxta verbum ipsius, et timor, et fides, qua Deus vere sese nobis voce Evangelii communicat, et lucem et iustitiam, ac vitam aeternam in conversis inchoat, et

---

1) Vid. ep. supra d. 22. Maii h. a.

2) Vid. Scripta publ. T. III. p. 107.

*) Sic edidit Spanh., sed autographon habet: *ἐθαυσάμεθα.*

facit eos heredes vitae aeternae. Altera pars comprehendit secundam tabulam, quae praecipit aequalitatem inter homines, iuxta dictum: diligas proximum, sicut te ipsum; de qua aequalitate in vita politica vult Deus extare leges. Sciamus autem obedientiam in utraque tabula necessariam esse: et quomodo inchoetur in hac vita, et Deo placeat propter Filium, ex Evangelio discamus. Fuit autem prima cura huic *Othoni a Ramin*, nata in Familia Nobili Inclytae gentis Pomeranicae, ut doctrinam de ea iustitiae parte perciperet, quae est societas cum Deo. Didicit igitur et amplectitur veram de Deo doctrinam, qua Deus vere sese pectoribus credentium communicat. Et animi pietatem vera invocatione in agnitione et fiducia domini nostri Iesu Christi et honesta morum gubernatione declarat. Addit autem et alteram iustitiae partem, quae est aequalitatis conservatio inter homines. Et ut in iudiciis et in gubernatione vitae maior eius usus esse possit, praesertim cum generis nobilitas aditum ei ad rempublicam praebeat, discit leges Romanas, in quibus doctrina de aequalitate ordinata, cum geometrica, tum arithmetica proportione, sapienter illustrata est. Quare cum huius Othonis ingenium sit doctrinarum capax, et mores sint honesti, et studia Deo iuvante profutura sint reipublicae, oro omnes honestos viros, ut eum tueri et ornare studeant. Utile est in genere humano, bona ingenia et recte exculta doctrina ad rempublicam provehere. Oro etiam Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis et resuscitatum, qui dixit: *Ego sum vitis, vos palmites*, ut hunc Othonem a Ramin servet et gubernet, et faciat eum palmitem sibi gratum et utilem reipublicae.

Datae Calendis Augusti Anno 1557.

Philippus Melanthon
manu propria.

No. 6294. 1. Aug.

Iac. Bordingo.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Iacobo Bordingo, Ἀρχιάτρῳ inclyti Regis Daniae.

S. D. Clariss. vir et cariss. frater. Nosti vetus illud in sacrificiis publica voce pronunciatum: *ὅσια λέγειν καὶ ὅσια πράττειν.* Cum igitur vota iam fiant in regno Danico ad Deum aeternum patrem domini nostri Iesu Christi, creatorem generis humani et politicae societatis, et Ecclesiae custodem, nihil scribam de iis rebus, de quibus mecum toties insuaviter expostulas, sed oro Deum vobiscum, ut felicem et faustam gubernationem tribuat, sicut scriptum est: qui das salutem Regibus. Te etiam oro, ut, cum luce divina mens tua illustrata sit, memineris veteris dicti: *μόνου θεοῦ γέρας τέλεια ἀρετή.* *Hieronymum* *Ὅσιον* inter *ὅσια* sacrificia vestra complectare, virum honestum et eruditum. Tuis non deerunt mea officia. Bene vale. Calend. Augusti. Plura scribam per Doctorem *Mordisium*, qui comitabitur Ducem Saxoniae Electorem*). Oro filium Dei, ut nos gubernet, et non sinat fieri barbaricas vastationes. Utinam coram colloqui possumus.

No. 6295. 3. Aug.

A. Hardenbergio.

Epp. ad Hardenberg. ep. 34.

D. Alberto Hardebergio.

S. D. Reverende vir, et carissime frater. Pagellam tuam accepi *περὶ λόγον*, tibique pro hoc officio gratiam habeo, quod describendi labore te onerasti. Res eadem in multis libris repetita est, et si quis secus sentit, non intelligit, an existimet, *τὸν λόγον ὑφιστάμενον εἶναι.* Scripsit ad me etiam tuus amicus *Rodolphus* Epistolam insuavem, in qua *περὶ τοῦ πανταχοῦ* disputat. Si vester conventus procedet, maioris discordiae initium erit: ac optarim te abesse ab eo certamine, in quo non servabitur illud Platonicum, *δεῖ δικάζειν οὐ πλήθει, ἀλλ' ἐπιστήμῃ.* Tuum hospitem *Davidem* salsis ironiis usum esse iudico, cum ea dixit, quae narras. Oro autem filium Dei, ut nos omnes protegat ac gubernet, et sit *βραβευτὴς* agonum Ecclesiae. Scriberem plura, nisi dolore impedirer. Bene vale. Die 3. Aug.

Philippus.

---

*) Profecturum hoc tempore in Daniam cum Anna, coniuge, sorore regis Daniae.

No. 6296. 5. Aug.

Herluff Troll.

Edita in libro: „Catalogus aliquot haeresium huius aetatis et earum refutatio, scripta a *Petro Palladio*, Doct. Theol., gubernante Ecclesiam Dei in inclyto Regno Danico." Vitebergae ex officina Petri Seitzii. (s. a.) 8. plag. 5. (*Lunz.*)

Magnifico viro, nobilitate generis, sapientia et virtute praestanti, Domino Herluff Troll, hereditario Domino in Hildrisholm, praesidi in Roschild in Regno Danico, Patrono suo colendo, Phil. Mel. S. D.

Praecipua consolatio est bonarum mentium in tantis generis humani confusionibus, in tanta mole calamitatum, in tanta gubernationis difficultate, firma fide retinere hanc sententiam in Symbolo recitatam: Credo esse Ecclesiam sanctam catholicam, hoc est, etiamsi multae gentes abiectae sunt a Deo, et tantum ad aeternum exitium nascuntur, quae videlicet sunt ignarae Evangelii, ut Ethnici, Mahometici, et alii hostes filii Dei, impiae Iudaeorum feces, Papistici idolorum cultores et alii: tamen non totum genus humanum tantum ad aeternum exitium nascitur, sed certum est, velle aeternum patrem hereditatem filio servare, eam videlicet partem, in qua sonat integra et incorrupta vox Evangelii, confirmata illustribus testimoniis a Deo, resuscitatione mortuorum et aliis. In hoc coetu, qui et oculis et auribus discerni potest ab aliis gentibus, certo sciamus, omnes recte invocantes Deum exaudiri, servari, protegi et gubernari ab eo. In hunc coetum cum Deus immensa bonitate nos collocaverit, grati hoc summum beneficium celebremus, et laeti opponamus hanc consolationem omnibus confusionibus generis humani, quae movent impios, ut existiment, nullum esse hominum, religionum, virtutem et vitiorum discrimen. Est Ecclesia, in qua Deus adest recte invocantibus: quae quidem non existimetur esse idea Platonica, sed oculis cerni atque iudicari potest. Vult enim Deus, ut singuli nos in eam includamus, singuli simus ipsius cives, in ea invocationem et confessionem ostendamus, iuxta dictum: Beati, qui habitant in domo tua, Domine. Nec vero tantum externos hostes habet haec vera Dei Ecclesia, sed etiam cives habet infirmos valde multos. Multi enim seditiosi ab ea deficiunt, et fiunt parricidae, ut haeretici, quales multi fuerunt, sunt et erunt omnibus temporibus. Manet tamen norma, videlicet doctrinae puritas, quae discernit veros cives ab hostibus. Id signum firmis mentibus intueamur, et consideremus, qui fuerint singulis aetatibus, et qui nunc sint, qui contraria dogmata sparserint, et refutationes teneamus: sicut civis fidelis hostem novisse et repellere debet. Ac prodest labor eorum, qui catalogos haereticorum et refutationes ediderunt: estque piis gratissimum incorruptae antiquitatis testimonia de maximis rebus videre. Tales instituerunt Catalogos multi, Ireneus, Clemens, Epiphanius, Augustinus, qui et refutationes addiderunt, quarum nobis testimonia in gravissimis controversiis valde prosunt. Cum enim dicitur: Nisi arassetis vitula mea, non invenissetis, monemur, ut circumspiciamus, quae et ubi sit vera Ecclesia, et docentem audiamus, et consideremus, quorum interpretatio reddat nativam sententiam sermonis Prophetici et Apostolici. Ac de multis rebus Catalogi illi nos monent. Cohorresco toto corpore, cum lego, viventibus adhuc Apostolis tantum fuisse fanaticorum errorum, qui doctrinae curruptelas tradiderunt; mox vero post Apostolos exortos esse audacissimos praestigiatores, qui horribilium furorum et turpitudinum auctores fuerunt. Multi cum coniugia prohiberent, tetras confusiones libidinum concesserunt. Haec tristia exempla significant Diabolorum odia, insidias et furores adversus filium Dei, et monent, ut et doctrinae fontes magna cura discamus, et Sophisticen fugiamus, et assiduis ac ardentibus votis a Deo petamus, ut nos doceat et gubernet, sicut Propheta petit: Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, et iustificationes tuas doce me. Utraque res necessaria est, cura recte discendi, iuxta dictum: Ad legem et testimonium; et precatio, sicut Dominus inquit: Orate, ne intretis in tentationem. Utile est etiam in Catalogis illis videre Sophismatum exempla. Narrat *Clemens*, hostes coniugii citasse narrationem de *Salome* ex *Evangelio Aegyptiorum*, in qua cum Salome interrogat Christum, quando venturum sit regnum Dei, ille respondet: cum cessabit opus mulieris. Hoc dicto illi impostores dixerunt prohiberi coniugium, cum in regno Dei cesset opus mulieris: desinant igitur mulieres parere, et nulla sint coniugia post Christi adventum. Ludunt hoc modo scurrae et sycophantae, ut nunc quoque multi ludunt Papistae et homines

fanatici; ut nuper *Stenckfeldii* satelles: Unus est mediator Christus: non igitur vox Evangelii medium est, quo Deus est efficax. In talibus non solum sophistica, sed etiam impudentia odio digna est. Sed redeo ad illam narrationem de Salome non insuavem. Cum ait Dominus, in regno Dei cessaturum esse opus mulieris, peccatum et mortem intelligit. Haec a muliere orta sunt: generatio opus Dei est; in natura admirando consilio condita, non mulieris consilio inventa est. Prodest autem iunioribus legere tales disputationes veteres et recentes, et consideratis labyrinthis haereticorum scribere concinnas et perspicuas solutiones et extricationes. Id exercitium ad multarum magnarum rerum intellectum, et ad proprie loquendum valde conducit. Exempla autem in hoc libro Reverendi D. *Petri Palladii* multa invenient, qui laborem utilem instituit non solum in colligendo Catalogo, sed etiam in addendis argumentorum extricationibus. Gratulemur autem *Danicis Ecclesiis* ingentia beneficia, quae diu iam eis Deus tribuit, Regem sapientem et pium, doctrinae puritatem in Ecclesiis, Ecclesiarum concordiam, Regni tranquillitatem, ac precemur Deum, ut deinceps etiam et haec sua dona vetustissimo Regno Danico tribuat. Significant autem et regni vetustas et amplitudo, excellentem virtutem semper in praecipuis familiis illarum gentium fuisse. Nam Dai, Getae et Cimmerii, inde usque ex Asia progressi ad Cimbricam Chersonesum, late regnarunt, non solum in litore Arctoo, sed etiam in aliis Europae partibus. In nomine etiam Dai seu Dani decus est. Nam Dai significat scientes; Dani iudices. Nunc vere laetentur, quod ad ceteras virtutes addiderunt scientiam verae doctrinae de Deo et de Domino nostro Iesu Christo. Quare in editione huius libelli ad te, Vir Magnifice, praefatus sum, et ut gratulari me vobis haec bona ostendam, et ut plures ac posteri sciant, in regno Danico generosas familias veram doctrinam de Deo amplecti, et vera invocatione Deum colere, et pietatem iustis officiis in gubernatione politica et in vita privata declarare, ac eximia munificentia Ecclesias et literarum studia fovere. Tali statu in hac vita quid cogitari melius potest? quem quidem describit Psalmus, cum ait: ut conveniant reges et populi simul, ut serviant Deo. Haec est pulcherrima politia, in qua Rex et Populus eandem verae doctrinae vocem audiunt, et consentientes verum Deum recte invocant, et in gubernatione et ceteris vitae officiis pie colunt. Pro his tantis bonis vobiscum Deo gratias ago, et eum oro, ut deinceps quoque semper inter vos aeternam Ecclesiam colligat, et regno felicem et tranquillam gubernationem tribuat. Bene vale, vir Magnifice, generis nobilitate et virtute excellens. Die 5. Augusti. Anno 1557.

No. 6297. 6. Aug.

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camer. p. 722 sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 866.).

Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo carissimo,

S. D. Credimus aeternam Ecclesiam a filio Dei colligi et quidem voce Evangelii. Hac fide et petamus et expectemus conservationem coetuum et familiarum nostrarum. Oro igitur filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut te et tuos servet, et gubernet generi tui[1]) viri integerrimi migrationem ad nos institutam. Locata est ei domus nostri consulis, quam petivimus. Nostra officia ei non defutura sunt.

Regem *Danicum* audieramus venisse in Cimbricam Chersonesum. Sed *Mordisius* narrat Hafniae eum expectare generum[2]) et filiam. Si igitur in comitatu essem, navigandum esset in Baltico, de quo ante sexaginta annos *Hasfurtus* mihi praedictionem insuavem[3]) scripsit, de qua cogito matris tuae sermonem: satius esse vitare occasiones, si quid mali minitentur astra. Sed ego non tam astra metuo aut mare, quam illius controversiae epitasin, quae ingentes motus aliquanto post excitabit. Nec tamen regiae litterae mentionem eius disputationis faciunt. Mavult autem aula me ad Rhenum[4]) proficisci. Nunc tamen retinemur, donec novae litterae aulicae nos iter ingredi iubebunt, qua de re nihil disputo, quia etiam hanc moram beneficium esse iudico. Sed oro filium Dei, ut Ecclesiam et nos in ea gu-

---

1) Esromi Rudingeri, qui se contulit in Academiam Witeberg.
2) Ducem Sax. Augustum.
3) Vid. epist. ad Matthes. d. 30. Iul.
4) In convent. Wormat.

bernet. Bene et feliciter vale. Salutem tuae Ecclesiae domesticae et publicae opto. VIII. Idus Augusti.

Philippus.

No. 6298. 6. Aug.

H. Buscoducensi.

Edita in d. Dän. Biblioth. T. IV. p. 178. (etiam in H. *Muhlii* dissertat. histor.-theolog. p. 182.) (*Danz.*)

Ad Henricum Buscoducensem.

Reverende Vir et charissime frater. Quo nos fata trahent, pietas secura sequetur. Malebam ad sapientis et optimi Regis[1]) pia colloquia proficisci, quam ad *Canisii*, *Staphyli* et similium sycophantarum sophismata audienda. Sed decretis aulicis obtempero, Teque rogo, ut inclyto Regi me excuses. Mitto etiam libellum *Palladii* hic editum[2]), cui ut aliis addidi praefationem, quam Danicis Ecclesiis gratam fore spero. Maxime enim cupio ubique terrarum sciri vestras et nostras Ecclesias in Deo unum esse. Bene vale, die 6. Aug. 1557.

Philippus.

No. 6299. 7. Aug.

Iac. Bordingo.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Iacobo Bordingo, Ἀρχιάτρῳ inclyti Regis Daniae.

S. D. Clarissime vir et cariss. frater. Scio te virum excellentem eruditione et sapientia et recte invocantem Deum, ac multa de Imperiis cogitantem, certe statuere, et conservari ea mirandis Dei operibus et everti a Deo irascente tyrannorum et populorum furoribus. Hac te*) cogitatione scio quotidie exuscitari et accendi non solum nunc in his ritibus coronationis, sed etiam aliis omnibus temporibus, ut ardentibus votis petas, et Ecclesiis et politiis a Deo tribui salutarem statum. His tuis et omnium piorum votis et mea adiungo, ac toto pectore Deum precor, ut et Regem Danicum servet et incolumem et eum semper gubernet, et Ecclesiam sibi apud vos et alibi colligat, et tribuat ei honesta et tranquilla hospitia. Precor etiam Deum, ut servet et reducat incolumes Ducem Saxoniae Electorem et comitatum eius, in quo cum sit vir clarissimus doctor *Ulricus Mordisius*, cui, cum antea istic fuit, tui congressus magnae voluptati fuerunt, nunc quoque, ut aliquid temporis tribuas alendae amicitiae vestrae, oro. Habet adiunctum amicum virum honestum et eruditum doctorem *Franciscum Crammium*, quem etiam te complecti volo. Scis illud Homericum: fratrum loco sapientes hospites habendos esse, teque hac dulcissima Homeri commonefactione propter naturae tuae et virtutum praestantiam delectari scio. Bene et feliciter vale. Die 7. Augusti. Tuis nostra officia non deerunt.

1) Regis Daniae, vid. ep. d. 30. Iul.

2) Vid. epist. d. 5. Aug. h. a.

*) *te*] scripsi pro *de*.

No. 6300. 7. Aug.

Io. Praetorio.

Ex autographo in bibl. academ. Regiomont. edita in den Unschuld. Nachr. Jahrg. 1732. p. 379.

Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti D. Petro Pretorio, Doct. Theol., Pastori Ecclesiae Dei in Regiomonte, fratri suo carissimo

S. D. Reverende et carissime frater. Pia στοργή est, quod orbatus matre, desiderio eius adficeris. Sed moestitiae modus sit, et cogites dictum: *beati mortui, qui in domino moriuntur.* Si *Wormatiam* ibis, huc iter facito. Nam nostrum iter fortassis tam diu differetur. *Rungium* etiam expecto. Sed non constitutus est certus dies, quo iter ingressuri sumus. *Snepium* et *Victorinum* audio ante aliquot profectos esse. Plura nunc scribere non potui. Bene vale. Die 7. Augusti.

Philippus.

No. 6301. 9. Aug.

Flacius ad Ienenses.

† Ex apographo in cod. Guelph. in fol. no. 7. p. 374.

„*Epistola Flacii Illyrici ad Evangelicos Wormaciae ad colloquium congregatos.*"

(Ad Theologos Ienenses, legatos Ducis Saxon. Ioannis Friderici iun.)

Salutem a Domino Iesu, unico omnium piorum servatore. Amen. Summa ardentissimaque fuit filii Dei precatio, qua patrem in ultimo suo agone sanguinem sudans oravit, ut Apostoli aliique post eos christiani, inprimis autem doctores unum inter sese, concordesque sint, sicut ipse cum patre coniunctissimus unumque esset. Ne vero dubitaremus, de quo communionis genere loqueretur, circumscriptionem et luculentam unico verbo adiecit, ut unum in nobis sint, petens nimirum, ut eiusdem veri Dei cognitione, verae religionis acceptione, ardenti confessione, propagatione, ac contra seductores defensione, eodem denique Spiritu sancto ad glorificationem patris coelestis inflammaremur. Cuius unitatis partem praecipuam declarans Paulus iubet nos idem sentire et idem dicere, ut primum scilicet eandem veram religionem unanimiter amplectamur, idemque de ea per omnes eius partes secundum veritatem sentiamus, et postea etiam idem doceamus, confitemur, propagemus, ac verbo eius contra omnes veritatis corruptores tueamur: idque non frigide ac timide, sed ardenter et constanter, excitante zelum in pectoribus nostris Spiritu sancto.

In hac optima summeque tum utili tum necessaria ecclesiae Deoque accepta unitate, viri clarissimi et doctissimi, cum ego quoque ex animo cuperem cum omnibus hominibus, et inprimis vobiscum unum esse, intelligeremque, vos eo maturius nunc Wormaciae convenisse, ut isthic de quibusdam rebus religionis statuque ecclesiae deliberaretis, volui tum precibus, tum et mearum quarundam cogitationum, quas ex verbo et Spiritu Dei desumptas credo, indicatione vestra isti coetui et conatui unicum publicumque bonum ac tabernaculi Dei etiam edificationem, vel tenui mea opera, quantumcunque possem, adiuvare.

Pio me haec animo scribere nempe studio publici boni, satisfaciendique Deo ac conscientiae meae, non ambitione aut alia pravo affectu, seu consilio, novit ipse, qui est cordium cognitor, Dominus. Quare amanter simul et suppliciter oro, ut et in meliorem partem scriptionem hanc accipere, et fraterno in timore Dei eam expendere velitis. Scriptum est, Deum revelare ea saepe parvulis, quae magni non vident, eligere eos, qui parum aut nihil sunt, ut per eos grandia efficiat, et demum loquentem debere aliquando sedenti locum dare dicendi, si quid ei forte salutare Spiritus S. suggessit. Quae omnia fiunt ideo, ut virtus Christi tanto magis in suis testaceis vasis elucescat appareatque, ipsum solum esse, qui ecclesiam regat ac conservet [per] *) nonnullos quantumvis eximios, nedum vulgares homines. Cuius generis multa exempla in ista tristi cribratione ecclesiae a morte *Lutheri*, piae memoriae, si recte ac cum animi gratitudine, ut debemus, opera beneficique viventis Dei expendere voluerimus, animadvertemus. Quo quidem tempore et me Deus invitum in summis difficultatibus ac periculis vel mortibus potius omnium ingenue confidentium, cum iam res nostrae ecclesiae ac religionis penitus desperatae, comploratae et perditae, triumphum agente Antichristo, esse viderentur, in curas ecclesiasticas pertraxit. Quare sane vocationem Deus ipse, repressis tot *Interim* eorumque architectis, totiusque Germaniae in Papatum ruentis impetu, non obscure comprobavit, a se profectam esse. Non enim potest sibi homo sumere quicquam, nisi datum ei fuerit desuper. Quare ne iam quidem omnem curam verae religionis, praesertim cum ad id creatus, baptisatus et regeneratus sim, deponere possum.

Sentio igitur primum toto pectore, nihil vobis prius ardentiusque agendum, quam ut impium *Interim*, omnesque ei adhaerentes corruptelae conciliationum, conventionum cum adversariis, largitionum aut concessionum funditus et radicitus ex ecclesia Dei explodantur et in aeternum damnentur. Nam hac tanta peste lethiferoque veneno in visceribus ecclesiae Dei haerente et grassante, impossibile plane est, eam aut veram religionem salvam incolumemque permanere. Haeret vero illa adhuc in Marchia et aliis quibusdam locis, omnium vero maxime in multorum pectoribus et conscientiis, quae sese inde extricare non possunt, praesertim in principum ac potentum animis, qui nunc sine omni fronte ac con-

*) *per* addidi, quod excidisse videtur.

scientia Antichristum adorant, petentes sibi dari regna mundi, id est, Episcopatus, Abbatias etc., sicut iam olim Daniel praedixit, eum suis ministris et adiutoribus terras distributurum esse. Qui eorum furor, si non reprimetur, non tantum ira Dei se suasque regiones onerabunt, sed etiam omnino tandem religionem nostram Antichristo prodent.

Haeret denique in scriptis, exemplo, notitia hominum totaque ecclesia, ut quandocunque persecutio recurrerit, quod subinde necessario fiet, semper ad ἀμφοτερίζειν et οὐδετερίζειν ad aschala tragavit *) utraque ut ille dixit ad serviendum duobus dominis, Christo et Antichristo seu Mahometo recurretur, praesertim cum plerique potentes cum babylonico scorto colludentes eo toti proclives propensique ferantur. Unde tetrae confusiones religionum, Samaritanismus, aut etiam Epicureismus extra omne dubium exorirentur.

Non opinor esse necesse, plures huius sententiae meae rationes recitare, cum vobis omnibus sint longe notissimae. Nam sive damna, quae hactenus *Interim* et *Adiaphora* ecclesiae Dei dederunt, consideranda sunt, scimus, ea infinitas Christi ecclesias evertisse, nec ita multum abfuisse, (nisi eis repugnatum fuisset) omnes radicitus evertissent, religio vera nobis sicut Anglis penitus ac funditus interiisset; taceo tristia dissidia inde orta, dum alii pestes illas nescio quo spiritu agitati propugnant, alii eis necessario resistunt; taceo tot tetra scandala, taceo tot conscientias per illas corruptelas subversas, taceo epicureismum per eas supra modum auctum, taceo tot cum Antichristo collusiones abnegationum vacillationumque, defectionem et persecutionem veritatis per illas corruptelas effecturum quae omnia immensa et plane ineffabilia peccata sunt; taceo denique illud summum malum, iram Dei per istas Interimisticas Adiaphoricasque pestes nobis totique ecclesiae ac Germaniae in immensum cumulatam. Haec aliaque plurima et gravissima damna per Interim et adiunctas corruptelas ecclesiae Dei data, omnibus piis nota manifestaque sunt.

Quod si sacrarum literarum oracula inspicitis, ut omittamus alia infinita testimonia, manifeste illa Antichristi venenata fermenta damnantia, clare habens (?) in Apocalypsi praedictionem istarum pestium. Nam ibi Spiritus S. cap. 13. primum pingit ipsum Interim per novam bestiam, instar quidem agni, duo cornua habentem i. e. communionem et coniugium sacerdotum, quae Interim concedebat, sed perinde blasphemantem ut Draco seu Antichristus, et impellentem omnes ad adorandam bestiam, babylonicum scortum gestantem.

Deinde dicit, ex mandato praedictae bestiae Interim imaginem fabre factam esse illi priori bestiae, et tales characteres adorantibus illam, quae clare adiaphoricas conciliationes et corruptelas ex mandato Interim provenientes, et imaginationem, cogitationem ac voluntatem Caesaris summi patroni Interim referentes depingunt. Convenit etiam tempus, quo haec pseudagnina bestia cum imagine et characteribus ac notis Antichristianismi, potissimum in ecclesia Dei grassata est, nempe 42 mensibus aut sesquiquarto anno, inde videlicet a medio 48. usque ad finem 1551.

Sive denique imminentem vobis necessitatem ac periculum religionis expendere vultis, animadvertetis profecto damnationem istarum pestium nullam penitus moram ferre posse. Nam nunc instante colloquio aut amica consultatione cum Antichristianis von neuen Vergleichungen, nisi magna vi ac constantia summoque consensu irrita prius in Adiaphoris conventa, concessa ac donata esse debere constitueritis et contenderitis, quomodo quaeso consistere aut victoriam obtinere contra *Pflugum*, magna voce et maiestate declamantem, illa sibi non tantum coram a pluribus summis doctoribus concessa esse, sed etiam postea a duobus Electoribus, Brandenburgico et Saxonico Iueterbochi, et denique per Lipsicum Interim in solenni totius regionis conventu anno 1549. *) unanimiter confirmata. Quinetiam ad Caesaream Maiestatem ab illis pro certo esse praescripta ac condicta. Idem et *Sidonius* ac alii de aliorum locorum ac summorum doctorum concessis ac donatis magna voce plenisque buccis gloriabuntur.

Quid ergo in colloquio hisce solenniter propositis aliud accidet, nisi ut vel illi victoriam obtineant, vel tetrum inter vos dissidium exoriatur, vel utrumque fiat. Nam alius volet esse rata illa

*) Sic distincte scriptum legitur, nescio vero, quid sit *ad aschala tragare*.

*) i. e. exeunte Decb. 1548.

a se donata vel ex parte vel penitus, neque enim patietur suum Adiaphorismum esse prorsus irritum; alius nihil illorum concedere volet; alius item clamabit, Papam esse Antichristum et Episcopos eius membra; alius eum pro supremo episcopo ferre, et episcopis iurisdictionem redditam volet.

Quare manifestum est, extremam necessitatem flagitare, ut primo quoque tempore tota ista Interimistica lerna malorum ex ecclesia Dei explodatur, quae quam tetra sit eius auctor hisce versibus Ratisb. in Comitiis anni 1541. expressit, cum itidem adiaphoristicae conciliationes magno studio tentatae sunt:

meminisse Duces fallacem pingere Hyenam etc.*)

Secundo nunc Sacramentarii, Suenckfeldiani et Osiandristae denuo invalescunt, quia pauci invalidioresque eis obsistunt, quos iam damnatos errores oporteret iam tum isthic, tum alias a vobis et aliis doctoribus voce et scriptis unanimiter damnari ac refutari, alioqui actum nobis profecto brevi de puritate doctrinae erit. Osiandristae iam hoc anno quatuor scripta pro suo errore ediderunt. Cum erga adversarii veritatis in promovendis erroribus tam ferveant, videndum profecto nobis quoque iterum atque iterum erit, ut tandem expergiscamur. Nam istae tres sectae multos et magnos errores complectuntur, secum in ecclesiam invehunt.

Tertio quantas turbas det, quamque perniciosam corruptelam gratuitae iustificationis in se contineat *Maiorismus* de necessitate operum ad salutem, nostis omnes; qui quidem error iam olim damnatus a Luthero piae memoriae ac a tota schola ac ecclesia Witebergensi, quam damnationem et aliae ecclesiae ratam habuerunt. Quare videndum omnino esset, ut ex illa haeresis manifeste ex tota Dei ecclesia tolleretur. Alioqui si ei sis liberum erit grassari in coetu Dei, cogitate, quorsum res ac religio nostra tandem deventura sit.

Quarto omnino hoc apparet, extremam ecclesiae necessitatem flagitare, ut posthac tum contra exortos errores, tum contra alios exorituros non solum omnes pii preces, sed etiam ipsi doctores operas suas conferant et coniungant, veluti in communi quodam incendio. Nam et commune periculum est omnibus ecclesiis totique communi thesauro, nempe veritati coelesti, et ubique idem Christus est, cuius omnes membra aut sumus, aut certe esse deberemus, cuiusque gloriam augere, ampliare et repugnare severo Dei mandato obligamur.

Videndum ergo omnino est, ut certa aliqua ratio ineatur, quomodo semper incidente periculo communi consilio et auxilio veritas defendatur, et eius adversarii, quicunque tandem illi existant, pro communibus hostibus habeantur. Forte utile esset constitui, ut semper exorientibus erroribus omnes ecclesiae suas confessiones publice contra opponerent, ut consensus extaret omniumque voce error retunderetur ac veritas confirmaretur. Alioqui si sic posthac in gravissimis publicisque certaminibus unus aut alter decertans praesertim ex imbecillioribus deseretur, alii vero otiosi spectabunt, aut etiam molesti erunt, dum iam hoc, iam aliud carpunt, dictitantes: hoc nimium asperum, istud nimis temerarium aut superbum, illud nimium rude, hoc sic dici agive debebat, illud aliter: sic, inquam, si posthac fiet, non video quae vel coniunctio sit in ecclesia futura, vel quis se periculis sit pro communi salute expositurus, vel quam tandem victoriam simus contra seductores obtenturi, quin potius certo certius est, nos brevi totam religionem amissuros esse.

Quinto ad conservandam veritatem puram ac illaesam cavendum, ne nobis quasi dormientibus zizania in bonam domini sementem irrepat, ut olim post apostolorum tempora accidit, quoniam tot subinde scripta, non polemica veritatem propugnantia contra errores et adversarios, praesenti necessitati inservientia, sed didactica tot novarum catechesium, tot postillarum, tot institutionum, vel de omnibus vel de singulis articulis, tot variarum super sacras literas commentationum, quae eadem, sed paulo aliter quam alii antea, recontant, eduntur. Valde utile esset quasi inspectionem quandam ac rationem in certis locis constitui tum edendorum tum editorum scriptorum, si forte quos errores aut alioqui periculosius dicta continerent, et ubi probe examinata essent, si iam edita sunt, ecclesiae, ut cavere omnes possint, adhibita certa prudentia ac moderatione indicare. Id licet molestum ac la-

*) Sequitur carmen de Hyena, quod hic praetermittendum putavimus.

boriosum videatur, tamen ad retinendam puritatem Evangelii est plane necessarium. Quare quomodo constitui possit consultandum est.

Forte etiam hoc ipse esset utile, modum quendam tot postillarum, catecheseon, et institutionum fieri. Dum enim scriptores novi aliquid ac melioris quam alii ante dixerunt afferre conantur, aut certe videri volunt, necessario aut nova dogmata, aut nova quadam ratione modoque exposita proponunt. Taceo interim, quod multi nec assequuntur per omnia veram nostrae doctrinae sententiam, et habent non pauci proprias aliquas opiniones, aut certe inter scribendum in eas incidunt.

Scripsit nuper ad me Reverendus dominus *Vergerius*, episcopus Iustinopolitanus, gentilis meus, esse opinionem ac rumorem in istis regionibus, me vertisse ex latino in Germanicum libellum titulo *Germanica theologia*, qui qualis sit, ego certe non novi. Sic et *Gallo* ante triennium nescio quorum scriptorum editio imputata est, de quibus ille se publice excusavit. Sic in ultionem mortis *Servetis* collegit aliquis sententias de non-interficiendis haereticis, apposuitque esse Magdeburgi eum librum editum, quod verum non est. *Postelli*, certe hominis fanatissimi multa scripta plena gravissimis erroribus per ecclesiam impune vagantur.

Sexto necessarium etiam est, ut poena aliqua gravior, saltem ecclesiastica, si non politica, constituatur contra errores haeresium aut aliarum falsarum sententiarum et schismatum, praesertim quod admoniti non mature resipiscunt. De disciplina iam multi cogitant et laborant, recte quidem, sed contra quos tandem severitatem disciplinae exercere aequum est, quam contra summorum criminum, id est falsorum dogmatum, autores, auditores et sectatores? Nunc Osiandristis et aliis omnibus seductoribus amnistia facile tribuitur, qua ratione nec errores ex cordibus hominum evelluntur, et plures ista cognoscendi facilitate ad peccandum novaque dogmata studio gloriae fingenda*) invitantur, ut iam Osiandristarum reditio ad **) vomitum suum clare indicat.

De *Adiaphorismo* aut Adiaphorica cum Antichristo collusione statim post instauratum Evangelium a quibusdam consultatum est, ut ex epistola *Lutheri* piae memoriae ad *Capnionem* apparet. Idem postea anno 30. in Comitiis August., ut ex eiusdem epistolis cognoscitur, tentatum est, denique in Ratisb. anno 40. et 41., sed acriter et graviter est damnatus et reiectus a *Luthero*, piae memoriae, et aliis doctis, constantibus et zelo Dei ferventibus doctoribus. Iam tandem in summo luctu ac moerore ecclesiae cum quasi viduata summis viris Luthero et Electore fuit, et in ipsa hora potestatis tenebrarum ac gravi cribratione omnium piorum, damnata illa bestia ex inferis in communem pietatis perniciem, idque per nostros evocata ac excitata est, qui tunc plena voce, manu ac omni gestu clamare ac vociferari debebant: *State et videbitis magnalia Dei.* Quod si aliqua severitas disciplinae ac censurae in ecclesia fuisset, nec illi toties reiectam damnatamque pestem ex inferis exciere ausi fuissent, nec tam multi ista cribrationis hora defecissent, abnegassent, persequuti fuissent agnitam Christi religionem, et cum agnito Antichristo tam foede scortati fuissent, seque et alios tam detestandum in modum cum eo polluissent.

Videte, o propter Deum vos obsecro, quantum a primitivae ecclesiae zelo ac fervore discesserimus. In summo loco nunc in ecclesia sedent et regnant, qui ista tanta peccata patrarunt, imo et totum Israelem aut miseram Dei ecclesiam peccare fecerunt, cum quidem nec agnoscant peccatum, nec apud ecclesiam deprecentur, nec tam tetros errores damnare velint, quin potius et eos qui ipsos christiane de tantis erroribus et poenitentia admonent, horribiliter pro furiosis ac rabiosis et a diabolo agitatis damnant, et demum, quod omnium tristissimum est, nec sine suo quodam nomine mentionem tam horribilium peccatorum et errorum nec privatim quidem, nedum publice fieri patiuntur. At olim, etiamsi vel summi doctores vel monarchae christiani minimam partem tam tetrorum scelerum patrassent, tota ecclesia Dei contra eos protinus insurrexisset, nec conquievisset, donec tantum malum e medio sui iuxta mandatum Dei, ne latius serperet, sustulisset.

Obsecro vos propter Deum, perpendite, quanta et quam tetra et perniciosa sit ista confusio ecclesiae Dei, si tamen adhuc ecclesia Christi sumus. Nam ubi tam horrendum in modum Antichristi scortatio regnat, ut eam iam ne repre-

*) Mst. *fugienda.*
**) Mst. *ac.*

hendere quidem amplius liceat, ibi ego pro mea ruditate dicerem potius esse turbam quandam detinentium agnitam fulgentemque sole clarius veritatem in extrema et deterrima iniustitia, quam Christi ecclesiam, licet simul non negem, multa millia adhuc superasse, istum Baal detestantium.

Videte, o propter Deum, vestram aliorumque salutem et gloriam omnipotentis Dei vos obtestor, ne nobis quoque Deus dicat: *nolite confidere in verbis mendacii; templum Domini, templum Domini; non peribit lex a sacerdotibus* etc. et id toto pectore omnique conatu agite, ut, expurgatis istis venenatis Antichristi fermentis nova dignaque Christo massa aut sponsa fiamus.

Si omnino ullam unicam disciplinae in ecclesia Dei retinere volumus, nempe ante omnia violatores et corruptores purae Christi religionis cohercendi erunt, sive summi sive infimi sint, nisi et nos aranearum telas ex nostris disciplinis facere volumus, quandoquidem iam non minus, imo etiam magis in ecclesia vis, potentia et opes regnant, quam in corruptis politiis et iudiciis huius impii mundi.

Septimo illud quoque ad concordiam ecclesiae salutare admodum esset, ut quod una ecclesia legitime legavit aliae quoque pro ligato habeant, et non ita temere ad solutionem talium auctoritate Christi factorum ligaminum procurrant, ut in hisce et vicinis regionibus factum est, ubi depositos et ligatos ob falsa dogmata alii mox ad summas functiones tanquam veros Doctores promoverunt, imo ubi excommunicatos solenniter ob causas gravissimas, inconsultis iis ecclesiis, quae eos excommunicaverant, absolverunt. Quae si fieri permittentur, non video quae non confusio ac malorum species in ecclesia Dei sit exoritura. Infima Vanausorum*) opificia tam honesta et inter sese coniuncta sunt, ut qui e numero ac ordine artificum in uno loco eiectus est, alibi non recipiatur. At nos in ecclesia Dei iam quosvis a vicinis ecclesiis ligatos et damnatos pro summis ac optimis recipimus.

Octavo valde utile esset cavere, ne pro lubitu alii Superintendentes aut Pastores aliorum fines invadant, aut facile sibi vel iudicia vel imperium quoddam in eos aut eorum pastores papaliter sumant, sicut in hisce Saxonicis finibus pios, graves ac constantes pastores, idque aliquos etiam inauditos Adiaphoristae crudelem in modum damnarunt. De huius et praecedentis capitis iniuriis multa et quidem insignia exempla enumerari possent, ne quis me haec fingere forte suspicetur.

Ultimo ne nimis multa proponam, valde totoque pectore optandum esset, imo et summa necessitas postulat, ut vos, summi ecclesiae doctores et veluti lumina eius, miserae Germaniae, iam praesertim undequaque grassante ira Dei per Turcica, Gallica et aliorum arma, commonstretis, quomodo a ventura ira, ut Iohannes inquit, effugere, et quae ad pacem suam sunt cognoscere et sequi possit.

Speculatores vos esse ecclesiae suae dicit Deus, iubetque vos diligenter observare adventantes hostes et miseros Christi pusillos, ut illos propere effugiant, mature proponere. Sunt vero summi et saevissimi hostes ecclesiae primum lupi rapaces cum suis erroribus, sive illi de medio nostri exurgant, sicut Paulus ad Ephesios ministros loquens (?) praedicit, sive ex numero perpetuorum adversariorum, sive item sint ovile pelle tecti, sive manifeste suam faciem ostentent. Quorum princeps est Antichristus eiusque Pseudoepiscopi, fautores et collusores. Deinde sunt hostes ecclesiae cum omnia alia peccata, tum vero praecipue graviora ac tetriora, gravissima autem et teterrima sunt peccata, quae contra primam tabulam atque adeo contra primum praeceptum fiunt, quaeque a scientibus et volentibus patrantur. Talia vero sunt inprimis corruptio, abnegatio, defectio et persecutio agnitae veritatis Dei religionis, et adoratio agniti, proclamati et damnati summi filii Dei hostis, Antichristi Romani, quibus se his praeteritis annis tota Germania horribiliter contaminavit et aggravavit.

Ultimus et atrocissimus hostis miserorum hominum est ira Dei, ignis terribilis omniaque consumens in hac et altera vita, et irae divinae ministri omnes pene huius et futurae vitae Sathanae et Inferi. Hosce hostes sibi etiam attraxit misera Germania tot tamque tetris modo enumeratis peccatis.

Hos igitur tot et tam immanes hostes pusillorum Christi cum ingentibus catervis irruere in eos cernatis, extollite sicut tuba vestram vocem, indicate populo Dei tum alios hostes tum et peccata sua, et praesertim ista deteriora, ut sibi in tempore consulere, visitationis tempus agnoscere,

---

*) Sic scriptum utique est; est vero haud dubie graecum βάναυσος, s. βαναυσουργός opifex.

et quaenam ad pacem suam faciant pie expendere et sequi discant. Scitis quam horrendas nobis minas Deus proponat, nisi id mature ac serio feceritis. Ait enim, se animas pereuntium de manibus vestris requisiturum. Valde profecto vereor, ne quidem sua sapientia, eruditione, aliisque donis ac praeclare ante actis rebus ita titillentur ac inflentur, ut quasi non posse sibi Deum irasci, sed eum secum aliquid plus quam cum quovis vulgari homuncione dispensaturum persuadeant, eoque minus sub omnipotenti Dei manu humilientur. Quo semidiabolico superbiae peccato cum omnes alii pii ac praeclari viri tentati sint, tum procul dubie prae aliis Salomon omnium mortalium sapientissimus, doctissimus et de republica, ecclesia ac literis optime meritus, qui in eo forte etiam usque in finem perseveravit ac periit*). Quem procul dubio paucissimi, eius donis et mirandis operibus semiattoniti, vel leviter de sua vacillatione admonere ausi sunt, plurimi vero ac eximii sapientiae ac modestiae laudem aliaque commoda venantes, aut silentio aut etiam adulatione eum in suo scelere confirmarunt.

Extant prophetiae ac visiones *Roberti Galli*, qui ante 250 annos praeter alia et corruptelas religionis in spiritu vidit et clare praedixit, Turcum in hasce occidentaliores partes Europae ob corruptam religionem venturum, cum quidem ille hinc procul adhuc in Asia regnaret. Quod si iam tunc Deus adeo iratus fuit hominibus ob Papatum, ut Turcico flagello eos punire decreverit, cum quidem ignorantes peccarent, quid quaeso de nobis faciet, qui scientes et volentes agnitam, acceptam, milliesque professam veritatem Dei tristi cauponatione corrumpimus, aut certe corrumpentibus non resistimus, et contra agnitum damnatumque Antichristum, summum Dei hostem, adoramus? Procul dubio nisi mature resipuerimus, et praesenti et futuro exilio nos perdet.

Haec quidem aliquanto crassius liberiusque a me ut meae conscientiae satisfacerem dicta sunt. Sed sic credo inter christianos fratres in tantis periculis fieri oportere, ubi sancta parrhisia vel inprimis necessaria est. Me sane inter alia etiam triste nostroque statui simillimum exemplum extinctae doctrinae ecclesiarumque *Hussii* valde territat. Quos non eruditio, non etiam vis adversariorum, protegente eos clementer domino, extinguere potuit, sed propria levitas ac vanitas domestica perfidia evertit. Nam non ita multo post S. *Hussi* mortem incipiebat Pragensis Academia et ecclesia, inter quos erat princeps *Kokenzana*, malis artibus episcopatum quaerens, totus flos ordinum Bohemiae ac maxima pars vulgi subinde propius ac propius ad Papatum accedere. Erant enim iam partim fracti tam longis bellis, et unica clade, partim etiam pertaesi veritatis et contentionum eius causa susceptarum. Nec erant pauci aut infimi, qui clam cum hostibus consurrabant, alius aliud sperans aut quaerens. Contra erat civitas quaedam Hussitarum, nomine *Thabor*, non ita magna aut florens, quae etiam magis a Papa eiusque erroribus recedebat, quam ipse *Huss.* Plures enim abusus et abominationes acrius et clarius refutabat, quam ille fecerat. Inde igitur triste dissidium aut schisma inter Hussitas exoriebatur, fiebantque inter eos acres conflictationes scriptis, et disputationibus coram, quae per plures annos duraverunt. Habeo Thaboritarum illorum eruditam et prolixam confessionem contra Pragenses et Papistas, de plerisque nunc omnibus controversis articulis prorsus secundum nostram sententiam. Tandem vero contemptis miseris Thaboritis transegerunt Pragenses, et maxima praecipuaque pars Bohemorum cum Antichristo in Concilio Basileensi, retentis paucis quibusdam verioribus dogmatibus et recepto iterum iugo Papae ac Episcoporum, qui postea nihil ferme eis servarunt, sicut ipsemet *Sylvius* fatetur. Sicque tandem omnes Hussitae eorum religio ac ecclesia paulatim magis magisque oppressae ac extinctae sunt.

Non multo aliter coepit nostra quoque ecclesia ac religio inde a Lutheri, piae memoriae, morte in peius inclinare. Faxit Deus, ne similem tandem etiam exitum ruinamque ut Bohemorum perpetiatur. Certe nos pro nostra tetra ingratitudine studioque colludendi cum Babylonica Thaide vel hoc vel etiam maiori malo digni sumus, si modo ullum maius malum est, quam fame ac penuria verbi Dei, seu interitus purae salutarisque Iesu Christi religionis.

Videte, obsecro vos per dominum Iesum, ut veris solidisque rationibus et non palliativa aliqua iura vulnera ecclesiae Christi sanetis, ne et errores et scandala confirmentur, et fiant posteriora prioribus longe deteriora. Nulla vero

*) Vel exciderunt hic quaedam, vel certe legendum: *non perseveravit.*

est alia sana salutarisque ratio, quam ut errores Interimistici, Adiaphorici, Maioristici et alii clare et aperte communi consensu, et eorum etiam voce, qui patroni antea illorum fuerant damnentur. Utque haec fulgens necessariaque lux in tota Domo Domini luceat, quo primum omnes pusilli Christi inostense nunc et in posterum ambulare possint. Deinde ut qui tantis peccatis a Deo deviarunt, nempe tota Germania, in viam redire, poenitentiam agere, et iram poenasque praesentis et futurae vitae deprecari et effugere possint, et denique quo tandem verae religionis pristina certitudo et violata tot corruptelis gratia Dei integre restituatur. Id nisi fiat, non video qualem theologiam aut ecclesiam habituri sumus, quondoquidem eam temerariam vanamque gloriam et veteris Adami nolentis dicere: *peccavi*, tetram pertinaciam aeternae multarum animarum saluti mandato ac gloriae Dei praeferat. Vos igitur iterum iterumque videte, quid debilitata et convulsa veritas religioque a vobis flagitet. Ego testor ac protestor hac epistola coram Deo et eius ecclesia, meam conscientiam tales oblinitiones vulnerum et amnistias errorum ferre non posse. Bellum ecclesiae Dei acerrimum debet esse cum Antichristo et omnibus eius membris et scortationibus, cum omnibus diabolis et eorum erroribus, sive ille per Petrum sive per Paulum, sive per angelum de coelo instaurentur. Quis vero unquam audivit errores ex piorum pectoribus silendo evulsos esse?

Citatur multum Platonis illud: neque argentum neque aurum neque ipsum Adamantem tam lucere ac fulgere ὡς ἀγαθῶν ἀνδρῶν ὁμοφράδμων νόησις. Praeclare ille quidem affirmat, etiam in negotiis politicis ac philosophicis rem longe praeclarissimam esse concordem bonorum virorum sententiam. Verum longe magis lucet ea sententia, in qua nos unum esse deberemus, quia omnipotentis Dei ore perlata est. Cum igitur ex eius verbo cognoverimus, saepiusque confessi ac professi simus, papam esse antichristum, esse domata eius tetras abominationes, cumque Sacramentariorum, Stenckfeldii et necessitatis operum ad salutem dogmata falsa esse tam longo tempore nostrae ecclesiae cognoverint, scriptisque professi sint, cur quidem inde discedunt, et concordiam harmoniamque ecclesiae longe pulcherrimam, quae Lutheri tempore fuit, colludendo cum Antichristo et aliis seductoribus, turbant? Cur quovis ventulo persecutionis et impiarum doctrinarum, iam hic iam illuc instar arundinum ac levium nubium se agitari patiuntur, et simul alios quoque pusillos Christi in vacillationem ruinamque impellunt, ac peccare faciunt?

Illa ὁμοφράδμων νόησις vero luxit ac fulsit in domo domini adeo, ut per eam et patris coelestis gloria sit illustrata, et orbis terrarum ad salvificam veritatem vel deductus vel certe invitatus. Ad illum tam praeclarum salutaremque consensum festinanter redeamus, omnesque contrarias sententias et abominationes sive collusiones cum Antichristo sive cum Sacramentariis aliisve seductoribus funditus tollamus et aboleamus. Desinamus etiam persequi eos, qui tam tetras corruptelas et scortationes cum Babylonica Thaide taxant, quique miseram Germaniam ad mature agendam poenitentiam de tam foedis lapsibus invitant, eique quomodo a ventura ira aufugere possit, fideliter ac secundum Dei voluntatem commonstrant.

Cessent denique istae infamationes et declamationes impie monentes, et praesertim istae famosae chartae et picturae Vitebergensium, ut duae asinorum, in qua oppugnatores Papae cum asinis comparantur, bis recusa Philomela, ubi nominatim infamantur multi doctores fuci, cuculi, Ramsbeki, investivae (?) et Synodi avium, quae charta nunc intra dies decem prodiit. Quae omnia nihil de rebus causaque dicunt, tantum personas recte monentium infamant*).

Ille modo dictus consensus, qui Lutheri tempore viguit, vere fuit unum esse in domino, vere fuit idem sentire, idem dicere. O quam bonum et quam iucundum fuit, et nunc quoque esset fratres in eo babitare! Ibi certe et dedit et donet in posterum benedictionem suam Deus. Ad quem consensum unitatemque nos coelestis ille pater omnis boni et praesertim conservatae religionis propter filium suum in gloriam nominis

*) Quaedam horum carminum habentur in Epigrammat. Melanthonis. — Collecta multa sunt, quae ab iratis iuvenibus in Acad. Viteb. contra Flacium spargebantur et edebantur in libello: Scholasticorum Academiae Vitebergensis epistolae, editae contra M. Flacium — quibus respondetur ad toties cum fastidio impudentissime repetitas virulentas et falsas criminationes Flacii adversus harum regionum ecclesias. Witteb. 1571. 4. Vidit hunc librum rarissimum *Strobelius*, et animadvertit Flacium hic dictum esse *asinum*, *illyricam bestiam*, *nebulonem*, *vagum erronem*, *periurum*, *turpem scurram* etc.

sui et ecclesiae suae salutem, extinctis omnibus erroribus, dissensionibus ac scandalis, clementer reducat. Amen.

Dominus Iesus vos suo Spiritu sancto regat, cor vestrum inflammet, et os vestrum aperiat, ut ea omnia, quae coram ipso recta salutariaque sunt, citra omnem prosopolipsiam humanamque sapientiam dicatis et agatis. Amen. Ihenae 9. Augusti, anno 1557.

No. 6302. hoc t.

(*Instructio.*)

† Ex apogr. in cod. Guelpherb. in fol. 7. 9. p. 447 b.

„*Excerptum ex instructione iuniorum [Ducum] Saxoniae, data legatis Wormatiam profectis.*"

Nachdem an dieser Sache, die nicht das Zeitliche sondern das Ewige betrifft, groß, hoch und viel gelegen, und damit billig ein Ernst und kein Scherz ist, und dann weiland unsre Vorfahren und Herr Vater, seliger und löblicher Gedächtniß, dabei Inhalt der Augsb. Confession, Apologie und erfolgten schmalkaldischen Artikeln vermittelst göttlicher Gnad bis an ihr Ende mit Darsetzung ihrer Land, Leute und Vermögen, beständig beharret, so seiend wir derer Liebden und Gnaden durch Gottes Hülf auch zu folgen, und in ihrer F. und Gnaden Fußtapfen zu treten und dabei, und also der einmal erkannten, bekannten und angenommenen reinen Lehre und Gottes Wort des heil. Evangelii vermöge bemeldter Augsburgischen Confession, Apologia und der schmalkald. Artikeln, auch zu bleiben endlich bedacht und entschlossen. Und wiewohl in keinen Zweifel zu setzen, die andern, der Confession verwandte Stände, Theologi, Gelehrten und Räthe werden gleichergestalt Befehl haben und abgefertiget worden seyn, bei der Augsb. Confess., Apologia und schmalkald. Artikeln wie obgemeldt endlich auch zu verharren, immaßen denn der Räthe zu Regensburg gemachter Abschied davon insonderheit ausdrücklich auch Meldung thut: so sollen doch unsre Räthe und Theologi mit Fleiß anhören und vermerken, was sich in ihrer aller Zusammenkunft und Unterredung hierinne zutragen würde, und sich der andern gesandten Theologen und Räthe hören und vernehmen lassen werden. Wo nun die andern Gesandten auch solchen Befehl haben, so hat es seine Maaß, und man wird dieses Theils so viel desto eher zur Einigkeit und Vergleichungen kommen mögen.

Wo aber nicht, und die unsern werden in dem das Widerspiel, wie zu vermuthen, befinden, also auch, daß etliche werden vorgeben, daß ihre Herzen und sie nicht weniger geneigt seyen bei der Augsburgischen Confession, Apologia und schmalkald. Artikeln zu bleiben, aber gleichwohl von den eingeschlichenen Secten und vorgenommenen Veränderungen nicht zu weichen noch abzustehen, sich auch ausdrücklich zu erklären etc.: alsdann sollen sich die Unsern vernehmen lassen, daß unser endlich Gemüth und Meinung, wie obgemeldt, und das ihre auch wäre, bei der Augsb. Conf., Apologia, auch den schmalkaldischen Artikeln mit Gottes Hülfe bis an unser Ende zu verharren, und davon in den wenigsten nicht abzuweichen. Derhalben sie, die Unsere, auch mit niemand Gemeinschaft zu halten Befehl hätten, die etwas, gemeldter Confession und Artikeln zuwider, zu defendiren, zu lehren und auszubreiten bedacht wären.

Darum will in alle Wege vonnöthen seyn, ehe man sich mit dem päpstischen Theil in einige Gespräch und Handelung einlasse, daß alle der Confession verwandte geschrieben [Gesandte?], so dem Colloquio verwandt, sich öffentlich und einhelliglich zu der Ausgb. Confess., Apologia und schmalk. Artikeln bekennen und obligiren, daneben aber auch ausdrücklich und nahmhaftig verdammen alle Irrthume, neue und alte, so mit solchen oftgedachten Confession und Artikeln sich nicht mehr vergleichen, nämlich

1) allerlei Sectas und Rotten der Wiedertäufer, da sie unter ihnen selbst nicht eins, noch einerlei Meinung seyn.
2) allerlei Sectas der Zwinglianer und Sacrament-Schwärmer.
3) *Osiandrum* mit seinem neu erdichteten Irrthum von der wesentlichen Gerechtigkeit.
4) *Maiorem* mit seiner neuen Corruptel de necessitate bonorum operum ad salutem.
5) Vielerlei gräuliche Irrthum Caspar Stenkfeldts.
6) Alle *Servetianos*, so in Polen und anderswo hin und wieder ihre Nester haben sollen, und die alle gräulichen Ketzereien wider die Person und Gottheit Jesu Christi erneuen.
7) Alle, so ihren Fall und Defection zur Zeit des Interims und auch vor sich zugetragen, nicht erkennen, sondern noch verfechten und vertheidigen, und etliche impias Ceremonias nicht abthun wollen 2c., wie

denn der augsburgische Reichsabschied und aufgerichtete Frieden solche Secten zum Theil nahmhaftig begreifet und ausschleußt.

Und wiewohl zu besorgen, es werde sich in denen [i. e. diesen] Punkten erstlich bei vielen stoßen, weil niemand gesündiget noch Unrecht will gethan haben, und also Gott die Ehre, (deß sie auch allein ist, seyn und bleiben wird,) geben will, nachdem aber Gottes Wort und Evangelium, auch die Augsb. Confession und Apologia und schmalk. Artikel solches alles ausschließen, und denselben gänzlich entgegen und zuwider sind: so will im Namen Gottes auf sein allein seligmachendes Wort, auch die Confession, Apologie und Artikel zu sehen, und dabei ohne meinigliches [einiges?] Scheuen fest und beständig zu bleiben seyn. Wie denn die Unsern sampt etlichen andern Confessionsverwandten, die ohne Zweifel hierinnen bei ihnen stehen, sich zu der Confession, Apologia und den Artikeln ausdrücklich bekennen, und die andern gemeldten Secten und Irrthumen als falsch, unrecht und verführisch verdammen werden, auch thun sollen, da dieselben auf vorgehende, freundliche und fleißige, auch christliche Erinnerung und Ermahnung nicht zu gewinnen seyn wollen, (wie denn der Regensburgische, durch die Confessionsverwandten Räthe und Gesandten gemachte Abschied auch klar meldet, verwarnet und vorbehält: wo jemand dieser Stände die seinen berührter Maaß nicht würde abfertigen, daß derselbige solle ausgeschlossen und nicht zugelassen seyn,) deß sollen und würden sich die Unsern sampt und neben den andern, welche also abgesandt, dermaßen zu halten wissen.

Doch sollen die Unsern sampt den andern, die unsrer Meinung auch seyn werden, mit ganzem Fleiß bei den andern anhalten und Fürwendung thun, daß sie auch durch göttliche Verleihung mögen herbeigebracht und in diesem großen, trefflichen christlichen Werk gegen den Widersachern, als Gottes und seines Worts ärgsten Feinden, wie denn hiebevor auch geschehen, für einen Mann gestanden, und schädlichen Trennungen und Sonderungen, die der Sathan unter den Ständen dieses Theils suchen thut, zu höchster Freude und Frolockung der Widerpartey verhütet und verkommen bleiben.

No. 6303. 10. Aug.

Iac. Bordingo.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Iacobo Bordingo, Ἀρχιάτρῳ inclyti Regis Daniae.

S. D. Clarissime vir et cariss. frater. In comitatu Ducis Saxoniae proficiscentis ad socerum, Regem Danicum, fuit Doctor *Mordeisen*, cui brevem epistolam ad te scriptam dedi, quia hortator ei fui, ut tecum familiariter loqueretur. Meministi Homericum illud: hospitem sapientem ut fratrem complectendum esse. Utrique igitur vestrum voluptati fore colloquium existimabam, quia scio, prudentia, consilio et virtute utrumque excellere. Spero igitur redeuntem a te mihi literas allaturum esse, et sibi gratulaturum tuos congressus. Ego cum haec scriberem, adhuc expectabam iter ad Rhenum, sed audimus, Spirensem Episcopum nolle esse βραβευτὴν Rhenani colloquii, ut Rex *Ferdinandus* mandavit. Adolescentem *Bokelium* tibi commendo, in quo sunt φυσικαὶ ἀρεταὶ et aliae maiores virtutes accensae a filio Dei luce Evangelii et Spiritu sancto. Spero igitur, labores eius in docendo profuturos esse Ecclesiae, teque adhortor, ut locum docendi ei tradi cures; praesertim cum hac aetate ei prosit exerceri hoc modo ingenium, acui diligentiam et formari iudicium. Oro autem, ut ad me interdum scribas. Bene vale. Die Laurentii 1557.

No. 6304. 12. Aug.

Christiano, R. D.

Schumacher Briefe an die Könige in Dänem. Vol. II. p. 81. ep. 29.

(*Christiano III., Regi Daniae.*)

Gottes Gnad durch seinen eingebohrnen Sohn Jesum Christum, unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer, der sich gewißlich eine ewige Kirchen im menschlichen Geschlecht durchs Evangelium samlet, zuvor. Durchleuchtister, großmächtiger, gnädigster König und Herr. E. K. Majestet ist ein Unterthan, Magister Suer von Kolling, bekannt, der etwa für E. K. M. zu Kolling etlich Predig gethan hat. Dieser Magister Suer ist bei zweien Jahren allhie in dieser Universität gewesen, hat auch von E. K. M. Hülff gehabt und ist warlich mit schönen Gaben Ingenii und Tugenden von Gott geziert; ist gottforchtig, wohlgelahrt, verständig, hat gute Uebung in christlicher Lehr, im La-

tein, Grekischer und Ebräischer Sprache, hat auch in andern löblichen Künsten, die zur Erklärung christlicher Lehr nützlich sind, wohl studirt, und wird in Kirchen und Schulen, durch Gottes Gnad, sehr wohl zu gebrauchen seyn. Nu wollte er gern, zu besser Uebung in Sprachen und löblichen Künsten, noch zwei Jahr in dieser Universität bleiben. Dieweil denn Gott ihm sonderliche Gaben des Verstandes geben hat, bitt ich in Unterthänikeit neben ihm, E. K. M. wolle ihm gnädiglich zwei Jahr in der Universität Unterhaltung verordnen. Dagegen erbeut er sich in Unterthänikeit, E. K. M. in Kirchen oder Schulen hernach zu dienen. Dazu hoffe, daß seine Arbeit vielen nützlich seyn wird. Ich weiß, daß durch Gottes Gnad in E. K. M. Königreich und Landen viel sehr wohlgelahrter, gottforchtiger, verständiger Männer sind, die nicht allein dem Vaterland, sondern der Christenheit eine Zier sind, und zu Gottes Ehre seliglich dienen. Dieses ist billig E. K. M. eine Freud, darum bitte ich, Gott zu Ehren, E. K. M. wolle ihr solche Männer gnädiglich lassen befohlen seyn. Der allmächtige Gott, Vater unsers Heilandes Jesu Christi, wolle E. K. M. an Seel und Leib stärken und der Christenheit zu Gut lange in der Regierung erhalten. Dat. 12. Augusti, anno 1557.

E. K. M.

unterthäniger Diener
Philippus Melanthon.

No. 6305. 12. Aug.

Herm. Wilkenio.

Epist. lib. VI., p. 514 sq.

Clarissimo Viro, eruditione et virtute praestanti Hermanno Wilkin, docenti Linguam latinam et Graecam, et doctrinam Christi in inclyta urbe Ryga, fratri suo carissimo.

S. D. Cariss. frater. Has literas scripsi die Augusti duodecimo, cum ante biduum scripsissem, et Epistolae adiunxissem *Proclum.* Optarim autem me quotidie tecum de doctrinis, de Deo et de aliis bonis rebus colloqui posse. Nunc occupatus breviter de *Reinholdo Romberchio* scribo. Vocavi ad me adolescentem *Reinholdum*, et interrogavi an procedere in doctrinarum studiis velit, aut an militare velit. Respondit se processurum in doctrinarum studiis, et profuturum esse iudico, Lovanium eum mitti aut Lutetiam. In his Academiis, si doctrinarum studia abiiciet, militandi occasionem habebit. Lacrymans petivit parentes. Nec audio delicta ipsius aliqua enormia esse. Minus est frugalis et magis deditus sodalitiis quam vellemus. Sed spero sanari eum posse. Signum boni ingenii hoc quoque est, quod non recusavit recitare Symbolum Apostolorum me poscente, cum multa alia quoque interrógassem. Audit librum Institutionum Iuris civilis. Inde etiam quaedam sciscitatus sum. Scis veterem disputationem ex dicto Simonidae: *τετράγωνον γίνεσθαι οὐ ῥᾴδιον, καὶ μόνου θεοῦ γέρας ἐστί, τέλεια ἀρετή.* Demus igitur veniam sanabilibus, sed ut sanentur etiam, danda est opera, et pecunia mittatur quam debet, et profusiones deinceps prohibeantur. Haec aetas laxatis disciplinae vinculis sumit sibi plus licentiae, et exemplis malis etiam mediocres fiunt negligentiores. Et laxatio disciplinae fit maior clamoribus *ἀντινομικοῖς*, sicut nuper quidam in urbe *Northusen* *) edidit propositiones de lege, in quibus haec est: Summa ars Christianorum est, nescire legem. Scio posse addi *σοφὸν φάρμακον.* Sed illi Tribuni plebis, tantum haec vociferantur, ut vulgi affectibus blandiantur. Quaeso igitur ut adolescentis saluti consulas, et sanari eum cures. Bene vale. Die 12. Augusti.

No. 6306. 12. Aug.

Ioachimo, Marchioni.

Epistola praemissa libro: Insignia illustr. et inclytae familiae Marchionum Brandenburgensium, Elegiaco carmine celebrata a Ioh. *Schossero*, poëta laureato. Cum praefatione Phil. Melanthonis. Viteb. anno M. D. L. LVII. (2 pl. in 4.). Describi sibi eam curaverat Danzius, sed titulum libri et apographon epistolae debeo Foerstemanno. — Caeterum conf. praefat. d. 1. Apr. 1558.

Illustrissimis Principibus et Dominis, Domino Ioachimo II. Marchioni Brandeburgensi Electori: et ceteris Principibus inclytis Marchionibus Brandeburgensibus, S. D.

Memini summa cum gravitate narrare optimum Principem *Iohannem*, Saxoniae Ducem Electorem, cum duo reges, *Matthias* Hungaricus, et

---

*) Antonius Otto. Eius propositiones dedit Planck Geschichte des prot. Lehrbegr. T. V. p. 62

Casimirus Polonicus, adduxissent exercitus ad urbem Vratislaviam, et uterque suo regno Silesiam adiicere conaretur, tantam fuisse virtutem, et tantam concordiam duarum familiarum Saxonicae et Marchicae, ut sese ad Germaniae defensionem coniunxerint, et ad societatem honestissimi consilii adiunxerint vicinos Principes, apud quos plurimum et auctoritate et benevolentia valebant. Duxerunt igitur Electores duo, *Ernestus* Saxonicus, et *Iohannes* Marchio, sex millia equitum ad regum castra, et ostenderunt, se utrique regno amicos esse, Hungarico et Polonico, nec velle se, ut bellum inter se gerant exitiale Europae, et utile Turcis, Hungari, Poloni et Germani. Quare honestas conditiones pacis utrique regi propositurus se esse dixerunt, quas uter ex regibus accepturus sit, se ei suas copias adiuncturos esse, ut alter vi reprimatur, et cedere cogatur: nec hos vicinos Principes passuros esse vastari Germaniam. Rex *Casimirus* et iustitiae amans erat, et amicus Germanis Principibus, quare minus a pace abhorrebat. *Matthias* etsi aegre ferebat sibi ferri leges, et cedebat invitus, tamen cum videret, se Polonis et Germanis, si coniungerentur, non fore parem, conditiones proponi passus est. Re utrinque diebus aliquot disputata, Elector *Marchio* totam causam complexus, consilia Germanicorum Principum omnibus exercitibus, et pacis conditiones, et regum voluntates et pacta, exposuit longa oratione horis quatuor. Duxerunt secum Electores in castra et adolescentes filios, credo ut pulcherrimae coniunctionis memoriam eis magis commendarent. Narrabat igitur Dux *Iohannes* Saxoniae Elector, se tunc adolescentem audivisse hoc dici a Principibus et sapientibus viris: Etsi multi in tantis exercitibus praestantes sapientia et eloquentia adfuissent, tamen existimari, tantam causam tanta perspicuitate, et tanto splendore a nemine potuisse exponi, ut ab Electore Marchione *Iohanne* exposita fuerat. Tanta fuit laus sapientiae et eloquentiae Electoris Marchionis. Hanc narrationem libenter repeto, acceptam a principe fide digno, ut, cum non extet scripta harum rerum historia, posteris tamen nota sint haec honestissima exempla sapientiae et virtutis Principum Germaniae. Praecipue vero nota esse oportet iis, qui in his nobilissimis familiis nati sunt, quos quidem exempla maiorum saepe cogitare, et decet et valde prodest. Quantum movemur admiratione virtutis, cum legimus res Romanas a primo bello Punico usque ad tertium? Nam eo tempore modestia et iustitia civitatis praecipua fuit: Et tunc magnitudo animorum, constantia in consiliis, concordia principum, disciplinae severitas, obedientia civium, maxime conspici potuerunt. His virtutibus crescunt imperia, et vitiis contrariis ruunt. Fuit igitur et in Germanicis Principibus virtus, cum hoc Imperium Germanicum constitutum est, et donec floruit. Quod quidem Europae profuit, repressit irruptiones peregrinarum gentium, quae alias in Italiam, alias in Germaniam infusae sunt, sedavit domesticos et Italicos motus. Haec merita aspiciantur, et simul voluntas Dei in constituendis imperiis consideretur, et pulchritudo virtutis in praestantibus viris, in posteris etiam virtutis amorem et imitationem accendat. Haec cogitanda sunt, cum signa in clypeis aspiciuntur, quae sunt et testimonia antiquitatis familiarum, quae non possunt esse diuturnae sine virtute, et sunt monumenta rerum gestarum.

Laudo igitur studium *Iohannis Schosseri*, poëtae L. in illis signis celebrandis. Cumque nobilissima familia vestra semper singulari liberalitate doctrinarum conservationem adiuverit, hunc quoque virum doctum et honestum Celsitudini vestrae reverenter commendo. Memini me legere in codice manu scripto, tempore *Rodolphi* Imperatoris, Erfordiae in conventu Principum propositum esse typum eclipseos, magnamque tunc admirationem fuisse scriptor narrat, posse has in coelo vices praedici. Et addit, in comitatu Marchionis *Brandenburgensis*, virum doctum fuisse eius praedictionis autorem. Illa igitur vetustas etiam Marchionum studiis doctrinarum favit. Id nunc magis faciendum est, cum doctrinae magis notae sint, et magnitudo negotiorum hoc tempore eruditionem flagitat. Deus servet et gubernet nobilissimam familiam Marchionum. Datae Witebergae, 12. Augusti, anno salutis reparatae 1557.

Illustrissimae Familiae Principum Marchionum
Brandenburgensium
addictus
Philippus Melanthon.

No. 6307. 14. Aug.

Scholasticis.

Scripta publ. Witteb. III. p. 112 b.

(*Auditoribus.*)

Hodie non praelegam, quia, cum iam simus iter ingressuri, multi pauperes Scholastici literas flagitant. Oro autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, custodem Ecclesiae suae, qui dixit: *ego sum vitis, vos palmites*, ut nos gubernet. Vos etiam propter Deum obtestor, ut vos ipsos et nos Deo piis precibus commendetis, et modestia vestra Ecclesiam ornetis. Die 14. Aug. 1557.

(*Proficiscitur Melanthon Wormatiam ad Conventum.*)

No. 6308. 16. Aug.

Ottoni Henrico Palat.

Epistola nuncupatoria in Tomum *nonum* operum Lutheri germanicorum.

Dem durchleuchtigsten hochgebornen Fürsten und Herrn, Herrn Otthenrichen, Pfaltzgraven bey Rhein, des heiligen römischen Reichs Ertz-Truchses und Churfürsten, Hertzogen in obern und nieder Beiern etc. meinem gnädigsten Herrn.

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Sohn Jhesum Christum unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer, der ihm gewißlich ein ewige Kirchen in menschlichem Geschlecht durchs Evangelium sammlet, zuvor.

Durchleuchtigster hochgeborner Churfürst und gnädigster Herr. Nachdem der Ehrnwirdig Doctor Martinus Luther aus diesem sterblichen Leben in die ewige Freude zum Herrn Christo, zu den Propheten und Aposteln erfordert ist, bin ich von den Ehrnwirdigen Doctor Casparn Crucigero und Georgio Rorario, welche Befehlich gehabt, die Bücher Lutheri zusammen zu bringen und in den Druck zu geben, gebeten worden, Präfationes dafür zu machen, daß die Nachkommen wüßten, durch welche dieses Werk gefertiget. Und ist wahr, daß Doctor Caspar und Rorarius, und folgend die andere, treulich damit gehandelt haben. Ich hab auch die Praefationes darumb an hochlöbliche christliche König, Fürsten, Graven und Herrn gestellet, daß man in frembden Nation und bei den Nachkommen deß mehr Anzeigungen habe, daß die Lehre in unsern Kirchen nicht ein Winkelpredigt ist, sondern daß sie mit gutem Rath vieler hoher und weiser Personen in viel Land gepflanzet ist, und daß gewißlich dieser Theil die wahrhaftige Kirche Gottes sey, und nicht die päpstliche Verfolger christlicher Wahrheit. Denn dieweil zu allen Zeiten mancherlei Spaltungen sind, als Heiden, Mahometisten, Jüden, und unter christlichen Namen mancherley Secten, ist zum höhesten nöthig, daß alle Menschen zu jeder Zeit sich umbsehen, wo und welche Versammlung Gottes Kirche sey, und sich zu derselbigen halten mit Glauben, Bekenntniß, Anrufung, Einträchtigkeit, mit aller möglichen Hülf und freundlichen Wohlthaten, wie die Psalmen sprechen: selig sind die in Gottes Haus wohnen. Item: dieses einig hab ich begehrt von Gott, dieses suche ich, daß ich allezeit im Hause Gottes bleibe etc.

Dieses sollen wir täglich betrachten, so wir die Artikel des Glaubens sprechen: Ich gläub, daß eine gemeine christliche Kirche sey. Denn obgleich der größer Theil des menschlichen Geschlechts in Blindheit, Unsinnigkeit, Gottesverachtung, Abgötterey und in grausamer Untugend lebet und in ewige Straf fället, so ist dennoch gewiß, daß nicht das ganze menschliche Geschlecht zu ewigem Verderben, zu ewiger Gotteslästerung und ewiger Flucht geschaffen ist, sondern der Sohn Gottes hat gewißlich ein ewig Erbe, dem Gott ewiglich sein Licht, Weisheit, Gerechtigkeit und Freude mittheilen will, und dieses Erb wird in diesem Leben durchs Evangelium versammlet. Darum ist hochnöthig, daß man sehe, wo und welche Menschen dieser Theil sind. Es ziehen aber die päpstlichen Verfolger christlicher Wahrheit diesen heiligen Namen Kirch auf sich, wie die Pharisäi und Sadducäi im Volk Juda. Denn sie saßen im öffentlichen Regiment, wollten Kirch seyn, und dichten Lehre und Gottesdienst wie sie wollten, wie itzund Papst, Cardinäl, Bischof, Mönch und ihr Anhang rühmen, sie sind die alte wahrhaftige Kirche, so sie [doch] wider die alte wahrhaftige reine Kirchen öffentliche Lügen und Abgötterey eingeführt haben, schützen und mit großem Trotz und Blutvergießen zu erhalten sich unterstehen. Dagegen aber sollen wir aus klarem göttlichen Zeugniß wissen, daß wahrhaftige Gotteskirch diese nicht sind, die wahrhaftige göttliche Lehre verfolgen, und Abgötterey wider ihre eigene Gewissen mit Mord und allerlei Grausamkeit schützen. Denn also ist geschrieben: so jemand ein ander Evangelium predigen

wird, der sey verflucht. Nu ist ganz öffentlich, daß die Päpstlichen grobe Abgötterey treiben mit der verstorbenen Heiligen Anrufung, mit dem Meßeopfer für Lebendige und Todten, mit Anbetung in der Umbtragung des Brods, mit Möncherey, Satisfaction etc. Item, verbieten den Ehestand, und haben viel falscher Lehre, schreien, man soll allezeit im Zweifel bleiben von Vergebung der Sünden, vertilgen also den Artikel: credo remissionem psccatorum, und verfälschen die ganze Lehre de poenitentia, de conversione, de fide etc.

S. Hic nuncius obtulit mihi fasciculum literarum et scriptorum tuorum, quae mihi gratissima fuerunt, et communicavi reliquis meis collegis et iis, qui videntur vobiscum sentire. Iam pridem insinuavi me in amicitiam D. *Sarcerii*, quocum bis aut ter contuli de multis rebus, quae pertinent ad praesens negocium. Idem feci cum D. *Morlino*, qui nostras quoque partes tuetur. De aliis nihil statuere possum. Fere omnes sentiunt, Augustanam confessionem mordicus esse defendendam, et damnandum quicquid cum ea pugnat, non quidem in specie, nominatim, sed tantum in genere. Contendunt enim, in doctrina inter nos convenire; tantum inter aliquos controversiam esse de quibusdam rebus adiaphoricis et ceremoniis, quos iudicant non ita magni momenti esse, de quibus in Synodo futura cognosci debeat praesentibus omnibus praecipuis doctoribus Ecclesiarum nostrarum citatis primum partibus, inter quas est controversia, re legitime cognita, et coniunctis [convictis] his, qui minus recte ac pie sentire, et prava dogmata sparsisse dicuntur. Sed ego cum collegis meis contra sentimus, nos non posse contra papistas adversarios nostros, qui plerique nunc omnes hic congregati sunt, in acie stare, nisi prius inter nos de doctrina, quam quidam ex nostris corruperunt his annis, conveniat, et diserte condemnentur omnes corruptelae et sectae Sacramentariorum, Interimistarum, Osiandristarum, Maioristarum, Schwenkfeld. Servetian. et aliorum, qui falsa dogmata pepererunt vel probant vel defendunt. In qua sententia, quam certam et veram esse statuimus, omnino perseverabimus auxilio Dei, et iudicamus, nos salva conscientia coniungi non posse, nisi primum pia concordia in doctrina sit inter nos facta, deinde condemnatio manifesta omnium, quae cum illa pugnant. Alioqui malumus, ut publicum illud colloquium cum papistis dissolvatur. Quam sententiam ad principem nostrum, iam in thermis agentem, praescripsimus ad eius petitionem, nec dubitamus, quin eam et vos et alii verae pietatis studiosi probaturi sitis.

Nihil hactenus actum est, etiamsi Ph. [*Philippus*] cum Misnensibus consiliariis nudiusquartus *) huc venerit cum *Peucero* genere suo, qui qualis sit, non ignoras. D. *Cracovium* et M. *Paulum Eberum Alesius* sequetur, ut audio. Quotquot sunt hic theologi nostrarum partium eum honorifice exceperunt, reverenter, et quasi numen adorant. Nudiustertius a concione cum egressi eramus, omnes eum salutabant, ut praeceptorem; ego procul stabam. At ille, cum me videret, frigidius dicebat d. Doctor, et leviter manum adhibebat; statim aversus a me discessit, frequenti turba deducente illum in suum hospitium. Ego vero recta abibam in nostrum una cum M. *Stoesselio*; reliqui comitabantur eum. Animus illius videtur a me prorsus alienatus. Sed nihil omnino moror, nec ullam amicitiam expetendam esse duco cum eius generis hominibus, qui doctrinae puritatem contaminant, imo magis fugiendos eos esse statuo, iuxta illud: *si quis ad vos venerit non adferens hanc doctrinam, ei nec ave dixeritis.*

Vereor primam coitionem cum iis, qui nostri volunt videri, acerrimam fore, nec illos quicquam cessuros, nec damnaturos errores suos, atque ita re infecta nos discessuros. Intelligo etiam, papistas nolle, colloquendi materiam esse augustanam confessionem. Adsunt hic *Iulius*, qui substitutus est praeses in locum episcopi Spirensis, quem aiunt ex capitis delirio laborare, *Sydonius*, *Canisius*, *Staphylus*, *Wizel*, *Iuliacensis* et *Bavariae* principum duo concionatores, et alii quidam non ignorantes nostrorum dissensiones, quae haud dubie magis inflammabunt. Deus adsit pusillo suo gregi, confundat adversarios, et servet nos in puritate sanae doctrinae perpetuo.

D. *Sarcerio* et *Morlino* dedi tua legenda. Sunt qui putant, regenerationem nihil a remissione peccatorum differre, et aliud esse quam renovationem et novitatem vitae; qua in re mihi sententiam certam communices. Non enim satis intelligo. Commendo tibi scholam nostram, interim et domum meam. Spero, nos brevi redituros. Bene vale et ora pro Ecclesia et nobis, quibus cum acerrimis hostibus pugnandum erit, ne vel ad dextram vel sinistram declinemus victi prosopolipsia, sed in regia via maneamus con-

---

*) d. 28. Aug.

stantes. Bonum esset, ut principes aliquot nostrarum partium hic essent, sicut ego dedi operam, ut id fieret. Noster non defuturus esset officio. Iterum vale. Wormaciae, 31. Augusti 1557.

T. *Bas. Monnerus*, D.

No. 6322. 1. Sept. (Wormatiae.)

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camer. p. 725. (ed. Lond. lib. IV. ep. 869.).

Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioach. Camerario fratri suo cariss.

S. D. Non ad alium conventum plures accesserunt adversarii, Instructi Sophistica, quam ad hunc. Belgae enim attrahuntur, quorum sunt naturae praestigiatrices. Itaque filium Dei oro, ut sit noster *βραβευτὴς καὶ σύμβουλος*, et tribuat nostro coetui concordiam. Et congruere sententias et voluntates omnium intelligo, *πλὴν τῶν μεθωναίων* [1]). discurrit ut Furia is, qui se recte nominat *θρασύβουλον* [2]), et petit audire, suorum *προβουλεύματα*. Sed hi qui nostris amicis adiuncti sunt, ab eis abhorrent. Cumque *Iulius* [3]) nondum publice nos convocaverit, differuntur et privati congressus. Audio autem primam fore *σύῤῥαξιν* de nomine Ecclesiae, quod adversarii ceu Gorgonem nobis opponunt. Decrevi in omnibus congressibus publicis et privatis Deo iuvante, simpliciter respondere, *καὶ ἄνευ σχημάτων καὶ φενάκης* in tantis periculis, *ἰσχυρὸν γὰρ τὸ ἀληθές*. Oro autem filium Dei, ut nos gubernet, et te et tuam domesticam Ecclesiam servet. Bene vale. Cal. Septemb. Salutem opto R. D. Pastori, et vobis omnibus.

Philippus.

No. 6323. 1. Sept.

P. Vincentio.

† Ex apographo in cod. Guelph. in fol. No. 7. 9. p. 419.

1) Wimariensium.

2) Morlinum.

3) Pflugk, episc. Naumb. praeses colloquii.

Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Petro Vincentio, fratri suo carissimo

S. D. Clarissime vir et carissime frater. Non ad alium conventum accesserunt plures adversarii, sophistica instructi, quam ad hunc. Belgae enim attracti sunt, quorum sunt naturae praestigiatrices. Itaque filium Dei oro, ut tribuat nostro coetui concordiam. Video autem omnium nostrorum *συμμάχων* congruere sententias et voluntates *πλὴν τῶν Μεθωναίων*, qui sua quaedam *προβουλεύματα* proponunt, a quibus audio caeteros omnes abhorrere. Nondum autem ulli publici aut privati congressus facti sunt; tantum audio, primam *σύῤῥαξιν* cum Papistis fore de nomine Ecclesiae, quod ceu Gorgonem opponunt adversarii regibus et populo.

Tuas literas heri exhibuerunt nobis *Zacharias* et *Ferinarius* qui et a Domino *Georgio* priores literas attulerunt. Utique gratiam habeo et D. *Georgio* et tibi. Gratum est officium, quod orationes de Erasmo misisti. Expecto et alteram de Duce Megapolensi. Scribas ad nos quoties poteris; rursus ad te scribam cum Francofordiam bibliopolae venerint. Bene vale. Salutem vobis omnibus opto. Commendo tibi meam familiam. Datae Calen. Septb. in urbe Vangionum. Nominatim salutem opto Reverendo D. Pastori D. *Pomerano*.

Ph. M.

No. 6324. 1. Sept.

Eberus ad Maiorem.

† Ex apographo in cod. Monac. 86. p. 67 b.

Clariss. viro D. Georgio Maiori, S. S. Theologiae Doctori, collegae, compatri et amico suo observando S. D.

Reverende D. Doctor et compater charissime. Gratiam tibi habeo, quod de incolumitate familiae certiorem me fecisti, et promittas, te illius etiam inspectorem fore, ac polliceor tibi vicissim mea studia et officia. Verissimum est enim, quod tu in tua epistola non semel expertus scribis, absentibus nobis nullum officium gratius praestari posse, quam si certos nuncios fide dignos de nostris familiis accipiamus. Rogo igitur peraman-

ter, ut porro tibi etiam meos commendatos habeas sicubi aut tuo aut coniugis tuae prudentissimae consilio et auxilio uxor mea, praecipue tempore partus sui, indiguerit, ei benigne subveniatis, sicut vos omnino facturos confido.

Nos cum venerimus d. 28. Augusti, qui erat dies Sabbathi post Bartholomaei, ad hunc usque Egidii diem, quo haec scribebam, nihil agi vidimus aut audivimus, nisi quod Methonius, maxime vero *Reg. Selinus* *), ut ipse in quodam scripto contra Caesarem olim edito nominavit, circumeant, petentes a nostrae partis Theologis, ut instructioni, quam domi secum attulerunt, suffragentur, hoc est, ut *Philippum* adigant, ut revocet ac condemnet Adiaphorismum, Maiorismum, Osiandrismum, et Zwinglianismum antequam admittatur ad colloquium cum aliis. Hae enim nunc solae in Europa sunt illorum iudicio haereses summis radicibus extirpandae. Sed Dei beneficio invenimus Wirtembergenses, Palatinenses, Hassiacos, Marchicos, Argentinenses ita animatos ut palam dicant, sibi a suis iniunctum esse, ne a nobis se seiungant sine necessariis causis, et nullo modo sibi probari illud intempestivum studium impediendi publicam collocutionem propter quam praecipue accersiti sunt.

Misit huc literas, ut ex signo aestimatur, *Flacius* inscriptas ad omnes collocutores adiunctos supernumerarios-nostrae partis, quae cum essent exhibitae primum Palatinensibus, illi eas non resignatas miserunt Wirtebergensibus et porro Hassiacis et Argentinensibus, illi rursus Palatinensibus, qui eas adhuc retinent, nec aperire nec legere, nisi iussi a toto coetu nostrorum cogitant. Die solis mane audivimus concionantem in templo, ubi solet dicere M. *Nicolaus Polytus* Noribergensis (qui te amanter salutari iussit), Doctorem *Morlinum*, aliquantulum pungentes nostros reprehensione libertatis in voluntate, cum diceret, pharisaeum orantem in templo sua bona opera non suae voluntatis arbitrio sed Dei effectioni ac potentiae adscripsisse. Is tamen aliquoties praeceptorem nostrum invisit. Heri etiam *Sarcerius* nobiscum una cum *Brentio* et *Pistorio*, (quem tuo nomine, ut petivisti, reverenter hodie salutabo) pransus, et multa amanter cum *Philippo* collocutus est. Audivimus eodem die per ignorantiam tantum astantes proximi *Sydonio* et *Iulio*, Episcopis, in summo templo concionantem *Canysium*, et dicentem initio generalia satis convenientia verae doctrinae, quae in nostris Ecclesiis traditur; postea negabat, sola fide iustificatum publicanum, sed acceptum fuisse Deo etiam propter humilitatem, sicut pharisaeus propter superbiam abiectus fuerit. Nec tanta ex illa saltem concione eluxit vel eloquentia vel eruditio, quantam ab aliquibus praedicari audivi.

Quod ad colloquium cum Papistis attinet, nihil adhuc a praeside, *Iulio* episcopo, indicatum est, quia is adhuc clarius mandatum a rege *Ferdinando* expectet, quod hodie creditur allaturus. Nostri etiam Theologi nondum simul fuerunt. Iussi enim sunt expectare congressum politicorum legatorum, qui a singulis principibus theologis sunt adiuncti. Expectaverunt nostri Electoris legatos, donec Palatinenses legati caeteros convocarunt. Illi vero, cum Palatinus non sit deputatus, ut praeses sit vel assessor in hoc colloquio, dicunt, ius convocandi caeteros legatos pertinere ad Saxonicos. Itaque nostri legati hodie vel cras convocationem instituent, quam postea sequentur Theologorum congressus, qui utinam pariant pium consensum de omnibus partibus doctrinae inter omnes profitentes puram Evangelii doctrinam. Plura nunc scribere non possum. Bene vale. Datae Wormatiae Calend. Septb.

Paulus Eberus.

*) i. e. Basilius Monnerus, Wimariensis.

No. 6325. 1. Sept.

Peucerus ad Vincentium.

† Ex apogr. in cod. Guelpherb. in fol. No. 7. 9. p. 423 sq.

Ornatissimo doctrina et virtute viro, D. Petro Vincentio, artium et Philosophiae Magistro, professori publico in Academia Vitebergensi, fratri suo cariss.

Charissime *Petre*. Deliberatio Wormaciae adhuc nulla coepta est, et videtur colloquium aut lente processurum esse, aut futurum nullum. Convenerunt adversarii satis instructi et sophistica et personis, et dissensiones nostrorum videntur magis . . . . . *) esse. Ienenses enim nescio

*) Est lacuna in apogr.

quae προβουλεύματα proferre dicuntur, quibus requirunt κατακρίσεις Adiaphoristarum, Maioristarum, Zwinglianorum, Osiandristarum, quae ubi protulerint, movebuntur certamina, quibus implicabuntur non pauci. Inter reliquos omnes consensus est, qui se a *Philippo* non discessuros professi sunt non obscure. Si adversarii animadverterint dissentire nostros, opponent hanc dissensionem, et se non congredi et pugnare cum discordibus posse querentur. Et quorsum attinet conferre cum aliquibus caeteris pugnantibus et adversantibus utrisque. Quare quod ad nos properes non est necesse. Familia nostra tibi ut curae sit, oro. Quae nova habuimus cognosces ex D. *Milichio*. Saluta omnes amicos, inprimis M. *Froschelium*, quem rogabis, ut revisat filium et retineat in officio. Cal. Septb. 1557.

Casparus Peucerus.

No. 6326. 1. Sept.

Peucerus ad Milichium.

† E cod. Guelpherb. in fol. num. 7. 9. p. 422.

Clarissimo viro, doctrina et eruditione praestanti, D. Iacobo Milichio, medicae doctori, et compatri suo cariss., et perpetuo colendo,

S. P. Toto itinere Dei beneficio feliciter confecto Borbelomagium venimus die 28. Augusti. Accedentibus ad urbem prodierat equo obviam *Brentius* cum genero, qui paene dimidio ab urbe miliari in nos incidebant. Wormatiae reperimus ex delectu ad colloquium eos, quorum nomina charta continet, quam accipies a *Ioachimo*. Ex nostris caeteri exceptis *Ienensibus* ita sese declararunt, ut non discessuros se a nostris ullo iure aperte ostenderint, idque etiam se habere in mandatis, et speramus hanc coniunctionem et consociationem profuturam esse tranquillitati Ecclesiarum et spem opinionemque excussuram adversariis, quam de dissensionibus inter nostros dicuntur concepisse tantam, ut paene certam sibi promiserint victoriam, ac serio triumpharint multo ante. *Ienenses*, qui semel tantum *Philippum* exeuntem a templo salutaverunt, imperata dicuntur afferre, quibus iubentur urgere et *Philippum* et caeteros ad condemnationem Adiaphorismi, ut vocant propositiones *Maioris*, Osiandrismi, et Zwinglianismi. Etsi autem deliberatio aliqua habita est, tamen intelligo, caeteros ante adventum nostrum significasse eis, ut proferant illa προβουλεύματα. Nullo modo enim se assensuros esse, nec defuturos *Philippo* Suorum consiliorum rationes, et intempestiva moveri certamina, cum sit deliberandum de serio congressu et conflictu cum adversariis, quos ad nullam aliam ante Synodum accessisse instructiones constat et viris et argumentis. Iniuste etiam premi *Maiorem* propter ambiguitatem propositionis, quoniam ipsi nunquam errasse in fundamento confitentur. Zwinglianos si condemnendos velint, explicent priusquam iudicent, in Ecclesia sententiam περὶ εὐχαριστίας ac retinendam ac docendam esse ut de ea colloqui inter se et an congruat sacris literis et testimoniis veterum explorare possint. Si autem auctoritate et severitate mandatorum impediantur quo minus adsint, liberum esse iis discedere; fore alios, qui ipsorum loco causae nostrae patrocinio non sint defuturi.

Tantum ex privatis singulorum colloquiis colligere mihi licuit, cum ad deliberationem nullam publicam ventum sit. Hodie expectatur *Basius* (?) qui regis nomine *Iulium* praesidem declaraturus est, et ut inchoetur collatio sententiarum mandaturus.

Allata est hodie constans fama, Quintonum, quod rex Gallicus paulo ante infelix proelium novo praesidio firmarat, et instruxerat uberiori commeatu, vi expugnatum esse, et caesum in eo proelio *), captum vero esse Amiraldum et ducem Vandanii. Quod si verum est, amisit regnum et praecipuos duces, et unicam, quae restitit, munitionem, ita ut expeditum accessum ad Parrhysias et transitum per reliquam Galliam exercitui Burgundico praebiturum credatur nemine prohibente.

Collocutores disputationem ab articulo de Ecclesia esse auspicaturos audio. Salutem opto D. *Maiori*, D. V. M. *Froeschelio*, Rev. D. *Pastori* et caeteris collegis. Familiam nostram vobis omnibus commendo. Cal. Sept.

De *Iohanne Friderico* rursus alius increbuit rumor, quod ambiat viduam *Friderici Palatini* ad Rhenum, imperatoris amicam, idque de Palatinensium relatu audivimus.

Caspar Peucerus.

---

*) Excidisse videtur hic nomen.

No. 6327. 1. Sept.

Peucerus ad Winshem.

† Ex apographo in cod. Monac. 86. p. 49 b.

Ad Mag. Sebastianum Theodorum Winsheim.

S. D. Charissime *Sebastiane.* Quae et de conventu theologorum et de Gallica clade explorata habuimus, perscripsi ad Dom. *Milichium*, a quo repetes. Adversarii magno huc numero confluxerunt, et in certam spem victoriae dissensionibus nostrorum videntur esse erecti, quam spem eis fecit *Staphylus*, confirmat *Regius Selinus* *), qui nuper Thrasybuli nomen usurpavit. Hic occupatus est cursitando sursum ac deorsum, incitando imo impellendo collegas caeteros ad facienda decreta de condemnatis Adiaphoristis, Maioristis, Zwinglianis obtrudenda, de quibus atrocia minatur προβουλεύματα ex aula allata. In has dissensiones intenti sunt adversarii, et dicitur *Staphylus* certo promisisse eis, ut maxime consenserint in omnibus reliquis, in uno tamen περὶ εὐχαριστίας dogmate eos disiuncturum et turbaturum. *Flacius* etiam misit huc fasciculum literarum, qui, dum ad omnes esset delatus et ab omnibus repudiatus ante nostrum adventum, tandem a Palatinensibus suasu caeterorum receptus et sepositus est, ut ex longo defatigatus itinere paulisper interquiescat et respiret. Certi scribere adhuc nihil possum, quod deliberationes inchoatae nondum fuerunt. Per nostros a mercatu revertentes fortasse accipietis plura. Salutem opto socero tuo, *Vincentio* Quaestori et amicis caeteris, et invisas nostros per ocium. Commendes et socero familiae nostrae curam. Bene et foeliciter vale. Calend. Septembr.

Casparus Peucerus.

No. 6328. 1. Sept.

Strigelius ad Hugelium.

† Ex apogr. in cod. Guelpherb. No. 7. 9. p. 482.

*) Basilius Monnerus.

Epist. Victor. Strigelii ad Andream Huggelium, Pastorem Ienensem.

S. D. Reverende vir et pater colende. Quoties de angustiis et difficultatibus, in quibus nunc Wormaciae versamur, cogitationem suscipio, venit in mentem Aphorismi Hippocratis, quem Plato crebris sermonibus usurpat: difficilis est medicatio quando simul duobus contrariis morbis occurrendum. Si enim corpus et arma iuxta legem militarem, quam Tyrtaeus recitat, manipularibus nostris iungimus sine publica condemnatione sectarum, quarum in formula nostra mentio fit, a multis accusabimur, ut tu recte mones, perfidiae et neglecti officii. Videbimur enim metu quodam aut simulatione cum patronis talium sectarum collusisse, nec eis exemplo Pauli in faciem restitisse. Sin autem nos ab illis seiungemus propter non impetratam condemnationem ab aliis iniustae pertinaciae aut δρασυδειλίας fugientis ex acie condemnabimur. Haec pericula utrimque proposita longe maiora sunt, quam ut verbis exponi possint. Vere igitur nunc sustinemus dolores parturientis, et inter Cyaneos scopulos vehimur. Sed cum ignoramus, quid agere debeamus, hoc solum nobis relinquitur, ut oculos nostros dirigamus ad dominum. Quare quod facis ut facias ardenter oro, hoc est, ut preces tuas et Ecclesiae nobis adiungas, qui vere sumus infantes sedentes in specu aspidum et ludentes cum basiliscis.

Somnii tui imago partim me consolatur partim terret. Quod enim visus sum habere in occipitio oculos, ea pars somnii significat intelligentiam et prudentiam spiritualem prospicientem futuras tempestates, quam ut nobis omnibus largiatur filius Dei toto pectore precor. Alteram vero partem de obscuro colloquio non satis intelligo, sed vota facio, ut Deus det servis suis cum omni fiducia loqui sermonem suum, ut Actor. 4. apostoli precantur. Nisi enim dominus aperuerit labia nostra, non poterit os nostrum laudes eius annunciare, sed vel spe victi, vel metu fracti, vel blanditiis amicorum debilitati veram sententiam, quod omen Deus avertat, occultabimus. Sed terra nobis prius dehiscat, aut tota Aetna nos obruat, quam a verbo Dei transversum unguem discedamus. Scio, domine, quod non est hominis via eius neque est viri dirigere gressus suos. Sine tuo numine nihil est in homine, nihil est in-

noxium. Nisi igitur tu, domine, praecesseris nos, non educas nos ex loco isto. Non enim sumus idonei ad cogitandum aliquid tanquam ex nobis ipsis, sed omnis nostra ἱκανότης ex Deo est.

Haec in sinum tuum effundo, ut sponte currenti ad precandum calcaria addam, cum quidem in nulla re plus spei repositum habeam, quam in pia et ardenti precatione. Salutem opto collegis tuis et omnibus amicis. Bene ac feliciter vale, reverende pater, et me veteri benevolentia complectere. Wormaciae die 1. Septb. anno Christi 1557.

T. *Vict. Strig.*

No. 6329. 1. Sept.

Schnepfius ad Hugel.

† Ex apographo in cod. Guelpherb. in fol. No. 7. 9. p. 481 b.

Erh. Schnepfius ad Pastorem Ienensem, Andream Huggelium.

Gratiam et pacem in Christo Iesu. Is est profecto, rev. domine Pastor et compater amantissime, rerum nostrarum status, quem tibi dominus perspicuo hoc de bifronti Iano somno ostendit. Non enim Ianos tantum, quatuor ut luminibus contenti esse queamus, sed Argos etiam esse necesse erit, ut centum oculis videamus, adeo omnia referta sunt simulationibus, irrisionibus, invidia et contemptu. Nullus est candor, nullus verus amor, omnia plena Sarcasmis et putae hypocriseos. Sic videlicet nos superiorum annorum tristissima dissidia horribilesque illae dilacerationes affecere. Vides proinde, quantopere nobis et nostrae et omnium Ecclesiarum ardentissima [precatione] opus sit, ut in officio retineamur, ac Deo grata nobis, Ecclesiae Dei salutaria facere possimus. Oppugnamur tam a dextris, quam a sinistris. Conserendae manus erunt non cum hostibus duntaxat, sed cum sociis et symmachis etiam dimicandum erit. Sed spes nobis omnis in eo collocata est, qui Apostolis dixit: *cum steteritis ante Reges et Praesides nolite cogitare, quid aut quomodo loquamini* etc. Haec significabis symmistis nostris, quos una cum aliis amicis nostris diligenter salutabis. Saluta *Wickerum* et omnes professores, si quando in eos incideris. Saluta D. *Pontani* viduam. Quibus omnibus Aedituum nostrum adiunges, quem bonum virum esse iudico. *Philippus* sabbatho proximo Wormaciam venit. Desunt ex nostris unus adhuc et alter, quorum tamen adventus fortasse non expectabitur. Sed brevi, ut ego puto, actioni institutae accingemur. Nihil autem adhuc factum est. Vale felicissime cum tuis omnibus. Uxorem et familiam meam omnem tibi diligenter commendo. Vale iterum. Wormaciae Cal. Septemb.

Erhardus Schnepfius
T. ex animo ut semper.

No. 6330. 1. Sept.

Coelius Sec. ad Melanth.

† Ex cod. Basil. G. I. 66. et G.² I. 22. nobis descripta a Clariss. *Rothio*, Doctore Basil.

Coelius Sec. Curio per Christum Iesum unicum servatorem S. P. D. Philippo Melanchthoni.

Ignosces mihi, humanissime *Philippe*, qui hoc tempore, hoc est in mediis negotiorum undis versanti tibi scribo; sed ubi quid me moveat intelliges, scio, quae tua est pietas, nihil aegre laturum hominis amicissimi interpellationem.

Veni proxime Argentoratum ad generum meum *Hieronymum Zanchum*, Theologiae in Schola Argentoratensi professorem, ut ex mutuo colloquio consolationem aliquam de uxoris eius, filiae meae, morte caperemus. Hic inter caetera, dum de variis rebus ageremus inter nos, sermo etiam de ea quaestione, quae hodie Ecclesias misere lacerat exortus est. Ac quum de quibusdam inquietis hominibus mentio incidisset, coepi ego morem et pacatum ingenium laudare tuum, quia quacunque ratione potes excitatas soles turbas sedare: aut tacere si non potes: nullo autem pacto, ut quidam, frigidam suffundere. Tunc gener meus tui ut semper studiosissimus protulit confessionem de Eucharistiae Sacramento Saxoniae Ecclesiarum, cuius in extrema pene eius operis pagina, epistolam tuam quandam (tuam appello, quoniam tuum nomen gerit) ostendit, brevem quidem verbis, sed contumeliis in Helvetias Ecclesias Zwinglianorum nomine appellatas refertam. Nihil est opus, me verba tibi subiicere: in

manibus est: si tua non est, ut ego et gener meus existimamus, eam legere poteris: et cogitare, quo animo haec Helvetiorum Ecclesiae legere possint, Philippo praesertim, ut volunt, auctore. Oro igitur te per Dominum, ut nos hac dubitatione leves. Nam si tua non est, quod supplicium satis dignum in eum, qui tuo adeo turpiter abusus est nomine, excogitari potest? Sin auctor eius es, atque ita procul a tua consuetudine recessisti, aliquam saltem rationem afferes eius facti tui. Quo autem minus tuam esse credamus, faciunt dictata quaedam tua in tertium caput epistolae ad Coloss. in ea verba: *si resurrexeritis cum Christo, quae sursum sunt quaerite* etc., quae idem gener meus mihi legenda dedit, missa a quodam tuo assiduo auditore homine nobili et tui, ut apparet, studioso. In his enim dictatis affirmas, Christi corpus uno in loco esse, in ea vero epistola, de qua supra, dicis te mori malle, quam hoc affirmare, quod illi affirmant: Christum, sive Christi corpus non posse nisi in uno loco esse. Sed ne, ut dixi, te occupatissimum diutius teneam, quoniam in mea tuae pristinae modestiae opinione persto, et video Argentorati non omnia ut cuperemus esse pacata, recte et ex tua perpetua consuetudine feceris, si huius Ecclesiae pastorem, *Io. Marbachium*, monueris, ut hic in concordia scholae huius alenda munere fungatur, quod eum pro eius animi bonitate candoreque facturum speramus. Vale, et fortiter, ut hactenus Christi Domini causam asserere perge. Salutat te amanter et officiose gener meus, et si licebit per valetudinem, qua nunc non sane commoda utitur, ad te scribet. Argent. Cal. Sept. 1557.

No. 6331. 2. Sept.

Morlinus ad Gerhardum.

† Ex apographo in cod. Guelph. in fol. No. 7. 9. p. 370 b.

Ornatiss. ac honestiss. viro, D. Gerhardo Pauli, [Paulo Gerhardo] Senatori Brunsvigens. suo amico cariss.

Gratiam et pacem per Christum. Quotiescunque cogito, cogito autem persaepe, in quo cardine summa rei theologicae nunc versetur, toto corpore ad coelum exsurgunt pili, et horrescit animus, mi D. *Paule* et vicine carissime. Certe quicquid in hoc conventu fiat, hunc tandem finem habitura est tota actio, ut aut prodamus evangelium Christi adversariis, aut edita ingenua confessione coram toto orbe terrarum relinquamus hoc testimonium posteris, nos propter veritatem evangelii etiam hunc sanguinem profundere paratos fuisse. Et in posteriori ego persistam Deo iuvante, ut, si nihil aliud, illaesam conscientiam et dominis meis in republica Brunsvigensi gloriosum nomen apud omnem posteritatem reportem. Ah orate pro me cum teneris vestris, quas quotidie aspicitis, plantulis. Illarum agitur res magis quam vos credatis aut possitis cogitare. Nihil adhuc actum. Ideo petit meus coadiutor, ut possit mecum diutius haerere. Et ego cupio testem habere mearum actionum non tantum apud vos, sed etiam apud reliquas Saxonicas Ecclesias. Spero fore ut adversarii cogant nos ad ea, ad quae nulla ratione antea potuimus induci. Quantum ego intelligo adferent secum Interim et Misnensibus nostris revocabunt in memoriam ipsorum languidas consultationes et concessiones in multis articulis. Ita cogemur damnare praeterita, ut pura nobis maneat Augustana Confessio. Denkt an mich; omnia bonis in bonum! Wer weiß, was Gott machen will. Orate indesinenter. Christus te cum tuis servet. Saluta familiam tuam et ornamentum urbis nostrae D. *Henningum*, Dom. Consulem cum honestissima coniuge et liberis. Tibi commendo iam antea commendatos. Laßt euch mein frommes Weib befohlen seyn. Ex Wormacia 2 Septb. anno 1557. Saluta D. *Tilemannum Schippenstedt*, et alios omnes cum toto Senatu.

T. *Ioach. Mörlin*, d.

No. 6332. 2. Sept.

Morlinus ad Brunsvicenses.

† Ex apogr. in cod. Guelpherb. fol. 7. 9. p. 370.

Reverendis viris, pietate et eruditione praestantibus Dom. Pastoribus et Verbi ministris in Ecclesia Brunsvigensi, suis in domino cariss. fratribus et collegis.

Gratiam et pacem per Christum. Nil adhuc actum est, reverendi viri, et in Domino carissimi fratres, quia ex nostris tardius advenit D. praeceptor

et ex adversariis desiderati sunt hactenus non pauci. Episcopus *Spirensis*, qui futurus fuerat Praeses Colloquii nomine et loco Regiae Maiestatis, maniatus (?) est *), et in ipsius locum substitutus *Iulius Pflucg.* Iubilant Papistae, triumphaturi, ut sperant. In tanto certe numero tam frequentes antea nunquam adfuerunt in ullo colloquio. Res spectat ad summam reipublicae christianae, nec dubium est, novas insidias paratas esse religioni nostrae. Magnus fastus incessit eos propter insperatam victoriam Regis Angliae. Postquam Lovanii publico edicto mandatum est, ut sub periculo vitae a Lutherana haeresi omnes sibi caverent. Ita statim ultra mille studiosi inde discesserunt. Haec heri mihi narravit dom. praeceptor. Certe, quicquid in hoc conventu fiet, tamen finem habitura est tota actio, ut aut prodamus evangelium Christi adversariis, aut edita ingenua confessione coram toto orbe terrarum relinquens hoc testimonium posteris, nos propter veritatem evangelii etiam hunc sanguinem profundere paratos fuisse. Et in hoc posteriori ego persistum Deo iuvante, ut, si nihil aliud, illaesam conscientiam reportem. Vos Reverendi viri et in domino carissimi fratres pro vestra pietate tantarum rerum pericula et difficultates cogitate. Hortamini populum ad veram et seriam poenitentiam, et orate diligenter, ut nostras actiones Deus pro sua immensa misericordia gubernet ad sui nominis gloriam et in confusionem Sathanae et sequacium eius. Coadiutor noster petit, ut possit diutius mecum hic haerere, et ego statuo necesse Ecclesiae, ut testem habeam mearum actionum. Quare carissimi fratres non sit vobis molesta ipsius absentia. Dominus Iesus Christus et gratia Spiritus sancti corda vestra gubernet ad sui nominis gloriam et ad salutem suae Ecclesiae. Amen. Salutate Ecclesiam. Ex Wormatia, 2. Septemb. anno 1557.

Vestrae pietatis in Domino frater et collega
Ioach. Mörlin. d.

No. 6333. 6. Sept.

Ioachimo, Pr. Anhalt.

Epist. lib. III. p. 24. (ed. Lond. lib. III. ep. 11.) Iterum a Pezelio inserta Mel. Consil. latin. P. II. p. 294. — Apographa in cod. Goth. 19. p. 192. et in cod. Guelph. in fol. No. 7. 9. p. 410., cum quo convenit recens apograph. in cod. Monac. 86. p. 32. — Nuper, quasi nondum edita, ex autographo descripta eam evulgavit Clariss. *Lindnerus* in den Theologischen Studien und Kritiken, Jahrg. 1835. p. 361. Sequutus sum igitur hic Lindnerum, praetermissa varia lectione apographorum, adiecta autem Pezelii lectionibus in Epist. lib. III.

Dem durchleuchten Hochgebornen Fürsten und Herrn, Herrn Joachim Fürsten zu Anhalt, Graven zu Ascanien und Herrn zu Zerbst und Bernburg etc. meinem gnädigen Herrn,
eur. F. Gn.
S. S. Handen. [1])

S. D. Illustrissime et clementissime princeps, Heri, videlicet die quinto Septembris, primus congressus factus est Nostrorum, videlicet et Legatorum qui a nostris principibus missi sunt, et theologorum qui coniunctissimi esse debebamus ad verae doctrinae explicationem. Fuit autem primus Actus, Accusatio mei pene descripta ex *Flacii* maledicis scriptis, pronunciata voce *Sneppii* [2]). Respondi breviter, Consensum esse omnium de doctrina. Amplecti nos omnes et retinere confessionem [3]) cum Apologia et confessione Lutheri scripta ante Mantuanam Synodum. Pauca etiam dixi de meo consilio, quo quasi potius festorum seriem et similes quosdam ritus, suo genere non vitiosos, retinendos esse quam deserendas Ecclesias, provocavi etiam ad iudicium ceterorum qui adsunt. Addidi quoque mihi gratissimum fore, si ab hac tota actione huius conventus prorsus excluderer [4]). Legati principum omnes consentientes, mea responsione contenti, hortati sunt accusatores, ut privatas contentiones omitterent, et ad deliberationem communem de refutandis adversariis procederent. Haec heri acta sunt. quid accusatores facturi sint nondum scio. Ego mediocri aequitate animi has contumelias fero. Scripsi confessionem et apologiam quam citant. Nunc de tollendo autore deliberatur. Spero me discentium studiis, deo iuvante, utiliter serviisse. In eo labore semper malui versari, quam ad rixas conventuum accedere, in quibus multa tristia certamina et [5]) vidi et sustinui. Sed filio dei me et

---

*) i. e. in μανίαν prolapsus est. Vid. ep. Monneri d. d. 31. Aug.

1) Sic Lindn. Sed cod. Guelph. „zu S. F. selb Handen."
2) *Sneppii*] Pezel. *legatorum Vinariensium.*
3) Pezel. addit: *augustanam.*
4) Pezel. *conventus excludas.*
5) *et*] Pezel. *non habet.*

Ecclesiam assiduis gemitibus commendo, quem etiam oro, ut Celsitudini vestrae vires corporis et animi confirmet.

Datum [6]) in urbe Vangionum die sexto Septembris 1557.

Illustriss. Celsitudini vestrae
addictus Philippus
Melanthon.

No. 6334. 8. Sept.

C. Peucero.

Epist. lib. II. p. 403 (ed. Lond. lib. II. ep. 417.).

D. Casparo Peucero

S. D. Charissime fili, Die Mercurii mane hora nona exhibitum est nobis exemplum propositionis, quae a Praesidente *Iulio* proponetur, quae satis luculenter scripta est. Iubet autem nos convenire omnes, die proximo Saturni, quod eo significo, ut *Eberus* sciat, quando adesse eum opus sit. Interea suspicor adventuros esse *τοὺς δύο ἄρχοντας, τόν τε ἐμῆς πατρίδος δεσπότην, καὶ τὸν μεθωναῖον.* Erit igitur Synodus similis *Aristophanicae ἐχούσῃ βάλαιναν βραβεύουσαν.* Mihi curae augentur. Sed Deo nos commendo. Bene vale. Hanc Epistolam dedi *Anglo Ricardo.* Datam die Mercurii mane. Salutem fratri meo germano et *Paulo* et *Cunrado* opto *).

No. 6335. (eod. die.)

A. Alesio.

Epist. lib. VI. p. 359.

Alexandro Alesio, Theologiae D. Lipsiae.

S. D. Cum *Iulius* nondum convocarit delectos ad colloquium, nec ostenderit qua de re et quo ordine disseri velit, hactenus neque publice neque privatim convenimus. Ideo te nondum accersunt nostri. Video autem non ad alium conventum plures accessisse adversarios instructos sophistica, quam ad hunc. Belgae enim attracti sunt, quorum sunt naturae praestigiatrices. Itaque precor filium Dei, ut ipse sit et *βραβευτὴς* noster et *σύμβουλος*, et tribuat nobis concordiam in nostro coetu. Scribam ad te mox ubi initia actionum audivero. Bene et feliciter valete. Die nuptiarum filiae tuae, quae ut sint faustae et felices faciat Deus aeternus pater Domini nostri Iesu Christi, humanae naturae conditor et servator, quem oro toto pectore, ut nos et nostra gubernet et servet. Wormatiae. Anno 1557.

No. 6336. 8. Sept.

Vinariensis ad N. N.

† Ex apogr. in cod. Guelph. in fol. No. 7. 9. p. 411.

(Epistola Vinariensis cuiusdam Theologi in Conventu Wormat. caret in apogr. inscriptione et subscriptione.)

S. in Christo Iesu. Anxie vos expectare non dubito, charissime frater, qualia instituti colloquii sint auspicia, et quem progressum porro sperare liceat. Significandum igitur duxi et te commonefaciendum de gravissima disceptatione, quae non cum manifestis hostibus et antagonistis, sed multo magis cum synagonistis nobis suscepta est.

Iustas et pias recensuimus causas in primo congressu, cur in aciem cum illis descendere non liceat, quodque ad profligationem tanti hostis et vindicandam Ecclesiae tranquillitatem nihil tam requiri debeat, quam vera, pia et firma nostrorum manipularium consensio. Eam vero alia ratione firmari non posse, quam explosis et repudiatis erroribus, blasphemiis et corruptelis, quae per fucosas *Adiaphoristarum* conciliationes, *Osiandri κενοφωνίαν, Zwinglii* deliria, et *Maioris φιλοτιμίαν* in Ecclesiam introductae sunt. Id vero non solum non obtinere potuimus, sed duriter etiam excepti ab omnibus deliberationibus, privatis et publicis, sumus abdicati. Ac, etsi ad examen et collationem uberiorem harum controversiarum nos obtulimus, et Ecclesiae statum miseriorem fore, nisi hoc fiat, ostendimus, imo adversariis hanc distractionem ita exploratam esse, ut hac sola confisi tanto agmine huc confluxerint;

6) Pezel. *Datae.*
*) *Salutem* etc.] praetermissa sunt in ed. Lond.

tamen frustra ad ipsorum aures haec retulimus. Obstant etiam politici, qui magis de retinenda auctoritate et antecellentia, quam de asserenda puritate doctrinae dimicant. Inter Theologos neminem habemus nostrae sententiae suffragatorem praeter *Morlinum* et *Sarcerium*, qui tamen blanditiis et minis quotidie oppugnantur. Quanto autem in discrimine nos miseri versemur, facile intelligis. Iam enim turbatores pacis et schismatici perhibemur. Accedunt saevissima terriculamenta, fore, ut et principes et totam ditionem novis periculis et potentissimorum odio implicemus. At nos magno animo freti praeside non *Iulio* sed Christo, et causae bonitate has verborum spumas contemnimus. Speramus etiam hunc ipsum ducem, qui fuit יוֹאֵל *) huius consilii, fore אֵל גִּבּוֹר **) in depellendis et propulsandis periculis, qüae magno impetu nobis impendere videntur. Nos porro publica protestatione causas nostrae dissensionis commemorabimus, ac diras calumnias et convicia, quibus aspergimur, diluere conabimur. Dominus nos confirmet, et Ecclesiae suae laboranti opem ferat, compescat etiam furores eorum, qui saevius eam dilacerare student. Spero, nostram hanc operam et constantem purae confessionis defensionem tibi et omnibus recte iudicantibus non improbari. Vale dulcissime frater, et tuos omnes ac parentem meum dominumque pastorem ex me saluta. Datae Wormaciae 8 Septemb. anno Christi 1557.

Quaeso, ne quenquam sine tuis literis ad nos dimittas, et parentem quoque ut scribat horteris. Preces etiam magis nunc acuetis, cum periculum commune ob oculos versetur.

No. 6337. 8. Sept.

Vinariens. ad N. N.

† Ex apogr. in cod. Guelpherb. in fol. No. 7. 9. p. 412.

(Epistola, cui deest inscriptio et nomen subscriptum, scripta est in Conventu Wormat. a Theologo Vinariensi, vel a *Basilio Monnero.*)

S. Charissime domine compater. Quo in statu res nostrae, imo totius Ecclesiae Christi iam sint, hoc cognosces ex aliis, aut brevi coram ex me. Nam nudiusquartus 5. Septbr. primus, et, ut spero, postremus congressus erat nobis cum nostris, qui videri volunt amplecti Augustanam confessionem. Ibi mandata nostra, quae qualia sint non ignoras, eis exposuimus ac contendimus, nos non posse, nec licere nobis cum illis adversus papistas coniungi, nisi prius nominatim omnes errores, quos disertis verbis expressimus, quique pugnare cum doctrina nostra christiana, quae continetur in Augustana confessione etc. et Schmalcaldicis Articulis, a nobis omnibus uno ore condemnarentur. Quod quomodo sit acceptum facile poteris coniicere. In genere sentiebant omnes alii condemnandos errores, sed non in specie, nisi quod *Philippus* dicebat, se formulam esse complexam, in qua decreta cum Tridentini Concilii tum Augustani libri, quem *Interim* apellant, et praeterea omnes actiones pugnantes cum Augustana confessione, Apologia et articulis Schmalcaldicis damnarentur, et astute extenuabat Adiaphorismum et Maiorismum. Zwinglianismum non improbabat, sed cum apud multas nationes variae sint opiniones, oportere plures bonos et eruditos convenire, et de eo dogmate cognoscere et diiudicare. Sed mihi iam per necessarias occupationes *) plura coram, ut spero, brevi audies. Proximus dies Sabbati dictus est ad inchoandum cum papistis colloquium, cui nos bona conscientia non possumus interesse, nisi prius a principe responsum acceperimus, etiamsi caelum ruere videatur. Deus servet Ecclesiam suam in puritate doctrinae, et nos omnes, qui versamur in maximis periculis. Raptim Wormaciae 8 Septembr. anno 1557.

No. 6338. 10. Sept.

A. Hardenbergio.

Edita in Hospiniani hist. Sacram. P. II. p. 431.

Alberto Hardenbergio.

Reverende vir et charissime frater. Die Septb. 5. primus congressus factus est eorum, qui a nostris Principibus huc missi sunt, Nobilium et Theologorum. Hic quum iussi essemus deliberare,

---

*) *auctor*; in apogr. prorsus mendose scriptum.

**) *Deus fortis*; etiam haec satis mendose scripta sunt.

*) Excidit hic aliquid; fere: *prolixius scribere non licet.*

quomodo instituenda esset collatio cum Pontificiis, omissa ea deliberatione, accusationem asserunt Legati Thuringici, *Schnepfii* voce pronunciatam contra *Brentium* et me. Negant se nobis adfuturos esse, nisi condemnationes scribantur de his quatuor articulis: *περὶ δείπνου, περὶ Ὀσιανδρικοῦ δόγματος, περὶ τῆς φράσεως εἰ ἀγαθὰ ἔργα ἀναγκαῖά ἐστι πρὸς σωτηρίαν, καὶ περὶ ἀδιαφόρων.* Respondimus, nos retinere confessionem usitatam, sed, si petant condemnationes, oportere maiorem frequentiam esse iudicum, et vocandos esse viros doctos ex iis Ecclesiis, ubi de his quaestionibus disseritur. Scripserunt Palatinus et Dux Wirtenbergensis ad Ducem *Ioannem Fridericum*, ut sinat differri illas condemnationes, nec impediat communem collationem cum Pontificiis. Nunc responsio expectatur. Nec aliud hic actum est hactenus inter nos. etc. Wormatiae d. 10 Sept. 1557.

(Phil. Mel.)

No. 6339. 11. Sept.

Responsum Melanth.

† Ex apogr. in cod. Goth. 19. p. 189. coll. apogr. in cod. Guelpherb. in fol. No. 7. 9. p. 412ᵇ sq. et in cod. Mon. 86. p. 29. quod ex cod. Guelph. descriptum videtur quum cum eo conveniat. — Est responsum a Melanthone nomine Theologorum Evangelicorum datum in primo consessu d. 11. Septb. postquam *Iulius Pflugk*, colloquii Praeses, colloquium inchoaverat.

„*Responsio Phil. Mel. ad Praefationem Rever. Dom. Praesidentis in colloquio Wormatiensi; anno* 1557."

Reverenter audivimus mandata et adhortationem Reverendissimi Domini Praesidentis. Ac initio veris gemitibus precamur filium Dei, dominum nostrum I. C., vere colligentem aeternam Ecclesiam voce Evangelii, ut nos gubernet, et spiritu suo [1]) inter nos Ecclesiam sibi colligat. Et nos ad explicationem doctrinae Ecclesiarum nostrarum veram et perspicuam offerimus, quam propter gloriam Dei et salutem animarum lucere, propagari et conservari optamus. Ne autem vagari opinionibus existimemur, nunc quoque [2]) testamur, nos pio et firmo consensu amplecti scripta prophetica et apostolica, et quidem in hac ipsa sententia, quam comprehendunt symbolum apostolicum, Nicenum et Athanasianum. Eamque doctrinam affirmamus comprehensam esse in confessione Ecclesiarum nostrarum, quae exhibita est Imperatori Carolo V. in conventu Augustano anno 1530. Hanc confessionem fatemur omnes pio consensu amplecti. Et ab eo non discessimus nec discessuri sumus. Reiicimus etiam omnes errores et sectas pugnantes cum illa confessione cum veteres tum recentes, et nominatim impia decreta, facta in *Tridentino* Synodo, ut nominant. Et librum, cuius titulus est *Interim*, et alias actiones pugnantes cum confessione nostra.

Credimus etiam certo, filium Dei sibi colligere aeternam Ecclesiam voce Evangelii, et esse Ecclesiam non multitudinem, quae scripta apostolica et Symbola non recipit, quales sunt ethnica, Mahometica et Iudaica colluvies; nec illos, qui arrogant sibi titulum Ecclesiae, et tamen scientes veritati adversantur, et Deum contumelia afficiunt stabiliendis idolis, et adiuvant aut confirmant parricidia animarum et multorum corporum: sed illum coetum, qui sonat vocem Evangelii incorruptam, qui, quanquam habet suas infirmitates, tamen retinet fundamentum, ut Paulus nominat, nec sciens defendit idola, iuxta dicta: *oves meae vocem meam audiunt.* In hac vera Ecclesia multos scimus electos et certo haeredes esse vitae et salutis aeternae, qui conversi ad Deum fide [3]) propter filium mediatorem accipiunt remissionem peccatorum. Nec dubitamus, in hac vera Ecclesia placere Deo conversionem, fidem, invocationem, et alios cultus ab eo mandatos. Huius verae Ecclesiae membra nos esse profitemur, et docemus, mandatum Dei esse, ut omnes homines verae Ecclesiae cives fiant. Sicut scriptum est: *unum petii a domino, hoc requiram, ut habitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae.*

Haec initio praefari voluimus, ut sciatis, et quid profiteamur, et nos non discessisse a vera Dei Ecclesia [4]), et quod sit unicum et certum doctrinae genus, quod est consensus catholicae Ecclesiae Dei, Prophetarum et Apostolorum, quod

1) pro *spiritu suo*] cod. Guelph. *semper.*
2) *expresse*] addit cod. Guelph.

3) Cod Guelph. *vera fide.*
4) Addit cod. Guelph. *utrumque certum est, quae et ubi sit ecclesia et sit unicum* etc

quidem testimonia habet veteris et purioris Ecclesiae, etiamsi scriptores post Apostolos alii magis alii minus puri sunt, et multa [5]) contagia suorum temporum habent, sicuti semper hominum natura habet aliquid imbecillitatis. Quod vero aliqui ex doctorum sententia [6]) excerpunt semina errorum, qui post eos maiora incrementa habuerunt, fraus et perversitas est.

Altera pars Reverendi Dom. Praesidis orationis, in qua est commemoratio de publicis calamitatibus, quas attulit et adfert publica discordia, valde auget dolores meos [7]). Significat enim, nos esse discordiarum [8]) autores et faces, et velut exprobrat nobis calamitates nostras. Meminimus vulnera nostra, et experti sumus aspera rudimenta, quae nos commonefaciunt de amanda pace. Et deploramus civitatum et Principum aerumnas et multorum nobilium et fortium virorum interitus. Deploramus et aliorum neces, qui propter confessionem piam quotidie interficiuntur, et assiduis gemitibus Deum precamur, ut Ecclesiae concordiam, et patriae, nostris familiis et posteris tribuat non solum pacem, sed et ordine constitutas politias et honesta domicilia conservet. Sed quod ab hostibus Evangelii, qui se Ecclesiam nominant, dissentimus, severissimis mandatis Dei cogimur iuxta haec dicta: *si quis aliud Evangelium docet, anathema sit;* item: *qui dixerit blasphemiam contra Spiritum s., non remittetur;* item: *fugite idola.* His divinis mandatis cum parere necesse sit, non nos discordiae autores sumus, sed culpa eorum est, qui manifestam veritatem delere, et horribilia idola stabilire conantur. Nec nos ab Ecclesia Dei discessimus, nec socii illorum esse volumus, qui cruore piorum conspersi idola tuentur. Cumque mandata Dei anteferenda sint omnibus commodis corporum, publicae et privatae tranquillitati et carissimis familiis nostris, commendamus Deo exitum miseriarum nostrarum, qui dixit; *posui verba mea in ore tuo;* et: *umbra manus meae protegam te, ut plantes coelos.*

Quod vero petit reverendus Dom. Praesidens, ut placide, sine ambagibus et sine convitiis nostras sententias exponamus, nihil gratius tali collatione esse potest [9]), in qua simplex veritas sine sophistica et sine animorum acerbitate quaeritur, ut Gloria Dei illustretur et saluti animarum consulatur. Promittimus igitur, nos, Deo iuvante, modeste et proprie et sine sophismatum praestigiis vera fundamenta doctrinae nostra ex scriptis propheticis expositaros esse, ac vicissim petimus, ut gubernatores colloquii non concedant adversariis ludere sophismatibus et detorquere dicta prophetica et apostolica ad alienas sententias et cumulare dicta scriptorum ecclesiasticorum seu falsa seu vera male detorta. Talibus centonibus adversarii praecipue iam multis annis fucum faciunt indoctis. Eo magis autem vitandus est hic ludus, quia haec tota collatio referenda est ad Senatum Imperii.

Postremo quia iubet nos R. D. Praesidens deliberare de ordine collationis, fuit antea usitatum in talibus congressibus ordinem articulorum confessionis sequi. Idem nunc quoque fieri petimus. Sed audiamus, quid et R. D. Praesidenti et caeteris videatur. Precamur autem filium Dei Dominum nostrum I. C., ut nos gubernet. De iuramentis autem, cum formam eorum audiverimus, exponemus petitionem, quam necessariam esse iudicamus. Dixi. Anno 1557. 11. Septembris. [10])

5) Cod. Guelph. *multi.*
6) Cod. Guelph. *aliqui relicta doctiorum perpetua sententia.*
7) Cod. Guelph. *nostros.*
8) Cod. Guelph. *dissidiorum.*
9) Cod. Guelph. *nihil nobis gratius est tali collatione.*
10) *Dixi* etc.] non habet cod. Guelph.

No. 6340. 12. Sept.

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camer. p. 726. (ed. Lond. lib. IV. ep. 870.).

Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camer. fratri suo cariss.

S. D. Quod faustum et felix sit, die undecimo Septembris *Iulius* convocavit utriusque partis collocutores, et pauca praefatus de mora, legi deinde a *Seldio* iussit orationem, qua exposuit, se constitutum esse *βραβευτὴν*, et quaedam de iis malis oratorio more intexuit, quae parit discordia. Respondit primum *Sidonius*, postea ego, et pauca dixi, cur dissentire ab adversariis cogamur. Inter nostros de Confessione consensus est. *οἱ μεθωναῖοι* petiverant quasdam condemnationes. Sed

in hac paucitate nostrorum, Legati omnes censuerunt nunc differendas esse eas condemnationes. Et in eam sententiam *Palatinus* Elector *) epistolam huc misit. XIII. die Septembris deliberatio erit de ordine materiarum, de quibus disserendum est. De filio meo velim mihi scribi. Bene et feliciter vale, et rescribe. die XII. Septembris.

Philippus.

No. 6341. 13. Sept.

Aurifaber ad N. N.

Ex apogr. in cod. Guelph. in fol. No. 7. 9. p. 362.

(*Ad amicum qui cum Iohanne Friderico Duce Saxoniae erat in oppido Baden.*)

32) Ansuchung] Pez. Ausrichtung.

33) *etc.*] Pez. non habet.

34) Schum. hangen.

35) Schum. Sachen.

36) Schum. Unfall; cod. Guelph. Fall.

37) Schum. interpungit: daran sey, sie bleiben oder bleiben nicht. Wiewohl etc. — Verba: sie bleiben oder bleiben nicht, Pez., cod. Guelph. et cod. Mon. non habent. Reliqua quae sequuntur omnia desiderantur in codd. et apud Pezelium, qui epistolam his verbis finivit: schuldig daran sey. Der allmächtige und ewige Sohn Gottes wolle gnädiglich alle Spaltung und Aergerniß aus seiner Kirchen wegnehmen, in dessen Schutz und Regierung ich E. F. G. hiemit getreulich befehle. *Datum* Wormbs.

No. 6362. 1. Oct.

Wimarienses ad Iul. Pflugk.

† Ex apographis in cod. Goth. 19. p. 195., cod. Guelph. in fol. No. 7. 9. p. 420. et cod. Monac. 86. p. 562.

(*Theologorum Wimariensium scriptum Praesidi Colloquii Wormatiensis, Iulius Pflug, Episcopo Naumburg. traditum.*)

Reverendissime D. Praeses. Etsi nemini nostrum ignota erat infirmitas nostra, et ipsa moles negotiorum et periculorum, tamen cum fama et auditione accepissemus, nos ad colloquium de religione et rebus divinis Wormatiam vocatos esse, iam certum nobis deliberatumque fuit, legitimae vocationi parere et obedire, et omnia consilia omnesque actiones nostras ad gloriam Dei [1]) et ad universae Ecclesiae salutem, cuius nos quoque cives et membra esse profitemur, referre [2]). Scimus enim, nos non ad iners et ignavum otium aut ad voluptates corporis natos esse, sed ortus nostri partem Deo conditori, partem laudatissimae [3]) patriae Ecclesiae dicatam et quasi consecratam [4]) esse. Quapropter statuto tempore Wormatiam venimus, ut non solum verbis sed etiam re ipsa operam officii nostri in maximarum rerum diiudicatione Ecclesiae Dei praestaremus. Sed ne illotis manibus, ut dici solet, res tantas aggrederemur, ante colloquii inchoationem, audientibus collegis nostris, diu multumque hanc sententiam agitavimus: non posse fructum aliquem huius instituti colloquii prospicere, nisi prius ex agro Ecclesiae confusio multarum opinionum et sectarum longe lateque grassantium exterminata esset. Ita enim censebamus, ita disserebamus, ante initium colloquii certo constituendum esse, quae opiniones cum verbo Dei et augustana confessione congruant aut non congruant; quod nisi fiat, periculum esse, ne nobis tanquam simiis saltantibus nuces obiiciantur, et maiores dissipationes sequantur, quam quae hactenus extiterunt. Alii vero collegae contra disputabant, nihil magis obstare bonis consiliis quam festinationem, et tantas controversias re diu multumque deliberata diiudi-

---

1) *et omnia — Dei*] cod. Goth. non habet.

2) *referre*] cod. Goth. *recurrere;* ex inepta emendatione

3) Cod. Goth. *candidissimae.*

4) Cod. Guelph. *conservatam.*

candas esse. Illud etiam addebant, plerisque [5]) in hoc exiguo coetu theologorum nondum explorate perceptas et cognitas esse disputationes, quae contrariis scriptis continentur. Postremo spem nobis faciebant, fore, ut primo quoque tempore post colloquium [6]) synodus aliqua solemnis cogeretur, in qua iusto ordine singulae controversiae ad calculos vocari possent. Etsi igitur non solum mandata Illustrissimi Principis nostri [7]), Ducis Saxoniae in promptu habebamus, quae diserte et severe praecipiebant, ne ad colloquii societatem nos adiungeremus, nisi omnibus sectis et corruptelis communi consensu damnatis, sed etiam aliis non levibus neque infirmis causis in eandem sententiam ducebamur: tamen ne videremur colloquii labores fugere et reformidare, aut caeca pervicacia [8]) colloquium turbare atque impedire, ea lege et conditione dominis assessoribus et reliquis personis, quae augustanam confessionem profitentur, operam nostram polliciti sumus, ut de confessionibus nostris contra varias sectas et corruptelas evangelii hactenus editis decerperetur, aut imminueretur.

Cum autem intelligeremus, et propter Ecclesias, in quibus docemus, et ad nos ipsos muniendos formulam protestationis magnopere necessariam esse, non parva cura nobis cum collegis contentio disceptatioque fuit de hac quaestione: utrum coram tanto coetu utriusque partis, quod omnium [9]) tutissimum videbatur, an coram nostris duntaxat confessio, continens expressam et specialem condemnationem omnium sectarum et corruptelarum, edenda esset. Tandem vero, ne videremur collegas nostros velle in suspicionem adducere, et collocutoribus alterius partis salem praebere, quem in nobis irridendis et exagitandis consumerent, ea moderatione usi sumus, quae eximium et singulare studium sarciendae et tegendae inter nos concordiae evidentissime declarat. Etenim apud nostrae partis assessores et auditores protestationem deponendam esse, eamque usque ad colloquii exitum inter nostros parietes premendam putavimus, nisi vel in medio causae colloquii altera pars necessitatem confitendi nobis imponeret, vel post finem colloquii casus necessitatis publicam editionem postularet. Hanc protestationem uni ex notariis in nostro hospitio, scientibus et volentibus dominis assessoribus et politicis [10]), de manu in manum tradidimus, qui quidem sine recusatione in fidem suam eam recepit, omnemque operam in adornando instrumento, ut vocant, adhibitis usitatis ceremoniis, pollicitus est. Sed post paucos dies, cum novum controversiae certamen extitisset, talem nobis, qualem acceperat, restituit.

Speramus, ex his, quae optima fide recitavimus, nec Reverendissimae Dominationi vestrae, nec cuiquam bono viro obscurum esse, quantum in nobis studium fuerit nihil movendi, quod ad non necessariam colloquii perturbationem aut dissipationem quoquo modo spectari possit. Nam et initio summo iure uti noluimus, et postea eam aequitatem in formula protestationis adhibuimus, ut speremus omnium bonorum iudicio satisfecisse. Quum autem ab alterius partis collocutoribus ea necessitas confitendi, quid de sectis existimaremus, nobis imposita esset, quam nulla honesta ratione effugere poteramus, non erat nostrum nominisque christiani, veras [11]) sententias occultare, cum necesse sit, interrogatos de doctrina respondere iuxta haec severissima mandata: omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram patre meo coelesti. Item: parati estote ad reddendam rationem fidei omni petenti. Deinde in tali casu, ubi segregatio ab aliis sectis flagitabatur, nec debemus nec possumus tegere eas confessiones, quas hactenus in templis et scholis sonuimus; ut Paulus inquit: si quae destruxi, iterum edifico, praevaricatorem me constituo. Et quoniam scriptum est: cavete ab omni specie mali, illud certe perficiendum est [12]), ut non solum nos ipsos, sed etiam bene constitutas Ecclesias et scholas, quarum ministri sumus, omni sectarum suspicione liberemus. Accedit illa quoque causa, cur [13]) officio nostro deesse non possimus, quod decretum seu necessitas imperii nequaquam nobis os obstruit et obturat, nec vult, nos colloquio tanquam mutas personas interesse, sed hoc a nobis severissime requirit, ut simus fideles, et ea quae sentimus de religione ingenue atque aperte

5) Cod. Goth. *plerumque.*

6) *post colloq.*] in cod. Goth. non leguntur.

7) Cod. Guelph. et Monac. habent: *Ill. Domini nostri Ioannis Friderici.*

8) Cod. Guelph. *pertinacia.*

9) Cod. Guelph. *omnino.*

10) *et politicis*] cod. Goth. non habet.

11) *veras*] cod. Goth. *notas.*

12) *illud — est*] in cod. Goth. non leguntur.

13) *cur*] cod. Goth. *ut.*

dicamus, ne in postrema mundi die, quum filius Dei se iterum ostendet universo generi humano resuscitatis mortuis, insidiosae occultationis iure ac merito condemnemur. His et aliis causis, quas magnas et graves esse iudicamus, permoti censuimus coram tota congregatione utriusque partis edendam esse confessionem seu protestationem contra sectas et corruptelas iudicio verae Ecclesiae iam pridem damnatas.

Sed cum invitis et repugnantibus ceteris nos tali protestatione usuros esse omni asseveratione confirmaremus [14]), tandem ab assessoribus et politicis [15]) nostrae partis loco moti et officio abdicati sumus. Eam rem cum retulissemus ad Reverendissimam Dominationem vestram addita formula protestationis die Angelorum castorum et Deo obedientium, accepimus a Reverend. Dominatione vestra responsum, cuius haec summa erat: assessores nostrae partis perseverare in hac sententia de nobis a colloquio removendis, et praecipuam exclusionis causam a nobis superioribus literis ad Rev. Dominationem vestram utcunque [16]) expositam esse. Utrum autem haec recte an secus facta sint, pii toto orbe terrarum indicabunt, simul atque intelligent, nobis immutabilem necessitatem edendi confessionem contra sectam impositam fuisse [17]).

Ut autem nuper a Rev. Dom. V. reverenter petivimus, ut protestationis nostrae summa actis colloquii inseratur, ita nunc quoque eadem reverentia petimus, ut et hoc scriptum in acta colloquii referatur [18]), idque propter causas non modo ad nos, sed ad illustrissimum principem nostrum et magistratus nostros pertinentes [19]). Pro hoc officio Rev. D. V. debitam reverentiam et debitam gratiarum actionem pollicemur ac deferimus. Datum Wormatiae Calend. Octobr. anno 57.

Eberhardus Schnepfius. Ioachimus Morlinus.
Victorinus Strigelius. Iohannes Stössel.

Adiunxit se etiam nobis Reverendus vir D. *Erasmus Sarcerius*, quemadmodum propriis literis ad Reverend. Dom. Praesidem datis testatus est [20]).

---

14) Cod. Goth. *confirmemus.*
15) *et politicis*] cod. Goth. non habet.
16) *utcunque*] cod. Guelph. et cod. Monac. non habent.
17) Cod. Goth. *esse.*
18) *ita nunc quoque — referatur*] cod. Goth. non habet.
19) Hic cod. Goth. addit: *ita nunc quoque idem petimus.*
20) Haec tantum adiuncta habet cod. Monac.

No. 6363. 1. Oct.

Testimon. Zach. Ursino datum.

Editum in Joh. Jac. Füldener's Schlesischer Bibliothec (Lauban 1731. 4.) p. 466., unde illud descripsit Cl. *Foerstemann.*

S. D. *Omnibus lecturis has literas.*

Dulcissime dictum est in graeco Poëmate:

Ἐκ τῶν Μουσάων ἀγαθὸν κλέος ἀνθρώποισι.

Cum igitur hic *Zacharias Ursinus* natus in familia honesta inclytae Urbis Vratislaviae *), a Deo facultate scribendi carmen ornatus sit, et mores eius sint honesti et placidi; dignus est et benevolentia bonorum virorum et laude. Vixit in Academia nostra circiter septennium, et omnibus honestis viris apud nos propter eruditionem, venam, bonos mores, et veram invocationem Dei, carus est. Scit autem in veteri Heracliti versu sic describi vitam eruditi Viri:

Πολλὰ πλανηθῆναι διζήμενον, ἔμμεναι ἐσθλόν.

i. e. Peregrinari discendi causa, et tamen retinere morum integritatem.

Hoc consilio peregrinationem hic *Zacharias* suscepit, ut doctorum et bonorum virorum de doctrinis iudicia audiat. Retinet autem morum integritatem, et quia pectus eius luce divina regitur, et quia honestorum virorum familiaritatem expetit. Ut autem aditum ad viros eruditos et honestos habeat, hoc ei testimonium tribui: qui quidem statim suo eum iudicio complectentur, cum eruditionem et modestiam consideraverint. Oro autem eos, ut perficiant, ut ipse etiam experiatur verum esse versum supra recitatum, Musas decus et honestorum hominum benevolentiam eorum cultoribus adferre. Datae in Urbe Vangionum. Cal. Oct. Ao. 1557.

Philippus Melanthon,
manu propria.

---

*) Zach. Ursini Eltern waren Caspar Ursinus, Diakonus der Kirche S. Mariae Magdalenae zu Breslau, und Anna, geb. Rothe. Er war geboren zu Breslau d. 18. Jul. 1534., und begleitete Melanthon zu den Wormser Gesprächen in diesem Jahre. Er ging mit Joh. Ferinarius, Prof. zu Wittenberg, von Worms nach Marburg, von da bereisete er die Schweiz und Frankreich, und 1558. kehrte er nach Wittenberg zurück. Noch im Septbr. 1558. erhielt er den Ruf als Professor am Gymnasium S. Elisabethae zu Breslau. Von diesem Amte 1560. entlassen, wurde er 1561. Professor zu Heidelberg; im J. 1577. verlor er auch diese Stelle und er lebte nun bis an seinen Tod 1583. als Professor an dem Gymnasium zu Neustadt an der Hardt. Vgl. Füldener a. a. O. S. 458 ff.
Foerst.

Testimonium de eius studiis vid. supra d. 25. Iul. 1552.

No. 6364. 2. Oct.

Augusto Electori.

Schumacher Briefe gelehrt. Männer an die Könige von Dänemark Vol. III. p. 377.

An den Churfürsten und Herzog August zu Sachsen.

Gottes Gnad durch seinen eingebohrnen Sohn Jesum Christum unsern Herrn und wahrhaftigen Helfer, der ihm gewißlich eine ewige Kirche sammelt, und eine fröliche Wiederfahrt *) zuvor. Durchlauchtigster, Hochgebohrner, gnädigster Churfürst und Herr. Ich habe nicht Zweifel, Ew. Churf. Gn. sind durch E. Churf. Gn. Gesandte berichtet, was sich erstlich vor dem Colloquio zugetragen, nämlich, daß die Gesandten aus Weimar erstlich unter uns gesucht, nämlich daß wir uns vereinigen sollten, bei der Augsburgischen Confession und Apologia und schmalkaldischen Artikeln, die sie also nennen, zu bleiben; welches ohne allen Streit durchaus gewilliget. Darnach haben sie vorgebracht, man solle condemnationes vor dem Colloquio machen vom Sacrament, von *Osiandri* Lehre, von Nöthigkeit der guten Werke, von Adiaphoris; darauf wir alle hernach diese Antwort gegeben: dieweil wir einträchtig in der Confession seyen, so wäre nicht nöthig, neue condemnationes zu machen; auch so man condemnationes machen wollte, müßte man eigentliche Artikel stellen, nicht allein das Unrechte zu verwerfen, sondern asserationes, was recht sey, und wie davon einträchtiglich zu reden. Zu Stellung solcher Artikel gehörten mehr Personen denn wir, und sonderlich die zankbegierigen, die Ursach suchen zu cavilliren, welches mir Doctor Erhard Schnepp selbst auch zugefallen. Was aber *Osiandri* Lehre belanget, sind meine klaren und rechten Schriften am Tage. Dabei Brentius sich hat vernehmen lassen, daß er in der Lehre mit uns allen einträchtig sey; daß er aber die Person Osiandri verdammen sollte, das könne er nicht thun vor Erkenntniß, ob Osiander also, wie man ihm auflegt, gehalten habe. Von Nöthigkeit der guten Werke hab ich klar angezeigt, daß ich von E. Churf. Gn. vor dieser Zeit Befehl gehabt, daß ich einen Artikel gemeiner unsrer Kirche gemäß stellen sollte; erbot mich auch, mit ihm jetzund denselbigen Artikel zu stellen. Von Adiaphoris habe ich mich auch erboten, dieselbige Sache, so viel wahr ist und mich belangt, mächtiglich auf die gegenwärtige zu stellen. Habe darbei angezeigt, daß in *Illyrici* Schriften falsum committirt sey, und viel Unwahrheiten eingemengt. Hernach habe ich auch etliche geschriebene Quatern gesehen, die Doctor Basilius von Ihen den Wirtenbergischen zugestellt, darin viel Lügen und giftiger Calumnien sind. Auf diese Reden haben aller Chur- und Fürsten Gesandte geschlossen, man sollte mit diesen Condemnationen verziehen. Solches hat auch Herzog Otheinrich [Otto Heinrich] Churfürst, anher geschrieben. Und ward alsbald der Anfang des Colloquii.

Bald aber im Anfang haben die Weimarischen ihre Protestation von denselbigen Condemnationen thun wollen, aber die Chur- und Fürstlichen Gesandten neben den Theologen haben bedacht, die Papisten würden Ursache nehmen, das Colloquium ganz zu unterlassen, dieweil es scheinete, als wären wir nicht einträchtig. Und haben die Gesandten mit den Weimarischen ernstliche Rede gehabt, sie sollten ihre Protestation jetzund unterlassen, und in processu in jedem Artikel sollte ihnen unverboten seyn, ihre Meinung zu sagen, da man auch die Artikel mit ganzer Erklärung handeln müßte; das sie etliche Tage zufrieden gewesen, und sind wir einträchtiglich in das Colloquium getreten, haben da zugleich alle Lehre, so widerwärtig der Confession, auch tridentina decreta, Interim und alle Handlungen, die wider die Confession sind, verworfen. Und ist also der Anfang auf unsrer Seite durch Gottes Gnade gut gewesen. Hernach haben die listigen Papisten in uns gedrungen: sie wollten wissen, ob wir alle einträchtig wären; darauf ich vielmal in öffentlicher Audientia gesagt: wir sind alle in der Confession einträchtig. Aber die Weimarischen haben wiederum angefangen: sie müßten ihre Confession und Protestation thun; welches die Chur- und Fürstlichen Gesandten neben uns widerrathen haben, mit Erinnerung, daß sie in processu in jedem Artikel ihre Meinung sagen sollten. Darauf die Weimarischen zum Herrn Präsidenten gegangen, ihm ihre Protestatio zugestellt, und gesucht: man sollte sie in publica Audientia besonders hören. Nun hat vielleicht der Herr Präsident Bedenken darin, und steckt [stockt] jetzund das Colloquium, daß wir nicht wissen, ob man es continuiren werde. Ich [achte] auch *), dieweil allein Schriften gegen Schriften eingelegt werden, und die Papisten nur elende Sophisterei suchen ihre Lügen zu färben, daß nicht großer Schaden sey, so es gleich nicht continuirt werde. Der allmächtige Gott wolle Gnade geben, und wolle Ew. Chf. Gn. und Churf.

---

*) i. e. reditum, videl. ex Dania quo profectus erat Augustus cum uxore, in Saxoniam.

*) achte] videtur excidisse et desideratur.

Gn. Gemahl und junge Herrschaft bewahren, und an Leib und Seel stärken. Datum Wormbs den 2. October. ao. 57.

Ew. Churf. Gn.
unterthäniger armer Diener
Philipp Melanthon.

No. 6365. 2. Oct.

Iohanni, Abbati.

Epist. lib. III. p. 101. (edit. Lond. lib. III. ep. 46.).

D. Iohanni Abbati in Heilsbrun

S. D. Reverende Domine, Utinam exemplo tuo plures revocarent Collegia Monachorum ad veterem formam, et abiectis superstitionibus vera studia doctrinae et pietatis restituerent. Ea res multis modis prodesset Ecclesiae. Ibi enim erudiri pauperes Scholastici possent, deligendi postea ad gubernandas Ecclesias, et exemplum ipsum ornaret nostram causam. Nunc ut alibi superstitiones impediunt studia, ita alibi occupantur haec praedia a Centauris, Ecclesia defraudatur. Atque utinam saltem aliqui Graecum versum meminissent, in quo dicitur elabi in iudicio is, qui multa furatus est, et pauca Iudicibus dedit. Fortassis et his ignosci posset, si quaedam occupantes, partem deciderent ad usus Ecclesiasticos. Sed horum rapacitas impediri posset, si tuum exemplum alii imitarentur.

Etsi autem iudico tibi habendam esse sumptuum rationem, nec magnam turbam in una domo ali posse: tamen te rogo ut hunc iuvenem *Ulricum Piscatorem Norlingensem* rursus in tuam domum recipias. Audio enim ante quoque ibi fuisse. Nunc exul et egens a parentibus quaerit hospitium aliud. Scis Ecclesiam in hoc mundo exulare, ac nusquam habere certam sedem. Decet igitur membra communi calamitate affici. Quare te valde oro propter Christum, ut hunc recipias. Si etiam meae lucubrationes aliquid videntur prodesse Ecclesiae, rogo ut propter meam commendationem libenter ei hoc beneficium tribuas.

Ego in his publicis periculis saepe cogito praecipuam hanc causam esse, cur Deus pacem nobis tribuerit, quia nostrae politiae sunt veluti nidus pauperum Sacerdotum et Scholasticorum. Ut igitur parienti Halcyoni mare fit placidum in media bruma: Ita Deus propter hos hospites a nostris politiis arcet bella. Praestemus igitur hoc officium eo liberalius, et a Deo praemia publica et privata expectemus. Haec scripsi ad te familiarius, fretus tua pietate, teque rogo, ut hanc Epistolam boni consulas. Bene vale. 2. Octobr. (Anno 1540.) Wormaciae *).

No. 6366. 3. Oct.

Io. Matthesio.

Epist. lib. II. p. 88. (ed. Lond. lib. II. ep. 73.).

D. Iohanni Matthesio

S. D. Reverende vir et charissime frater, In urbe *Vangionum* venit ad me quidam recens ex *Gallia* reversus, qui cum se ad vos profecturum esse diceret, dedi ei literas, in quibus significavi, adversarios astute hoc agere ut nos distraherent. Sed Doctrinae consensus semper mansit integer, protestationes quasdam voluerunt opponere *οἱ μεθωναῖοι,* quibus propositis apud Praesidentem, cum peterent audiri eas in publico consessu, nec esset impetratum, discesserunt ipsi heri. Nunc an processura sit nostra disputatio, quae inchoata est inter nos et Antagonistas, dubito: utrinque ita instructa res videtur, ut abrumpatur tota haec collatio. Afficior et ego desiderio meorum, et longe malim cum charissimis filiis et filiabus meis precationes recitare, quam cum venenatis sophistis altercari, tamen nisi palam dimittimur, discedere non cogito. Vestra Ecclesia nos piis votis adiuvet: Contra adversarios hactenus initia nobis secunda fuerunt, Dei beneficio. Bene vale. Die 3. Octobris.

---

*) In anno error est; scripta enim est anno 1557.

No. 6367. 4. Oct.

Philippo, Landgr. H.

† Ex autographo Mel. in tabulario Casselano descripta a Clariss. D. *Neudeckero*, Gothano.

Dem Durchleuchten, Hochgebornen Fürsten und Herrn, Herrn Philipps, Landgraven zu Hessen, Graven zu Catzenelnbogen, Dietz, Zigenhain und Nidda rc. meinem gnädigen Herrn.

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Sohn Jesum Christum unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer, der ihm gewißlich eine ewige Kirchen durchs Evangelium sammlet, zuvor. Durchleuchter, hochgeborner, gnädiger Fürst und Herr. E. f. G. sind ohn Zweifel bericht, warum die Gesandten aus Weimar nicht länger allhie zu Worms blieben sind.

Sie haben alsbald im Anfang fürgeben, wir sollten Condemnationes machen Cinglianorum, Osiandri, item von Nottikeit der guten Werk, It. Adiaphoristarum. Nu sind bei solcher Condemnation keine Erklärung gewesen, darum nicht allein Ich, sondern alle Chur= und Fürsten Gesandten haben geantwort, daß Erklärung von nöthen wäre.

Hernach aber als sie dem Herrn Präsidenten dieselbigen bloßen Condemnationes zugestellt, und gesucht, der Herr Praesidens wollte sie in öffentlicher audientia dieselbigen fürtragen lassen, hat der Herr Praesidens dieses nicht gewilliget, darauf sie abgereiset. Nu kann E. f. G. selb bedenken, wie hoch beswerlich seyn wollt, solche bloße Condemnationes ohne alle Erklärung zu willigen, wiewohl ich nit zweifel, es werden neue Bücher davon kommen. Ich wollt aber, daß die hochlöbliche christlichen Chur= und Fürsten auf Weg gedächten, in Kirchen dieser Land ein klarer Einikeit zu machen, und bitt, E. f. G. wolle dieser Sache nachgedenken.

Von Swenkefelt haben wir ein einfaltige, wahrhaftige Anzeigung gestellet *), damit E. f. G. von den fürnemisten Sachen, davon er streit, deß mehr Berichts haben, und ist wahr, daß wir nicht Zank suchen, wollten auch, daß er und sein Anhang der armen betrübten Kirchen Ruhe ließen.

Der allmächtige Gott Vater unsers Heilands Jesu Christi wolle E. f. G. an Seel und Leib stärken, Dat. 4. Octobris 1557. zu Worms.

E. f. G.

unterthäniger armer Diener
Philippus Melanthon.

*) Vid. scriptum eodem die conscriptum.

No. 6368. 4. Oct.

(*De Schwenckfeldio.*)

Prodiit haec Theologorum in Conventu Wormat. scripta sententia: „Antwort auf Schwenckfelts Suchung anno Domini MDLVII. gedruckt zu Worms durch Paulum und Philippum Köpflein Gebrüder." 1 pl. in 4. Inseruit hoc iudicium ex illo libro *Saligius* historiae Augustanae Confessionis Vol. III. p. 334.; nobis libellum ipsum videre non licuit. Sed contulit nobis Clariss. D. *Neudecker* autographon Melanthonis in tabular. Casselano. Nam scriptum est hoc iudicium Landgravio Hassiae. — Intelligitur vero, Schwenckfeldium vel eius adseclas a Landgravio Hassiae petiisse, ut eos in sua actione quiete habitare pateretur, principem autem Theologorum in Conventu Wormat. sententiam de libris et de doctrina Schwenckfeldii quaesivisse. Repetuntur haec de Schwenckfeldio dicta breviter in scripto, quod infra d. 14. Nov. legitur.

(*Sententia de Schwenckfeldii libris et erroribus.*)

Es ist leider öffentlich, daß Schwenckfelds [1]) Bücher und Anhang an vielen Orten den rechten christlichen Prädicanten und Kirchen viel schrecklicher Unruh machen, als zu Augsburg, Straßburg, Ulm, und in Schlesien, da auch schändliche unchristliche Lieder wider das Ministerium Evangelii gemacht sind, die öffentlich in Landen gesungen und ausgebreitet werden. Und daß er spricht: er [2]) sey nicht wider das Ministerium Evangelii, oder wider die Betrachtung des äußerlichen Worts im Hören und Lesen, dieses [3]) sind nur Ausfluchten. Er nennet dieselbe Betrachtung nur eine Uebung des äußerlichen Menschen, und streitet heftig: Gott wirke nicht im Menschen, und gebe sich nicht durch Betrachtung des äußerlichen Worts, und verkehret den klaren Spruch: Evangelium est potentia etc. Spricht: Evangelium soll hie nicht die äußerliche Predigt heißen, sondern der wesentliche Sohn Gottes, ohne äußerlich Wort, und schreibt mit klaren Worten: Gott gebe sich ohne Mittel. Deus se communicat immediate. Diesen Spruch hat er aus Cyrillo aufgerafft, und zeucht ihn auf einen fremden Verstand, daß Gott nicht wirke durch Betrachtung des äußerlichen Worts. Denn da Gott den David tröstet durch die Worte Nathan: Gott hat deine Sünd hinweggenommen, bleibt dieser gleichwohl wahr: Gott giebet sich selbst in das Herz David [4]), nicht allein seine Gaben; davon redet Cyrillus, und ist das vorhergehend Wort nicht durch diesen Spruch weggestoßen. Neulich hat auch Schwenckfelds Schüler einer zu [5]) Schutz sei=

1) Aut. hic et in seqq. Schwenckefelts.
2) er] Salig. es.
3) dieses] Salig. das.
4) David] Salig. Davids.
5) Salig. zum.

nes falschen Propheten dieses Argument ausdrücklich geschrieben: unus est mediator Dei et hominum: ergo verbum vocale non est medium, quo Deus agit. Dieses ist eine boshaftige teuflische Sophisterei, den Spruch Pauli von der Person, die Versühner[6]) ist, wegzunehmen, und weg[7]) zuziehen von der Versühnung auf die Predigt, dadurch der Versühner uns seine Gaben adpliciret, und ist Schwenckfelds Argument ein solch Folg[8]), als so einer spräch: der Arzt macht gesund, darum ist kein Arzneimittel. Und ist im Grund des Stenckfelds Phantasey eine Abführung von Gottes Wort zu erdichteten Erleuchtungen, und eine Auslöschung der rechten Uebung des Glaubens, wie in ernstlichen Betrübniß[9]) die Erfahrung lehrt. Da David in Aengsten liegt, ob er Vergebung habe oder nicht, muß er Gottes Willen durch das äußerliche Wort erkennen, und alsdann folgt Trost durch den Glauben, wie Paulus den Glauben und Freude nach einander setzt: iustificati fide pacem habemus. Diese Ordnung ist in Schwenckfelds Lehre umgekehrt. Erstlich soll die Vergöttung geschehen, wie er zu reden pflegt. Darnach kommt das äußerliche Wort zur Uebung des äußerlichen Menschen.

Das sey auf diesmal genug von groben greiflichen Irrthum und Sophisterei[10]) Schwenckfelds, damit männiglich wissen möge, wovon der Streit sey. Denn viele werden durch seine hohe prächtige Worte irre gemacht, und wollen auch solche erleuchtete Propheten werden, wie er vorgiebt, und ist doch eitel falscher Schein. Rechte Erleuchtung ist in wahrhaftiger Bekehrung, darin das Herz Gottes Zorn und Trost fühlet, und ist wahr, daß dieser Trost nicht allein menschliche Gedanken sind, sondern der Sohn Gottes wirket Licht[11]) und giebt heiligen Geist, aber durch Betrachtung des äußerlichen Worts. Dieses alles können gottfürchtige Leut verstehen, und wird durch Gottes Gnad diese rechte Lehr in unsern Kirchen mit verständlichen Reden vorgetragen, dadurch die Gottfürchtigen Trost haben mögen. Aber die fremden Reden[12]) Schwenckfelds von Vergöttung ꝛc. bringen[13]) Verzweiflung oder Heuchelei. Denn sie führen[14]) die Leut auch in diese Gedanken, sie sind[15]) gerecht von wegen ihrer hohen Vergöttung und nicht von wegen des Verdienstes Christi, und wird also die Lehre vom Glauben verdunkelt.

Was Schwenckfeld von der menschlichen Natur Christi schreibet, ist also verwirrt, daß es Eutychis Irrthumern sehr gleich siehet. Er straft auch unsre Lehre in diesem Artikel, daß wir sprechen: der Mensch vermöge Gottes Gesetz nicht zu erfüllen. Dagegen aber sagt er viel von Vergöttung, und so wir seine Bücher allhie hätten, würden wir mehr berichten.

Ueber das alles ist öffentlich, daß in der Kirchen ein ordentlich ganz und verständlich corpus doctrinae seyn muß. Nun hat Schwenckfeld noch kein ganz corpus doctrinae gemacht, zwacket nur auf, wo er ein Stücklein mit einem Schein reprehendiren kann, daß er unsre Kirchen in Verdacht bringe, und versteckt sich heimlich, und schickt dannoch[16]) seine Läufer in viel Städte und Lande und macht Unruhe, wie[17]) viel Personen namhaftig erzählen könnten, die Schwenckfelds Anhang sind, und die Leute wider gottfürchtige christliche Prediger anhetzen, und zur Verachtung des ganzen Ministerii treiben, als nemlich in Schlesien und zu Augsburg, Ulm, zu Straßburg durch etliche geschiehet.

Dieweil nun in Schwenckfelds Büchern etliche öffentliche Irrthum sind, und dabei viel verwirrter Reden, und kein ganz corpus christlicher Lehre darin gefasset ist, und er und sein Anhang nicht nachlassen, christliche Prediger und das rechte Ministerium zu lästern, können wir seine Bücher, Zerrüttung des christlichen Ministerii und Schmachschriften[18]) nicht billigen. Müssen also Gott uns und die arme Kirchen, darin wir durch ordentlichen Beruf, öffentlich, mit Gottes Hülf dienen, befehlen, und bitten alle christliche Regenten um Gottes willen, sie wollen diese einfältige[19]), wahrhaftige Anzeigung zu Gemüth führen, und das rechte Ministerium in ihren Kirchen durch Schwenckfelds hohe und prächtige Worte nicht lassen zerrütten. Scriptum Anno 1557. zu Worms[20]).

Philippus Melanthon.
Ioannes Brencius.
Ioannes Marbachius D.
Iacobus Andreae D.
Ioannes Pistorius Niddanus.
Georgius Karg.
Paulus Eberus[21]).

6) Salig. ein Versöhner.
7) weg] Salig. non habet.
8) Salig. eine solche Forma und Folg.
9) Salig. Betrübnissen.
10) Salig. Irrthumen und Sophistereien.
11) Licht] Salig. non habet.
12) fremden Reden] Salig. fremde Lehre.
13) Salig. bringt.
14) führen] Salig. führet.
15) Salig. seyen.
16) dannoch] Salig. non habet.
17) wie] Salig. wie wir.
18) Salig. Schmachreden.
19) Salig. addit: einfältige Warnung und.
20) Salig.: *Datum*, Worms *die* 14. *Octobr*. 1557.
21) Salig. post Andreae nomen habet Georg Karg. Paul Eberus. Joh. Pistorius Niddanus, et addit: Jacob Rungius.

No. 6369. 5. Oct.

Henr. Bullingero.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3]. — Ex parte antea edita in Hospiniani hist. sacrament. P. II. p. 431.

Phil. Mel. Henrico Bullingero

S. P. D. Reverende vir et carissime frater. Cum non perfecissent nostri collegae, ut condemnationem vestrarum Ecclesiarum comprobaremus, seiunxerunt se a nobis, et eam privatim exhibuerunt τῷ βραβευτῇ *Iulio*, a quo petiverunt, ut publice in consessu recitaretur. Fuit autem ea modestia τοῦ βραβευτοῦ, ut recitari eam in consessu noluerit. Postea hinc illi discesserunt *). Nunc igitur, an inchoata collatio processura sit, dubitamus. Quicunque autem eventus erit, spero sapientes viros nostram contationem non improbaturos esse, quod noluimus statim, re non disputata nec explicata, confirmare pontificum idola et parricidia. Sed precor filium Dei, ut nos gubernet. Bene et feliciter vale. Ex urbe Vangionum, die 5. Oct. 1557. Salutem opto vobis omnibus, ac nominatim *Petro Martyri* et *Lelio*.

No. 6370. (5. vel 6. Oct.)

G. Cracovio.

Epist. lib. II. p. 366. (ed. Lond. lib. II. ep. 379.). — Scripta est epistola d. 5. vel 6. Oct. 1557., quibus diebus (vid. Eberi ep. d 8. Oct.) Cracovius se contulerat Heidelbergam, ut medicos de sua valetudine consuleret. Augustus, Dux Sax. Elector, qui cum coniuge in Daniam profectus fuerat, iam erat in reditu, qua de re Bramii epistola, Wormatiam missa, nuncium attulerat.

D. Georgio Cracovio

S. D. Deum aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, creatorem generis humani, vitae datorem, et custodem Ecclesiae suae et honestarum politiarum, oro, ut tibi et tuae domesticae familiae confirmet animarum et corporum vires, et reducat integros et laetos Ducem *Saxoniae* Electorem, et coniugem eius, et totum comitatum. Scripsit nobis D. *Bramius* ex *Perleperg* venturos huc **) esse Principem et comitatum die 18. Septembris, die vero 10. Septemb. traiecisse eos mare *Balticum*, ac biduo retentos esse in mari adversis ventis. Adeo brevis est narratio ut non sint explicatae circumstantiae. Sed ago Deo gratias quod eos reducit ad suos. De disputatione etsi libenter tuas cogitationes lego: tamen iudicium mihi non sumo, praesertim de iis materiis, quae sunt propriae forensis doctrinae, quas video te praecipue in his propositionibus tractare. Vidi magno cum dolore quosdam se liberasse, vel avulsisse potius a sponsis iuramento, ubi maluissem autoritate Ecclesiae sine iuramento potius partes vel coniunctas, vel distractas esse. Sed haec et alia coram. Bene vale.

*) Hic desinit textus Hospiniani.

**) i. e. Perleberg. — In Daniam Augustus cum coniuge profectus fuerat exeunte Iulio 1557.

No. 6371. 8. Oct.

Fr. Balduino.

Epist. lib. VI. p. 258.

Francisco Balduino Doctori U. I.

S. D. Reverende vir et carissime frater; Scriptum est in vetustissimis legibus μηδ' ἱκέτας ἀδικεῖν, ἱκέται ἱεροί τε καὶ ἁγνοί. Audire igitur supplices iustum est, ac praesertim innocentes propter veritatis professionem oppressos. Quare te oro, ut hos conterraneos tuos commendes Illustrissimis Principibus tuis, ut non desint captivis, propter quos hi veniunt ad vos supplicum ritu et more. Etsi ferrea pectora sunt in hypocritis, qui Regum iracundiam inflammant, tamen Regem nobilissimum pectus habere mitius spero. Tentanda igitur est placatio, in tanto periculo et multorum virorum et matronarum ac virginum. Bene vale. In urbe Vangionum, die 8. mense Octobr. Anno 1557.

No. 6372. 8. Oct.

Io. Calvino.

Epist. lib. VI. p. 323.

D. Ioanni Calvino.

S. D. Reverende vir et carissime frater. Collegae nostri postquam adversariis exhibuerunt con-

demnationem vestrarum Ecclesiarum, hinc disces- serunt. Nunc domi triumphos agent, tanquam de Cadmaea victoria. Nos adhuc in acie manemus, et oramus filium Dei ut sit βραβευτὴς noster. Viris excellentibus eruditione et doctrina ac virtute, quos ad nos misisti, non defuerunt nostra officia, quae quidem praestare potuimus. Sed quid impetraturi sint nostri, etiamsi fiant *ἱκέται*, dubito. Nam Ecclesia cum fit supplex hypocritis plerumque est velut navis *ἱκετεύουσα πέτραν*, ut in veteri versu dicitur. Expecto in hac senecta post mediocres labores similes casus, quales vestri iam experiuntur. Ideo misericordia vestrorum magis afficior, et filium Dei oro, ut et vestris et mihi et nobis omnibus opem ferat. Bene vale. Wormatiae. Die 8. mensis Octobris, 1557.

No. 6373. 8. Oct.

Eberus Bugenhagio.

† Ex apogr. in cod. Guelpherb. in fol. No. 7. 9. p. 429 b. et sq. et apogr. in cod. Monac. 86. p. 33. — Partem aliquam huius epistolae dedit Strobelius in append. ad Camerarii Vitam Melanthonis p. 468.

Reverendo viro, pietate, eruditione et meritis in Ecclesiam Dei praestanti, Dom. D. Iohanni Bugenhagio, Pastori Ecclesiae Dei Vitebergae, suo patri venerando et compatri charissimo.

S. P. Reverende D. Pastor, pater et compater charissime. Nunciavit mihi hic Mag. *Burkardus*, te ita familiae meae diligenter [1]) agere curam, ut etiam non sis gravatus, in illa ipsa imbecillitate tua ad meas aedes usque accedere, et coniugem et meos liberos visere, ut certi aliquid mihi de meorum incolumitate nunciare posses; quod fecisti peramanter, addita salute in Christo ad clariss. virum D. *Georgium Cracovium*, generum tuum scriptis [2]). Pro qua tua sollicitudine tibi ingentes ago habeoque gratias, et Deum oro, ut tibi tuisque omnibus vicissim benefaciat, vosque diu omnes incolumes servet, ut reversi vobiscum laetari possimus. Sed de reditu nostro [3]) utinam aliquid certae spei vobis nunc [4]) facere possemus; ita enim lente procedunt negotia colloquii, ut, si aliter res posthac non geretur, et continuari debebit colloquium, ut multi existimant, non possumus ante pascha istuc reverti. Sed tamen speramus Deum flexum praecipue vestris piis votis citius nos ex his molestissimis actionibus liberaturum, ut ad nostros et ad scholam quam primum redire queamus, ubi nostra opera et ingenii tenuitas aliquanto plus prodesse poterit. Hoc ut tempestive fiat, vos pro pietate vestra Deum orare non desinetis, nos ut poterimus has molestias devorabimus, et pro gloria Dei illustranda cum insidiosissimis ac versutissimis hostibus veritatis pro virili pugnabimus, qui quidem unum quod voluerunt consecuti sunt, ut suis insidiosis postulationibus inter nos ipsos distractionem tristem et omnibus piis deplorandam effecerint, de qua vos iamdudum audisse credo. Nos tamen hoc vulnere accepto nihilo languidius stationem nostram Deo iuvante et precibus vestris tuebimur.

Tuus gener morbo non violento quidem illo sed lento tamen et molesto nondum liberatus excurrit [5]) Heidelbergam cum M. *Rungio* et *Cossovio*, ut illic medicos, quos Palatinus Elector praestantes habere dicitur, consulat. Eum hodie expectamus [6]). *Rungius* praedicabat nobis suam artem equestrem, qui persuasus a suo collega in hoc itinere primum equum conscendit. D. *Philippus* vos reverenter salutat, qui etsi non vulgariter his turbationibus affligitur, tamen erigit se, et eventum Deo committit. Parisiis V. die Septembris [7]) cum in nobilissimi cuiusdam viri domo convenisset multitudo piorum hominum ultra quadringentos [8]) ad audiendam puram Evangelii doctrinam et distributionem coenae dominicae circa horam noctis nonam (quales congressus et [9]) in locis urbis illius saepe fieri solent, cum metu Sorbonistarum interdiu convenire non possint) prodita ea Ecclesia est a theologis e regione habitantibus praefecto excubiarum, quae tunc frequen-

---

1) Cod. Monac. 86. *diligentem.*

2) *quod fecisti* etc.] tantum in cod. Monac. 86. leguntur, ubi vero post *Christo* praetermissa sunt: *in literis.*

3) *nostro*] addit cod. Monac. 86.

4) *vobiscum*] cod. Guelph.

5) Cod. Guelph. *liberatur. Excurrit.*

6) Cod. Guelph. *expectavimus.*

7) Hic demum incipit textus Strobelii.

8) *ultra quadring.*] Strobel. non habet.

9) Strob. pro *et* habet *quatuor*; habuit pro numero 4. Sic etiam cod. Monac. 86.

tiores dispositae erant per multos urbis vicos propter nuncium acceptae cladis ad S. Quintinum. Circumvallata est igitur armatis viris ea Domus totam noctem: plurimi tamen animosiores, praesertim viri, tenebrarum beneficio usi, dilapsi evaserunt [10]) incolumes. Sed, cum illuxisset, irruptione facta deprehensi, et cum contumelia per plateas in carcerem rapti [11]) sunt CXXXV homines, inter quos fuerunt [12]) nobilissimae foeminae, Amiraldii [13]) coniunx Connestabilis [14]) filia, et multorum aliorum principum ac procerum coniuges ac filiae, et honestissimi senes, qui noctu non potuerunt evadere.

Eam ob causam advenerunt huc quatuor legati, *Wilhelmus Farellus*, reverendus senex, agens annum aetatis LXVIII, *Theodorus Beza*, eruditissimus vir [15]), *Ioannes Budaeus*, *Budaei* filius, et *Caspar Carmelus*, concionator in Gallica Ecclesia Parrhisiis, ut consilio theologorum hic uterentur, num possit impetrari a Germanicis [16]) principibus, ut legatione missa ad Gallicum Regem intercedant [17]) pro his piis captivis, quos hi viri sancte affirmant, nullo fanatico errore aut dogmate infectos esse, sed eorum doctrinam cum nostra confessione congruere, nisi quod in coena domini reiiciant illam panis conversionem papisticam et adorationem.

Nostri theologi scripserunt ad quatuor [18]) principes, Electorem *Palatinum*, *Lantgravium*, Palatinum *Wolfgangum* et Ducem *Wirtembergensem*. Quid effecturae sint hae [19]) literae, incertum est. Sed profecto iusta commiseratione deplorandum est, exerceri tantam saevitiam ibi in omnem sexum, aetatem et ordinem, quanta vix in historiis legitur. Sed imminet Galliae magna calamitas propter [20]) hanc crudelitatem [21]) in pios et innocentes homines. Nam [22]) iidem legati Gallici significarunt, Pontificem Romanum, cum premeretur a copiis *Albani* Ducis misisse regi Galliae [23]) gladium tanquam defensori Ecclesiae, et simul nobilissimum et bellissimum scortillum [24]) totius Italiae, quod D. *Philippus* ita versibus interpretabatur, ut illa venusta saltatrix significet *Herodiaden*, quae sua bella saltatiuncula delinitura sit regem, ut hoc gladio pontificio [25]) Ioanni, hoc est, multis piis confessoribus verae doctrinae caput amputet.

Haec scribo, cum ea, quae gerantur in colloquio, propter iuramenti religionem scribere non audeam. Quod boni consules et tuis collegis et nostris amicis communicabis, eosque omnes reverenter meis et nostris verbis saluta, quorum precibus et fidei meam familiam nosque omnes commendo [26]). Datae Wormatiae 8. die Octob. 1557.

Has literas mitte quaeso legendas D. *Vito* Rectori, D. *Milichio*, et D. *Georgio Maiori*. Salutabis (eos) reverenter; scribere enim propter occupationes non potui.

Paulus Eberus, tui reverendiss. et amantissimus [27]).

10) Strob. pro *evaserunt* mendose *fuerunt*.
11) Strob. mendose *capti*. Cod. Monac. 86. *raptati*.
12) Strob. addit *plurimae*. Sic etiam cod. Monac. 86.
13) Strob. *Amiralii*.
14) Strob. *Contestabilis*.
15) *erud. vir*] non habet Strob.
16) Strob. *Germanis*.
17) *ad Gall. reg. interc.*] non habet Strob.
18) *quatuor*] non habet cod. Goth.
19) Strob. *nostrae*; cod. Monac. 86. *eae*.
20) Strob. *ob*.
21) Cod. Goth. *calamitatem*.
22) *Nam*] Strob. et cod. Monac. 86. non habent.
23) *Galliae*] abest a textu Strob.
24) Strob. *scortiolum*.
25) Strob. *Pontificis*.
26) *quorum precib.* etc.] non habet Strob.
27) *Has literas* etc.] Strob. et cod. Monac. 86. non habent.

No. 6374. 8. Oct.

Legati Gallorum ad Theologos Evang. in Conventu.

Mel. Consil. lat. P. II. p. 300. — *Hospiniani* hist. sacrament. P. II. p. 252. *Saligii* historia Aug. Conf. T. III. p. 320. Apographa in cod. Galli II. p. 207b. et in cod. Goth. 19. p. 187. — De re ipsa vid. Eberi epist. d. 8. Oct. datam et Saligius l. c. p. 319. coll. Tom. II. p. 265. Venerant nempe Legati Gallorum, ob confessionem Evangelii graviter vexatorum Wormaciam et petierant a Theologis ibi congregatis, ut Principes Evangelicos hortarentur, ut pro se intercederent apud Galliae Regem. Quibus, antequam aliquid in eorum commodum ageretur, iniunctum est a Theologis, ut aliquam fidei confessionem ipsis exhiberent.

Scriptum Legatorum Gallicorum ad Theologos Evangelicos in Wormatiae congregatos.

Reverendi viri. Quod a nobis postulastis confessionem doctrinae Ecclesiarum Gallicarum, quarum membra sunt illi ipsi captivi, propter quos

hoc iter suscepimus: sapienter et recte facitis, et cum sciamus, in tanta confusione generis humani, tantam esse varietatem opinionum, et de nobis fortassis spargi diversos sermones, gaudemus a nobis peti confessionem, et libenter ubique eam exhibemus.

Itaque primum omnium pie et constanter affirmamus: Nos damnare omnes blasphemias pugnantes cum scriptis Propheticis et Apostolicis, et Symbolis: Et nominatim execrari furores Serveti, Anabaptistarum, Libertinorum, Epicuraeorum, et idola Papistica. Pie autem et constanter amplectimur [1]), nos et Gallicae Ecclesiae [2]) (quarum membra et nos sumus, et captivi illi, de quibus diximus), scripta [3]) Prophetica et Apostolica, et Symbola, Apostolicum, Nicaenum, et Athanasianum, sicut noster Catechismus ostendit, octo linguis editus.

Et cum legerimus vestram confessionem, quae Augustae exhibita est, Anno 1530. prorsus (in omnibus articulis) [4]) illam congruere cum nostris Ecclesiis iudicamus, et eam amplectimur, excepto †tamen" uno articulo, videlicet de Coena Domini, in quo controversiae haerent, de quibus colloquia cum vestris semper expetivimus, et speramus, dirimi eas posse, si eruditorum et piorum explicatio audiatur. Nunquam hoc nos sensimus, aut docuimus, Coenam Domini esse tantum signum professionis, sicut Anabaptistae sentiunt, aut sicut vociferatur Stenckfeldius: (Aut) [5]) esse signum tantum absentis Christi. Papistas damnamus, qui conversionem panis, et adorationem docent, et horribiliter cumulant idola, adorantque panem in circumgestatione, in elevatione, in repositione, et oblatione. Haec idola damnare nos fatemur, et retinemus propositionem, nihil habere rationem Sacramenti, nisi in usu instituto. Et constantissime affirmamus, filium Dei missum esse, ut per eum colligatur Ecclesia, et adesse eum suo ministerio, et in Coena testificari, quod faciat nos sibi membra. Et verba Pauli sequimur, qui ait, *Panis est κοινονία corporis*, id est, est illa res, quam cum sumimus, filius Dei vere adest, et facit nos per fidem sibi membra: Et testificatur, se nobis dare et applicare remissionem peccatorum, Spiritum sanctum, et vitam aeternam. Retinemus et Hilarii dictum: *Haec sumta et hausta faciunt, ut Christus sit in nobis, et nos in eo.*

Denique maxime optamus, ut docti et pii de hac re tota colloquantur. In caeteris articulis omnibus, iudicamus doctrinam nostrarum Ecclesiarum prorsus cum vestra confessione congruere, et sentimus, nos et vos unam veram Ecclesiam filii Dei esse: Et damnamus vobiscum idola Papistica, et idolorum defensores: Et vobiscum invocamus verum Deum, aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi † in vera agnitione et fiducia mediatoris Iesu Christi": Et consensum cum vestris Ecclesiis pium et aeternum, propter gloriam Dei, et salutem plurimorum, optamus.

Haec subscripsimus Gallicarum Ecclesiarum nomine ad Illustrissimos, et vere pios Germaniae Principes. Legati: *Gulielmus Farellus, Neocomensis Ecclesiae Pastor: Iohannes Budaeus, civis Genevensis: Caspar Carmelus, Parrhisiensis Ecclesiae minister: Theodorus Beza, Lausannensis Academiae Lector*, et Reverendis viris, ac Patribus D. Philippo Melanthoni, D. Iohanni Brentio, D. Iohanni Pistorio, D. Michaëli Dillero, D. Iohanni Marbachio, D. Georgio Karg, D. Iacobo Andreae exhibuimus nostris manibus consignata, Anno 1557. die Octob. 8. Wormaciae, in conventu religionis ergo habito.

No. 6375. 8. Oct.

Christophoro, Duci Wirtemb. etc.

Edita in libro: Gründliche und wahrhaftige Historia von der Augsburg. Confession etc. (Lips. 1584. fol.) p. 302. — Ultimam epistolae partem edidit etiam *Ambros. Wolff*, in seiner Historie von der Augsburg. Confession ꝛc. p. 543. — Hic eam dedi ex autographo Melanthonis in Tabulario Casselano, quod Clariss. *Neudecker* contulit, quodque cum libro impresso fere ubique convenit. Inscriptum est: „Philippo Landgravio Hassiae." Ex epistola Eberi d. 8. Oct. huius anni non solum occasio harum literarum cognoscitur, sed etiam id perspicitur, epistolam eiusdem tenoris esse scriptam ad quatuor Principes, videlicet ad Christophorum Ducem Wirtenbergensem, e cuius exemplo epistola edita est in der Gründlichen und wahrhaftigen Historia ꝛc, ad Electorem Palatinum, ad Palatinum Wolfgangum et Philippum Landgravium Hassiae.

---

1) Salig. *affirmamus.*
2) Salig. *Gallicas Ecclesias.*
3) Salig. *amplecti scripta.*
4) Praetermittuntur in cod. et videntur inserta.
5) In cod. et apud Salig. non legitur.

(Epistola Theologorum, Wormatiae congregatorum, ad Ottonem Henricum, Palatinum Electorem, Wolfgangum Palatinum, Christophorum Ducem Wirtenberg. et Philippum Landgravium Hassiae).

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Sohn, Jesum Christum, unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer, der ihm gewißlich eine ewige Kirchen durchs Evangelium sammlet, zuvor. Durchleuchtiger, Hochgeborner, gnädiger Fürst und Herr. Ew. Fürstl Gnaden haben ohn Zweifel vernommen, wie in Paris 135 Personen von wegen der christlichen Religion gefangen sind, darinnen etliche tugendliche Frauen und Jungfrauen von Adel sind. Derhalben diese beglaubte und wohlgelehrte Männer (Wilhelm Farellus, Theodorus Beza, Johannes Budeus, Caspar Carmelus)[1]) zu uns gesandt, daß wir bei E. F. G. und etlichen andern christlichen Fürsten unterthäniglich ansuchen wollten, daß E. F. G. neben andern christlichen Fürsten eine Legation zum König in Frankreich senden, oder eine schriftliche Fürbitte thun wollen[2]). Darauf wir ihnen diese Antwort geben: erstlich, daß wir[3]) nicht Gefallen daran haben, daß die Leute, Mann, Frauen und Jungfrauen, in fremden Häusern und sonderlich gegen der Nacht zusammenkommen, haben auch solches fürohin widerrathen, und angezeigt, daß die Leute in ihren Häusern mit ihren Kindlein[4]) lesen, Catechismum lernen und beten wollten[5]), und das Sacrament in solchen[6]) Städten nach Gelegenheit suchen, da offentliche ehrliche Kirchen sind, oder ganz unterlassen.

Zum Andern haben wir geantwortet, so eine[7]) Legation oder Fürbitte bedacht werde[8]), daß gleichwohl sie eine christliche Confession jetzund überantworten sollten, die dem König zugleich bei der Fürbitte überantwortet würde. Denn soll[9]) man Fürbitte thun, so muß man dennoch wissen, was ihre Lehre sey. Denn Irrthum, als: Anabaptisten, Servetisten, Libertiner und andere, zu stärken, wolle den Fürsten in keine Wege gebühren.

Nach dieser[10]) unsrer Vermahnung haben sie uns geantwortet, eine Confession zuzustellen, welcher Copia wir hier eingelegt.

Dieweil denn die Confession der Lehr in allen Artikeln stimmet mit unsrer Confession, obgleich ein Artikel etwas dunkel gestellet ist, darin diese Leute durch einen Synodum möchten bericht werden, haben wir in solcher großen Verfolgung ihnen diesen Trost nicht nehmen wollen, E. F. G. unterthäniglich anzusuchen. Und bitten, E. F. G. wollen gnädiglich, als ein hochlöblicher christlicher Fürst, bedenken, ob an den hochgemeldten König eine Schickung zu verordnen oder zu schreiben. Und bitten, E. F. G. wollen diese unsre unterthänige Schrift gnädiglich vernehmen, und so viel möglich den ehrlichen christlichen Leuten in ihrer Unschuld tröstlich seyn.

Der allmächtige Gott, Vater unsers Heilands[11]) Jesu Christi, wolle E. F. G. an Seel und Leib stärken und gnädiglich regiren. Datum zu Wormbs die[12]) 8. Octobr. anno 1557.[13])

E. F. G.

unterthänige Diener
Philippus Melanthon.
Ioannes Brentius.
Ioannes Marbachius, D.
Michael Dyllerus.
Ioannes Pistorius, Niddanus.
Iacobus Andreae.
Georgius Karg.

---

1) Gründl. und wahrh. Hist.: Caspar Carmel, Kirchendiener zu Paris, und Johann Budäus. — Caeterum haec nomina in der Gründl. etc. ad marginem adscripta sunt, quare hic uncis inclusi. Margini adposita fuisse nomina inde etiam verosimile est, quod nomina non in accusativo sed in nominativo posita sunt.

2) Gr. und wahrh. H. wollten.

3) wir] text. impr. S. F. G.

4) Text. impr. in den Häusern mit den Kind'.

5) wollten] lib. impr. non.

6) solchen] lib. habet impr. den.

7) Lib. impr. auf eine.

8) Lib. impr. gedacht würde.

9) Lib. impr. sollte.

10) Haec et quae sequuntur leguntur in Wolffii historia l. l.

11) Heilands] libri impr. Herrn.

12) die] libri impr. deu.

13) Legitur in Wolffii hist. aug. conf. p. 544. responsum Christophori, Ducis Wirtemb., ubi inter alia haec: „So viel „der Abgesandten Begehren belangt, wolle ihr F. G. sich ohne „alle Saumsal befleißen, auf daß diese Sach mit dem allerersten „an andre deutsche Fürsten, deren Gerechtigkeit, Fleiß und „Beständigkeit in der Fortsetzung (?) der Religion bekannt wäre, „gelange, und daß also mit einhelligem Fürnehmen aller Fleiß „angewendet werde, auf daß durch eine christliche Fürbitt und „Schickung des allerchristlichen Königs zu Frankreich Gemüth „etwas gemildert werden möge ꝛc. Hielt es ihr F. G. dafür, „daß es diesem Werk sehr ersprießlich seyn sollte, wenn die Orte „in Schweitz, und besonder die dem König mit Bündniß verwandt seyn, und in deren Kirchen die wahre christliche Lehre „gelehrt wird, den Handel auch treiben und befördern hülfen."

No. 6376. 9. Oct.

G. Cracovio.

Epist. lib. II. p. 362. (ed. Lond. lib. II. ep. 372.).

D. Georgio Cracovio

S. D. Clarissime vir, Scis scriptum esse de Deo: *Ipse est longitudo dierum tuorum.* Hunc verum Deum vitae fontem Patrem aeternum Domini nostri Iesu Christi crucifixi pro nobis et resuscitati oro, ut tibi vires animi et corporis confirmet*). Hic post iter tuum bis in curia partes congressae sunt. Recitata est nostra responsio. Nunc audio velle adversarios certamen movere, propter ea quod collegis qui discesserunt alius surrogatus est. Quaeritur occasio abrumpendi colloquii. Tu valetudinis tuae rationem habeto. Nos tibi significabimus nostras rixas. Et si voles mitti pecuniam mittetur. Bene vale. Die 9. Octob.

No. 6377. (his dieb.)

Declaratio Theol. Witteb.

† Ex Apographo in Cod. Galli I. p. 155. — Quum Wormatiae scripta dicatur haec declaratio, pertinere debet ad alterum colloquium Wormatiense; nam est opposita decreto concilii Tridentini de peccato originis, quod anno 1546. factum est. Quo autem die hoc scriptum vel exaratum vel traditum sit, certo definire non possum.

Primus Articulus Wittenbergensium Theologorum, traditus Wormatiae.

Petivimus, ut ad doctrinae articulos procederetur, praesertim cum inchoata sit collatio de peccato, quod reliquum est in sanctis in hac vita. De quo pharisaicam doctrinam necesse est taxari. Vult enim Deus agnosci peccatum, ut vicissim intelligantur beneficia filii Dei, gratia et iustitia fidei et finalis liberationis a peccato. Adfirmamus igitur, hos defectus seu ἀταξίαν, quae reliqua est in sanctis in hac vita non tantum esse morbum aut rem indifferentem, nec tamen ideo nominari peccatum a Paulo, quia sit effectus peccati: sed quia sit malum pugnans cum lege Dei, etsi in renatis reatus aeternae irae tollitur, et fit inchoatio sanationis. Manent tamen tristes reliquiae, propter quas et haec corporalis natura damnata est ad mortem corporis, ut Rom. 8. dicitur, et homo impeditur, ne satisfacere legi Dei possit, nec possit esse lege iustus, sicut Rom. 8. dicitur: *sensus carnis inimicitia est adversus Deum; legi enim Dei non subiicitur, nec subiici ei potest.* Hanc doctrinam necesse est in Ecclesiis conservari, ut lex Dei intelligatur, nec dominentur pharisaicae opiniones, quae ab adversariis et defenduntur et confirmantur. Scripsit quidam ex adversariis: concupiscentiam tam naturalem esse homini, quam soli est proprius motus. Tanta caecitas est, ut non distinguat ἀταξίαν in omnibus viribus ab appetitione cibi et potus creata natura. Et communis error est adversariorum, concupiscentiam non esse malum, pugnans cum lege Dei. Et multo insulsiorem rationem adducunt: quia lex tantum loquitur de actionibus. Nec considerant quid sit lex Dei et quod natura hominis conformitatem cum Deo postulet non tantum actionum, sed intuentur velatam faciem Moysi.

De his tantis rebus concionatur filius Dei, prophetae et apostoli, et taxant prophanas, philosophicas et pharisaicas opiniones, et omnes sancti in hac vita gementes deplorant hanc molem peccati, sicut querela Pauli Rom. 7. ostendit. Scimus, in hac quaestione dissimilia esse iudicia prophana et verae Ecclesiae. Eo magis necesse est, nos veritatem retinere, et nos et alios ad timorem Dei hortari et securitatem carnalem taxare, sicut propheta clamat: *converte me et convertar, postquam convertisti me egi poenitentiam, et postquam ostendisti mihi percussi femur.* Cur adeo blandiuntur sibi homines, ut negent, peccata esse assiduos aestus dubitationum de Deo et de providentia, securitatem carnalem in rebus secundis, in adversis fugam et fremitus adversus Deum, et deinde vaga incendia malorum affectuum, quae omnia pii tristissimis gemitibus deplorant.

Ut igitur extet nostra perspicua confessio de peccato originis, damnamus et veteres Pelagianos et Anabaptistas et alios, qui aut prorsus negant, esse peccatum originis, aut negant reliquos defectus et pravas inclinationes in renatis esse mala pugnantia cum lege Dei. Reiicimus et synodi Tridentinae flexiloqua dicta, et in vestra narratione absurdum dictum: totum hoc, quod habet rationem peccati, sublatum est. Scitis, in dog-

---

*) De Cracovio tum aegrotante vid. ep. Eberi ad Bugenhag. d. d. 8. Oct.

matibus proprietatem et perspicuitatem necessariam esse, et nostram sententiam plane intelligi non dubitamus. Quid autem haec vestra verba significent: totum hoc, quod habet rationem peccati sublatum est, quis intelligit? Quodnam est illud totum? An caligo in mente, dubitationes, carnalis servitus et similia mala, prorsus sublata sunt? Ideo a nobis in superiore scripto explicatio petita est.

Secundus Articulus.

In catalogo articulorum nobis exhibito secundus est: *de libero arbitrio*, de quo noster articulus in confessione augustae exhibita planus et perspicuus est, et ne tunc quidem improbatus est. Ac indicamus, explicationem nostram utilem esse disciplinae et Ecclesiae, cum dicimus, quae libertas in voluntate sit reliqua, videlicet regendae locomotivae, et quod voluntas humana sine Spiritu sancto non possit efficere motus interiores a Deo praeceptos, ut timorem Dei, fidem, dilectionem Dei, constantiam et robur in confessione, castitatem cordis, et similes interiores virtutes, quae sunt et nominantur fructus spiritus. Hac nostra distinctione et Pelagiani et Manichaei refutantur, et disciplina confirmatur, et simul monstrantur beneficia filii Dei, promissa in Evangelio.

Dicimus non renatos et debere et posse regere locomotivum, ut externi gestus congruant cum lege Dei. De externis actionibus ac de his dictum est: *lex est iniustis posita.* Adfirmamus autem hanc externam disciplinam nec satisfacere legi Dei, nec iustitiam esse Deo placentem, nec mereri remissionem peccatorum, nec esse id, quo homo coram Deo iustus, id est, acceptus sit, sed propter alias causas, de quibus suo loco dicimus, necessariam esse.

Sed de motibus interioribus, qui sunt fructus spiritus, et indicant obedientiam interiorem, quam Deus praecepit, dicimus, eos motus non posse effici sine Evangelio et sine Spiritu sancto; sicut scriptum est: *sine me nihil potestis facere.* Certum est autem, dari Spiritum S. cum in conversione corda voce Evangelii sustentantur, iuxta dictum: *venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Item ad Galat. 3.: *ut promissionem spiritus accipiamus per fidem.*

Haec sunt plana et perspicua, et habent testimonia piorum in assiduis exercitiis poenitentiae et invocationis, de quibus Spiritus sanctus testimonium dat spiritui nostro. Item Spiritus sanctus opitulatur infirmitati nostrae. Et quidem docemus, cultum Dei necessarium esse petere Spiritum sanctum, ut scriptum est: *petite et accipietis.* Item: *quanto magis dabit pater coelestis Spiritum sanctum petentibus.* Hanc doctrinam et veram esse et piis utilem manifestum est, et a multis doctis viris et peritis in Ecclesia saepe repetitam esse, non dubium est, quia non solum veteres, Basilius, Ambrosius, Augustinus, Prosper et alii quidam de ea perspicue scripserunt, sed etiam recentiores Bernhardus, Cameracensis, Durssalus *) et alii.

Clare etiam adfirmamus, non esse Spiritum sanctum in his, qui non retinent fundamentum fidei, de quo Paulus inquit: *fundamentum aliud poni non potest praeter id quod positum est;* nec in illis esse dicimus, qui perseverant in sceleribus contra conscientiam, et excuti ex cordibus eorum, qui fuerunt renati, cum dogmata pugnantia cum fundamento amplectuntur, aut cum ruunt in scelera contra conscientiam. Gal. 5.: *qui talia faciunt, regnum Dei non possidebunt.*

No. 6378. 13. Oct.

Academia Witeb. ad Melanthonem.

Scripta publ. Witeb. III. p. 122.

„*Literae a Professoribus Academiae Wittebergensis ad Reverendum virum D. Phil. Melanthonem praeceptorem missae, ad consolandum eum, postquam eo absente eius coniux mortua esset.*"

Etsi iam vos in itinere esse sperabamus, et Dom. *Ioachimum Camerarium* vobis redeuntibus occursurum: tamen animis acquiescere non potuimus, quin nuncium hunc ad te mittendum esse statueremus. Oramus autem, ut sollicitudini nostrae ignoscas. Quaedam enim etsi non iucunda, attamen necessaria tibi significanda duximus.

---

*) Sic scriptum est, sed mendose ut videtur.

Nam optima et pientissima *Catharina* coniux die 27. Septembris post meridiem aegrotare coepit. Invasit eam morbus cum horrore, vomitu crebro, cum nausea et fastidio cibi perpetuo, neque obscura calculi indicia initio aderant. Post aliquot dies accessit et nocturno tempore paroxysmus febrilis cum Lipothymia ex debilitate et motu uteri, neque tamen singulis, sed alternis noctibus fere gravius laborabat, cibi nil admittebat; ideo medicina omnino illi praeberi non potuit; foris quae potuerunt, applicata sunt. Vinum tamen interdum, idque satis moderate, sumsit, et fere statim vomitu rursum reiecit. Pulsus usque ad ultimos quatuor dies semper mediocris fuit. Quarto ante mortem die manifesto concidere coepit. Cum enim ventriculus cibum non admitteret, neque corpus aleretur, tandem undecimo Octobris, hora tertia ante lucem, cum molliter obdormire coepisset post Lipothymiam, quasi morbo consumta, in Christo obdormivit, ita placide, ut vix a circumstantibus animadverti posset *).

Fuit haud dubie praescia mortis suae. Nam pridie antequam laborare coepit, ad coenam domini accessit, et primo statim die, cum in lecto se componeret, Deum, ut sibi patientiam clementer largiretur, precata est; neque irrita fuit ea precatio. Per omne enim morbi tempus nullum impatientiae signum praebuit, et deinceps aliquoties significavit, se animo ad mortem aequissimo et paratissimo esse. In hac igitur obedientia erga Deum et invocatione crebra filii Dei, illa feliciter ex hac misera mortali vita discessit, non suis tantum, sed nobis omnibus moerorem et triste desiderium relinquens.

Accedit hoc quoque ad moerorem nostrum, quod te supra tristissima certamina, quae sustines, haud dubie magnum dolorem ex optimae coniugis interitu accepturum non dubitamus. Quare de tua valetudine et salute valde solliciti sumus. Etsi enim sanctissimo verbo divino ita te instructum et confirmatum esse scimus, ut ex illo fonte facile firma et efficacia remedia contra quemvis dolorem petere possis: tamen cum tua φιλοστοργία nobis nota sit, non leviter angimur. Et cum ipsi proprio moerore oppressi ad te consolandum parum idonei simus, precamur aeternum Deum, patrem Emanuelis nostri, ut tibi ipse consolator adsit Spiritu sancto suo, te erigat et confirmet, ut et tristissima onera, quae pro Ecclesia Dei sustines, et hunc quoque dolorem, quem ex domestico luctu capis, facile ferre et superare possis. Id faciat praestetque nobis ac tibi Christus, filius Dei, redemptor noster. Amen.

Deinde Deum per Christum quoque oramus, ut te et caeteros dominos et amicos nostros salvos et incolumes quam primum ad nos reducat. Ac te oramus amanter, ut non deseras nos, atque hanc, si te destituta sit, vere miseram Ecclesiam, et scholam. Miserrime enim nobiscum et cum hac schola et Ecclesia ageretur, si tu abesses. Iam pene tertia pars scholasticorum dilapsa est. Hinc apparet, si diutius abfuturus esses, quae vastitas et solitudo mox sequutura esset. Eluxit autem ex hac Ecclesia et schola prima lux purioris doctrinae de Deo et Christo, quod fateri coguntur etiam novi Antagonistae nostri, etsi invidia rumpuntur. Quare speramus, te non relicturum esse hunc locum; locus enim vastus, et nos destituti plane orphani futuri essemus. Enitemur vicissim eo, quo decet studio, ut omnia observantiae et gratitudinis nostrae officia erga te ac tuos compareant. Christus nostri misereatur, teque salvum et incolumem tueatur et conservet, et quam primum ad nos reducat, Amen. Witebergae d. 13. Octobr. ann. 1557.

*) Funus ei factum est d. 12. Oct., et in edicto Rectoris (Scripta publ. III. p. 118 b.) de ea leguntur haec: „*Catharina*, Rev. praeceptoris nostri, D. Phil. Mel. coniunx, ex huius vitae mortalis miseriis superiori nocte divinitus evocata est. Quae cum salvificam Evangelii de filio Dei doctrinam recte atque exacte teneret, et vera fide, castitate ac vitae sanctimonia eundem filium Dei coleret, — neque quicquam in vita sua magis cupide aut maiore cum voluptate faceret, quam ut multis egentibus, Scholasticis et aliis benefaceret, confecto in hac sanctimonia et innocentia vitae suae curriculo, tandem tranquillum et placidiss. ex hac vita exitum a Deo consecuta est, relinquens in hac Ecclesia et Schola triste sui desiderium. Fuit enim domus eius commune afflictorum et egentium profugium, manus eius inexhaustum pauperum promptuarium. — — Neminem illa egentem indonatum dimittere solebat, nulli adflicto ope sua deesse. Haec illi voluptas unica, haec vita erat. Praedita fuit et aliis nostro seculo raris ac plane heroicis virtutibus, quae hic commemorari non possunt, inter quas dulcissima elucebat Philostorgia, pulcherrimum matronae decus atque ornamentum. Declaravit vero in hoc ultimo actu vitae gravitatem suam animique magnitudinem. Nullum enim impatientiae signum toto morbi tempore adparuit, rari gemitus, vociferatio praeterquam in invocatione filii Dei plane nulla, sermo rarus, voces tamen subinde testes animi obedientis Deo, et certa spe erga filium Dei subnixi. Denique omnia signa indicabant, eam animo ad mortem esse aequissimo et paratissimo. Sic occurrit haec sancta matrona amplexui Christi redemptoris sui vocantis, cupida mori, ut esset cum Christo filio Dei. — — Quia vero hodie [12. Oct.] hora duodecima pia haec et sancta matrona sepelietur" etc.

No. 6379. 17. Oct.

Academia Heidelb. ad Melanth.

† Ex apographo, quod possidet Pl. Rev. *Baehr*, Pastor in Eichstetten, ab ipso mihi descripta. — Responsum vid. d. 20. Oct.

„*Anno* 1557. 17. *die Octobr. iussit Universitas sequentem in modum Dom. Philippo Melanchthoni scribendum esse.*"

Rector et Universitas studii Heidelbergensis.

Posteaquam intelleximus, illustrissimum Principem Electorem per literas a te petiisse, ut ad nos te statim conferres, mirifice non solum eo nuncio recreati, verum etiam Illustriss. Principis erga Academiam nostram voluntate atque animo vehementer gavisi sumus, bona spe freti, futurum tandem, quod iam dudum ardentibus votis exspectavimus. Cum autem honestum inprimis sit et naturae tuae proprium bene mereri de literis, obnixe te rogamus, ut Illustriss. Principi, praesertim et iusta petenti et praeclara cupienti, si quacunque re et commoditate fieri potest, morem geras, et collapsis apud nos literarum studiis feras opem, ut per te hac etiam in parte posteritas adiuvetur [1]). Quod si feceris, Deo primum Opt. Max. ac Ecclesiae gratum acceptumque erit hoc beneficium tuum, fructumque percipies in omni hominum memoria ac praedicatione dulcissimum, et patriae supremum hoc et omnium praeclarissimum pietatis tuae monumentum relinques. Nam neque multi sunt, qui idem, quod tu, facere possunt, et qui possunt, iis fere, cum velint, non conceditur [2]). Deus, aeternus pater Domini nostri Iesu Christi, et animi et corporis vires tibi augeat, et diutissime conservet. Bene vale. Heidelbergae 15. Calend. Novbr. [3]) anno 1557.

---

1) Apogr. *adiuvet*, mendose.

2) Apogr. *concedit.* Quod si vera lectio esset, putandum esset excidisse *Deus*.

3) Apogr. *Octobris*, quod mendum est.

No. 6380. 19. Oct.

Augusto, Duci Sax. Elect.

Schumacher Briefe gelehrter Männer an die Könige von Dänemark. Vol. III. p. 380 sq.

(*Augusto, Duci Electori Saxoniae.*)

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Sohn Jesum Christum, unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer, der ihm gewißlich eine ewige Kirche durchs Evangelium sammelt, zuvor. Durchlauchtigster, hochgeborner Churfürst, gnädigster Herr. Auf Königl. Maj. zu Dennemark und Ew. Churf. Gn. Schrift, thue ich jetzund in Unterthänigkeit diesen kurzen Bericht. Erstlich, von der Bremischen Unruhe habe ich vor sechs Jahren beide Theile oft zum Frieden vermahnt, und ist eine Zeit lang still gewesen, bis Amsterdam und sein Anhang unbedächtige propositiones geprediget und geschrieben haben. Dazu ist Westphalus zu Hamburg auch in diesen Lärmen gekommen, und hat eine große Anzahl subscriptiones drucken lassen, darin viel ungereimter Reden sind. Ueberdieses haben die unruhigen Leute gefährliche Practiken gesucht bei Königl. Maj. zu Dennemark, bei den Herzogen zu Sachsen den Jüngern, bei Mecklenburg, und bei allen Städten. Dieweil sie denn diesen Krieg ohne mich angefangen, und solche Macht an sich haben, muß ichs geschehen lassen. Und damit Ew. Churf. G. merken, wie sorglich ist, Artikel zu stellen, hat sich hier in Wormbs zugetragen, daß wir alle durch die Anspachischen Gesandten angesucht sind, von dieser groben propositio: ob der Leib Christi in Brauch genommen werde? Darauf ich ein klar wahrhaftig wohlgegründt decretum gemacht, das alle andre subscribirt, ohne die Jenischen und ohne Morlin, so sie doch bekannt, daß es recht sey. Ob sie nun aus Furcht oder Ungunst die Subscriptio geweigert, lasse ich in seinem Werth. Es können aber Ew. Chf. Gn. davon abnehmen, daß unruhige Leute mit unserm Decret nicht würden zufrieden seyn. Doch so wir im Colloquio fortschritten, mußten wir dennoch eine gewisse Form fassen wider päpstliche Abgötterei, und wider zwinglischen Irrthum; und so gleich das Colloquium nicht fortgehet, will ich dennoch eine Form fassen, die ich Ew. Ch. Gn. zustellen will, und nicht unter die Leute kommen lassen, bis Ew. Ch. Gn. dieselbige gesehen haben.

Dergleichen will ich auch das Scriptum de necessitate operum ad salutem Ew. Ch. Gn. zuvor zustellen, ehe es in andrer Leute Hände kommt. Allhie ha-

ben die päpstlichen Collocutores gesucht, wir sollten *Illyricum* condemniren von wegen dieser Proposition: bona opera non sunt necessaria ad salutem. Wir haben aber geantwortet, daß wir nicht condemnationes ohne Erklärung machen wollten, sondern wollten uns in jedem Artikel nothdürftiglich erklären. Ich habe mich hie öffentlich vernehmen lassen, daß ich von Ew. Ch. Gn. Befehl habe, von gedachter Proposition eine klare christliche Form zu stellen, und habe mich erboten gegen den Jenischen, ein Artikel mit ihnen zu stellen. Denn man mußte auch Ambsdorfs Proposition verwerfen, der diese Worte geschrieben hat: gute Werke sind nicht allein nicht nöthig zur Seligkeit, sondern mehr schädlich. Aber sie haben allein bloße condemnationes ohne Erklärung übergeben. Kann ich unter uns zu Friede dienen, darum ich Gott bitte, das will ich treulich thun; aber des muthwilligen Gezanks und dieser boshaftigen Sophisterei, die jetzund von vielen Scribenten gebraucht wird, bin ich ganz müde. Es sind aus Frankreich etliche gelehrte Männer allhie gewesen, die angezeigt, daß in diesem September zu Paris 135 Personen in Gefängniß eingezogen von wegen der Religion. Darunter sind viel edler Frauen und Jungfrauen, haben gebeten, ihnen Fürschrift an etliche Chur- und Fürsten zu geben. Diesen haben wir etliche nöthige Anzeigung gethan, haben auch ihrer Lehre confessio gefordert, davon ich Ew. Ch. Gn. zur Gelegenheit weiter berichten will. Der allmächtige Gott wolle E. Ch. Gn. an Seel und Leib stärken. Datum 19. Octobr. Ao. C. 1557.

E. Churf. Gn.
unterthäniger armer Diener
Philippus Melanthon.

No. 6381. 20. Oct.

Academiae Heidelb.

† Ex apographo, quod possidet Pl. R. *Baehr*, Pastor in Eichstaetten. — Est respons. ad ep. d. d. 17. Oct.

Magnifico Domino Rectori inclytae Academiae Heidelbergensis et eius Senatui, viris clarissimis et reverenter colendis,

S. D. Non alia in coelo et in terris ardentior vox ulla unquam audita est quam haec *) filii Dei, in qua in agone suo orat aeternum patrem, ut faciat, ut in ipso unum simus. Idem semper precatur, vultque, nos ad sua vota gemitus nostros adiungere, ac petere, ut Ecclesiae sint coniunctissimae. Vult autem, et in nobis esse studium concordiae. Valde igitur benevolentia erga me vestra laetor, et vicissim ostendere studium meum cupio.

Quod vero in gravissima deliberatione me vobis adiungere studetis, optarim, me tantum consilii et auctoritatis adferre posse, quantum magnitudo rei postulat. Sed quantum vox hominis miseri et exulis valeat, non ignoratis. Revereor autem cogitatione sapientiae et pietatis illustriss. Principis, qui iudicat speculam Ecclesiae necessariam esse academiam, et in literis suis ad me scriptis voluntatem perficiendae instaurationis optimam ostendit. Misit ad me deliberata quaedam, de quibus iam non solum scripsi meam opinionem, sed etiam velut supplex Ecclesiae nostrae peto, ut pietatem et munificentiam suam in aedificanda doctrinae arce declaret. Haec scripta vel brevi mittam, vel ipse adferam; adhuc enim ceu vinctus in latomiis hic retineor. Vobiscum certe vel malim *) esse non solum patriae desiderio moveor, sed longe magis quod vestris sermonibus et frui et erudiri cupio, deinde ut coram ostendam, me et benevolentiam vestram plurimi facere, et libenter vobis gratificari. Opto enim, ut aeterna sit academiarum nostrarum coniunctio, quae profecto, ut scitis, Ecclesiae necessaria est. Bene valete. Die 20. Octobr. 1557. in urbe Vangionum.

Phil. Mel.

(Subscripta leguntur: „Die 22. Octb. advenit Dom. *Phil. Melanchthon* hicce cum *Peucero*, genero suo, *Phil. Camerario*, Camerarii filio, *Iacobo Rombio* (*Rungio*) et aliis quibusdam viris doctis ad vesperum hora 5ta, et divertit apud cervum, qua nocte ab illustr. Principis Consiliariis exceptus ac vino donatus est. 23. die in aula Principis est pransus, et a Rectore et Universitate oratione aliqua, quae per Dom. Doct. *Balduinum* habebatur, est exceptus et ad prandium una cum toto comitatu suo sequentis diei in domum sapientiae vocatus.")

---

*) Apogr. *praec.*, quod mendosum esse videtur.

*) Desideratur hic aliquid. Estne pro *malim* legendum *maxime*?

No. 6382. 20. Oct.

Petrus Martyr ad Melanth.

Edita in libro: Loci communes D. Petri Martyris Vermilii Florentini, sacrarum literarum in Schola Tigurina Professoris (Tiguri 1587. fol.) p. 1120.

Pietate atque doctrina clarissimo viro, dom. Philippo Melancthoni, domino meo colendissimo,

Wormatiae.

Cum te arbitrarer, vir clarissime atque mihi plurimum observande, in isto Wormatiensi conventu plus quam dici aut credi possit, occupatum fore, ut literis meis tibi non obstreperem cavendum censui. At nunc, iis cognitis, quae reverendus noster Dominus *Bullingerus* communicavit, adduci non potui, ut a scribendo mihi temperarem. Video istic accidisse, quod in Synodo Nicaena olim contigit, ubi episcopi qui convenerant, causa prope deserta, quae adversus Arianos agenda erat, accusationibus et libellis mutuo sese proscindebant. Sed inter nostri conventus et eorum Synodi rationem hoc interesse cerno, quod Niceae *Constantinus* Imperator pius praefuit, qui levitatem, ne stultitiam dixerim, imprudentum Episcoporum repressit ac in officio tandem continuit, istic vero non ea piorum principum authoritas fuit, quae a discessu ἀρτολάτρας theologos vel retardare potuerit. Haec ideo commemoravi, ut cum hanc cernamus Ecclesiae Christi sortem esse, ut intus et extra expugnetur, nihil novi nunc accidisse cogitemus: quo genere consolationis, etsi te strenuum bellorum domini αὐτοκράτωρα opus habere non existimo: illud tamen commemoravi, ut hanc longo intervallo repetitam et tantum non perperam hominum quantumvis piorum infirmitatem commiserarer.

Tu quidem ut probi viri et integerrimi defensoris aequitatis officio functus es: ita nostrum omnium animos tibi mirifice devinxisti, qui eos non aequum duxeris proscribi, qui neque male meriti de religione fuerint, neque modo aut citati aut auditi sunt in vestro iudicio. Conscientia quidem nobis magno solatio est, sed nunc eo cumulatius gaudemus, quod per te praecipuum ac benignum patronum Deus providerit, ut ne causa nostra, quam confidimus non esse malam, nova et inaudita iudicii forma damnaretur. Quam ob rem tibi quantas possum gratias ago, et Deum oro, patrem domini nostri Iesu Christi, ut tuis atque collegarum conatibus optatos det successus, quod fore, utut illi discesserint, qui nos proscriptos cupiebant, non despero, quoniam Dei beneficio, quemadmodum Pindarus inquit, πολλαὶ δὲ ὁδοὶ σὺν θεοῖς εὐπραγίας *).

Verum cum tibi hoc tempore longas epistolas legere sciam non vacare, plura non scribam. Generum tuum *Peucerum*, virum pietate atque doctrina clarissimum, nec non *Paulum Heberum*, insigniter pium atque doctum hominem, a me salvere cupio. Tiguri 20. Oct. 1557.

Deus te nobis atque sanctae Christi Ecclesiae quam diutissime incolumem servet. Vale itaque ac me in Christo ama, quia ego in eodem te plurimi facio.

(*Petrus Martyr.*)

No. 6383. 21. Oct.

Hardenbergius ad Melanth.

† Ex autographo Hardenbergii in cod. Goth. 123. in fol. p. 166.

Clarissimo viro Dmno Philippo Melanthoni, Professori in inclyta Academia Wittenbergensi,

Wormatiae.

S. D. Reverende domine. Sum de vestris istic [1]) rebus valde sollicitus, tum quod audiam pondificios istic esse plurimos eosque venenatissimos, tum vero quod non nimium solida fides sit in multis, qui partes vestras iuvare debuerant. Rogo tuam pietatem, uti dignemini aliquid ad me scribere per vos vel *Eberum* nostrum de legatione nostrorum hominum ad conventum vestrum. Certo enim hic affirmatur, eam confessionem vel articulos illos, quos iuvenis ille (qui se secretarium Bremensem affirmavit) non esse eosdem, quos ad vos Wittenbergam praeterito Ianuario miserant [2]), in quibus affirmabatur, panem coenae esse corpus Christi essentiale (das wesentliche

---

*) Pind. Olymp. 8, 17. Vulgo εὐπραξίας, sed Boeckbius restituit εὐπραγίας.

1) Cypr. *istis.*

2) Cypr. *miserunt.*

Leib)[3]), et in omnibus locis. Spero, vos illam confessiunculam ibi habere. Mea est ad verbum desumpta ex commentariis *Musculi* in Matthaeum, quibus ego ne verbum quidem addidi vel detraxi. Postea tamen non acceptarunt illud scriptum. Dedi aliud brevius in hanc sententiam: panis et vinum verbo domini comprehensa et sanctificata sunt in vero coenae usu corpus et sanguis Christi in abdito et mystico sacramento, ubi nobis hoc ipsum cum omnibus gratiis ac meritis donatur testamenti vice; veluti ea est communis omnium sacramentorum ratio, ut per visibilia signa invisibilia Dei dona distribuantur per ministrum ministerialiter, per ipsum Dominum praecipue, quod ita testatur Paulus, ubi fractionem Panis communionem corporis, calicem vero communionem sanguinis 1 Cor. 10. atque ita applicat pronomen [*hoc*] in verbis domini: *hoc est corpus meum*, ad duo oculis et sensibus ad panem, fide vero ad ipsum corpus domini. Fides enim in verbum intendit. etc.

Haec dedi germanice, neque alia fuit doctrina mea, licet horrenda de me mentiantur multis. Rogo te per Christum, ne vel formidine vel amore quorundam hominum sinas te quoquo modo abducere a sententia tua[4]), quam tibi non difficile erit defendere per Dei gratiam. *Sturmius* noster misit nuper Argentina ad me eruditum librum de coena domini, qui *dialecticon* inscribitur. Additus est liber *Bertrami* presbyteri de eadem re. Si istic habetis exemplum, rogo uti iudicium vestrum mihi de illo dignemini adscribere. Mihi videretur non malus esse modus ad resarciendam concordiam. Sed illi homines non admittent[5]) quamcunque moderationem. Non scio, an *Eberus* noster istic sit. Nam *Slongravius*[6]) mihi dixit, illum Wormatiae tunc non fuisse. Si istic est, rogo salutate illum, et agite[7]) confidenter in domino, et curate, ne ab illis damnemur[8]) non auditi. Deus vos gubernet et dirigat omnia consilia et opera vestra. Hic iam omnia silent, sed tamen omnia plena molitionibus et minis. In Lubecensi conventu nihil huius actum, quod sciam. Hoc solum inde habemus, quod foedus[9]) mercatorium cum accolis[10]) resciderunt. Da operam, Domine, ut *Brentium* nobis coniungas; nam in eo aliquid situm est, tamen non optime hic nunc audit. Valete in Domino et rescribite. 21. Octb.[11]).

Albertus Hardenbergus.

3) (das wesentliche Leib)] Margini haec verba adscripsit Hardenbergius. Cyprianus ea praetermisit.

4) *tua*] praetermisit Cypr.

5) Cypr. *admittant.*

6) Ioh. Schlunckgraf mittebatur a Bremensibus Wormatiam ad Melanthonem, ut ex eo quaereret, an verum sit, quod quidam Bremae clamitabant, Melanthonem formulam concordiae inter Lutherum et Theologos Superioris Saxon. de coena sacra, non conscripsisse. Vid. Salig. l. l. Vol. III. p. 733. Cyprianus nomen legere non potuit et pro eo posuit — —.

7) *agite*] legit Cypr. — Scriptum vero videtur *agitet* vel *agiter.*

8) Cypr. legit: *damnemini.* Ultimae literae vix legi possunt.

9) *foedus*] Cypr. *forum.*

10) *accolis*] Cypr. *molis.*

11) Cypr. 25. *Oct.* — Signum 1. in numero 21. ita scriptum est, ut facile esse etiam possit 25.

No. 6384. 21. Oct.

Protestatio.

Editum a Strobelio in Camerarii Vita Melanth. p. 470. ex manuscripto, nescio quo. — Contulimus apographon in cod. Goth. 19. p. 198 b. et in cod. Guelph. 7. 9. p. 368. (ubi non est autographon Melanthonis, ut *Saligius* in Hist. Aug. Conf. P. III. p. 326. putavit, sed tantum apographon). — Aliud denique apographon in multis a prioribus diversum habetur in cod. Galli 1. p. 157., ubi sine nova inscriptione iuncta est haec protestatio scripto quod supra (d. 11. Septb.) ex eodem cod. dedimus.

Protestatio Phil. Mel. Wormatiae d. 21. Octb. 57.

Reverendissime domine Praesidens[1]). Ut dulcissimum nobis esset colloquium, in quo cum eruditis, ipis et amantibus veritatem de universae doctrinae fontibus placida et candida collatio fieret, sicut et deberet fieri, et nos facturos esse iuravimus: ita dolemus, nobis oppositos esse[2]) doctos quidem viros,

1) Haec verba non habet cod. Mon.

2) Cod. Guelph. *oppositos esse nobis.*

sed qui lucem veritatis scientes fugiunt [3]), et nobis variis modis insidias struxerunt [4]). Statim initio proposita est norma iudicii, quam ipsi sciunt [5]) sui dissimilem [6]) esse. Nam veterum sententiae saepe cum recentibus opinionibus pugnant. Deinde et condemnationes initio [7]) flagitatae sunt. Saepe respondimus, et [8]) nos missos esse ex Ecclesiis, quae confessionem Augustae exhibitam [9]) et non aliud doctrinae genus amplectuntur, et nos ipsos eam confessionem, et non aliud genus doctrinae amplecti [10]). Addidimus etiam, reiicere nos opiniones cum confessione nostra pugnantes, extare etiam refutationes a nobis editas contra plurimos errores.

(*Cod. Monac.*) [11]).

Hac honesta responsione non contenti flagitarunt alias particulares condemnationes, in quibus adhiberi declarationem necesse erat. Respondimus, de illis particularibus explicate dicendum esse suo ordine in articulis. Simul enim et asseverationes veras exprimendas esse et falsa improbanda et causas ostendendas esse. Haec *πάρεργα* astute sic instituta sunt, ne perveniretur ad doctrinae collationem, et ut inter nos dissidia sererentur. Postquam igitur aliqui ex nostris discesserunt, nunc nacti occasionem abrumpunt colloquium, et fingunt praetextus, qui sunt *σκιογραφίαι* iuris: cum illi nominatim delecti fuerint, alios non surrogandos esse, et improbaturos eorum dominos, si quid, hinc ipsis absentibus, inter caeteros convenerit. Propter has causas si abrumpunt colloquium nos testamur, nobis non defuisse voluntatem procedendi ad doctrinae collationem, etsi liberari nos non moleste ferimus, cum tam varie insidias nobis strui videamus, et oppositi collocutores scientes veritatem occultent, et arte errores confirment, et idola stabiliant. Quae potest esse utilis collatio, si absint amor veritatis et animorum candor? Extant scripta nostra multa, ex quibus controversiae nostrae cognosci possunt. Nec verae Ecclesiae iudicium unquam defugimus, et ad id nunc quoque provocamus. Cumque sciat Deus, qui est *καρδιογνώστης*, nos nulla iniusta cupiditate dissentire ab adversariis, sed propter mandatum Dei quaerere veritatem, non dubitamus, nostros coetus esse Ecclesiam Dei, et Deum oramus, ut nos gubernet et protegat; sicut scriptum est: *quod est ex Deo non dissolvetur.*

Quod vero attinet ad condemnationes, quas flagitarunt, iterum respondemus, quod toties diximus, nos non aliud doctrinae genus praeter confessionem Augu-

(*Reliqui.*)

Respondimus etiam, nos in singulis articulis suo loco posita explicatione et vera asseveratione addituros esse condemnationem contrariorum errorum, quia saepe in una materia et pontificii errores et alii sunt recitandi, et veritas contra utrosque perspicue exponenda. Denique si quid suspicionis haberent, diximus, nos libenter initium collationis [12]) facturos esse a quocunque articulo ipsi vellent.

Haec nostra responsio non fuit defugientium collationem, quam ne nunc quidem defugimus. Sed postquam aliqui ex nostris collegis discesserunt, et videtur [13]) occasio abrumpendi colloquii oblata, iam quaeruntur praetextus et *σκιογραφίαι*, ut nos defuisse officio nostro videamur, et crimina nobis affinguntur [14]). Ideo necesse est, et purgationem et protestationem opponere. Nec Ecclesiae nostrae nec nos *Zwinglii* dogma, aut ullas opiniones pugnantes cum nostra confessione probamus aut amplectimur, et natum est, extare refutationes nostras [15]). Sed nec profanationes sacramenti in Missa, et idola decretis pontificiis stabilita in circumgestatione probamus; de quibus necesse erat copiosius dicere in explicatione articulorum, quam ideo vitari intelligimus, ne haec vulnera attingantur, de quibus necesse est Ecclesias commonefieri, ut falsae adorationes tollantur.

Hanc nostram aequissimam responsionem satisfacturam fuisse collocutoribus alte-

---

3) Cod. Guelph. *fugiunt scientes.*
4) Cod. Mon. *struunt.*
5) *sciunt*] abest a Strob. textu.
6) Cod. Goth. *similem.*
7) *initio*] non habet Strob.
8) *et*] abest a cod. Guelph. et cod. Goth.
9) Cod. Guelph. *confessionem Augustanam.*
10) Verba: *et nos ipsos* etc., praetermissa sunt in cod. Goth. et Guelph.
11) Iam cod. Monac. ita discedit a reliquis, ut utrumque textum coniungere consultum visum sit.
12) *collationis*] abest a cod. Goth. et Guelph.
13) Cod. Guelph. *videretur.*
14) Cod. Goth. *affingantur.*
15) *et notum* etc.] non habent cod. Goth. et cod. Guelph.

(*Cod. Monac.*)

stae exhibitam profiteri, et omnia dogmata pugnantia cum ea confessione reiicere.

Quod autem et aliae condemnationes flagitantur, de iis semper obtulimus nos in singulis articulis explicate dicturos esse, quia in illis materiis declaratione opus est. Non enim tantum *Cinglii* dogma improbandum est, sed simul horribilia idola pontificia damnanda sunt, quae sciunt ipsi adversarii nullo modo excusari posse et ignota fuisse sincerae antiquitati. Quomodo ad rationem sacramenti congruit avulsio unius panis, ut in circumgestatione adoretur, cum extra institutum nihil habeat rationem Sacramenti? Deinde quanta prophanatio est in Missis plurimorum, qui prorsus nesciunt, quid agant? Haec tristia mala non libenter commemoravimus, sed ingenti moerore deploramus. Attingi tamen in colloquio sincero haec vulnera necesse esset, et veram doctrinam adversus multos errores illustrari. Ideo, ut in caeteris articulis multis differre commemorationes errorum maluimus, donec ad integram explicationem pervenissemus, et cum toties petiverimus et adhuc petamus, ut procedat doctrinae collatio, intelliget Imperii Senatus, nos non defuisse nostro officio. Miramur autem, si qui sapientes delectantur hoc triumpho, quod novas discordias accenderint.

(*Reliqui.*)

rius partis speravimus, quam quidem iis satisfacturam esse [16]) speramus, qui voluissent tantae rei explicationem ex fundamentis exstrui. Nec est nobis ignota antiquitas, et monstrosas opiniones Monachorum [17]) cum antiquitate pugnare scimus, quas quidem non possumus recitare sine dolore. Ideo in suum locum differre malueramus; sed tamen collationem non defugimus.

Quod vero et [18]) aliae causae praetexuntur abrumpendi colloquii, videlicet nobis non licere surrogare alios, et dominos eorum, qui discesserunt acta esse improbaturos: propter has causas accusari nos iniustum est. Nam de surrogatione notum est ex decreto Senatus Imperii quid iustum sit. Et quod ad nos attinet, sententias bona fide et initio diximus et postea dicturi sumus [19]). Quare testamur, nos nec praebuisse nec praebere causam abrumpendi colloquii, et nos semper fuisse et adhuc esse paratos ad obtemperandum Imperii decreto. Sed quaesita est aliorum consiliis distractio, quam si adversarii sibi prodesse putant, non sapienter iudicant. Eo plus periculi est omnibus, ut in incendio, quo plura dissidia oriuntur.

Profecto in hac ultima [20]) et delira senecta mundi, in qua praedictum est voce divina, plures distractiones futuras esse, quam fuerunt antea, viri sapientes pia moderatione cavere novarum dilacerationum occasiones [21]) debebant. Oramus [22]) autem filium Dei, dominum nostrum Iesum Christum, ut nos gubernet et protegat [23]).

Philippus Melanthon.
Iohannes Brentius.
Iohannes Marbachius D.
Iohannes Pistorius.
Georgius Cargus.
Iacobus Rungius.
Michael Dillerus [24]).

16) *speravimus quam quidem — esse*] non habent cod. Guelph. et Strob.

17) *Monachorum*] abest a cod. Guelph.

18) *et*] abest a cod. Guelph.

19) Strob. *eramus.*

20) Cod. Mon. *tristi.*

21) Cod. Guelph. *confusiones.*

22) Cod. Guelph. *oremus.*

23) Cod. Goth. *ac protegat. Amen.*

24) Nomina subscripta dedit Strobel.

No. 6385. 25. Oct.

Ge. Kargio.

Epist. lib. VI. p. 512.

Ad Georgium Kargium, ut Sponsi loco in templo Evangelium: Nemo potest duobus Dominis etc. *explicet.*

S. D. Reverende vir et carissime frater; Oro, ut cras in templo enarres, eaque in re non solum sponsum labore leves, sed etiam Ecclesiae urbis gratificeris. Ostendas etiam nos non esse fractos animis propter Papistarum ἐπιχαιρεκακίαν, aut propter nostrorum διχοστασίας. Non omittamus doctrinae et ministerii officia, quanticunque fluctus cymbam Christi concutiant. Id et lectio Evangelii docet, quae cras proponitur: *Iacta curam tuam in Deum, et ipse te sustentabit.* Bene vale. 25. Octobris 1557.

No. 6386. 27. Oct.

Cracovius ad Bugenhag.

† Ex apographo in cod. Guelph. in fol. No. 7. 9. p. 435.

Reverendissimo viro D. Iohanni Bugenhagio Pomerano, Doctori et Pastori Vitebergensi, patri suo carissimo

S. D. Reverende pater, epistola vestra dulcissima mihi aegrotanti fuit, in qua scribitis, quod *Maria* mea vos amare coeperit. Utinam liceat tibi et mihi cum dulcissimis liberis nostris annos aliquot ludere. Ego periculose aliquoties e stomachi splenis cruciatibus decubui. Nunc morbus remissior est, et bene me consolantur medici. Deus qui est vita et longitudo dierum nostrorum poterit pristinas mihi vires restituere. Idque ut spero propter tuas etiam et filiae tuae preces; cuius me calamitas praecipue perturbatum facit. Consolatus sum eam, idemque ut tu facias oro; meliore enim loco est valetudo.

Auxerunt morbum ingentes occupationes et contentiones cum hominibus perversis et rabiosis. Vinarienses omne nunc virus suum medio et pectore effuderunt. Turpiter hinc discesserunt et a nobis desciverunt, quod, etsi primo nos perturbavit, tamen nunc ideo minus curamus, quia nihilominus in colloquio processum est, et iam dudum omnibus notum est, quo erga scholam nostram hactenus fuerint animo. Si quid istuc spargitur sinistri huic fidem ne habeas; omnia enim a Dom. *Philippo* pie, constanter, et summa fide gesta sunt. Nobis etiam si quid falsi adscribitur, excusato.

De colloquii statu paucis accipe. Exhibita sunt contraria scripta ab utraque parte, cumque post discessum Vinariensium ad colloquium rursus a praeside admissi essemus, ac graviorem responsionem exhibuissemus, poenituit papistas, quod rursus colloqui coeperunt, et postea causas recusandi colloquii praetexere voluerunt. Iis refutatis contendimus nos, ut colloquium continuaretur, quod cum facere nollent, praeses ad cognitionem Regis rem retulit, cuius resolutionem quotidie expectamus. Optaremus nos quoque finem colloquiorum propter privatam utilitatem. Sed reipublicae causa speramus, regem pronunciaturum, quod continuari debeat. Causae enim ipsorum nullae sunt, et interest Regis, aequos habere Germaniae principes. Metuo igitur, ne hic hyemare cogamur. D. *Morlinus* fax praecipua fuit dissidiorum. Sed cesso, vosque deo commendo. Saluta matrem cum filia et *Saram* filiam tibi commendatam habeto cum liberis. D. *Philippum* consolati sumus, qui quidem tranquillo est animo. De *Staphylo* nihil libet scribere, cuius os maledictione plenum est et amaritudine et dolo, sub lingua eius labor et dolor. Psal. Datae Wormaciae 27. Octob. anno 57.

T. filius *Georgius Cracovius.*

No. 6387. 29. Oct.

Sigism. Melanthoni.

† Ex apographo in cod. 54., qui est in bibliotheca S. Genovevae, Lutetiis Paris. Descripta nobis a Clariss. *Beckio.*

Eruditione et virtute praestanti Sigismundo Melanthoni), filio suo carissimo*

S. D. Carissime fili. Heidelbergae die 27. Octobris, quo die ante annos 49 avus tuus, meus pater, mortuus est, literas vestras de morte coniugis meae accepi. Itaque cum mihi magnum dolorem afferrent cogitatio orbitatis mearum filiarum **)

---

*) Is tum commorabatur Witebergae.

**) Intelligit non solum suam filiam, Peuceri coniugem, sed etiam filias Annae et Sabini.

et aliae multae causae, praecipue vero στοργαὶ erga ipsam coniugem, lenire mihi moestitiam gravissimis sermonibus tuus pater, qui aderat, et *Camerarius*, et alii viri sapientia et virtute praestantes, studebant. Etsi autem illi nonnihil proficiebant, tamen haeret dolor infixus pectori. Sed oro filium Dei, ut me et familiam meam servet et gubernet. Te vero oro, ut filium *Casparum* fraterna pietate custodias, et sis nobis absentibus matrifamilias auxilio. Spero autem, nos brevi domum redituros esse, Deo iuvante. Plura nunc scribere non potui, cum tam multis ad vos literae dandae essent. Sed fidei tuae familiam, filium *Casparum*, matrem et omnes tuas sorores commendo. Bene vale. die 29. Octobris. Heidelbergae. Philippus.

No. 6388. 31. Oct. (Heidelbergae.)

Academiae Witeberg.

Epist. lib. II. p. 470. (ed. Lond. lib. II. ep. 498.). — Etiam in Scriptis publ. Acad. Witeb. T. III. p. 123 b.

Rectori et Senatui Academiae Witebergensis etc.

S. D. Magnifice D. Rector, Reverendi et clarissimi D. Doctores et collegae charissimi; Multa, ut fit in dolore, de morte uxoris meae aerumnosae mulieris in utramque partem cogito. Et quanquam multas humanas causas colligo, quae lenire dolorem debent, videlicet quod senectus non multos annos ei additura erat, quod paulatim saevitia morborum, quibus obnoxia fuit, maior futura erat, quod me praerepto in maioribus miseriis vixisset, fortassis et novorum exiliorum comes fuisset: Tamen semper στοργαὶ erga ipsam et erga filias tanta vi subinde erumpunt, ut pene opprimar dolore. Nam et ipsi semper optavi, ut diutius dulcissima filiarum consuetudine frueretur, et filias habere matrem rectricem multum referebat. Sed refero me ad considerationem sententiae divinitus traditae: *Subditus esto Deo et ora eum*, quem quidem toto pectore precor, ut et Ecclesiam servet et gubernet, et nostras familias in ea gestet, ut pastor teneros agnos in gremio gerit. Quod autem et ante mortem uxori meae in consolatione et medicatione assiduitatem praestitistis, et postea nuncium ad me misistis, agnosco erga me benevolentiam vestram, et gratiam vobis habeo. Nec alibi malim vivere si longior mihi vita conceditur, quam vobiscum, quorum virtutem, candorem et fidem facio plurimi. Et Academiam bene meritam diligo, quam Deus hactenus adversus impia arma, et adversus rabiem Sycophantarum clementer texit, quem quidem oro ut semper eam et gubernet et protegat. Bene ac feliciter valete. Pridie Calend. Novemb. Heidelbergae, anno 1557.

No. 6389. 31. Oct.

Iac. Milichio.

Epist. lib. II. p. 463. (ed. Lond. lib. II. ep. 491.).

D. Iacobo Milichio

S. D. Clarissime vir et charissime frater, Non solum dolore impedior, quo minus tam multa scribam quam res poscebat: sed etiam tempus deerat. Hodie enim rursus *Heidelberga* discedimus, quo ad deliberationem de Academia vocatus eram. Ibi et de multis negotiis aliis respondi. Nunc igitur his literis tantum ostendo significationem grati animi, et tibi gratias ago, quod et in medicatione opitulari vitae meorum filii et uxoris studuisti, et postea lenire meum dolorem conatus es. *Casparum* volo mox redire ad vos *), etiamsi nos diutius in urbe *Vangionum* commorari oporteret, quod tamen non existimo. Interea tibi meam familiam commendo. Bene et feliciter vale. Prid. Calend. Novemb. Heidelbergae.

No. 6390. 31. Oct.

P. Vincentio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Petro Vincentio (in Acad. Witebergensi).

Clariss. vir et cariss. frater. Quaero equidem remedia doloris, quo propter coniugis mortem afficior, sed subinde ita irrumpunt στοργαὶ, pene ut opprimar. Optavi eam diutius frui consuetudine filiarum, et filias habere matrem rectricem. Sed Deo optemperandum est. In tantis [1]) publi-

---

*) Peuc. *nos*, ex mendo.

1) Apogr. *tantum*.

cis miseriis cogitemus nos quoque ferre debere [2]) τὸ ἐπιβάλλον μέρος. Lutetiae iam duo viri et una matrona nobilis cremati sunt, et publice confirmata est crudelitas hac voce praeconis: tales etiam a Lutheranis adfici suppliciis. O rem miseram! confirmari talibus iudiciis iniustam saevitiam. Precemur filium Dei, ut opem ferat Ecclesiae. Salutem opto *Esromo*, cui dicas *Ioachimum* nobiscum fuisse Heidelbergae, ubi omnes viri docti conspectu et sermonibus eius delectati sunt. Bene vale. Heidelbergae, prid. Cal. Novemb.

Philippus.

No. 6391. 1. Nov.

S. Castalioni.

Epist. lib. VI. p. 512 sqq. — Vid. Seb. Castellionis Dialogi IV, edit. Goud. an. 1613. 8. — De hac Mel. epistola Franciscus *Hotomannus*, Argentoratensis, haecce scripsit ad Io. Calvinum: „Habes inclusam in his literis Philippi Mel. ad Castalionem epistolam, eius benevolentiae testem, quam inter eos *Hubertus* quidam Burgundus, D. Bezae non ignotus, (Hub. *Languetus*) superioribus mensibus conciliavit. Cum haec video frangor animo, longe prospiciens non minus funestiorem de praedestinatione disputationem, quam illam, quae triginta hisce annis Ecclesias de re sacramentaria laceravit." Epistolam Hotomanni habes in cod. Goth. No. 405. p. 124.

Sebastiano Castalioni.

S. D. Hactenus ad te nihil scripsi. Nam in hac et varietate et barbarie negotiorum parum mihi superest temporis ad illud genus literarum dulcius, quo magis delector. Saepe etiam languefacit me intuentem horribiles confusiones inter eos, qui sapientiae et virtutis studiosi videri volunt, ingens maestitia: tamen conspecta forma orationis tuae, semper te magnifeci. Est enim ut scis, ingenii, prudentiae, iudicii, et verae etiam virtutis index recta et diligens oratio. Scis autem illud Musarum canticum ὅττι καλὸν, φίλον ἐστι. Quare cum illa tua ornamenta considerarem, ne fieri quidem potuit, quin te diligerem, etiamsi familiaritas nulla fuit. Suntque mihi testes multi, et in his *Hubertus* tui amans, meorum sermonum quos de te honorificos saepe inter amicos habeo. Delectatus sum etiam versibus *Hieronymi Lycii*. Gratum igitur mihi fuit abs te ad scribendum invitari, ac vicissim hanc meam Epistolam volo apud te et iudicii mei testem, et sincerae erga te benevolentiae pignus esse, et aeternam inter nos amicitiam esse opto. Querela tua non dico de dissensionibus, sed de crudelissimis odiis, quibus ardent quidam adversus eos, qui et veritatem et doctrinarum fontes amant, meum dolorem, quem circumfero assiduum, etiam auxit. Ut in fabulis dicitur ex Titanum sanguine postea Gigantes natos esse, ita ex Monachorum semine novi Sophistae orti sunt, qui in aulis, in Gynecaeis, in vulgo regna quaerunt, et se impediri literarum luce existimant. Sed servabit Deus aliquas sui caetus reliquias. Nos interea quae mutare non possumus, sapienter feramus. Mihi senectus etiam dolorem lenit. Spero enim me brevi in Ecclesiam caelestem migraturum esse procul remotam ab illis furiis, quae nunc Ecclesiam horribiliter turbant. Sed desino impleta iam charta, praesertim cum de multis rebus, si vivam, aliquando post tecum coram loquar. Nam Balthici fremitus nova mihi exilia minitantur. Bene vale. Cal. Novembr. 1557.

2) Apogr. *delere*.

No. 6392. 2. Nov.

Casp. Eisingero.

Epist. lib. VI. p. 257 sq.

Ad D. Casparum Eisingerum I. C. et consiliarium Ducis Wirtenb.

Clarissime vir et amice colende: Cum et initia huius conventus turbulenta, et aliquot tristes Legatorum casus intueor, cohorresco, velut omina seu praesagia venturarum calamitatum cernens. Meministi altercationes cum peteretur condemnatio multarum Ecclesiarum, quibus parcendum erat. Deinde mors secuta est duorum honestorum virorum, quos Palatinus miserat, *Henrici* et *Casparis* Iurisconsulti. Ego etiam amissa coniuge dimidium amisi mei. Vobis humerus fractus est. Haec velut signa praecesserunt has contentiones, quae nunc inter Principes accensae sunt, quae ut metuo crescent, etsi ego quidem et Heidelbergae et hic hortator fui ne Saxonicis responderent Palatinus et Dux Wirtenbergensis. Doleo igitur et Reipubl. causa et propter vos, quos gravis casus in labore suscepto pacis causa afflixit. Precor autem Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Chri-

stum, custodem Ecclesiae suae, ut et publicas et privatas calamitates leniat, et in hac Germaniae ora servet Ecclesiae reliquias, et non sinat extingui veram invocationem, gubernet etiam et protegat honestas politias. Haec eo ardentioribus votis petenda sunt, quia in aliis Europae gentibus exercetur saevitia in pios, et stabiliuntur idola, et fiunt barbaricae vastationes, quas Deus a nostra patria avertat. Bene vale, postridie Cal. Novembris. 1557.

No. 6393. 4. Nov.

P. Vincentio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54 [3].

Petro Vincentio

S. D. Carissime frater. In urbe Heidelberga brevem ad te epistolam scripsi, quia subito non tantum literae, quas nuncio vestro daturus eram, sed etiam aliae deliberationes de molestissimis negotiis scribendae erant. Vagatur *ἄτη* per aulas, instructa satellitibus, qui non sunt *κωφὰ πρόσωπα,* ut *δορυφόρημα κωμικὸν,* sed addunt clamores sophisticos, quibus arte incitantur Principum animi. O rem miseram et omnium piorum lacrymis deplorandam. Oro autem filium Dei, ut nos gubernet, et servet Ecclesiae reliquias et nos inter eas. Mitto tibi epistolam Rectoris Heidelbergensis, quam et *Esromo* ostendes, placituram spero non solum propter elegantiam sed etiam ut videas, adhuc aliquam esse inter eruditos et modestos mutuam benevolentiam. *Iacobus Rungius* Heidelbergae concionatus est *), fuitque oratio plena eruditionis et omnibus prudentibus et eruditis probata. Bene vale. Salutem omnibus vobis opto, *Esromo*, Magistro *Froschelio*, *Sturioni*, et *Henrico Mollero.* 4. Novemb.

No. 6394. 6. Nov.

Georgio Comiti ab Erbach.

Epist. lib. VI. p. 10 sq.

*) d. 31. Oct.

Ad Comitem Georgium ab Erbach.

S. D. Illustris Domine. Quae potest humana consolatio alia esse bonis viris in his Imperiorum confusionibus et docentium tyrannide, nisi mutui sermones recte sentientium, sicut credibile est crebros piorum congressus fuisse, Zachariae, Simeonis et similium. Quare libenter ad vos et ad Illustres fratres vestros excellentes sapientia et virtute expatiatus essem, et iam equi conducti erant, sed hac nocte calculus tam atrociter me excruciat, ut iter ingredi non ausim. Haeret enim cruciatus, quia tarde procedit calculus propter magnitudinem. Et quae potest esse sermonum hilaritas in tantis cruciatibus?

Heri huc venit Tridentinus Cardinalis iturus in Belgicum. Ex eius comitatu duo ad me Itali accesserunt; quorum alter mihi librum exhibuit a se scriptum, in quo false et insulse contendit Philosophiam totam, Physicam et Ethicam, incertam esse. Talis est vanitas huius temporis damnare artes, quae sunt dona Dei, et testimonia de Deo. Scripserat Cornelius Agrippa magus similes artium vituperationes, et in multis Germaniae locis indocti similibus clamoribus abducunt iuventutem a studiis, ut confirment idola. Precemur autem filium Dei, ut suam doctrinam tueatur, ac regat et servet Ecclesiae reliquias, quem etiam oro, ut vos Illustres fratres servet incolumes, et gubernet vos, ut administratio vobis et Ecclesiae salutaris sit. Bene et feliciter valete. die VI. Novembris MDLVII.

No. 6395. 8. Nov.

Io. Marbachio.

Ex *Io. Fechtii* hist. eccles. sec. 16. Supplem. p. 73.

Iohanni Marbachio
S. D.

Reverende vir et carissime frater. Post iter tuum prorsus nihil egerunt nobiscum *οὔτε ὁ βραβευτὴς, οὔτε οἱ ἀνταγωνισταὶ.* Nostri Collegae etiam non saepe convenerunt, et quia me calculus excruciat, et quia *Brentius* exspatiatus fuit Moguntiam. Ante biduum hac iter fecit, proficiscens in Belgicum, *Tridentinus*, in cuius comitatu fuerunt et *Itali*, qui me adlocuti sunt: inter quos *Genuen-*

sis quidam mihi librum exhibuit, scriptum contra Philosophiam. Cum hoc rixatus sum: abiicit enim universam, et contendit, ut *Arcesilas*, nihil esse certi in Physicis et Ethicis. Talis est, proh dolor! huius aetatis petulantia et impudentia, ut non solum Ecclesiae doctrinam, sed etiam artium demonstrationes multi furenter lacerent, quae sunt et dona Dei, et testimonia de Dei praesentia in nobis. Quare nos iuventutem maiore cura ad rectas sententias adsuefaciamus. Bene vale. Die 8. Novembris, 1557.

Salutem Domino *Sturmio* et vobis omnibus opto.

Philippus.

No. 6396. 10. Nov.

Philippo Com. Hanav.

† Ex apographo sec. 16. facto, quod est in Actis emendat. sacror. Senatus Constantiensis, mihi missa a Clar. *Vierordt*, Profess. Lycei urbis Carlsruhe. — Scripta est ad Philippum IV., Comitem Hanaviensem et Lichtenbergensem, qui in terris suis in utraque ripa Rheni, prope Argentoratum, sacra iam anno 1545. emendaverat.

Dem Wolgebornen Graven und Herrn, Herrn Philips Graven zu Hanaw und Herrn zu Lichtenberg etc. meinem gnädigen Herrn.

Gottes Gnad durch seinen Eingebornen Son Jhesum Christum unsern Heiland und wahrhaftigen Helffer zuvor, Wolgeborner gnädiger Grave und Herr, Ewr Gnaden wissen aus hohem christlichen Verstand, obwol in dieser Welt leider grausame Unordnung, Blindheit, Zerrüttung und Wüten ist wider Gott, so will Gott dennoch aus großer Barmherzigkeit durch seinen Son Jhesum Christum im menschlichen Geschlecht gewißlich ein ewige Kirchen samlen, die ihn ernach in ewiger Weisheit und Freud anschaue, und samlet sie gewißlich also, und nicht anders, nämlich durch Erkantnuß des Evangelii, dazu gibet er gnädiglich etliche christliche Regiment, daß seine Kirch möge Hirten haben und die Lehr gepflanzt werden. Solche Regenten sind gewißlich Gottes Diener und in Gottes Schutz.

Daß nun Ewr Gnaden derselbigen christlichen Regenten Einer sind, dafür sollen wir Gott danken, und bitten, daß er E. G. gnädiglich an Seel und Leib stärken wolle, und soll E. G. selb Trost haben an den gnädigen Verheisungen, wie geschrieben ist Esaiä im ein und fünfzigsten Capitel: Ich habe meine Wort in deinen Mund gelegt, und mit dem Schatten meiner Hand will ich dich bewaren, daß du mir den Himmel pflanzen sollt. Und nachdem E. G. ihr gnädig Gemüth gegen mir, als einem armen Schüler *) mit Sendung des Weins gnädiglich erzeigt haben, dank ich E. G. in Unterthänikeit, und will mich und der armen Jugend Studia E. G. in Unterthänikeit befohlen haben. Der allmächtige Son Gottes Jhesus Christus wolle gnädiglich E. G. und die ganze Herrschaft Hanaw bewaren und erhalten zu vieler Menschen Selikeit. Datum zu Worms uff den zehenden Tag Novembris, uff welchen Tag anno 1483. der ehrwürdig Martinus Lutherus geboren ist.

E. G.

unterthäniger Diener
Philippus Melanthon.

*) Puto scriptum fuisse Schulmeister.

No. 6397. 10. Nov.

Io. Brentio.

(Ex Consiliis Ph. Mel. ed. Pezel. Pt. II. p. 312.).

Die natali Lutheri carmen scriptum anno 1557. *in conventu Wormaciensi ad Ioh. Brentium.*

Natalis redit annuus Lutheri,
Hoc in mense, vetus tenente nomen
Orionis, eo quod hic in undas
Nunc mane insilit, hostis ut venena
Scorpii fugiat diem trahentis
Adversa regione coeli in ortu
Et nimbos ciet, horridosque ventos.

Ut vero senior docens Orion
De stellis populos simul monebat,
Quisnam sidera fecerit, viasque
Et motus regat arte sempiterna,
Saepe addens: Deus ille fecit idem
Humanum genus, e suaque luce
Infudit radios, suasque leges,
Quas servare iubet colique semper
Poenisque opprimit impios furores.

Sic et de sapiente conditore
De Christoque λόγῳ Dei parentis
Monstraret meliora cum Lutherus,
Hostes huic quoque Scorpii fuerunt.
Sed texit Deus utilem ministrum.

Idem nos faciat Deus ministros
Gratos, et simul ut tegat precemur,
Natali celeberentur ista luce
Dona ingentia, gratiaeque agantur
Aeternoque patri, patrisque gnato,
Et nobis eadem dari petamus.
Ergo ad nos venias facete *Brenti.*

No. 6398. 14. Nov.

A. Hardenbergio.

Epp. ad Hardenberg. ep. 9.

D. Alberto Hardebergio.

S. D. Reverende vir, et carissime frater. Nuncius properabat, ideo scribo brevius. Nec tamen habebam prolixum argumentum, quia postquam hinc discesserunt nostri collegae, editis condemnationibus, antagonistae nostri oblatam occasionem abrumpendi colloquii amplectendam sibi esse existimarunt. Ideo nunc nulli congressus fiunt. Audis haud dubie isthic in tota Saxonia triumphos agi de illis bellissimis condemnationibus in Areopago *Amsdorffii* natis. Oro Deum, ut me ab istis Sophistis liberet. Bene vale, carissime frater. Die 14. Novemb. In urbe Vangionum 1557.

Philippus Melanthon.

Saluto te reverenter, iam prohibitus rescribere propter inopinatam tabellarii festinationem. Salutat te etiam M. *Caspar Peucerus.*

Paulus Eberus.

No. 5399. (his fere dieb.)

Scriptum.

Melanth. Consil. lat. P. II. p. 302. Apographon in cod. Galli I. p. 172 b., cum Pezelii verbis conveniens. — Hoc scriptum publice traditum non videtur. Vid. ep. d. 15. Nov. ad Camerarium. De occasione scripti vid. ep. ad Hardenb. d. 26. Decbr. 1557. et d. 25. Ian. 1558.

Formula consensus, de articulis quibusdam controversis, scripta Wormaciae a Philippo Melanth. Anno 1557.

Deo iuvante, pium consensum in Ecclesiis nostris omnibus fideliter tueri volumus, iuxta confessionem Augustae exhibitam, et Apologiam, et articulos a Luthero scriptos, quibus additae sunt subscriptiones in conventu Smalcaldensi: Nec recepturi sumus ulla dogmata pugnantia cum ea doctrina. Testamur enim Deum, nos nunquam voluisse discedere a doctrina Prophetica et Apostolica, et a Symbolis, et a veteri consensu purioris Ecclesiae catholicae, et tantum sublatis idolis, et erroribus quaesivisse et quaerere veritatem, ut nos et alii Deum, in agnitione et fiducia filii recte invocemus, et simus verae Ecclesiae Dei membra, et cives in tota aeternitate. Ostendunt etiam nostra confessio, et consentiens vox Ecclesiarum nostrarum, nos expresse damnare omnes fanaticos furores, veteres et recentes, pugnantes cum Propheticis et Apostolicis scriptis, et Symbolis. Nec dubitamus, doctrinam confessionis nostrae veram et veterem Ecclesiae Dei catholicae sententiam esse.

Est etiam curae nobis, ut publicum ministerium docendi Evangelii, et administrandi Sacramenta, pie conservetur, et non fiant congressus clam aut privatim, ad faciendas dilacerationes, aut ferendas perniciosas opiniones.

Cum autem extent in confessione nostra asseverationes de singulis articulis, ex his intelligi potest, reiici a nobis opiniones, cum illis asseverationibus pugnantes. Sed tamen hic de praesentibus dissidiis, nominatim etiam et expresse ostendimus sententias nostras.

Multi errores circumferunt Serveticas blasphemias contra filium Dei: Et *Thammerus* editis libris transformat Evangelium prorsus in Ethnicas allegorias. Tales furores damnamus, una cum ipsis autoribus, quos manifestum est esse organa diabolorum. Et sint Pastores intenti et vigilantes, ut veris testimoniis pios confirment, et refutent impiorum praestigias. Pertinet et ad officium politicae potestatis, dogmatibus rite iudicatis, prohibere blasphemias, et contagia earum, et punire blasphemos, ut scriptum est, Levit. 24.

Hortamur etiam omnes Pastores, ut populum saepe erudiant de erroribus Anabaptisticis, qui et impii, et seditiosi sunt, et extant de eis nostrae admonitiones, et condemnationes, in quibus etiam politicam potestatem de suo officio commonefacimus.

In multis locis turbant Ecclesias et Stenckfeldiani libelli, et satellites, quorum unus recens hoc scripsit: *Unus est mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus. Ergo verbi vocalis,* seu

scripti cogitatio, non est medium, quo Deus est efficax.

Hoc insulso sophismate contendit, Deum sese communicare hominibus, sine cogitatione doctrinae, et abducit homines a veris exercitiis fidei, qua cor intuens verbum externum ducitur ad Deum, et acquiescit in ipso Deo propter mediatorem, ut scriptum est: *Fides ex auditu est, auditus per verbum Dei.* At cum Paulus inquit: *Unus est mediator*, de persona loquitur, et de mediatore propitiationis: Non tollit verbum, quod est medium agnitionis, et per quod Deus verissime est praesens, et efficax in vera consolatione, ut dicitur: *Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.* Nec recte Stenckfeldius negat, ibi intelligendam esse vocem Evangelii de externo ministerio, sed tantum περὶ λόγου ἀϊδίου: Cumque gloriose iactitet suos Enthusiasmos, abducit homines in multis locis a doctrinae cogitatione, a veris exercitiis fidei, in veris pavoribus et doloribus, et invitat ad contemtum ministerii publici.

Audacter etiam scribit, non recte doceri in Ecclesiis nostris: Renatos non posse satisfacere legi Dei, et videri vult illos Enthusiasmos, de quibus scribit, esse integram legis impletionem. Testamur ergo, nos Stenckfeldii errores improbare, et Pastores hortamur, ut recte et saepe populum de his tantis rebus doceant, quomodo se Deus communicet, cogitatione verbi Dei, et quod fides cogitatione verbi per filium et Spiritum sanctum accendatur: sicut in Psalmo dicitur: *Sustinuit anima mea in verbo eius. Speravit anima mea in Domino.* Agnoscitur voluntas Dei patefacta in promissione, et fides, Deo ipso promittente et salvante propter filium, nititur.

De iustificatione retinemus doctrinam, quae pio consensu in Ecclesiis nostris iuxta confessionem et Apologiam proponitur, ac pie et constanter retinemus propositionem: *Sola fide coram Deo iustificamur*, et hanc propositionem intelligimus et declaramus iuxta consensum perpetuum, traditum in Propheticis et Apostolicis scriptis: Quod homo in conversione ex iniusto fiat iustus, id est, ex reo habens remissionem peccatorum, reconciliatus, et acceptus Deo ad vitam aeternam, per misericordiam, gratis, propter solum mediatorem filium Dei, sola fide, id est, fiducia mediatoris, iuxta promissionem, quae fides nititur obedientia mediatoris, propter quam persona credens iam est iusta, id est, habens remissionem, et reconciliata, et accepta Deo, iustitia imputata, sicut Rom. 4. dicitur: *Non operanti, credenti autem in eum, qui iustificat impium, fides imputatur ad iustitiam.* Fit autem ea ipsa fide vivificatio, qua aeternus pater per filium et Spiritum sanctum vivificat, et regenerat credentem, et ex doloribus inferorum liberat, sicut dicitur: *Iustus fide sua vivet.* Item, *Iustificati fide pacem habemus.* Item, 1. Iohan. 5. *Et vita in filio est. Qui habet filium, habet vitam.* Item, 1. Pet. 1. *Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum vivum Dei, et manens in seculum.* Item, Galat. 3. *Ut promissionem Spiritus accipiamus per fidem.* Haec certissimum est ubique in Prophetis et Apostolis tradita esse. Et accedit testimonium omnium piorum in vera conversione.

Quanquam autem inchoantur fide, vivificatio et novitas, tamen semper retinenda est haec consolatio: *Fide sumus iusti*, id est, imputata iustitia, et accepti Deo propter obedientiam mediatoris, non propter sequentem novitatem nostram, seu inhabitationem Dei, quae est efficacia in Sanctis. Et quanquam in Elia, et multis aliis Sanctis excellentia dona sunt, tamen ipsi longe anteferunt mediatorem, et statuunt personam iustam, id est, acceptam Deo esse propter mediatorem promissum, quia iuxta legem totus mundus reus est Deo. Et Iob inquit: *Vere scio, quod non est homo iustus coram Deo, sed credentes iusti sunt imputata iustitia propter mediatorem*, sicut dicitur Roman. 5. *Iustificati sanguine ipsius, salvabimur per ipsum ab ira.* Item, *Per obedientiam unius iusti constituentur multi.*

Cum igitur de iustitia coram Deo dicitur, semper fides nitatur obedientia mediatoris. Hac fide persona iusta est coram Deo, etiam post regenerationem. Nec recipimus synecdochen Origenis, Monachorum, Papistarum, libri Interim, Stenckfeldii, Osiandri, Funccii, et aliorum, qui sic interpretantur propositionem: *Fide iustificamur*, scilicet, praeparatione, ut simus deinde alia re iusti, id est, accepti coram Deo, scilicet novitate, seu dilectione, seu inhaerente iustitia essentiali. Nam hi modi loquendi idem significant. Nec volumus abiici iustitiam imputatam, de qua Paulus expresse inquit: *Fides imputatur credenti ad iustitiam.* Et recte discerni volumus gratiam et donum.

In tota scriptura Prophetica Sancti sic accedunt ad Deum, confugientes ad misericordiam, propter promissum Dominum, ut Daniel inquit: *Non in iustitia nostra, sed propter Dominum exaudi me.* Et Psalm. 2. *Beati omnes, qui confidunt in eo.* Et Psalm. 6. *Convertere Domine, eripe animam meam, salvum me fac propter misericordiam tuam.* Item, *Non intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Ephes. 3. *Per quem audemus accedere in fiducia, quae est in fide eius.* Roman. 8. *Quis accusabit electos Dei? Deus est qui iustificat. Quis condemnabit? Christus intercedit pro nobis.*

Nitatur ergo fides mediatoris obedientia et intercessione, non nostra novitate, seu inhaerente iustitia, seu essentiali. Hanc consolationem non abiiciamus, sed nos exemplis et testimoniis Sanctorum confirmemus, ut sciamus, quomodo ad Deum accedendum sit: et hanc fidem, qua certo reputamur iusti, id est, accepti Deo, quanquam ingens in nobis infirmitas est, statuamus niti mediatore, ut dictum est.

Cum vero hac consolatione corda vivificata sunt, iam fiunt templa Dei, et habent iustitiam, scilicet, ipsum Deum moventem, et sanctificantem corda, seu novitatem, quam efficit Deus, et quae est fructus spiritus, eoque nominatur, et est iustitia, etiamsi aliud est, propter quod persona in iudicio Dei iusta reputatur, quia novitas nondum est integra, et tristes reliquiae peccati haerent in omnibus in hac vita, ut suo loco copiosius dicitur.

Denique totam doctrinam de iustificatione, Deo iuvante, retinemus et retinebimus, consentaneam confessioni Augustanae, et confessionibus, quae contra librum INTERIM in Ecclesia Hamburgensi editae sunt. Nec volumus admisceri corruptelas, aut ambiguitates, ac maxime optamus, veram doctrinam in omnibus articulis iisdem formis loquendi, et propriis, quantum fieri potest exponi, et ambitiosas novitates vitari.

Contra Antinomos constantissime retinenda est haec vera, et propriis verbis dicta sententia: *Nova obedientia est necessaria eo ipso, quia creaturam rationalem Deo necesse est obedire*, sicut Paulus inquit: *Debitores sumus*: Ac insulsitas est, fingere, haec vocabula, necessitatem et debitum significare terrore extortum, sed ordinem divinum et immotum in Deo significant. Et cum nova obedientia, et bona opera nominantur, non tantum externa facta intelligantur, sed iustitia bonae conscientiae interior, et exterior, iuxta mandata Dei, de qua dictum est: *Milita bonam militiam, retinens fidem, et bonam conscientiam.*

Nec filius Dei ideo sudavit sanguinem, et in cruce pependit cruentus, ut tu spurcissimis libidinibus Deum offendas, et omnibus furoribus indulgeas: Sed passus est, ut lex Dei, et imago Dei in nobis restituatur. Est igitur barbarica impietas, fingere, non esse necessariam hanc obedientiam, sed esse concessam licentiam omittendi eam, sicut non est peccatum vesci carne die sexta.

Nec tantum hic furor in Antinomis taxandus est, sed singuli doleamus in nobisipsis reliqua esse multa magna mala, ut quod valde languide assentimur verbo Dei, quod aestus dubitationum, et fremitus adversus legem Dei in nobis assidui sunt, quod minus timemus Deum, quod fides, fiducia, dilectio Dei, invocatio, gratitudo, zelus, non ardent, ut debebant, quod fortitudo et patientia languidiores sunt, quod castitas turbatur multis vitiosis incendiis. Doleamus nos blandiri vitiis nostris, et non crescere in nobis poenitentiam, sicut Dominus inquit: *Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Haec peccata, cum necesse sit deplorare sanctos, quanto magis necessarium est execrari barbaricum dogma Antinomorum, contumeliosum contra Deum, et contra legem, et Evangelium.

Retinemus igitur hanc propositionem, et hanc formam loquendi: *Bona opera sunt necessaria*, et recte declaramus, non quod sint merita remissionis culpae, et poenae aeternae, nec quod sint merita vitae aeternae: Sed quia divino ordine homo debet obedientiam.

Sed hac forma verborum non utimur: *Bona opera sunt necessaria ad salutem, seu ad vitam aeternam*, ne intelligatur meritum reconciliationis, aut vitae aeternae, et ne obscuretur consolatio Evangelica, quae agentibus poenitentiam concionatur de gratuita donatione vitae aeternae propter mediatorem. Ut igitur vitetur ambiguitas, velimus et nos omitti hanc additionem: *Necessaria ad salutem.*

Rursus etiam velimus ab aliis omitti falsas hyperbolas, qualis est: *Bona opera non solum non necessaria sunt ad salutem: sed officiunt etiam saluti, quia comitantur ea superbia, et vana confidentia.* Haec mala accedunt per acci-

dens. Notum est autem, non esse firmam consequentiam ab eo, quod accedit per accidens. Tales clamores cient applausus in multis, qui et laxatione, et contumeliis legis divinae delectantur, qualis est illa vox apud Platonem: *Lex est tyrannus.* Et sicut nuper quidam proposuit dogma: *Summa ars Christianorum est nescire legem.* Etiamsi leniri interpretatione tales hyperbolae possunt, tamen improprietas periculosa est. Et quidam tribunitii homines non utuntur eis tempestive, sed malo studio, ut theatro suo assententur. Paulus contra inquit, *Per fidem lex stabilitur.* Item, *Per legem agnitio peccati.* Ac verissimum est, solos Christianos, id est, renatos rectius intelligere legem, quam omnes non renati intelligunt.

Petulans lingua turpissimus morbus est, inquit Euripides. Id in Ecclesia certe verissimum est, ubi et propter gloriam Dei, et propter salutem hominum maior debet esse cura, et circumspectio in loquendo, ne sermonis spurcities Deum contumelia afficiat, et errores in animis hominum pariat. Caeterum, quae sint bona opera et quomodo Deo placeant, usitata in nostris confessionibus declaratio extat, de qua communem consensum tuemur.

De Coena Domini retinemus confessionem Augustanam, et Apologiam. Nec dubium est, filium Dei adesse ministerio, quod instituit, et per illud efficacem esse. Sic autem adest in hoc ministerio substantialiter, ut communicatione sui corporis et sanguinis nos membra faciat sui corporis, et testetur, se nobis applicare sua beneficia, et velle se in nobis efficacem esse, et nostram miseram massam insertam sibi velle servare, et vivificare, sicut et Hilarius loquitur: *Haec sumta et hausta faciunt*, *ut ipse sit in nobis*, *et nos in ipso.* Sic et Irenaeus, et Synodus Nicaena loquuntur, hanc consociationem cum ipsius corpore, et applicationem beneficiorum, et efficaciam complectentes.

Cum autem verba Christi et Pauli expresse de sumtione loquantur: *Accipite*, *manducate.* Item, *Panis est κοινωνία σώματος*, et nihil habeat rationem Sacramenti extra actionem institutam, damnamus adorationem Papisticam in circumgestatione, repositione, et Missis Papisticis, quia haec sunt aliena ab institutione, quae de sumtione loquitur, non de ullis spectaculis rei extra institutum usum. Itaque nec transubstantiationem, aut inclusionem ocalem recipimus, prorsus ignotam vetustati. Nec tamen in actione nuda signa esse dicimus, et tantum signa societatis cum Ecclesia: sed dicimus, vere et substantialiter adesse Christum, et facere nos membra sui corporis, et applicare nobis sua beneficia, et velle in nobis efficacem esse. Et formae loquendi ex Paulo, et ex antiquis scriptoribus idoneae sumi possunt, ac valde optamus, ut de simili forma deliberetur a pluribus viris piis et eruditis.

De adiaphoris retinemus doctrinam Pauli saepe repetitam, et in confessionibus nostris recitatam. Nec tamen velimus Ecclesias, quae vocem Evangelii sonant, et ministerium habent recte ordinatum, novis mutationibus turbari. Si qui autem titulo adiaphororum alia crimina comprehendunt, de his relinquimus iudicium Synodo.

Oramus autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis, et resuscitatum, dona dantem hominibus, ut ipse clementer gubernet Ecclesias nostras, et efficiat, ut omnes sint unum in ipso. Deinde cum etiam in ipsis Doctoribus studium esse debeat tuendae concordiae, et tranquillitatis: hortamur eos, ut in iudicando candorem adhibeant, et non accendant certamina non necessaria, aut si quid emendandum esse aliqui existimant, agant ordine, placide, sine saevitia odiorum, sine calumniis, ostendant quid desiderent, discernant cives, et hostes, parcant corpori Ecclesiae multipliciter aegro, et sanare et consociare sanabiles malint, quam facere maiores dilacerationes. Aliqui odiis indulgent, aliqui suo theatro gratificantur, quibus si durius responsum fuerit, non solum maiores distractiones fient, sed etiam vanitas aliquorum conspicietur. Precamur autem filium Dei, ut propter suam gloriam servet et gubernet Ecclesiam.

No. 6400. 15. Nov.

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camerar. p. 728. (ed. Lond. lib. IV. ep. 873.).

Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioach. Camerario fratri suo cariss.

S. D. Hanc epistolam dedi viro nobili *Einsidelio* revocato in patriam, cum die XV. Novemb.

iter ingrederetur. Sperabamus enim te eodem fere tempore domum rediturum esse, quo ipsum ratiocinabamur ad vos perventurum esse. Oro autem filium Dei custodem Ecclesiae suae, ut et tuam Ecclesiam domesticam servet, et te et nos feliciter domum reducat. Litterae tuae quas ex urbe Vangionum ad me ad Palatini arcem misisti, et amicis iucundae fuerunt, et mihi dolores lenierunt. Lectae sunt a multis in coena, ad quam me vocarat collegium philosophicum *). Reversus in urbem Vangionum edidi magnum scopulum non sine saevis cruciatibus. Postea scripsi de doctrinae controversiis, de quibus volo Collegas, qui assunt, deliberare. Nondum sciebamus cum haec scriberem, an processura esset doctrinae collatio. Bene vale, XV. Novemb.

Philippus.

*) Heidelbergae.

No. 6401. 15. Nov.

U. Mordeisen.

Ex autographo Melanthonis Halensi, olim a *Niemeyero*, nunc denuo edita.

Clarissimo viro Sapientia et virtute praestanti D. Ulrico Mordisin, doctori iuris, Consiliario Inclyti Ducis Saxoniae Electoris, patrono suo colendo

S. D. Clarissime vir et Patrone colende. Gratias ago filio Dei, qui adsumpsit massam humani generis, ut esset redemtor Ecclesiae, et est custos invocantium ipsum, quod et illustrissimum principem Ducem Saxoniae Electorem et vos omnes reduxit in patriam salvos et recte valentes, et eum oro, ut vos et patriam deinceps protegat et gubernet. Haec cum scriberem die XV. Novembris nondum sciebamus an processura esset hic doctrinae collatio. Praecedentem historiam optima fide narrare poterit vir Nobilitate generis et virtute praestans *Einsidelius.* Nihil disputo de causis, propter quas collegae nostri discesserunt. Fui etiam hortator *Palatino* et *Wirtebergensi*, ne expostulationem mitterent ad eorum principes, qui ἀντικατηγορίαν remissuri essent. Si vivam, Deo iuvante domum redibo, ut distribuam haeredibus quantulumcunque est, quod mater reliquit. Si mihi concedetis, ut in alio loco vivam, respondebo illis indoctis sycophantis et vere et graviter, et dicam utilia Ecclesiae. Inter collegas, qui adsunt, si procedet doctrinae collatio, spero pium consensum fore, ac Deum oro, ut nos gubernet. Bene valete. Die XV. Novembris.

Philippus.

(Huic epistolae manu sua Eberus adscripsit):

Reverenter salutat Magnificentiam vestram ex hoc carcere *Paulus Eberus*, et agit Deo gratias pro incolumi reditu vestro.

No. 6402. 19. Nov.

Io. Marbachio.

Edita in *Io. Fechtii* histor. eccles. sec. XVI. Supplem. p. 74.

Ioh. Marbachio

S. D. Reverende vir, et carissime frater. Heri publice nostris lectae sunt regiae literae, sane moderate scriptae, quae iubent pertexi inchoatam collationem doctrinae. Quid facturi sint Antagonistae nostri nondum scimus. Tu tamen de reditu tuo statues, quod *Micaelus* noster suadebit. Nondum in ea sum opinione ut putem, Antagonistas, ἄλλως τε γνωσιμαχοῦντας, redituros esse in certamen, praesertim cum et *Latomus* adhuc absit, qui λογοδαίδαλος est sui agminis, quem existimo in prooemiis magis disertum fuisse, quam erit in dogmatibus; διδάξασθαι γὰρ εἰδότι ῥᾴτερον, inquit Pindarus *). Versiculos heri de *Thuringiaca Elisabetha*, quae fuit exemplum piae matronae, factos ad *Pistorium*, tibi mitto. Existimo enim, te quoque cogitatione virtutis in meliore seculo delectari. Salutem opto domino *Sturmio*, et vobis omnibus. Bene vale. Die, quo celebratur memoria Thuringiacae Elisabethae. 1557.

Philippus.

*) Olymp. VIII. 78.

No. 6403. 19. Nov.

Sim. Pistorio.

(Ex Consiliis Ph. Mel. ed. a Pezel. Pt. II. p. 313. Etiam legitur in *Io. Fecht.* hist. eccl. sec. 16. Suppl. p. 74., in Script. publ. T. III. p. 277b. et in Melanthon. epigrammat. p. 89.)

Die Elisabethae. Ad Pistorium Niddanum. Anno 1557. *in conventu Wormat.*

Gnati [1]) munera summa conditoris
Narremus, sibi colligit quod agmen,
In quo fulgeat ipse sempiternum,
Plenum iustitiaque gaudioque.
Huius agminis est Elisabetha
Consors, quae tenuit vetusta sceptra
Orae Tyrigetum, fuitque mater
Stirpis inclyta Principum tuorum,
Qui *Fuldae* dominantur et Visurgi.
Semen servat enim Deus piorum.

Hanc cum nunc celebrent [2]) Elisabetham
Ad nos advenias *Nidane Pastor*
Matronae ut pia facta proferamus,
Ut tali pietate nos colamus,
Aeternumque Deum, Deique gnatum,
Ac motus animi leves domemus,
Multum exempla pios iuvare possunt.
Quanto robore pertulit dolores
Extincto pariter viro atque gnato?
Ac pulsa ex patria viri atque gnati?
Ostendens, mala perferenda sanctis
Esse ingentia, ut invocare discant
Mirandum auxilium Deum ferentem
Praesentemque suis adesse cernant.
Sic cur nostra onerata mole tanta
Sit natura sciamus, atque iusto
Sit subiecta Deo, simulque propter
Gnati vulnera nos opem petamus.
Hoc exempla monent Elisabethae.

No. 6404. 23. Nov.

Seldio.

(Ex Consiliis Ph. M. ed. a Pezel. Pt. II. p. 314.)

1) Epigr. *Grati.*
2) Fecht. et Epigr. *celebres.*

Ad D. Seldium, conciliarium Caesaris Ferd. Anno 1557. *sub discessum ex conventu Wormac.*

Seldi, Thespiadum decus sororum,
Dictant quae numeros tibi venustos
Ornant muneribus suisque promtae.
Aequi consule, candidumque praesta
Pectus, carmina nostra cum feruntur
Ad tuum hospitium, manusque Seldi.
Quod iam tu facis, haud monente amico.

Vestros credite novimus labores,
Ac pacis studium tuum probamus,
Nec te credimus otiari in illis
Causis, relligio quibus iuvatur.
Et pax optima redditur Camoenis.
Verum ut littora surda non procellis
Nil vadis scopuli moventur alti:
Sic non flecti inimica corda paci
Ulla posse opera vides bonorum.
Ergo nunc melius foret reverti
Ad dulcem sobolemque coniugesque
Interque oscula pectorumque nexus
Admiscere simul precationes
Ad Christum dominum, *λόγον* parentis
Aeterni, pia vota qui suorum
Et castos gemitus probat precesque.
Hic nos proteget, orphanisque nobis
Et custos erit optimus, paterque
Idem te quoque servet et gubernet.
Vale. 23. Novembr.

No. 6405. (h. t.)

C. Heresbachio.

Conradi Heresbachii historia Anabaptistica — edita opera et studio Theodori Strackii. Amsterdami 1637. 8. — Pag. 202. legitur hoc carmen.

Clarissimo viro Dn. Doctori Heresbachio, Philippus, in Colloquio Wormaciensi, anno 1557.

Non ardentior edita ulla vox est
In terris et in arce Conditoris,
Quam precatio filii, cruorem
Quum sudans petit, esse nos in ipso
Unum, sanguine nos suo redemtos.
Cur haec vota parum movent profanos?
Cur multi lacerare non verentur
Coetus, quos Deus esse iussit unum?

Sed concordia firma nos ut inter
Duret, tu dato, Christe, sempiterna,
Nec certamina more Sycophantae,
Qui dirae solet instar esse Echidnae,
Frustra accendere nos velimus ipsi.
Nunc ergo hoc quoque mutui favoris
Signum conspiciatur, huc venito
Cras ad colloquiumque prandiumque.
Pacem iussit amare nos creator:
Pacem restituit suo cruore
Aeterno Logos ex Parente natus.

No. 6406. 25. Nov.

Sigism. Melanthoni.

Edita in Schosseri poëmat. Lit. Dd. 7. (*Lunz.*)

Philippus Melanthon
Sigismundo Melanthoni [qui eo tempore erat Wittebergae.]

S. D. Literas vestras, carissime fili, scriptas die tertio Novembris, exhibuit nobis hic Marchicus nuntius die Catharinae, cum nobiscum esset *Wendalinus*, qui huc ex Heidelberga venerat, cui tradidi tuas epistolas, scriptas ad patrem et *Carolum*. Tibi vero pro assiduitate et in scribendo, et in domesticis officiis, habeo gratiam. Etsi autem speramus fore, ut concedatur nobis brevi reditus ad nostros: tamen adhuc deliberatur de nobis retinendis. Redibit igitur brevi domum Magister *Caspar* *), si nos diutius retinebimur. Legimus hodie Elegiam *Schosseri* **), scriptam et eleganter et pie, de mea coniuge, a te missam. Volo igitur, te ei hanc epistolam ostendere, ut sciat, mihi gratum esse officium ipsius, et placere carmen. Nam et habeo ei gratiam, et coram gratitudinem ostendam. Filium *Casparum* et totam familiam tibi commendo. Salutem opto amicis omnibus. Bene et feliciter vale. Ex urbe Vangionum. Die Catharinae, Anno 1557.

No. 6407. 25. Nov.

P. Vincentio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54³.

Petro Vincentio.

S. D. Clarissime vir et cariss. frater. Postquam a nobis discesserunt collegae nostri, mandavit Rex *Ferdinandus* literis graviter et moderate scriptis, ut tamen pertexatur inchoata doctrinae collatio. Nosque semper ostendimus, nos non defuturos esse officio. Sed antagonistae fortassis γνωσιμαχοῦντες nondum in certamen redituros se esse responderunt. Expectamus igitur illorum responsionem, qua cognita sciemus, an mihi hic diutius haerendum sit. *Casparem* vero generum ad vos redire iubebo. Haec leges et reverendo d. Pastori et aliis amicis. Salutem vobis omnibus opto. Bene vale. die Catharinae 1557. Wormaciae.

Philippus.

No. 6408. (m. Nov.)

Scriptum.

Mel. Consil. lat. P. II. p. 295.

Capita controversiae de Coena, manu ***Philippi*** *scripta in Conventu Wormac.* 57.

Si ponetur κατάκρισις περὶ δείπνου: Primum ponenda est affirmativa, ut conspici possit discrimen inter Papistas, et nostros: Quaerendum, an velint poni has propositiones: προσκυνῶ σε θεὸν, ὄντα ἐν ἄρτῳ? Quid de adoratione et circumgestatione sentiendum? an velint deiici in ventrem? an velint in pane contineri? aut potius dato pane exhiberi? an velint ponere τὸ πανταχοῦ? (ubiquitatem corporis,) annon panis sit κοινωνία in usu? an velint approbare dicta (scilicet *Westphali*, et similium,) nec Ethnici, nec Iudaei afficiunt maiore contumelia. Item, phrasin Bremensem (videlicet Iohannis *Timanni*, et sociorum eius, qui fuerunt adversarii D. *Hardebergii*).

---

*) *Peucerus.*

**) Haec Elegia haud dubie primum excusa seorsim prodiit; tum recusa legitur in *Io. Schosseri* Carminum libello (Witeb. Haered. Georgii Rhaw 1558. 8.) Lit. C 3. a., it. in *Scriptt. Witeb.* p. p. T. III. (ed. Wit. 1568. 8.) fol. 120. b. hoc praemisso titulo: Epitaphium sanctae et piae matronae Catharinae, coniugis Reverendi viri D. Philippi Melanchthonis, Praeceptoris nostri observandi, quae 11. Octobris, Anno 1557. ex hac vita evocata est; nec non in *Io. Schosseri* Poëmatt. (Francof. ad Viadr. 1585. 8.) Lit. C 6 b. sqq. et fortasse aliis locis. [*Lunzius.*]

Panis est essentiale corpus Christi: an velint confirmare crudelitatem Anglicam, et similes in hac caussa? quomodo resisti possit oblationi, si ponatur inclusio localis?

No. 6409. 1. Dec.

H. Bullingero.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Phil. Mel. Henrico Bullingero.

S. P. D. Reverende vir et cariss. frater. Saepe recito versum Homericum *): *ἐσθλὸν καὶ τὸ τέτυκται, ὅτ' ἄγγελος αἴσιμα εἰδῇ,* quia non raro nunciorum *ἀπειροκαλίαν* experior. Tuam longiorem epistolam, quam avidissime expecto, nondum accepi. Scito autem vestras literas magna cura intercipi a meis inimicis, qua in re sceleri illorum irascor. Ipsas vero literas, et meas et tuas, legi, non aegre fero. Quid enim continent, nisi pia colloquia et significationes magni doloris, quo afficimur propter dissidia publica et propter *κολακείας* docentium, qui stabiliunt idola, et rabiem pontificum confirmant? *Lelius* bona fide tuas et *Lascii* literas mihi exhibuit. Ac ne quidem Lascianae quidquam *ἀξιόλογον* continebant praeter querelas. Ardet Polonia eodem dissidio, quo misera Germania ardet, et aliquanto post utramque regionem arsuram esse bellis Turcicis metuo. Precemur autem filium Dei, ut et Ecclesiae vulnera sanet, et aliqua honesta hospitia servet. In colloquio inchoato in urbe Vangionum post *προοίμια* adversarii *γνωσιμαχοῦντες* in certamen redire noluerunt. Bene vale. Salutem vobis omnibus opto. Cal. Decemb.

No. 6410. 1. Dec.

Sigismundo Augusto.

Epist. lib. VI. p. 4 sq. Iterum in Io. Iac. Moseri Miscellan Iurid. II. p. 693.

*) Hom. Iliad. O'. 207.

Serenissimo et Inclyto Regi Poloniae, Sigismundo Augusto S. D.

Inclyte et Serenissime Rex: Verissimum est conservationem societatis humanae et legitimam Regnorum constitutionem et opera Dei esse et testimonia de praesentia Dei in genere humano. Haec magna Dei beneficia considerare virtus est et Deo grata et necessaria ad reverentiam Regum et Imperiorum in animis alendam. Eo autem magis est venerandum Regnum Polonicum, quia semper murus fuit reliquae Europae adversus Tartaros et Turcas, nec intulit bella vicinis Christianis. At Gallici et Germanici Reges mediam Europam et patriam domesticis bellis horribiliter lacerarunt. Singularis igitur gratitudo Regibus Polonicis et nobilissimo regno Polonico debetur.

Quod cum sentiam vicissim oro, ut R. M. V. clementer meas literas accipiat, quas dedi *Laelio Sozino*, nato in familia vetusta Nobilitatis Senensis, filio clarissimi viri *Mariani Sozini* Iurisconsulti, qui annos amplius quadraginta Iuris doctrinam multarum gentium hominibus tradidit, et multa negotia eruditissimis consiliis rexit. Hic *Laelius* cum ad paternum studium se praepararet, ut prius fontes cognosceret, scilicet Ius divinum, studiose legit libros Propheticos et Apostolicos, quorum lectione divinitus in eius pectore accensa est vera Dei agnitio. Ac ut certius et firmius iudicium esset, adiunxit Hebraeae et Graecae linguae cognitionem. Propter haec studia profectus in Germaniam, mecum amplius triennio vixit, fuitque mihi eius consuetudo propter ipsius eruditionem, pietatem, prudentiam, et in omni officio modestiam pergrata. Est et haec eius virtus inprimis digna laude, quod a furiosis et fanaticis opinionibus alienus est. Cum autem nunc mortuo patre haereditatem petat, impeditur a Sycophantis inquisitoribus propter nostram familiaritatem. Quare ad R. V. M. confugere decrevit. Nec rem iniustam aut difficilem petit. Orat se Regiae M. V. literis muniri, ut in urbe Veneta tanquam minister R. M. V. securus esse possit. Talis autem est industria et fides eius, ut R. M. V. in legationibus et multis negotiis usui esse possit; praesertim cum Italia ei nota sit. Reverenter igitur oro R. M. V. ut talem virum supplicem clementer tueatur. Calend. Decembr. Anno 1557.

No. 6411. 1. Dec.

Maximiliano Regi.

Epist. lib. VI. p. 2. et in Io. Iac. Moseri Miscellan. Iurid. T. II. p. 691.

Romanorum Regi Maximiliano II.

Serenissime et inclyte Rex, Domine clementissime. Non utar longa excusatione, cur ad R. M. V. scribam. Cognito enim negotio, spero R. M. V. pro sua excellenti bonitate veniam mihi daturam esse. Hic *Laelius Sozinus* natus est in familia nobili Senensi patre Iurisconsulto Clarissimo *Mariano Sozino*, qui Pisis, Patavii et Bononiae annos circiter quadraginta Iuris doctrinam tradidit, et honestos homines multarum gentium erudiit, et consilia paci publicae utilia apud multas gentes dedit. Cum autem pater hunc filium *Laelium* ad Iuris doctrinam assuefacere vellet, adolescens, ut fontes Iuris, videlicet, Ius divinum cognosceret, legit Propheticos et Apostolicos libros, quorum lectione cum divinitus traheretur ad veri Dei invocationem, et ad omnia pietatis officia, tanto studio sacrorum librorum flagrare coepit, ut et Hebraeam linguam disceret, ut fontes certo cognosceret. Deinde visis Germanorum scriptis, in Ecclesiis Germaniae vivere maluit, ac mecum amplius triennio vixit, fuitque mihi eius consuetudo propter eruditionem, pietatem, prudentiam et integritatem in omni officio gratissima. Postquam autem in Italiam, ubi familia eius clara est, fama perlata est, eum versari in nostris Ecclesiis, Inquisitores minari ei supplicia coeperunt, et absentem impediunt, quo minus patrimonio frui possit. Nunc confugere ad R. M. V. cogitat. Nec aliud petit, nisi ut Regia M. V. ei literas det tanquam ministro Venetias misso propter negotia quaedam, ut securus ibi esse possit. Cogitat enim de vendendo patrimonio. Hac in re gratum Deo officium praestabit R. V. M. si viro erudito et Deum recte colenti opituletur. Talis autem est eius industria et fides, ut vere etiam R. M. Vae. usui esse possit. Scriptum est: *Esto pater orphanorum, tunc magis diliget te Deus, quam diligit te mater tua.* Quid promitti maius potest amore Dei erga nos tanto, qui vincat maternam στοργὴν, quae est ardentissima. Hac tanta promissione invitati libentius benefaciamus orphanis honestis, quorum esse usus potest. Maximeque regium est, filiis virorum doctorum, qui leges et iustitiae doctrinam illustrarunt, qui orbati sunt parentibus et cognatis, opem ferre. Talis cum sit *Laelius* et supplex ad R. V. M. confugiat, reverenter oro, ne R. M. V. supplicem in causa pia negligat. Praebuit hospitium Constans fugienti Athanasio ex Aegypto usque ad Treverim. Ita semper regium fuit, tegere pios contra iniustam saevitiam. Vicissim autem benefaciet Regiae V. M. Deus, et ut R. M. V. vires animi et corporis confirmet et gubernet et servet eam, ut salutaris sit gubernatio patriae et Ecclesiae, toto eum pectore oro. Datum in urbe Vangionum. Cal. Decembr. Anno 1557.

No. 6412 1. Dec.

N. Pfausero.

Epist. lib. IV, p. 369. Etiam in Io. Iac. Moseri Miscellan. Iuridicis P. II. p. 690.

Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti D. N. Pfausero, docenti Evangelium fideliter Viennae in Austria.

S. D. Reverende vir et carissime frater. Non dubito, quin libenter opem feras viris doctis et piis, qui propter confessionem veritatis affliguntur. Quare tibi hunc *Laelium Sozinum*, filium praestantissimi Iurisconsulti *Mariani Sozini*, qui diu Bononiae praecipuam autoritatem inter Iuris interpretes habuit, commendo. Literas ei ad inclytum Regem Maximilianum dedi, in quibus nec iniusta res petitur nec difficilis. Impediunt *Laelium* Inquisitores ne patrimonio frui possit. Cogitat igitur proficisci ad urbem Venetorum, ut ibi de patrimonio cum quibusdam paternis amicis agat. Ut autem ibi securus sit, petit se muniri Regis Maximiliani literis, quod eo velut Regis minister missus sit. Nec de integritate huius viri dubites, amplius triennio mecum familiariter vixit, fuitque mihi eius consuetudo propter ipsius eruditionem, pietatem, prudentiam et integritatem in omni officio gratissima. Nec dubito futurum, ut, cum eius sermones plenos eruditionis et prudentiae et honestissimos mores consideraveris, libenter ei tuo iudicio benefacturus sis. Est autem et industria et fides eius talis, ut in legationibus et multis negotiis inclyto Regi usui esse possit. Nam et peregrinationes longinquas non reformidat, et multorum hominum in Italia notitiam habet. Oro

igitur ut hunc Laelium inclyto Regi Maximiliano commendes. Bonis viris benefacere etiam publico statui prodest. Velim te etiam in hac re benevolentiam tuam erga me huic *Laelio* declarare. Bene et feliciter vale. In urbe Vangionum, Cal. Decemb. Anni 1557.

No. 6413. 1. Dec.

Henrico R. Gall.

Select. epist. p. 497. Epist. lib. I, p. 112. (ed. Lond. lib. I. ep. 64.) Repetita in Consil. latin. P. II. p. 297. — Conf. epistola legatorum ex Gallia d. d. 8. Oct.

Epistola ad Henricum II. Regem Franciae, scripta nomine Theologorum, qui convenerant Wormaciae, Anno 1557.

S. D. Inclyte, potentissime, et *Christianissime* Rex, et Domine clementissime: Multa et magna beneficia et vere regia multis seculis, cum aliae partes *Europae* ab inclytis *Franciae* Regibus acceperunt, tum vero praecipue *Germanici* Principes, et grati meminimus Patres nostros eximia beneficentia maiorum Regiae dignitatis vestrae, et nos ipsos recens a Regia dignitate vestra defensos esse; propter quae beneficia et debere nos perpetuam gratitudinem profitemur, et gratiam Regiae dignitati vestrae habemus. Nunc quoque freti benevolentia Regiae dignitatis vestrae erga nos, sumus supplices Regiae dignitatis vestrae pro suis, non ut Regni tanti consiliis nos ingeramus, sed quia et misericordia adficimur in tanta calamitate vestrorum sicut scriptum est: *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus*: et inter Regias virtutes vestras bonitatem, clementiam, et misericordiam erga homines modestos, non seditiosos, non petulanter delinquentes eminere non dubitamus.

Intelligimus aliquot nobiles matronas et virgines, et alios modestos homines in vinculis esse, propterea, quod conciones seu audiverunt, seu probant, in quibus taxantur quaedam superstitiones, quae irrepserunt in Ecclesiam, et cumulatae sunt propter inscitiam et avaritiam Monachorum. Neque enim negari potest, multos abusus, alios errores, alios quaestus causa receptos esse, quorum emendationem etiam superioribus seculis flagitarunt docti et boni viri in illo ipso doctissimorum coetu *Lutetiae*, quae est praecipuum domicilium doctrinarum toto orbe terrarum, *Guilhelmus Parisiensis*, *Iohannes Gerson*, *Wesselus*, et alii. Eosque abusus fatemur et a nobis taxari et tolli, ut ostendunt nostrae Confessiones.

Itaque supplices sumus, ac propter Deum et propter Filium eius Dominum nostrum Iesum Christum oramus Regiam dignitatem vestram, ut vitae illorum captivorum clementer et propter Deum parcat. Si aut seditiosas opiniones haberent, aut dissentirent a Symbolis, aut reciperent turpitudines in moribus, nequaquam pro eis deprecaremur. Nam et nos contumelias Dei summa cura prohibemus, et magnis nostris periculis hoc agimus, ut recte Deus invocetur, et retineatur Catholicae Ecclesiae Domini nostri Iesu Christi consensus, expressus in scriptis Propheticis et Apostolicis, et in Symbolis et probatis scriptoribus veteris Ecclesiae purioris. Severe etiam morum turpitudines punimus, ac testamur Deum, nos non cupiditate inhonesta ulla, sed tantum ut Deo obtemperemus, nos amplecti hanc doctrinam, quae extat in nostris confessionibus, quia agnitae veritati adversari non licet. Studemus igitur et cives esse verae Dei Ecclesiae, et gubernatoris honesti, et spe non dubia in hac invocatione Dei expectamus coelestis Ecclesiae consuetudinem. Ideo nec nunc deprecatores esse voluimus, nisi cognita confessione illorum, qui nobis calamitatem captivorum exposuerunt.

Comperimus autem illorum Confessionem et congruere cum Symbolis, et alienam esse a fanaticis et seditiosis furoribus, et scimus multos excellentes eruditione et virtute, amantes Ecclesiam, scientes ordinem in Imperiis Dei opus esse, et illustrantes veram doctrinam de dignitate Politici ordinis, et magna cura tuentes nervos honestae gubernationis, de ea Confessione consentire. Quare et captivos existimamus a seditiosis consiliis et a fanaticis opinionibus alienos esse. Ac mittimus exemplum Confessionis, quae in omnibus articulis cum nostra congruit. In uno aliquid est obscuritatis, de quo conciliatio fieri posset eruditorum collatione. Neque enim dubitamus toto orbe terrarum omnes timentes Deum adsiduis gemitibus petere a Deo Ecclesiarum concordiam, et Deum orare, ut flectat summorum Regum animos, ut recte diiudicari controversias curent, eamque cogitationem ante annos viginti suscipere patrem Regiae dignitatis vestrae, Regem *Fran-*

ciscum excellentem sapientia et virtute meminimus, sicut et veteribus seculis Inclyti Reges *Franciae* diiudicari Ecclesiae controversias saepe curaverunt. Hoc et Inclyti patris et maiorum exemplum imitari malit R. D. V. quam aliorum iniustam asperitatem. Magna cum laude Regia dignitas vestra adversata est Synodo *Tridentinae*, quae malo consilio ad oppressionem veritatis collecta fuerat. Ut autem propter gloriam Dei veritas illustretur et consulatur concordiae communi, Regia dignitas vestra deliberationem aliquando de controversiis explicandis per homines idoneos instituat, ad quam et nostros mittere non recusamus. Nam violentis consiliis nec sanari mentes nec tranquillitas Ecclesiae restitui unquam poterit. Et tristissimum est sine fine tantam asperitatem in Ecclesia exercere, et a Regia bonitate alienum.

Quare reverenter oramus Regiam dignitatem vestram, ut propter Deum parcat vitae captivorum. Haec misericordia Deo grata erit, qui hac promissione omnes invitat, ut modestis leniantur poenae: *Beati misericordes, quia misericordiam consequentur.* Vicissim igitur Regiae dignitati vestrae Deus benefaciet, idque multi recte invocantes Deum in omnibus terris ardentibus votis petent. Et nos Regiae dignitati vestrae offerimus nostra officia cum perpetua gratitudine. Datae Calend. Decembr. Anno 1557.

No. 6414. **1. Dec.**

Declaratio.

Postquam Praeses colloquii Wormatiensis declaraverat, colloquium finiendum et conventum dissolvendum esse, Melanthon cum suis hoc scripto, Praesidi exhibito, declaravit, se et suos hac in re sine culpa esse, seque velle confessioni Augustanae firmiter adhaerere. Prodiit hoc scriptum Witebergae anno 1557., quod Pezelius etiam inseruit Mel. Consiliis latin. P. II. et quod recusum est in epp. Melanth. libro III. Vid. Strobel. Biblioth. Mel. no. 480. — Etiam germanice prodiit: Eine Schrifft der Augsb. Confeſſ. zugethanen Colloquenten, ſo zu Worms verſammelt geweſen, bis endlich das Colloquium durch die Widerpart iſt zertrennet worden. Pforzheim bei Georg Raben. a. 1557. 1 pl. 4. Legitur etiam in Goldasti Reichshändeln, P. XVIII. p. 743. — Praeterea autem aliam huius scripti formam inveni in Cod. Guelph. quare placuit hic utramque dare.

A.

Consil. Mel. lat. ed. a Pezelio, P. II. p. 310. Epist. lib. III. p. 33. (ed. Lond. lib. III. p. 497.)

Scriptum collocutorum Augustanae Confessionis, qui in Urbe Vangionum fuerunt, donec adversarii Colloquium abruperunt, Anno 1557. *authore Philippo Melanthone.*

Etsi multo magis optandum est, ut aliquando pii et docti in nostris Ecclesiis, maiore frequentia inter sese candide, placide, sine odiis, sine insidiis, sine Sophismatum praestigiis, de iis materiis, quas illustrari necesse est, colloquantur, quam ut Theatricae disputationes cum adversariis qui manifestas Idolomanias tueri solent, instituantur: Tamen cum Senatus Imperii bono studio voluerit Collationem doctrinae fieri, nos voluntati Principum deesse noluimus, quia confessionem doctrinae et explicationem, praesertim inter doctos, defugere non decet.

Inchoavimus igitur Collationem bona cum spe, et vere ac modeste de propositis materiis respondimus, nec quaesivimus causas impediendi aut turbandi instituti. Sed adversarii arte distractionem quaesiverunt, ut praetextum haberent abrumpendi Colloquii. Cum igitur palam ostenderent, se in hac doctrinae Collatione non processuros esse, quam tamen nos semper flagitavimus: tandem et nos exposita voluntate nostra in Scripto, quod exhibuimus, hinc discessimus.

Ac ut extaret testimonium de consensu omnium, qui ex nostris Ecclesiis adfuerunt, ut in colloquio procederent, diximus in eo Scripto, nos Deo iuvante constanter amplecti scripta Prophetica et Apostolica, et Symbola, et neque discedere nos, neque discessuros esse a confessione nostra, *Augustae* exhibita Anno 1530., nec mutare nos doctrinam eius Confessionis, nec mutaturos esse, et reiicere nos dogmata cum ea pugnantia. Quod eo censuimus necessario dicendum esse, ne calumniose spargerentur fabellae, nos velle nova dissidia accendere.

Eadem de re publice et nostris Ecclesiis omnibus hoc bono consilio significamus, nos omnes, qui hactenus hic mansimus, ut procederet inchoata doctrinae collatio, maxime optare, ut Ecclesiae nostrae ubique sint tranquillae, et unum in Deo, nec impediatur vera Dei invocatio inter nos ullis dissensionibus, nec dilaceretur hic noster coetus, quem certum est esse veram Dei Ecclesiam, quae confessione, invocatione, et mutua benevolentia debet esse coniuncta. Ac ut[1]) adfirmamus, nos

---

1) *ut*] abest a textu Pezelii.

constanter amplecti scripta Prophetica et Apostolica, et Symbola, et nec discedere nos, nec discessuros esse a Confessione nostra *Augustae* exhibita Anno 1530. nec eius Confessionis doctrinam mutare, nec mutaturos esse, et reiicere dogmata cum ea pugnantia: ita [2]) adfirmamus etiam, inter nos, qui hic sumus, nullam esse de doctrina Confessionis nostrae dissensionem. Hunc consensum nostrum publice omnibus notum esse volumus, ne turbentur Ecclesiae calumniis.

Oramus autem Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, ut vulneribus Ecclesiae ipse medeatur, sicut sese in imagine *Samaritani* pingit, qui medetur saucio viatori. Oramus etiam omnes, ne vulnera Ecclesiae magis lacerent seu calumniis, seu non necessariis rixis. Semper fuerunt, sunt et erunt et infirmitates et lapsus aliquorum, qui si sunt sanabiles, non ut hostes trucidentur, sed sit discrimen inter cives et hostes, inter sanabiles, et non sanabiles. Nec exerceatur saevitia in eos, qui pie admoniti non contumaciter repugnant. Denique meminerimus severissima mandata divina, quae vetant Ecclesiarum tranquillitatem non necessariis rixis turbare, sicut in *Zacharia* dicitur: *Veritatem et pacem diligite*, id est: retinete doctrinae et invocationis puritatem, et sit cura tuendae tranquillitatis, ne languefiat aut extinguatur vera Dei Invocatio.

Parcamus Ecclesiae, quae in hac mundi delira senecta, et languidior et tristior est, et foveamus eam omnibus piis officiis. Id nos quidem, qui hic adsumus, facturos esse promittimus, nec defugimus iudicia eruditorum et piorum in nostris Ecclesiis. In Urbe *Vangionum*, Calendis Decembris, Anno Christi 1557.

Supscripserunt,

Philippus Melanthon manu propria.
Iohannes Brentius manu propria.
Matthaeus Aulberus propria manu.
Iohannes Marbachius D. manu propria.
Iohannes Pistorius Niddanus propria manu.
Iacobus Andreae D.
Georgius Cargius Onolsbacensis Ecclesiae pastor propria manu subscripsit.
Michael Dillerus manu propria.
Iacobus Rungius Pomeranus.
Paulus Eberus propria manu.

2) *ita*] abest a textu Pez.

B.

† Ex Mst. Guelpherb. No. 60. Vid. *Saligii* Hist. August. Conf. T. III. p. 332.

Reverendissime Domine Praeses, existimavimus bono studio et ab Inclyto Rege et Senatu Imperii hanc doctrinae collationem institutam esse, Ideo nos quidem qui ex nostra parte adsumus, modeste et sine ulla tergiversatione colloquium inchoavimus et prorsus nihil movimus quod vel distractionem adferret vel impediret praesens institutum. Sed statim arte moliti sunt adversarii distractionem et normam Iudicii manifeste iniustam et absurdam proposuerunt, vel consuetudinem dissimillimorum temporum, quam nominant perpetuum Ecclesiae consensum, Cum manifestissimum sit multos recentes abusus et falsas opiniones puriori vetustati prorsus ignotas paulatim in hac delira mundi senecta in Ecclesiam irrepsisse. Nos vero saepe expresse testati sumus, constanter nos amplecti scripta prophetica et Apostolica et symbola et non dubitare nos, quod totum doctrinae nostrae corpus cum vetusta et puriore antiquitate congruat iudicio omnium dextre et sine sophistica iudicantium. Nota est enim nobis antiquitas et sumus Dei beneficio Ecclesiae cives, et recte verum Deum in agnitione fidei et fiducia invocamus, nec velimus dissentire a testimoniis probatae antiquitatis et ad eruditorum et piorum iudicia in Ecclesia semper provocabimus et adhuc in ea provocamus non ad prophanam et ineruditam multitudinem pontificum sacrificulorum monachorum aulicorum assentatorum. Haec turba omnibus temporibus veritati in Ecclesia adversata est partim fascinata opinionibus politicis, partim avaritia et ambitione contra conscientiam defendent errores. Immota autem est regula: Non adversandum esse veritati. Quare cum huc missi simus ad explicationem doctrinae necesse fuit nos dicere quod sentimus sicut et Iuramento obligati sumus. Ut igitur modeste et pie respondimus in exordiis colloquii ita redire ad inchoatam collationem*) neque nunc recusamus. Hanc nostram voluntatem volumus et Senatui Imperii et omnibus honestis et piis ubique terrarum notam esse. Cum autem nunc collocutorum alterius partis consilio impediatur haec doctrinae collatio, nos quoque dimitti iustum est. Quod vero praetextus fingunt, ut causae in nos deriventur, usitatae sunt tales

*) Apogr. habet *consolationem*, quod mendum est.

elusiones et Ironiae in negotiis, quae nominantur *σχήματα πολιτικὰ λόγων.* Atque de his praetextibus iudicium et Senatui Imperii et aliis honestis et prudentibus viris permittimus. Non eramus defuturi nostro officio etiamsi quidam ex nobis discesserunt quos quidem malueramus nobiscum manere. Optaremus enim non illos tantum qui discesserunt, sed multo plures ex nostris Ecclesiis et alios recte iudicantes auditores esse omnium nostrarum pactionum et sententiarum. Quod autem discesserunt culpa est nonnulla eorum, quorum artificiis distractio quaesita est, ut ille de Lacedaemoniis dixit: Sic cum eis bellum gerendum esse, ut cum apes fumo sub alveolis facto dissipantur, id est, Domus distrahendos esse priusquam universi conveniant. Haec artificia nota sunt nostris adversariis et sine Xenophonte. In omnibus negotiis ac praecipue in condemnationibus vitanda est ambiguitas. Prius igitur disertae adsertiones*) et explicationes poni volumus quam nude condemnationes spargerentur, inflammaturae maiora dissidia et odia. Nam illis ipsis condemnationibus multae sunt involutae ambiguitates, et quaedam magis plectunt adversarios quam nos. Errant autem adversarii, si putant iam sibi profuturas esse maiores dilacerationes, quarum ruinae et multas gentes ferient et ad posteritatem facturae sunt vastitatem. Quare omnes prudentes decet cavere semina novarum discordiarum. Nos autem in hoc discessu nostro rursus adfirmamus, nos maxime optare, ut nostrae Ecclesiae in quibus Vera Dei invocatio sit, sint tranquillae, quia dissidia horribiliter turbant invocationem, eamque ob causam repetimus hanc nostram asseverationem: Nos neque discedere neque discessuros esse a confessione nostra Augustana, exhibita anno 1530. nec authores fore novarum dissensionum. Praestabimus et modestiam convenientem piis doctoribus et utilem paci, et optamus, omnes ubique anniti, ut unum simus in Deo, nec dimicemus inter nos sicut Cadmaei in fratres. Non adeo ferrei sumus, ut non adficiamur ingenti maestitia Ecclesiarum, quae haec vulnera sentiunt, quae vident invocationem Dei extingui et mentes multorum fieri prophanas et efferas, quae bella, vastationes, tenebras, legum interitum et tetras et Diabolicas morum confusiones secuturas esse metuunt. Haec ingentia mala cogitantes assiduis votis et gemitibus Deum oramus propter filium, ut semper colligat aeternam Ecclesiam inter nos et eam gubernet, et flectat Principum et docentium pectora ad piam et aeternam concordiam.

Nunc vero, Reverendissime Domine Praeses, gratias agimus Reverendissimae Dominationi Vestrae, quod nos patienter audivit et non solum aequalitatem in hac gubernatione praestitit, sed et, ut Regiae Maiestatis mandata postularunt, magno studio apud Collocutores alterius partis perficere conata est, ut collatio doctrinae procederet, quam tamen ipsi detrectarunt. Die Kalend. Decembris Anno 1557.

Philippus Melanthon.
Ioannes Brentius.
Ioannes Marbachius.
Ioannes Pistorius Nidanus.
Michael Dillerus.
Iacobus Rungius.
Iacobus Andreae Doctor.
Georgius Kargius.
Paulus Eberus m. p.

*) Apogr. *adservationes*, ex mendo.

No. 6415. 3. Dec.

Comitibus ab Erbach.

Edita, sed satis mendose in Luck's „Reformations- und Kirchengeschichte der Grafschaft Erbach"; nunc vero ex apographo Mel. in tabulario Illustr. Comitum ab Erbach, accurate nobis descripta a S. V. *Kraussio*, parocho urbano in oppido Erbach. — Pagella et notae marginales nunc primum in lucem prodeunt, quum Luckius tantum epistolam ediderit. Miserant Georg. et Valentin., Comites ab Erbach, legatos ad Melanthonem, Andream Stoltzium, Pastorem in Michelstadt, et Georgium Schweigern, ut Melanthonis et Brentii sententiam de forma sacrorum, qua Comites volebant uti, quaererent.

Illustribus Dominis, Georgio, Eberarto et Valentino, Fratribus, Comitibus in Erpach et Dominis in Breuberg, Patronis reverenter colendis

S. D. Illustres domini Comites[1]). Etsi magnae sunt[2]) confusiones in genere humano, tamen con-

1) Praetermisit haec Luck.
2) Luck. *sint.*

stanter hanc consolationem teneamus, quod certo deus voce Evangelii propter filium colligat aeternam Ecclesiam, nec frustra ad interitum tantum nascantur homines. In hac vera agnitione et invocatione dei ut confirmet vos filius dei sedens ad dextram aeterni patris, ut dona det hominibus, toto eum pectore oro. Oro etiam eum, ut semper in vestra patria Ecclesiam sibi colligat et Celsitudines[3]) vestras in[4]) Ecclesia servet et gubernet.

Librum vestrum[5]) diligenter legimus Reverendus[6]) d. *Brentius* et ego. Series rituum[7]) nobis non displicet, sed de verborum phrasi et de[8]) doctrina poenitentiae monuimus quaedam[9]), ut in marginibus libri et in pagella addita conspici potest. Deus Celsitudini vestrae et Illustribus fratribus confirmet vires animae et corporis. Datum die tertia Dec.

Cels. V.

servus

Philippus Melanthon.[10])

† (*Pagella addita.*)

In ipsis pagellis libri ascripsi quasdam emendationes in formis loquendi.

In catechismo vellem expresse inseri interrogationes de poenitentia, quid nominetur poenitentia seu conversio, quia haec vocabula oportet in Ecclesia nota esse.

Et utile est sciri, quae conversio comprehendat, haec tria: contritionem, fidem, et novam obedientiam. Haec distinctio populo aliquid lucis adfert.

Ante communionem in privato examine vellem adsuefieri homines ad precandam privatam absolutionem.

Vellem etiam ante communionem post recitatam publicam precationem, ut annotavi, recitari verba absolutionis.

---

3) Luck. inepte: *constitutiones.*

4) Luck. addidit *vera.*

5) Forma sacrorum, Melanthoni et Brentio a Comitibus missa.

6) *Rev.*] non habet Luck.

7) Luck. *rerum.*

8) *de*] excidit e textu Luck.

9) Luck. *quaedam monuimus.*

10) Luck. *Melanchton*, ut saepe editores seriores ex suo arbitrio ediderunt, quanquam Melanchthon constanter inde fere ab anno 1535. scribebat *Melanthon.* —

† (*Notae margini libri Philippi manu adscriptae, quae hic ita, ut S. V. Kraussius eas misit, editae sunt.*)

Zu der Instruction in dem Bestallungsformular für einen neu anzunehmenden Pfarrer, wie dieser das Wort Gottes vortragen soll, setzte Mel. hinter den Worten: „klar und lauter", hinzu: „und in unsrer Kirchenordnung *vel catechismo, in summa recitet, vel, sicut in confessione Augustana recitatur*".

In dem Gebet vor der Predigt (das noch jetzt zu Erbach nebst der Epistel am Altar abgelesen wird) hat Mel. statt der Worte: „verleihe uns allen, daß unsre Herzen gefreiet sind von weltlichen Geschäften", mit Durchstreichung der fünf letzten Worte gesetzt: „verleihe uns allen, daß unsre Herzen von allen (weltlichen) Gedanken und Abgötterei erledigt sind".

Nach dem 10ten Gebot hat Mel. hinter den Worten: „diese Gebot sind verfasset in einem kurzen Spruch", die Citation „Matthäi am 7., alles was ihr wollet daß euch die Menschen thun sollen ꝛc." gestrichen und dafür gesetzt: „du sollt deinen Gott lieben aus ganzem Herzen und deinen Nächsten als dich selb. — *Nam dictum Matthaei 7. loquitur tantum de secunda salute*".

In der Absolutionsformel setzt Mel. statt der Worte: „ich verkündige allen denen, welchen ihre Sünd von Herzen leid seind und ihr Leben zu bessern gedenken, auch Idman um Gottes Willen vergeben und seine Fehle verzeihen wollen", an den Rand: „ich verkündige allen, die sich zu Gott bekehren", — und weiter unten in der nämlichen Formel hinter den Worten: „denjenigen aber, so von Sünde nicht abstehen noch ablassen wollen, sondern in ihrem muthwilligen, gotteslästerischen und halstarrigen Leben fürtzufaren und zu verharren gedenken", die er ausgestrichen hat, die Worte: „denjenigen aber, die sich nicht zu Gott bekehren, sondern in Sünden wider Gewissen verharren | *Absolutio non adferat dubitationem*; *addatur de his qui communicent ut credant*".

In dem Gebet nach der Predigt setzt Mel. nach den Worten: „laßt uns bitten, daß Gott uns sein Wort rein und lauter erhalten wolle", hinzu: „und unsre Herzen durch seinen Sohn Jesum Christum mit seinem heiligen Geist regiere".

In dem Formular zur Verkündigung der Abendmahlsfeier hat Mel. statt der Worte: „darum sind alle die unwürdig, welchen ihre Sünd von Herzen nicht leid

sind", gesetzt: „darum — — unwürdig, welche in Sünden wider Gewissen verharren".

Zu der Vorschrift, daß Junge nicht zum Abendmahl zugelassen werden sollen, welche das Nachtmahl noch nicht gebrauchen, es sey denn, daß sie sich zuvor gemeldet, Bekenntniß ihres Glaubens gethan, und genug von dem Pfarrer verhört und unterrichtet seyen, setzt Mel. hinzu: und die *absolutio* empfangen haben.

Statt der Bedingung des Essens und Trinkens „im Glauben, um durch den Fleisch gewordenen Erlöser geheiligt zu werden", die Mel. strich, setzt er an den Rand: „so wir in rechtem Trost glauben, daß Christus uns zu gut Mensch, und ein Opfer für uns worden sey, und in diesem Trost ist Christus wahrhaftiglich in uns kräftig". (Diese Stelle kommt in dem vorzulesenden „Unterricht vom h. Abendmahl" vor, der noch jetzt mit Abänderung bei der Beichtandacht gebraucht wird.)

In eben diesem Unterricht hat Mel. bei Angabe der Gründe, warum der Herr seine Gemeinschaft im Abendmahle mittheile, die Worte ausgestrichen: „der Verzeihung derselben in Christo mehr getrost auch in dem neuen Leben mehr gefördert und gestärkt werden", und dafür gesetzt: „und durch dieses Zeugniß, daß sich der Herr Christus uns giebet, und seine Gliedmaß machet, der Glaube gestärkt werde, daß uns gewißlich unsre Sünden vergeben sind, und".

Gegen das Ende desselben Unterrichts vom heil. Abendmahl hat Mel. die Worte gestrichen: „nicht zugelassen werden sollen alle die, welche sich nicht für Sünder erkennen, und ihre Sünd von Herzen nicht leid seyn lassen, und sich nicht zu bessern gedenken", und dagegen an den Rand gesetzt: „nicht gehen sollen, welche in Sünden wider Gewissen verharreu und sich nicht bekehren".

Vor den Einsetzungsworten in dem Formular zur Abendmahlsfeier macht Mel. die Randbemerkung: „*Hic vellem recitari publice communem absolutionem accedentium ad communionem*".

No. 6416. (Dec.)

(*Historia conventus.*)

Hanc breviorem narrationem de colloquio Worm. edidit Pezelius in Mel. Consil. lat. P. II. p. 286., et videtur vel amico vel principi cuidam scriptam esse. — Uberiorem narrationem vid. infra d. 25. Ian. et d. 28. Feb. 1558. coll. Sarcerii narratione d. 26. Dech. 1557.

Historia Conventus Theologorum Wormaciae 1557. breviter exposita a Philippo Melanthone.

Anno 1557. in Germania, in urbe Vangionum inchoatum est colloquium mense Septembri de controversiis Ecclesiasticis, fuitque Praeses Iulius Pflug Episcopus Naoburgensis, cui additi erant assessores partim Pontificii, partim amplexi confessionem nostram. Collocutores erant Pontificii Michaël Episcopus Mersburgensis, Delphius Suffraganeus Argentinensis, Canisius, Staphilus, et duo Theologi Lovanienses. Responsuri de Augustana confessione illis oppositi fuerunt, Philippus Melanthon Lector Wittebergensis, Erardus Sneppius Lector Ienensis, Iohannes Brentius Pastor Studgardianus, Iacobus Rungius Pastor Gryphiswaldensis, Georgius Cargius Anspachensis, et Iohannes Pistorius Pastor Nidanus. Notarii ex nostris fuerunt Paulus Eberus, et D. Iacobus Andreae Pastor Göppingensis. Estque initio erudite disputatum de norma iudicii in Ecclesia. Constituebant Pontificii normam, perpetuum consensum. Sic autem nominabant suam consuetudinem, quae sit perpetuus consensus. Multae autem recentes opiniones Monachorum, et multa decreta pontificia manifeste pugnant cum scriptis Propheticis et Apostolicis, et cum puriore vetustate, et multi impii ritus irrepserunt, ignoti veteri Ecclesiae.

Nos igitur normam iudicii esse affirmavimus Prophetica et Apostolica scripta et Symbola.

Diximus etiam, scriptorum Ecclesiae veterum testimonia de dogmatibus nos adiungere: Sed discernendos esse scriptores, alios magis, alios minus puros esse, et paulatim sparsa esse errorum semina. Et multi libri titulis veterum circumferuntur, qui prorsus sunt nothi, ut liber Ambrosii de Sacramentis, et alii.

Haec cum copiose disputata essent: Pontificii petiverunt condemnationes Cinglianorum, Osiandri, et Illyrici. Nos respondimus, addituros nos esse in singulis articulis ordine condemnationes, rebus prius explicatis. Ibi Ienenses se a collegis seiunxerunt, et suas condemnationes publice recitare conati sunt, contra Cinglianos, Osiandrum, Adiaphoristas, ut nominarunt, et contra propositionem, quae dicit, *Bona opera necessaria sunt ad salutem.*

Has condemnationes, cum assessores, qui ex nostris Praesidi adiuncti erant, publice recitari nollent: Ienenses exhibuerunt eas Pontificiis, et ex urbe Vangionum discesserunt. Hac occasione Pontificii libenter usi, negaverunt, se in colloquio processuros esse, quia collegae nostri abiissent. Praeses rem ad Regem Ferdinandum refert, qui iubet nos in colloquio procedere, et satis esse respondit, si condemnationes proponantur ordine, cum ad articulos perventum esset. Regiis literis allatis, tamen Pontificii procedere nolebant. Exhibita igitur protestatione, adversariis discedentibus, nos quoque discessimus, mense Decembri. Ita astute adversarii colloquium abruperunt.

(*Melanthon iter ingreditur domum d.* 6. *Decb.*)

No. 6417. 8. Dec. (Francoford.)

Peucerus ad Sig. Melanth.

Edita ex autographo Peuceri a Strobelio in Miscellan. IV, p. 77.

Sigismundo Melanthoni *), *artium liberalium et philosophiae Magistro, suo fratri cariss.*

S. D. Quod foelix sit et faustum. Discessimus Wormatia die sexta Decembris, et Francofurti diem octavum subsistemus certis de causis, deinceps Deo iuvante sine mora progressuri. Expectabitis autem nos circiter 23. aut 24. Decembris. Praemittam tamen ex Lipsia vel Thebis vicinis tabellarium, qui certo diem nostri reditus vobis significet. Optarim autem vos, nisi asperitas et inclementia coeli prohibeat, liberos vel currui arcuato impositos, vel alioquin contra frigus munitos obviam gestare socero, ut prius conspectu et colloquiis filiarum exhilaretur, quam domi orbitate deserta domus turbetur. De qua re statues ex aëris et coeli constitutione, quod fuerit commodum.

*) Qui illo tempore Vitebergae docebat, ut intelligitur ex Scriptis public. Acad. Viteb. T. III.

Historiam totius colloquii et discessus nostri, qui honorificus nostris, adversariis ignominiosus fuit, recitabimus amicis reversi domum, et nisi odiis ac virulentia *τῶν Μεθωναίων* turbatae res fuissent, triumphare nostris quasi de certa victoria licuisset. Tanta fuit ruditas et insulsitas Antagonistarum. Mitto formulam scripti, editi a nostris, in quo de abrupto sine fructu colloquio sese excusant, et consensionem esse inter eos, qui sese ad colloquium pertexendum obtulerunt, atque coniunctionem firmam veramque ostendunt, quod poteris legendum praebere praeceptoribus et collegis nostris. Quaedam privata mandavit et scripsit. Francofurti die 8. Decb.

Casp. Peucerus.

No. 6418. 10 Dec. (Francof.)

Hier. Baumgartnero.

† Ex autographo in bibl. Norinb. descripta a Clar. *Rannero.*

Clariss. viro, sapientia et virtute praestanti Dom. Hieronymo Bomgartnero, Senatori inclytae urbis Noribergae, suo amico carissimo

S. D. Multa vidimus non obscura signa initio colloquii, quae ostendebant adversarios non velle pertexere inchoatam doctrinae collationem. Arte igitur quaesita est distractio inter nostros *παραστάτας.* Et hi, qui tyrannica decreta, nata in Centauricis conviviis attulerant [1]), libenter se a caeteris seiunxerunt. Nos, cum adversarii post illorum discessum procedere in collatione nollent, cum quidem *Ferdinandus* iuberet ut procederent, nos quoque dimitti petivimus. Pagellam postea de nostro consensu edidimus, quam mitto. Sciebam nostros vicinos suo more venenatos fabellas sparsuros esse. His opposui hanc simplicem narratiunculam, etsi contra calumnias vix ulla sunt remedia. Tu tamen iudicabis, bono consilio editam esse, etiamsi sunt *ὕπουλα* quaedam mala, quae tegere melius. Sed scribam copiosius, cum Deus me domum reduxerit. Propero enim, etsi

1) Theologi Wimarienses.

et luctu et morbis retardor[2]). Bene vale, die decimo Decembris. Francofurdiae.

Philippus.

No. 6419. 11. Dec.

P. Lotichio.

Editum in Script. publ. T. III. p. 272 b. Item in Melanth. Epigramm. p. 91. et in Petri Lotichii Abb. Solitar. Opuscul. (Marp. 1640. 8.) p. 108 sqq.

Ad Petrum Lotichium, Abbatem in Ecclesia Monasterii, cui Imperator Carolus M. fundator nomen indidit Solitariae.

Cum Franci tenuere pulcra regna
Orae Teutonicaeque, Gallicaeque,
Clari iustitia, modestiaque:
Templa in saltibus et Scholas piorum
Per quas Fulda fluit, petens Visurgim,
Insigni*) pietate collocarunt,
Veri notitiam Dei serentes,
Et vitae documenta sanctioris.
Huc Reges quoque saepe commeabant,
Doctorum sapientia fruentes,
Hymnos inter et hos choros sonantes
Cum tyronibus, aureis in armis.
Aetas aurea Principum bonorum
Haec exempla dabat sequenda plebi.
Hi, cum bella movere erat necesse
Ausi magnanimi ciere pugnas,
Donarunt patriae suae cruorem,
Inter praelia dexteras regente
Te, Christe, duce, quem simul vocabant
Ut soli tibi figerant trophaea.
Rursus, tempore pacis ordinabant
Doctrinae studium, forique iura.
Hei! quam dissimiles habet Monarchas
Effoeti modo seculi senecta!
Ignavos, stolidos et inquietos,
Titanum similes, Deo minantes,
Spreto fulmine, siderum ruinas!
Multos namque Dei necant ministros
Quos stellas Daniel vocat Propheta.
Nec morem retinent sodalitates
Vestrae, quem sapiens probat vetustas:
Multae sed similes videntur esse
Circaeis stabulis canum, suumque:
Ac ut Grillus ibi priora membra,
Non vult restitui sibi, videmus
Sic spurcos aliquos manere Grillos,
Spernentes sapientiam, Deumque.
Solus *Lotichius* Scholis et Aris
Doctrinae studium, Deique honores
Reddit, fictitiis Deis remotis,
Depulsisque sophisticis tenebris.
Hunc tu Lotichium tuere, Christe,
Aeterno λόγε nate de parente.

Scriptum in Solitaria 11. d. Decembr. Anno M.D.LVII.

2) Calculo laborabat.
*) Epigr. *Insignem.*

No. 6420. 20. Dec. (Lipsiae.)

Scriptum.

† Ex autographo Melanthonis in Biblioth. Regia Paris. cod. 5174. II. fol. 241., descripta a clariss. *Dübnero.* Continet ille codex epistolas clarorum virorum ad Hubertum Languetum. Scripsit autem haec Melanthon in reditu ex conventu Wormatiensi, quum esset Lipsiae.

Cum inclytus Dominus, dominus *Ludovicus comes in Eberstein* et dominus in Neugarten decreverit in Academiam Witebergensem mittere fratrem, *Stephanum Henricum*, comitem in Eberstein etc. item *Vilemarum* Baronem in *Burbusch*, et nobiles adolescentes *Henricum Bork*, et *Fridericum Molzan*, commendari eos voluit viro honesto et erudito *Huperto Langueto* Burgundo, hac conditione, primum ut eis fideliter et pie tradat puram et incorruptam Ecclesiae Dei doctrinam iuxta confessionem Ecclesiarum nostrarum, et eos adsuefaciat ad vivam Dei et domini nostri Iesu Christi invocationem, audiat eos saepe recitantes summam doctrinae memoriter et precationes, simul etiam adsuefaciat eos ad honestos mores, deinde curet eos recte erudiri in grammatica, dialectica, serie historiarum, et cogat eos latine loqui et scribere. Cumque sermonem latinum mediocriter didicerint, tradat eis initia philosophiae moralis, et iuris civilis institutiones. Denique officia ea flagitat inclytus Comes, quae pro fide et prudentia sua praestare debet. Pro his laboribus inclytus Comes Ludovicus promittit, se daturum esse Huperto victum apud ipsos discipulos et quotannis Ioachimicos sexaginta. Vicissim igitur Hupertus promisit, se institutionis labores iuxta praescriptum fideliter et diligenter, ut iustum

est, deo iuvante, facturum esse. Hae promissiones utrinque factae sunt anno 1557. in urbe Lipsia die vicesimo Decembris. Et sit initium suscepti officii pasca anni 1558., quod ut sit faustum et foelix faciat Rex supremus, Deus aeternus pater domini nostri Iesu Christi. Datae Lipsiae anno 1557. die vicesimo Decembr.

No. 6421. 23. Dec. (Witeberg.)

G. Cracovio.

Epist. lib. II. p. 377. (ed. Lond. lib. II. ep. 392.).

D. Georgio Cracovio

S. D. Dei beneficio recte valent, et honestissima coniunx tua, et dulcissima familia. Et reverendi Domini *Pastoris*, ut in hac senecta, bona est valetudo. Laetati sunt nostro reditu et conspectu, sed magis laetati essent, si nobiscum huc simul accessisses, ac malueram te domesticam *στοργὴν* anteferre aulico officio. Et mecum sentit Doctor *Laurentius*. Sed oro Filium Dei, ut te quam primum honestissimae coniugi tuae et dulcissimae familiae, et optimo seni socero recte valentem restituat. Est et oppidi et Academiae mediocris tranquillitas. *Georgium* nostrum*) ad aulam accessisse mirati sumus et ego et alii, ac metuimus additurum esse *πῦρ ἐπὶ πῦρ*, vellem eum moderari iracundiae, *καὶ μὴ χαρίζεσθαι ἀχαρίστῳ πάθει*, ut *Graecus* quidam dixit. Sed vides et privatas et publicas mutationum causas accidere, quas ut Filius Dei gubernet, toto eum pectore oro. Salutem et clarissimo viro D. Doctori *Mordisio*, et collegis sociis laborum maximorum opto. Bene vale. Die 23. Decembris.

No. 6422. 24. Dec.

Ioachimo Pr. Anhalt.

Edita in *Becmanni* Access. historiae Anhalt. p. 120.

An Fürst Joachim zu Anhalt.

Gottes Gnade und Trost durch seinen eingebohrnen Sohn Jhesum Christum unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer und ein künftig frölich Jahr wünsche ich E. F. G. mit Hertzen. E. F. G. gnädige Trost-Schrifft habe ich uf dem Wege empfangen, darinnen mir nicht allein die tröstliche Erinnerung meine mancherley Betrübniß lindert, sondern vielmehr E. F. G. Christlich Gebet zu Gott für gemeine Kirchen und für mich, welches ich in Wahrheit groß und kräftig achte; denn dieses ist ja gewiß, daß Gott diese ernstliche Dienste fordere, daß wir alle für gemeiner Christenheit Nothdurft sorgen und Gott anruffen, seine Ehre, rechte Erkantniß seines Sohnes, und seine Kirchen und selige Regiment zu erhalten; Derhalben hab ich E. F. G. Schrifft gerne gelesen und betrachte sie noch fleißig, und danke E. F. G. in Unterthänigkeit. Und nachdem ich weiß, daß E. F. G. auch ein schweres Creutz viel zutragt, haben auch des Hochlöblichen Fürsten und Herrn Fürst Georgen E. F. G. Herrn Bruders noch nicht vergessen, an welchen ich täglich gedenke, bitt ich auch mit Hertzen den wahrhaftigen Sohn Gottes Jhesum Christum, der gesprochen hat: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos etc. er wolle E. F. G. allezeit tröſten und an Leib und Seel stärken. Dieser Sohn Gottes hat beyde Ambt; Er selbst ist der Versühner, und bittet für uns, und trägt unsere Seuffzen für den ewigen Vater, und ist zugleich samt dem ewigen Vater der Helfer; Und wissen E. F. G. als ein Hochlöblicher, Christlicher, weiser und erfahrner Fürst, aus welchen Ursachen die Kirche in hohe große Betrübniß gesteckt ist, und daß dagegen Gottes Will ist, daß wir nicht in der Betrübniß versinken, sondern Trost bey ihme durch den Sohn suchen, der gesprochen hat: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis. Die Historien des Colloquii will ich E. F. G. gründlich und wahrhaftiglich in kurtzen selbst in Gegenwärtigkeit mit Gottes Hülfe berichten. Der allmächtige Gott, Vater unsers Herrn und Heilandes Jesu Christi wolle E. F. G. an Seele und Leib stärken. Datum, den 24. Decembr. Anno 1557.

E. F. G.
armer unterthäniger Diener
Philippus Melanthon.

No. 6423. 26. Dec.

A. Hardenbergio.

Epp. ad Hardenberg. ep. 24.

D. Alberto Hardebergio.

S. D. Reverende vir, et carissime frater. Etsi multi amici, viri prudentes in ripa Rheni, dis-

*) Georgium Maiorem.

suaserunt mihi reditum ad Albim, redii tamen seu fato, seu quia post mortem uxoris me necesse est haeredibus meis tradere quantulumcunque est, quod eis dare possum. Sed exilia nova expecto. Fuit in urbe Vangionum mecum ille tuus discipulus*), quem cum viderem mutatum, gemens dimisi sine longiore disputatione. Nec mirum est, frangi animos eorum, qui non sunt confirmati vetustatis sincerae testimoniis, cum vident sibi cum tanta multitudine et potentia dissentientium, imo et cum fortuna pugnandum esse. Mitto tibi formulam scriptam, cum ex urbe Vangionum discederemus, ut occurrerem Sycophantis, qui venenatissimas fabellas spargunt, in qua, cum videas, quantum paci consulere inter nostros studeam, te quoque oro, ut et paci et bonorum infirmitati servias. Quamprimum erunt tempestates mitiores, tecum colloqui decrevi, nisi prius discedere hinc cogar. Fortassis et mors me cito ad tranquilliorem Ecclesiam dimittet. Non enim plus uno anno ab eo climacterico absum, qui plurimis vitae corporum meta est. Ac profecto avide illius Academiae coelestis sapientiam expeto et expecto, in qua coram adspiciemus ea, quae maxime cognoscere cupimus. Inimici mei iactarunt se expulsuros esse me ex tota Germania. Tantum potentiae se habere putant. Ego et ex Germania, et ex hac vita discedere, cum Deus volet, non recuso. Sed errant illi ardeliones, si se dominos Germaniae universae esse existimant. Scriberem plura, nisi scirem, multos insidiari nostris literis. Bene et feliciter vale, et rescribe. Die Stephani.

Philippus Melanthon.

No. 6424. (h. t.)

Narratio Sarcerii.

† Ex apogr. in Cod. Guelpherb. in fol. No. 7. 9. p. 386.

Narratio
„de colloquio ex ore Sarcerii scripta, postquam Islebiam domum rediit".

Narrat dominus *Sarcerius*, Papistas istic confluxisse frequentes et vix unquam frequentiores in conventu fuisse, et etiam animis praesentioribus, ne dicam ferocioribus. Unde animi tanta magnanimitas sit orta, tu, me tacente, intelligis. Conditiones colloquii iniquissimas proposuerunt, ut, si vellemus illos nobiscum congredi, statueremus, non ex canonicis scripturis prophetarum et apostolorum, sed ex patrum dictis controversias Ecclesiae aestimandas et componendas esse, quam conditionem si nollent accipere, disrumpendum esse colloquium. Nostri responderunt negativissime.

Deinde rursum quaesitum fuit ab istis, num Augustanae confessioni adhuc omnes subscriberemus, neque eam vellemus reiectam? Applausum est toto choro. Deinde in specie, an vellent nostri damnare omnes sectas contrarias August. confessioni? Adfirmatum quidem est, sed analysi facta, facta est discessio quoque. Theologi *Thuringiaci*, *Morlinus et Erasmus Sarcerius* uno ore omnes affirmarunt, cum ratio fidei postulabatur, sese damnaturos *Osiandrismum*, *Stenckfeldianismum*, *Adiaphorismum*, *Maiorismum*, idque factum ab ipsis et singulis est cum indignatione sociorum nostrorum, et eorum qui missi fuerunt, ut Adiuncti, Collocutores et Auditores essent. Allegarunt rei magnitudinem et pericula, quae manebunt damnatores, rem reiici voluerunt ad aliam synodum, quae ad Calendas Graecas colligenda esset, rem magnam esse, esse differendam, illos non damnandos indicta causa, illos accersendos quoque esse. Factum tamen est invitis illis, et illa res ad praesidentem delata, et in acta relata est. Ph. [*Philippus*] antea nostris deliberantibus ad omnia fuit paratissimus ad sententiam ferendam contra omnes sectas, quae contra August. Confessionem enatae fuerunt his annis; sed *Brentius*, Osiandrista certus, sua auctoritate, improbitate et tumultu retraxit Philippum a proposito. Nostri protestantes vel damnantes exclusi sunt ergo a colloquio, cum tamen publica imperii auctoritate fuerunt constitutae et accersitae personae, atque ita nostri discesserunt re infecta. Nescimus num alios suae farinae homines suffecerint in locum, nec ne vesperi cum mane discederent nostri, legatus Papae advenit, creditur, quod prohibuerit, ne amplius cum haereticis contendant post unam atque alteram admonitionem, sed rem integram Papae relinquant.

---

*) *Eilardus Segebade* ad aedem S. Ansgarii Brem. Pastor. [D.]

No. 6425. (ex. Dec.)

Augusto, Duci Sax. Elect.

Editum a Pezelio in Mel. christlichen Bedenken p. 507. et a *Schumachero* in den Briefen gelehrter Männer an die Könige von Dänemark, T. III. p. 411 sqq. ex apographo Dresdae facto et in Daniam misso. Vid. ep. d. 25. Ian. 1558. Augustus Pr. Elector fere mense Nov. redierat ex Dania.

Inscriptio apud Pezelium: Artickel zu Worms gestellt von Phil. Melanth. zu Hinlegung der streitigen Religions-Puncten anno Christi 1557.

Die folgenden Artikel habe ich[1]) meinen Gesellen[2]), die zu Worms bis zu Ende[3]) geblieben sind, davon zu reden und hernach zu schließen, vorgelegt. (Inscript. apud Schumacherum.)

Erstlich in gemein, daß wir alle bei der Confession, zu Augsburg übergeben[4]), bleiben wollen, und was derselben widerwärtig ist, verwerfen.

Dieser General[5])-Artikel ist von allen einträchtiglich gewilliget, laut der öffentlichen Schrift, die davon im Druck ausgegangen ist[6]).

Darauf sind gefolgt drey Special-Artikel von etlichen neuen Streiten.

Der erste, von Osiandri Lehre[7]).

Dieser Hauptstreit im Grunde ist[8]) also zu vernehmen: der Glaube soll vertrauen auf die verheißene Barmherzigkeit Gottes, der uns gewißlich annimmt, allein von wegen des Gehorsams Christi, wie der Text spricht, *iustificati sanguine ipsius*[9]). Und allein durch diesen Glauben ist der Mensch vor Gott gerecht, das ist, er[10]) hat Vergebung[11]) und imputatam iustitiam propter Christum, und ist Gott gefällig. Diesen Trost von der imputata iustitia nimmt Osiander weg, und spricht, Gerechtigkeit sey dieses, das uns macht Recht thun, nämlich die Inwohnung Gottes, das ist, die Verneuerung, und führet also das Vertrauen vom Gehorsam Christi auf die Verneuerung in uns, und spricht mit ausgedruckten Worten: imputatio iustitiae est frigidior glacie.

Wider diesen Osiandri Irrthum ist unser Artikel gestellt zu Erhaltung der Wahrheit und des rechten Trostes, nämlich, daß die Person also vor Gott gerecht, das ist, angenehm sey, so der Glaube auf den Mittler Christum und seinen Gehorsam vertrauet. Also treten die Propheten und alle Heiligen vor Gott, suchen die verheißene[12]) Barmherzigkeit um des Mittlers willen, und sind durch diesen Glauben gerecht, und haben Frieden vor Gott, wie David spricht: *salvum me fac propter misericordiam tuam.*

Denn obwohl die Verneuerung anfähet[13]), so ist sie doch nicht dieses, darum die Person vor Gott gerecht ist und gefällig; denn in diesem sterblichen Leben ist noch Sünde im Menschen, und bleibt der Spruch: *totus mundus sit reus Deo.* Darum muß dieser Trost für und für bleiben, daß die Person durch Barmherzigkeit von wegen des Mittlers und seines Gehorsams gerecht sey, das ist, Gott gefällig allein durch[14]) Glauben.

Nach diesem Trost ist wahr, daß Gott im Menschen wohnet und Verneuerung folget, und daß dieselbige Verneuerung[15]) Gottes Werk ist, wie viele Sprüche sagen Johannis 14.: Wer mich liebt, der wird meine Rede bewahren, und mein Vater wird ihn lieben, und wir werden zu ihm kommen und Wohnung bei ihm machen. Joh. 4.: Er ist in uns; denn von seinem Geiste giebt er uns.

Aber obgleich dieses neue und angefangene Licht, und angefangener Gehorsam in Gläubigen, auch Gerechtigkeit genennt wird, welches recht zu verstehen ist, nämlich darum, daß der Gehorsam gegen Gottes Gebot also anfähet, und in dem Gläubigen Gott gefällig ist, ja es ist Gottes Werk: so wissen doch alle Heiligen, daß neben diesem Anfange des neuen Gehorsams und göttlicher Wirkung in uns, in diesem sterblichen Leben große Schwachheit und Sünde bleiben, wie der Psalm spricht: vor dir ist kein Lebendiger gerecht, und Hiob spricht[16]): ich weiß wahrlich, daß kein Mensch gerecht ist vor Gott. Und ist diese ernst-

1) Pez. addit: Philippus.
2) Pez. *Collegis.*
3) Pez. addit: des *Colloquii.*
4) Pez. addit: *anno* 1530.
5) Pez. gemein.
6) Pez. laut der öffentl. gedruckten Schrift, dabei die Namen sind der Prädicanten, die zur selben Zeit zu Worms gewesen sind.
7) Pez. Erstlich vom Osiandro.
8) Pez. mendose addit: nicht.
9) Pez. *iustificamur obedientia et sanguine ipsius.*
10) Pez. die Person.
11) Pez. addit: der Sünden.
12) verheißene] abest a textu Pez.
13) Pez. anfecht.
14) Pez. durch den.
15) folget — Verneuerung] transmissa sunt apud Schumach.
16) Pez. addit: *cap.* 9.

liche[17]) Lehre sehr oft in der göttlichen Schrift erholet [wiederholet].

Darum ist dieser Trost für und für im Leben zu wissen, daß die Person nicht von wegen der folgenden Neuigkeit [Erneuerung], sondern durch Glauben allein, aus Barmherzigkeit um des Herrn Christi willen, gerecht, das ist, Gott gefällig sey.

Diese Lehre ist klar in göttlicher Schrift ausgedrückt, und ist durch Gottes Gnade in unsern Kirchen bekannt; ist nicht unrichtig oder unverständlich, sondern muß in täglicher Anrufung geübt werden.

Aus dieser Erklärung ist zu verstehen, was im Grunde[18]) des Osiandri Streit ist.

Daneben er etlichen Sprüchen neue Deutungen macht, als, das Blut Christi reinigt uns von allen Sünden etc., spricht Osiander, das Blut soll verstanden werden die Gottheit, so doch Johannes vom Gehorsame und Tode Christi redet. Von diesen und andern mehr Sprüchen ist sonst geantwortet.

Der andere Artikel.

Von dieser Proposition: Gute Werke sind nöthig zur Seligkeit, zu reden, haben erstlich Ursache geben die Antinomer, das ist, die Lästerer, welche schreyen, daß der Mensch könne Glauben haben und gerecht seyn, wenn er gleich in Sünden wider Gewissen, in Ehebruch, Todtschlag lebt.

Und wollen diese Proposition nicht leiden: der neue Gehorsam ist nöthig; item, der neue Gehorsam ist *debitum.* Und schreibt nun Ambsdorf: die guten Werke sind schädlich zur Seligkeit, und was Eislebens Sprichwort[19]): das Mus ist versalzen. So hat einer eine disputatio zu Nordhausen öffentlich angeschlagen, darin diese Proposition steht: *summa ars Christianorum est, nescire legem*, die höchste Kunst der christlichen Menschen ist, das Gesetz nicht wissen.

Dagegen ist gewißlich göttliche unwandelbare Wahrheit: *Nova obedientia est necessaria*, und sollen diese Worte in ihrem rechten Verstande bleiben.

Nöthig heißt göttliche Ordnung. Nova obedientia est necessaria, und: nova obedientia est debitum eo ipso, quia ordo immotus est, ut creatura rationalis Deo obediat. Dagegen machen etliche eine grobe Deutung[20]), nöthig heiße, das erzwungen ist durch Furcht oder Strafe.

Diese Worte, gute Werke, werden auch grob verstanden von äußerlichen Werken, wie etliche geschrieben haben: man solle gute Werke thun, wann es einem gelegen ist. Diese Rede, nova obedientia soll also verstanden werden[21]), das neue Licht im Herzen durch das Wort Gottes vom Sohne und heiligen Geiste angezündet, und Freude an Gott[22]), Anrufung, guter Vorsatz, daraus[23]) äußerliche gute Werke kommen[24]). Und wird in Summa nicht geredet allein[25]) von äußerlichen Werken oder von Menschen Geboten, sondern wie im Zacharia geschrieben ist, cap. 12.: Ich will ausgießen über das Haus David den Geist der Gnade und des Gebetes; und wie Paulus redet, Ephes. 2.: Wir sind sein Werk, erschaffen durch Christum Jesum zu guten Werken, die Gott in uns vorbereitet hat, daß wir darin wandeln.

Daß nun neuer Gehorsam nöthig sey von wegen göttlicher Ordnung, bezeugen diese Reden, Psalm 5.: *Non, Deus, volens iniquitatem tu es.* Item Zachar. 3.: Lügen etc. dieses alles hasse ich. Item der göttliche Eid fasset die Bekehrung. *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.* Item, Rom. 8.: *Debitores estis.* Dieweil denn Paulus selbst dieses Wort brauchet, sollen billig diese Propositiones: *nova obedientia est necessaria*, und: *nova obedientia est debitum*[26]), nicht verworfen werden; denn, daß etliche sagen, es komme selbst, darum solle man nicht sagen: nova obedientia est debitum; wie man nicht spricht: arbor debet poma gignere. Dieses sind sophistische Ausflüchte, darauf leicht zu antworten.

Zum andern, daß auch neuer Gehorsam nöthig sey von wegen der Folge causae et effectus, ist klar; denn der heilige Geist wird in das Herz darum gegeben, daß dieser Gehorsam angefangen werde im Herzen und äußerlich. Rom. 8.: Ihr habt den Geist empfangen, daß ihr Gottes angenommene Kinder seyd, dadurch wir schreien, Abba,

17) Pez. nothwendige.
18) Pez. worin der Grund.
19) Pez. was Eisleben spricht.

20) Pez. addit: sprechen.
21) Pez. addit: nämlich daß sie sey.
22) Pez. Licht, welches der Sohn Gottes durchs Evangelium und heiligen Geist im Trost im Herzen angezündet hat, und ist Freud in Gott etc.
23) Pez. dem.
24) Pez. folgen.
25) allein] excidit e textu Pez.
26) und *nova ob. est deb.*] exciderunt e textu Schum.

lieber Vater. Item, wer den Geist Christi nicht hat, derselbe ist nicht des Herrn Christi; item, 1 Corinth. 6.: Lasset euch nicht betrügen; Hurer, Ehebrecher, Abgöttische etc. werden das Reich Gottes nicht erben.

Und ist ganz öffentlich, daß die Bekehrung in diesem Leben geschehen muß, und zu diesem Ende geordnet ist, daß in uns das ewige Leben im Troste, welchen der Glaube mitbringt, angefangen werde; wie Paulus spricht: wir werden überkleidet, doch also, so wir nicht bloß gefunden werden. Darum ist die Folge der Verneuerung im Gläubigen ein nöthiges Ding, und bleibt gleichwol diese Propositio, daß wir allein durch Glauben vor Gott gerecht und Erben der ewigen Seligkeit [27]) sind.

Auch ist die Folge der Verneuerung allezeit zu verstehen von folgenden Tugenden nach der Bekehrung. Als: im bekehrten [28]) Mörder am Kreuze, nach der Bekehrung, sind viele hohe Tugenden und Werke, das große Licht, daß er Messiam erkennet, und versteht, warum er leidet, und daß ein ewig Reich künftig ist; item, der Glaube selbst, der Trost und Freude an Gott bringt; item, Geduld in Leiden, Gott zu ehren, Anrufung zu Gott und zum Herrn Christo, Bekenntniß eigener Sünden, Bekenntniß des Glaubens etc. und in Summa: alles ist in ihm gewesen, das dieser Spruch begreift: *Omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.*

Dieses alles ist öffentliche Wahrheit, daß alle Gottfürchtigen bekennen, daß der Antinomer Gegenlehre teuflische Lügen und Gotteslästerung sind.

Wiewohl nun diese Proposition festzuhalten ist, nova obedientia est necessaria, wie gesagt ist: so wollen wir gleichwol diese Worte: *ad salutem*, zur Seligkeit, nicht daran hängen, weil dieser Anhang gedeutet wird auf das meritum, und würde die Lehre von der Gnade verdunkelt; denn dieses bleibe wahr, daß der Mensch vor Gott gerecht und Erbe ewiger Seligkeit sey aus Gnaden, um des Herrn Christi willen, allein durch Glauben.

Dabei sollen auch die Antinomer und ihres Gleichen die unflätige Rede meiden: gute Werke sind schädlich zur Seligkeit. Denn obgleich das per accidens in den Heuchlern geschieht, so ist doch diese Rede an ihr selbst nicht recht, als: so man spricht, Gesundheit ist Ursache der Sünden, und wissen diese groben Leute nicht [29]), wie eine grausame, große Verhinderung ist des Glaubens und der Anrufung und des Trostes, so das Gewissen mit bösen Werken verwundet ist, und wie dieser Streit so schwer wird, wider das böse Gewissen und wider die Flucht vor Gott Trost suchen [30]).

Von diesen Stücken allen hätte ich etwas längern Bericht gethan, so ich unser gemeines Bekenntniß von diesem Artikel hätte ausgehen lassen, wie ich mich zu thun erboten. Dieweil aber Georgius Major sein Erbieten selbst hat lassen ausgehen, acht ich nicht, daß neuer Schriften davon von Nöthen sey, wiewol sein Gegentheil viele Sophistereien mit untermengt [31]).

Der dritte Artikel. Vom Sacrament des Leibes und Blutes des Herrn Christi.

Daß greuliche, öffentliche Abgötterey durch die Papisten mit der Messe, Umtragung des Sacramentes, Reposition und falscher Anbetung in die Welt eingeführt sey, und noch mit Blutvergießung gestärkt werde, ist öffentlich. Denn es kann nichts Sacrament seyn außer der göttlichen Einsetzung, und hat keine Creatur Gewalt, göttliche Sacramente zu machen. Solches ist ganz gewiß.

Dieweil denn Coena Domini eingesetzt ist, daß es soll eine Nießung seyn, mit der Weise und Ordnung, wie sie im Evangelio beschrieben ist: accipite, manducate etc., so folget klar, daß diese päpstliche Gewohnheiten öffentliche Abgötterey sind, daß sie das Brod, außer der geordneten Nießung, anbeten, zu [32]) mancherlei Mißbrauch, in der Opfermesse, im Umtragen, Reposition und sonst.

Sie disputiren darnach weiter, was die Mäuse nagen, wenn sie panem consecratum essen. Und sind viele, die nicht Papisten seyn wollen, die gleichwohl

27) Pez. ewigen Lebens.

28) Schum. bekannten.

29) Exciderunt hic quaedam e textu Schumach. qui tantum habet: schädlich zur Seligkeit, und betrachten solche Leute, wie etc.

30) Haec Pez. ita: wie eine große tiefe Verhinderung ist deß Glaubens, im rechten Streit, ein böß Gewissen, *item*, wie ein frevele Rede ist: *summa ars christianorum est nescire legem*, so doch Paulus spricht: *per fidem lex stabilitur*, und ist wahr, daß allein die Christen einen Anfang haben von Verstand und herzliche *reverentia* gegen dem Gesetz.

31) Pezelius haec: ausgehen lassen. Achte aber daß alle Verständige die nicht Lust zur Sophisterei und *calumniis* haben, erkennen, daß diese Meinung und Reden, wie dieser Artikel lautet und gestellt ist, recht christlich, den Gottfürchtigen nützlich und klar sey.

32) Pez. in.

diese Anbetung halten; als nämlich zu Hildesheim ist ein großer Streit worden von dem Brot, das auf die Erden gefallen war, wie es aufzuheben; und zu Worms ist diese Frage an uns gelanget: ob der Leib Christi in den Bauch komme, und ist neulich ein sehr grob Buch zu Erfurt gedruckt vom Abtriefen, dergleichen auch Sarcerius geschrieben hat [33]).

Wider diese und dergleichen Papisten Abgötterey [34]) habe ich diese Regel vor zwanzig Jahren gesetzt, und oft in Schriften repetirt, daß nichts Sacrament seyn könne, außer der göttlichen Einsetzung [35]), habe auch diese Regel zu Regensburg wider Ecken in öffentlicher Audienz, darin Granvel gewesen, angezogen wider ihr Umtragen etc. [36]). Und dieweil Eck nichts gründliches dagegen sagen konnte, ward er sehr zornig, soff denselbigen Abend, daß er tödtlich krank wurde, und Granvel war sehr ungeduldig über mich.

Diese Regel wird jetzt aus Bosheit angefochten, denn einer zu Erfurt neulich dawider geschrieben, und hat Sarcerius auch geschrieben, wie es mit dem Abträuffen zu halten etc. [37]).

Vom wahrhaften Sacrament in unsern Kirchen.

Dieser Grund ist erstlich ganz gewiß und ohne allen Zweifel wahr, daß der Sohn Gottes bei seinem ministerio gegenwärtig ist. Er ist die Person in der Gottheit, dadurch erstlich und ohne Mittel die Verheißung geoffenbart ist, und die das ministerium Evangelii selbst erhält [38]), ist darin kräftig, wie Ephes. 4. geschrieben ist: *sedet ad dextram patris*, *dans dona hominibus* etc. [39]).

Und wäre sehr noth und nützlich, daß von dieser Gegenwärtigkeit und Wirkung [40]) deutlich und viel geredet würde.

Dazu ist aber der Sohn Gottes in dieser seiner Ordnung im Abendmahl also wahrhaftig und wesentlich lebendig, und ganz gegenwärtig, daß er uns in dieser Nießung, mit Brod und Wein also geordnet [41]), seinen Leib und Blut giebt, macht uns Gliedmaas seines Leibes, und bezeuget hiermit, daß wir seine Gliedmaas sind [42]), applicirt uns sich selbst und seine gnädige Verheißung und wirkt [43]) in uns. Also spricht Hilarius: *haec, sumta et hausta, faciunt, ut Christus sit in nobis et nos in ipso*, d. i. so man dieses nießet und trinket, ist damit Christus in uns und wir in ihm.

Diese Worte reden klar von der Nießung, wie auch ausdrücklich von der Nießung Paulus redet: das Brod ist die Gemeinschaft mit dem Leibe Christi. Das kann nicht außer der Nießung verstanden werden; das Brod ist dieses, damit Gemeinschaft des Leibes Christi uns mitgetheilt wird. Und also reden die alten vornehmen Scribenten. Irenäus spricht: *eucharistia constat ex duabus rebus*, *terrena et coelesti.* Und Epiphanius und Theodoretus sprechen klar, daß die Natur des Brodes bleibe; aber damit werde die Gabe gegeben. Hernach sind neue Reden eingeführt, daß das Brod verwandelt werde wie der Stock Mosis in die Schlange. Darnach haben die Mönche eine andere Rede erdichtet, daß das Brod sein Wesen verliere, und werde transsubstantiatio, und sey also der Leib in der Gestalt des Brodes auch außer der Nießung etc. Daß diese Reden den Alten unbekannt sind, ist leichtlich zu erweisen [44]).

S. D. Et fratri meo talem generum [1]) gratulor, et vobis spero iucundum fore connubium cum illius filia: quae mihi quidem visa est mirifico pudore, et summa animi ac morum suavitate praedita esse: et expressisse patris humanitatem [2]), quam ego non minus semper propter egregiam virtutem, quam propter sanguinis et naturae vinculum dilexi. Itaque precor Deum, ut efficiat, quo [3]) connubium vestrum sit tranquillum, faustum ac foelix. Munus nuptiale mitto coniugi tuae, in quo est imago duorum coniugum, qui summa inter se charitate vixerunt, *Ferdinandi* regis Hispaniae, et *Elisabethae.* Exiguum est munus, sed symbolo delectabar. Et hoc tempore absens, qualicunque significatione declarare volui animum bene precantem vobis, et expetentem amicitiam tuam. Affinitas enim nostros animos copulare debet. Ac profecto sororum maritos loco fratris habeo. Conciliant autem eruditos etiam alia: studiorum societas, et voluntas in Republica. Etsi vero quaedam inciderunt [4]) controversiae doctorum, tamen spero bonis et prudentibus mea studia et meam voluntatem probari. Idem opto equidem [5]) tibi videri: sed tamen nihil praescribo [6]), tantum oro [7]), ut putes † naturalem [8]) necessitudinem non obliviscendam [9]) esse, etiamsi est quaedam de illis controversiis dissimilitudo. Gratissimum mihi facies, si de tua erga me voluntate aliquando mihi scribas [10]), aut aliquid per socerum significaveris [11]). Bene vale.

1) De eo vid. epist. ad Mordeisen, d. 30. Ian. 1558

2) Haud dubie eam vidit, cum esset in colloquio Wormat. Ergo anno 1558. in eunte scripta videtur epistola. Est autem, de quo loquitur filia Georgii natu minima, *Iustina*, quae nupsit *Iohanni Lippen*, Brettano.

3) Cod. Bav. et cod. Mehn. *ut.*

4) *acciderunt*] cod. Bav.

5) *aeque*] cod. Bav.

6) Cod. Bav. *tibi praescribo.*

7) Cod. Bav. et cod. Mehn. *tant. illud peto.*

8) Addit cod. Bav. et cod. Mehn.

9) Cod. Mehn. *abiiciendam.*

10) *rescribas*] codd.

11) *significabis*] codd.

No. 6450. 1. Febr.

Matth. Delio.

Edita in der dänischen Bibliothek Vol. V. p. 282 sq. (Danz.).

Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti Domino M. Matthaeo Delio, gubernanti studia doctrinae in inclyta urbe Hamburga, fratri suo charissimo S. D.

Charissime frater. Apud Clementem Alexandrinum extat versus dulcissimus, quem ipse ait Sophocleum esse, sed in his tragoediis, quae reliquae sunt, non legitur. Saepe tamen eum animo repeto propter sapientiam, quam continet consideratione dignam. Quam et a te saepe eum cogitari volo:

Ἅπαν τὸ χρῆστον τὴν ἴσην ἔχει φύσιν.

Boni viri constantiam retinent, cum in caeteris virtutibus, tum etiam in amicitia; id cum socies, etiam tuae naturae bonitatem ostendis, tibique gratiam habeo, quod annorum fere 40 coniunctionem constanter tueris. Sed si talis essem, qualem me pingunt inimici, omnibus ignoscerem, si me desererent. Spero autem et tuum iudicium et multorum sapientum rectius et aequius esse, et Deo me commendo. Extant scripta mea, et labores noti sunt: inde de me iudicium fieri potest. Cum igitur et conscientia voluntatis honestae ac bonorum testimoniis me sustentem non frangor animo, etiamsi meam cervicem feriant inimici, qui palam dicunt, me tollendum esse, ne impediam, quae ipsi agunt. Sed omitto haec. Volo inter nos *) perpetuam amicitiam esse, qua etiam

*) *vos*] editum est, mendose.

in coelesti consuetudine frueremur. Et meminis fuisse amicitiam coniugum nostrarum. Bene vale et rescribe. Cal. Febr. 1558.

Phil. Melanthon.

No. 6451. 1. Febr.

H. Welken.

Edita in der dänischen Bibliothek Vol. V. p. 281. (Danz.)

Honestissimo viro, prudentia et virtute praestanti Hermanno Welken, Senatori inclytae urbis Hamburgae, amico suo colendo. S. D.

Honestissime vir. Certissimum est Dei opera et ingentia beneficia esse honestas politias et Ecclesias, et velle Deum, ut ad harum optimarum rerum conservationem labores et consilia dirigamus. Ideo grata est Deo pietas vestrorum civium, quod filios recte erudiri curatis, cum doctrina necessaria sit et Ecclesiae et disciplinae politicae, et Deum oro, ut Aristocratias vestras gubernet et servet, ac, donec vitam mihi tribuit Deus, libenter studia vestrae iuventutis iuvabo, quantum ego quidem pro mea imbecillitate possum.

Oppugnor, ut videtis, quorundam odiis, qui cur tantopere me oderint non scio, cum nunquam eos laeserim; officia aliqua memini. Sed vobis et aliis bonis viris gratiam habeo, quorum sunt aequiora iudicia. Concordiam Ecclesiarum in his regionibus opto perpetuam esse, et semper fui et sum hortator omnibus ad eam tuendam; vellem autem quosdam nimis amantes contentionum flectere animos ad consilia paci profutura.

Quamprimum potero adolescentem, de quo scribitis, adiungere meis convictoribus, libenter vobis et ipsi gratificabor; nam et modestam naturam adolescentis esse iudico. Bene et feliciter valete. Calend. Febr. 1558.

No. 6452. 1. Febr.

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camer. p. 733 sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 878.).

Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo carissimo,

S. D. Reverendi senis *Pastoris* *) Ecclesiae nostrae coniugi, et filio iuniori, decrevit Illustrissimus Dux Saxoniae Elector annuam pensionem centum aureos. Eam pensionem orat inchoari pastor se vivo, hoc anno. Videmus quae sit senecta et utrunque meminimus, et senibus et sacerdotibus multa officia deberi. Formam igitur litterarum aliam, quam qualis in aula scripta erat, mitto ad D. *Mordisium*, teque oro, quem scio venerari senes et sacerdotes, ut ipse exhibeas nostras litteras, vel per *Franciscum Cramium* exhiberi cures, et flagites responsionem. Credo hoc beneficium impetrari posse. Et ne scribae occupati aliis negotiis, hanc rem differant, mitto litterarum formam, cuius obsignatio petenda est. Aliquid de meritis senis inserui, quorum mentio omissa est in priore forma. Totam hanc rem et prudentiae et fidei tuae commendo. Epistolam *Bordingi* mitto, quam libenter leges, et legi eam volo *Mordisio*. Bene vale. Cal. Febr.

Philippus.

No. 6453. 1. Febr.

U. Mordeisen.

Epist. lib. V. p. 169 sq.

Ulrico Mordisin, Consiliario Ducis Sax. Elect.

S. D. Clarissime vir, et Patrone colende. Oramus Filium Dei, custodem Ecclesiae suae, ut Illustrissimum Principem Electorem, Ducem Saxoniae, protegat, et hoc iter vestrum et consilia [1]) gubernet. Pulcherrimus Senatus in genere humano diu fuit Electorum Principum consilium. Utinam nunc quoque eorum congressus prosit Patriae.

Gratias agimus Illustriss. Principi pro pensione, quam decrevit senis Reverendi *Pastoris*

---

*) Io. Bugenh. Pomer.

1) Convenit Augustus, Pr. Elector, cum Ioachimo II., Marchione Electore, et cum Henrico, Duce Brunsv. Lipsiae d. 5. Febr. 1558., propter instantem conventum Francofurdensem, ubi Ferdinandus, Rex, Imperator Romanus eligendus erat.

coniugi et filio *Gerardo.* Orat autem Pastor inchoari pensionem, se vivo, hoc anno. Videmus, quae sit senecta. Et scriptum est: Honore adfice sacerdotem. Valde igitur oro, ut petitioni eius hac in re satisfiat, et formam literarum mitto, ut labore scribas levemus, et ne scribae occupati moram huic negocio adferant. Obsecro propter Deum, ut senectae talis viri hic honos tribuatur. Credo, Illustrissimum Principem pro sua bonitate non gravatim concessurum esse hoc beneficium.

Epistolam *Bordingi* vobis leget *Ioachimus*, in qua et vestri fit mentio. Hic, Dei beneficio, tranquillitas est, et iam *Palatino Electori* mitto formam Consistorii nostri. Bene et feliciter valete. Cal. Februarii.

Philippus.

No. 6454. 1. Febr.

Paulo ab Eitzen.

Edita a Peucero in Mel. Epist. lib. II. p. 533. (ed. Lond. lib. II. ep. 559., ubi ex errore inscripta est *Laurentio Mollero;* item in Mel. Consil. lat. P. II. p. 315.). Eadem vero edita est in der dänisch. Biblioth. Vol. V. p. 278., et contuli apographon perantiquum in bibl. Regia Hannover. Hic rectius inscripta est:

Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, Paulo ab Eitzen, Doctori Theologiae, gubernanti Ecclesiam Dei in inclyta urbe Hamburga, fratri suo cariss.

S. D. Reverende vir et charissime frater, Gratam vobis fuisse editionem pagellae de consensu eorum, qui in urbe *Vangionum* nomina sua addiderint, gaudeo, quae quidem bono consilio ab iis scripta et edita est, qui et sententiis, et voluntatibus coniuncti sunt. Meque et fuisse et esse communis Ecclesiarum nostrarum concordiae amantem existimo te et alios multos scire. Semper etiam Ecclesiam, et civitatem vestram singulari studio colui. Ac nunc in tanto odiorum incendio maxime velim, te et plerosque collegas tuos et senatores Iudices esse nostrarum controversiarum. Extant mea scripta, in quibus non volui gignere nova dogmata, sed dispersam doctrinam in magna varietate disputationum, breviter, ut in schola fieri necesse est, colligere, et quasi σωματοποιεῖν. Haec, ut ita dicam, aedificii forma, si non placet, extruant inimici aliam, et sit Iudex Ecclesia; semper enim Ecclesiae iudicio me subieci. Postea tempus incidit in quo tentata est Ecclesiarum nostrarum mutatio, quam prorsus dissuasi, sed cum pugnarent quidam pertinaciter de ritibus non viciosis suo genere, qui magna ex parte in Ecclesiis huius regionis ad id tempus haeserant, non volui deseri Ecclesias propter id onus, cum doctrina non mutaretur. Ac de toto hoc consilio tunc [1]) respondi Reverendo viro D. *Aepino*, quo tempore hoc etiam accidit, ut multi qui alibi Ecclesias suas deseruerant, non solum fruerentur [2]) tranquillitate harum regionum, sed etiam evecti ad gubernationem ritus nostros reciperent. Nec recuso causam dicere, ubicunque erit occasio. Oppugnor autem *Ulysseis* artibus. Sparsa sunt in populum nostro nomine, nec scripta, nec prolata a me, quaedam etiam mutilata. Inde extruuntur saevissimae criminationes, et quidem ab iis, qui tunc [3]) quoque rerum magnarum explicationem impediverunt. Si quid tamen egi languidius in tanta confusione, bonos oro, ut veniam dent infirmitati meae, et illud vetus cogitent: εἰδ' οἶδας ὄφλων, καὶ πρόχρησον τὸ πρᾶον, οἴκτῳ γὰρ οἶκτος καὶ θεῷ σταθμίζεται. Profiteor me harum Ecclesiarum civem esse, et Filium Dei oro, ut eas gubernet, et servet, et me in eis; et ne magis lacerarentur [4]) earum vulnera, minus respondi inimicis, quos video implacabiles esse. Repressi etiam ubi potui, et reprimam ubicunque potero, maledica scripta edituros. Et magistratus in utraque parte optarim vigilantiores, et severiores esse in prohibendis editionibus, quae sunt dissidiorum faces. Nec dubium est pertinere hanc curam ad gubernatores. Quare et honestissimi senatus vestri, et tuam gravitatem laudo, et vobis gratiam habeo, quod voluntatem optimam in hac re ostendistis [5]). In Academia nostra, Dei beneficio, eadem est vox doctrinae, et invocationis, quae est in vestra Ecclesia, et recte traduntur honestarum artium semina. Spero etiam tranquillitatem in oppido nostro futuram esse, quam Illustrissimus Princeps tueri studet, ac mei corporis periculo, et vestra, et aliorum honestorum hominum filios defendere non recuso, scio-

---

1) Peuc. *tum.*
2) Peuc. *foverentur.*
3) Peuc. *tum.*
4) Bibl. Dan. et Apogr. *lacerentur.*
5) Bibl. D. *ostenderitis.*

que sic animatos esse collegas meos, et plurimos huius oppidi cives. Amicitiam inter nos volo perpetuam esse, qua etiam in coelesti consuetudine fruemur. Et ad tranquillitatem publicam conducere nostri ordinis coniunctionem manifestum est. Bene et feliciter vale, et rescribe. Calend. Februarii. 1558.

No. 6455. 1. Febr.

U. Mordeisen.

Epist. lib. V. p. 170 sq.

Ulrico Mordisin, Consiliario Ducis Sax. Elect.

S. D. Clarissime vir, et Patrone colende. Oro Filium Dei, custodem Ecclesiae suae, ut et Illustrissimum Principem Electorem, et vos omnes servet et protegat et gubernet. Etsi autem non libenter vos in tanta multitudine negociorum onero, tamen talis est vita, ut necesse sit confugere ad gubernatores.

Misi ad vos literas de negocio Pastoris Eccles. nostrae. Nunc oro, ut Doct. *Vito Iuniori* literae dentur, ad iudicii Imperialis Gubernatores. Ingenio valet, et studium ei non defuisse inde intelligi potest, quod cum laude in Italia docuit. Spero usum et lucem fori ei profuturam esse. Ideo eum vobis commendo.

Heri literas accepi, in quibus narratur, Romanum Pontificem, *Paulum* Quartum, mortuum esse *). Suspicor, *Carolum* ipsum petiturum sedem Pontificiam, sed Gallica factio adversabitur. Omnino magnae mutationes generis humani impendent, in quibus ut servet Deus Ecclesiam Filii et hospitia eius, toto eum pectore oro. Bene et feliciter valete. Die tertio Februarii.

Philippus Melanthon.

No. 6456. 3. Febr.

Academicis.

Scripta publ. Acad. Witeb. T. III. p. 138. — Melanthon est auctor pagellae, qui illo tempore orationem de Basilio Caes. scripturus erat. Idem docet argumentum pagellae.

Decanus Collegii Philosophici in Academia Witebergensi, Iacobus Lechner, natus in urbe Austriae Lyncea.

Cum hodie celebretur *Basilii Caesariensis* memoria, cuius excellens fuit eruditio et virtus, decet nos et de doctrina ipsius cogitare, et de certaminibus. Fuit enim et ipsius aetas turbulenta et plena atrocium dissidiorum. Et in ipsum incurrit magna phalanx Arianorum, instructa Valentis Imperatoris tyrannide. Nunc similia accidunt. Oppugnamur et Nos a multis inimicis, qui armati sunt et principum potentia et factionibus indoctorum. Sed precemur filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, custodem Ecclesiae, ut nos protegat, sicut et Basilium texit.

Plurimum autem prodest mente intueri doctrinam ipsius, et inde testimonium petere. Constanter defendit Nicenum Symbolum. De iusticia fidei etiam loquitur expresse, nostro more utens particula *sola fide.* Verba enim haec sunt: *λέγει δὲ ὁ ἀπόστολος, ὁ καυχώμενος ἐν κυρίῳ καυχάσθω, λέγων ὅτι χριστὸς ἡμῖν ἐγενήθη σοφία ἀπὸ θεοῦ, δικαιοσύνη τε καὶ ἁγιασμὸς, καὶ ἀπολύτρωσις, ἵνα καθὼς γέγραπται, ὁ καυχώμενος, ἐν κυρίῳ καυχάσθω. αὕτη γὰρ δὴ ἡ τελεία καὶ ὁλόκληρος καύχησις ἐν θεῷ, ὅτε μήτε ἐπὶ δικαιοσύνῃ τὶς ἐπαίρεται τῇ ἑαυτοῦ, ἀλλ᾽ ἔγνω μὲν ἐνδεῆ ὄντα δικαιοσύνης ἀληθοῦς ἑαυτὸν, πίστει δὲ μόνῃ τῇ εἰς χριστὸν δεδικαιώμενον.*

Recte etiam contra Manichaeos de auxilio Dei et de assensione voluntatis loquitur: *οὐδὲ γὰρ ἡ περὶ τὰ καλὰ τῶν ἀνθρώπων ἐγχείρησις δίχα τῆς ἄνωθεν βοηθείας τελειωθήσεται, οὐδὲ ἡ ἄνωθεν χάρις νοῦν τὸν μὴ σπουδάζοντα παραγένοιτο ἄν.*

De his et aliis Basilii testimoniis hodie in publico examine colloquemur. Ad quod ut conveniant collegae nostri, et alii viri docti hodie hora prima, petimus. Quod eo libentius facient, si cogitabunt, hunc ipsum Basilium hortatorem esse, ut doctrina philosophica non negligatur. Extat enim eius scriptum de legendis et eligendis sententiis Poëtarum et Philosophorum: quia verae sententiae sunt voces Legis. Discerni tamen vult legem et Evangelium.

Quid dulcius est quam antiquitatem Ecclesiae considerare, confirmari veris testimoniis et iuvari exemplis in regendis moribus, et multis aerumnis tolerandis, quae quomodo ferendae sint

*) Mortuus est mense Aug. 1559.

exempla praestantium virorum docent. Ad talia colloquia de doctrinis et de virtute vos invitamus.

Precor autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, ut studia nostra gubernet, et faciat nos organa salutaria καὶ σκεύη ἐλέους, et nos clementer protegat. Bene valete. Die 3. Februarii 1558.

No. 6457. 4. Febr.

U. Mordeisen.

Epist. lib. V. p. 171 sq.

Ulrico Mordisin, Consiliario Duc. Sax. Elect.

S. D. Clarissime vir, et Patrone colende. Quaeso, ut veniam mihi detis toties interpellanti vos. Sed hoc negocium, arbitror, non difficile fore. Libellum *Chronicum* propter adolescentes retexui, quia certe opus est, adolescentes nosse seriem temporum et Monarchiarum. Nec addam historias, quae laedere bonos possint. Editio autem inchoata est in familia Orphanorum *Georgii Raw*. Haec petit privilegium, ne alii in hac vicinia recudant. Hanc rem vobis commendo, quia scriptum est: Esto orphano Pater, tunc Deus magis te diliget, quam diligit te Mater tua.

Nuper reversus domum, inspexi *Cuspiniani* historiam de *Lothario* primo. Is ait, *Pruliacum* esse Monasterium in Lotharingia. Bene et feliciter valete. Die 4. Februarii.

Philippus.

No. 6458. 5. Febr.

G. Agricolae.

Epist. lib. II. p. 566. (ed. Lond. lib. II. ep. 588.).

D. *Georgio Agricolae*

S. D. Charissime frater, Iter literarum nostrarum commoratio in ripa *Rheni* aliquantisper impedivit. Nunc rursus per literas frequentius colloquamur. Vidisse te pagellam existimo, in qua narravimus arte ab adversariis abruptam esse doctrinae collationem, cum quidem Rex *Ferdinandus* iussisset, ut procederemus. Initia non inerudita fuerunt. Disputavimus enim de norma iudicii in Ecclesia. Ea in quaestione scis multa de interpretum et legum veterum et recentium dissimilitudine dici oportere. Si processissemus, multarum quaestionum explicatio utilis facta esset. Quod collegae quidam a nobis discesserunt, ne ab ipsis quidem accusari me arbitror. Maluissem eos nobiscum manere, et ut socios laborum, et ut testes mearum actionum. Sed ut *Xenophon* narrat quendam dicere *Lacedaemonios* domi dissipandos esse, ut apes fumo sub alveolos facto dissipantur: ita Papistici distrahere nos intempestivis petitionibus conati sunt. Haec artificia norunt, etiamsi *Xenophontem* non legerunt. Vincet tamen veritas. Heri misi Illustrissimo Principi *Palatino* Electori formam nostri consistorii, et controversiarum quarundam diiudicationes *). Bene vale, et rescribe. Die 5. Februarii. Anno 1558.

*) Hae non habentur.

No. 6459. 6. Febr.

Academicis.

Scripta publ. Acad. Witeb. T. III. p. 140. — Non Lechnerum sed Melanthonem hanc pagellam scripsisse, quisque, puto, videt.

Decanus Collegii Philosophici in Academia Witebergensi, Iacobus Lechner, ex urbe Austriae Lyncea.

Cum doctrinae collatio in urbe *Vangionum* anno proximo instituta esset, fuit ibi Bavarus Monachus, indoctus et audax, qui ut oppugnaret propositionem: sola fide iustificamur, dixit iustificationem esse renovationem omnium animae potentiarum, et in concione Thrasonice Platonis distributionem repetivit: Τὸ ἡγεμονικὸν, inquit, restitui fide, τὸ θυμικὸν spe, τὸ ἐπιθυμικὸν dilectione. Non igitur, inquit, sola fide fit iustificatio. Quam concinna sit haec accommodatio virtutum ad potentias, inde iudicari potest, quod cum Plato ἐπιθυμητικὸν collocet in iecore, iste Monachus eo dilectionem Dei transfert. Deinde Monachus ille, velut asinus ad lyram, nec vocabula Pauli intelligit: fide iustificamur, qui non hoc vult, unam illam virtutem infundi, sicut isti insulsi loquuntur, sed in vero agone monstrat filium

Dei, et perterrefactos docet in eo solo acquiescere velut ipsius insertos vulneribus.

Ideo autem hanc historiam recitamus, ut iuniores magis ament doctrinarum studia, cum vident quales tenebrae sint indoctorum, Quid insulsius est, quam dilectionem Dei in Epate collocare, cum vox divina expresse dicat: diligas dominum Deum tuum ex toto corde. Domicilium enim affectuum, qui proprie sic nominantur, *cor* esse, non dubium est. Nec *ἡγεμονικὸν* tantum noticiam significat, ut in Scipione abstinente ab alterius sponsa *τὸ ἡγεμονικὸν* non est tantum noticia, sed velle etiam ac eligere, quod recta noticia docebat. Magnum vero chaos est errorum apud adversarios, qui inde oriuntur, quod aut sermonem non intelligunt, aut non recte didicerunt initia earum artium, quae viam monstrant in docendo: nec genera doctrinarum discernunt. Quare fideliter hortamur iuniores, ut recte discant, et Dei beneficio doctrinarum fontes limpidos et non corruptos ostendimus.

Etsi autem quidam Cynici seu *βλακικοὶ* studia philosophiae vituperant, et calumniis accendunt adversus nos odia Principum et populi, tamen iudicia honestorum et doctorum virorum scimus aequiora esse. Et inimicis aequissimam conditionem proponimus. Cum extet integre comprehensa doctrinae summa, quam profitemur, si haec non placet, evolvant sese, et corpus doctrinae integrum edant. Postea iudicet Ecclesia. Vetus illud est Nazianzeni a Demosthene sumptum: *ἐπιτιμᾶν παντὸς ἐστὶν, ἐπανορθοῦν δὲ οὐ παντός.* Acerbitatem odii significant inimici nostri, et virus suum effundunt, cum vituperant a nostris edita, non edunt meliora.

Cum igitur verae doctrinae semina fideliter proponamus, iustum est, nos etiam testimonia discentibus tribuere. Quare cum hi, quorum nomina hic adscripta sunt, Deum recte invocent, et pietatem animi honestis moribus declarent, et recte didicerint initia philosophiae, et summam doctrinae, quae est Ecclesiae propria, publicum eis testimonium tribuemus, et gradu Magisterii Philosophici eos ornabimus, Deo iuvante, die decimo Februarii. Ad illam testimonii renunciationem ut conveniant omnes Doctores, Magistri et Auditores, petimus, et simul ostendant hoc officio suum iudicium de nostris studiis, et vota sua ad Deum nobiscum coniungant, quem oramus toto pectore, ut Ecclesiam et nos in ea gubernet. Datae die sexto Februarii anno 1558.

No. 6460. 10. Febr.

C. Peucero.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54³.

Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti, D. Casparo Peucero, filio s. carissimo.

S. D. Carissime fili. Assiduis gemitibus filium Dei, dominum nostrum Iesum Christum oro, patrem orphanorum, ut nos orphanos omnes protegat. Somnia mihi significant, tuam coniugem peperisse, quae utinam cum tota familia sit incolumis. Die Mercurii venimus Dresdam. Hodie mane, videlicet die Iovis, collocuti sumus cum D. *Mordisio.* Exordia adhuc sunt placida, Dei beneficio; et audio, aulam nos non diu hic retenturam esse. Nec de negotiis publicis quicquam *ἀξιόλογον* audivimus. Apparatus profectionis ad conventum Francofurdianum praecipuorum animos occupatos tenet. Inter Burgundum et Gallum nondum pax facta est. Id congruit cum veteri: *ἀεὶ τὸ β ἐχθρὸν τῷ γ.* Bene et feliciter vale. De *Anna* Sabini excrucior cura. Commendo Deo et tibi nostros. Die Iovis *).

Philippus.

No. 6461. (fere d. 16. Febr.)

G. Cracovio.

Epist. lib. II. p. 369. (ed. Lond. lib. II. ep. 382.). — Vid. quae diximus ad epist. d. d. 17. Febr.

---

*) Haec Melanthonem Dresdae conscripsisse eo tempore, quo conventus Principum Francofordiae d. 1. Martii instabat, epistola ipsa docet. Quum inde a d. 6. Febr. usque ad 17. Febr. nulla legatur Melanthonis epistola, puto, illum hoc tempore iter fecisse Dresdam. Confirmat hanc opinionem epistola ad Fabricium „mense Martio" h. a. data, ex qua satis cognoscitur, Melanthonem paulo ante iter in illam regionem fecisse, quod etiam confirmat ep. ad Cracovium, quam dedimus d. 16. Febr. Si igitur Melanthon abiit d. 7. Febr. utique d. 9. Febr. fuit Dresdae, qui dies illo anno fuit dies Mercurii.

D. Georgio Cracovio

S. D. *Torgae* accepi literas Ducis *Wirtebergici* περὶ συνόδου *). Sum igitur occupatus scribenda nostra deliberatione, quam volo te legere. Sed interrupit moestitia has operas. *Ioachimo Camerario* filia **) mortua est. Scribit et *Lotichius Iacobum Micyllum* extinctum esse, cum non diu aegrotasset. Scio haec tibi quoque dolorem allatura esse. Sed profecto impendent tantae confusiones, ut placida et pia morte eis praereptis singularis felicitas sit. Literis quas mihi misisti, addidi ὑπογραφήν. Sed oro ut vestris adolescentibus sis hortator, ut *Grammaticam* discant, nec ab ea abhorreant ut ab ἀδιαφόροις βλακικοῖς. Bene vale.

No. 6462. 17. Febr.

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camer. p. 732. (ed. Lond. lib. IV. ep. 877.). — Quod Melanthon Camerarium consolatur, causa est mors neptis Camerarii. Etenim hoc anno Camerarius duas filias amisit, (ut Melanthon scribit Stigelio d. 9. Oct.), videlicet neptem hoc tempore, et filiam, Esromi coniugem, d. 17. Septb. h. a. Epistola antecedens ad Cracovium scripta est post mortem neptis, quod eo intelligitur, quod Melanthon scribit, se simul nuncium accepisse de morte Iacobi Mycilli. Hunc enim nuncium mense Febr. accepisse necesse est, quum iam d. 6. Apr. Epicedium Mycilli miserit ad amicos.

Clariss. viro, eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo cariss.

S. D. Cum viro optimo genero tuo, volui ad vos accedere et meum generum, quod eorum conspectum aliquid tibi hoc tempore profuturum existimabam. Sed fontes verarum consolationum tibi noti sunt, de quibus eo cogitabis libentius, quia utrunque genus doctrinae tenes. Scis quam languida et mutila sit philosophia, quae tamen hoc disputat, homines nec casu, nec tantum ad has ingentes aerumnas, et horribiles confusiones nasci, sed restare portum aliquem, in quo distinctio sit futura hominum. Sed referamus mentes atque oculos ad testimonia a Deo tradita, revocatis ex morte plurimis, et in ferendo hoc ingenti onere, quod humanae naturae impositum est, iuvari nos a Deo petamus. Noster *Cruciger* saepe ante mortem dixit, Credo Domine, opem fer imbecillitati meae. Hanc vocem saepe repeto: Et addebat ipse *): Hac fide, quanquam languida, scio te velle invocari, et hanc invocationem non esse irritam. Hanc vocem saepe et cogito et repeto, et scio te similia cogitare. Oro autem filium Dei dominum nostrum Iesum Christum, Ecclesiae custodem, ut nos omnes gubernet, et te et tuam Ecclesiam domesticam consoletur. Bene et feliciter vale. Prid. diei mortis Lutheri. Anno 1558.

Philippus.

*) Vid. epist. d. 24. Febr.

**) i. e. neptis. Est filia Annae, coniugis Esromi Rudingeri.

*) Cruciger C. W.

No. 6463. 22. Febr.

Ge. Fabricio.

Epist. lib. V. p. 436 sq.

Georgio Fabricio, gubernanti scholam Misnensem.

Delectatus sum errore tuo in inscriptione literarum. Nam fratri *Iacobo* missam epistolam mihi inscripseras. Mirabar, quo pertinerent verba de Medica lectione. Et tamen recte nos moneri iudicabam, ut ἰατρικὰ potius legerem, quam perniciosa sophismata *Staphyli*, et similium. Profecto delector consideratione naturae, et vestigia Dei libenter aspicio, et eligo remedia, quorum experior vires mirificas a Deo insitas. Legi autem et alteram epistolam et, quod non displicent tibi pagellae χρονολογικαὶ, gavisus sum. Edo talia adolescentum causa, et doleo, mihi tempus deesse ad accuratiorem scriptionem.

De erratis inscriptionum narravi *Iohanni Bannoni*, cum alias historias, tum vero hanc quoque. Litigabant inter se duae principes Dominae, Mater *Augusti*, et soror *Landgravii*. Voluit esse arbiter Dux *Ioannes Fridericus*. Hic respondens Dominarum epistolis, errat in inscriptione. Ibi fidem eius utraque atrociter accusat, ita redierunt ipsae in mutuam gratiam. Longa est fabula, quam eo attigi, ut rideas. Oro autem Deum aeternum, Patrem Domini nostri Iesu Christi, Conditorem generis humani, ut te et Ecclesiam tuam domesticam servet, et tribuat honestissimae con-

iugi tuae felicem partum. Existimo, nos brevi ad te venturos esse. Bene vale. Die 22. Februarii.

No. 6464. 24. Febr.

Ioachimo, Pr. Anhaltino.

Edita in *Becmanni* Accession. Hist. Anhalt. p. 121.

Ioachimo, principi Anhaltino.

Illustrissime Princeps, et Domine Clementissime. Saepe iam flagitarunt *Palatinus* Elector et Dux *Wirtebergensis*, indici Synodum nostrarum Ecclesiarum. Ea de re interrogatus respondi, nequaquam indicendam esse Synodum, nisi prius decreverint inter sese Principes ipsi, non solum quid proponere velint, sed etiam quid pronunciandum sit, et res inter ipsos adhibitis fidelibus et eruditis viris, deliberatae sint. Iussus sum igitur scribere quarundam controversiarum diiudicationes, easque quam primum mittere ad Moeni ripam. Hae me operae iam detinent, quo minus potuerim comes esse itineris viri optimi Doctoris *Milichii*, quod tamen valde cupiebam. Scriptum ipsum aut adferam cum primum potero, aut mittam ad C. V.: maxime enim et C. V. cupio indicem esse earum sententiarum, quas ibi scripsi. Oro autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum custodem Ecclesiae, ut C. V. confirmet animae et corporis vires, et gubernet nos omnes. Bene valeat C. V. Die Natali Caroli Imp. 1558.

No. 6465. 25. Febr.

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camerar. p. 734. (ed. Lond. lib. IV. ep. 879.).

Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo cariss.

S. D. Platonis illud meministi, *ἐπιθυμῶ ποτίμῳ λόγῳ οἷον ἁλμυρὰν ἀκοὴν ἀποκλύσασθαι.* Ita ego optimorum et sapientum virorum sermonibus abluere molestiam cupio, quam mihi attulerunt, et *Charitini* ducis et nostrorum litterae, *περὶ συνόδου.* Valde urget *Charitinus*, ut Synodus indicatur, qui utinam habeat faventes *χάριτας.* *Brentius* repugnat, sed haec coram. Si nactus fuero vectorem, Deo iuvante, ad vos accedam. Heri tua filia et meae filiae, in mea domo laverunt. Bene et feliciter vale, die XXV. Febr.

Philippus.

No. 6466. 25. Febr.

Ioachimo Pr. Anhalt.

Edita in *Becmanni* Accession. Hist. Anhalt. p. 120. (Danz.)

An Fürst Joachim zu Anhalt.

Gottes Gnad durch seinen eingebohrnen Sohn Jesum Christum unsern Heyland und wahrhaftigen Helfer zuvor. Durchleuchter Hochgeborner Gnädiger Fürst und Herr. Ew. F. G. gnädigste Schrift habe ich heute den 25. Februarii empfangen umb 3 Uhr Nachmittag, und danke E. F. G. von wegen des gnädigen Willens gegen mir, wiewohl ich nun elende Arbeit hab, und erst nach des Hochgelahrten Herrn D. Milichii Abreisen Churfürstliche Schrift, zu Gressen am nächsten Sonntag geben, empfangen, daß ich derselbigen Bedenken eilend fürdern soll; So habe ich gleichwohl bedacht zu E. F. G. zu reisen, so ich Fuhr bekommen kann, die ich itzo zu bestellen benöthig habe. Heute sind Schrift anhero kommen, daß des Königs Ferdinandi Kriegsvolk in Hungarn bei Tockai viel Türkisch und Hungarisch Volk erschlagen habe. Der allmächtige Sohn Gottes Jesus Christus wolle E. F. G. an Leib und Seele stärken. Den 25. Febr. 1558.

E. F. G.

unterthäniger armer Diener.
Philippus Melanthon.

No. 6467. 25. Febr.

Iac. Milichio.

Epist. lib. II. p. 460. (ed. Lond. lib. II. ep. 486.).

D. Iacobo Milichio

S. D. Si aurigam habere potero, decrevi ad vos *) expatiari. Etsi enim heri rursus aulica

*) Dessaviam, quo profectus est d. 28. Febr.

mandata accepi demittenda deliberatione: tamen ab illa scriptione ita abhorreo, ut facile excuti mihi eam de manibus patiar. O rem miseram! Sycophantae et κόλακες, qui in gynaeceis regnant, veritatem opprimunt. Principum voluntas honesta est, ut hesternae literae etiam ostendunt. Sed illis ipsis accidit quod in veteri Apologo de Dracone scriptum esse narrat *Plutarchus*: τὴν οὐρὰν τῇ κεφαλῇ στασιάζειν. Oro Filium Dei, ut nos omnes gubernet et protegat. Bene vale. Die 25. Febr.

No. 6468. 28. Febr. (Dessaviae.)

Narratio de colloq. Worm.

† Ex autographo Melanthonis in biblioth. regia Berolinensi, descripta mihi a Clariss. *Friedlaendero*, collato alio apographo, quod de eodem autographo sibi fecit S. V. *Olshausen*. — Inscriptio aliena, sed perantiqua manu addita est. Melanthon. hanc narrationem postea etiam latine scripsit, sed in multis diversam ab hac germanica, quare utramque hic dedimus.

„Bericht des ganzen *Colloquii* zu Worms, was darauf fürgelaufen, und wie solches zur Gnügen gestellet durch Philippum Melanthonem allhier zu Dessaw den 28. Februarii 1558."

De colloquio Wormaciensi.

Als wir zu Worms ankommen sind mense Augusto anni 1557. haben die Gesandten der Augsburgischen Confession alsbald die Colloquenten unsers Theils zusammen gefordert, und uns angezeigt, daß wir sollen bereit seyn in das Colloquium zu treten, so uns der Präsident erfordern werde. Daruff der Herzogen zu Sachsen Gesandter, *Basilius*, eine lange Rede gehabt, daß nach dem Krieg wären etlich abgefallen, darumb ihnen ihr Herr vier Artikel geben, davon man sich zuvor vergleichen sollt vor dem Colloquio, das mit den Bepstlichen sollte gehalten werden. Und sind dieses die vier Artikel gewesen, man sollt zugleich einträchtiglich damniren die Zwinglianos, Osiandri Lehr, die Adiaphoristen, und die propositio Maioris: gute Werke sind nöthig zur Selikeit. Daruff ist geantwort, wir wären alle einträchtig in der Augsburgischen Confession. Dweil wir denn nicht anders nach dem Krieg gelehrt hätten und noch lehrten, werde uns unbillig aufgelegt, daß wir abgefallen wären. So bedürft es nicht einer Condemnation, denn ich protestirt offentlich, daß ich nicht anders lehret de sacramento und von andern Artikeln, denn was der Inhalt ist gedachter Augsburgischen Confession. So man aber gleichwohl Condemnationes machen wollte, und erstlich de *Zwinglianis*, so müßten Artikel gestellet werden von der ganzen Sach, darin nicht allein die Zwingliani, sondern auch die Papisten damnirt werden, die viel grausamer Idolatri in der Welt eingeführt hätten. Von Osiandro wären unsre klare Schriften am Tag. Von der propositio *Maioris* wäre unter uns auch kein Streit. Von den Adiaphoris bekennte ich, daß ich gerathen hätte, daß unsre Pastores das Ministerium von wegen solcher Sachen nicht verlassen sollten, und möcht von dieser Sach aller gesandten Räth Urtheil leiden, thät auch dabei Bericht, daß *Illyricus* falsche und erlogene Schriften hätte lassen ausgehen, doch wäre ich wohl zufrieden, so sie mich ausschlüssen, ich hätte nicht große Lust, bei dieser Sachen zu seyn.

Brentius hat hernach weiter von Osiandri Lehr klar gesagt, er sey mit uns allen ganz einträchtig in der Lehr, wie sie von uns gelehret werde; daß er aber Osiandrum entschuldige, habe er ihn so hart nicht verstanden als sein Gegenpart. Ich hab auch weiter gesagt, dweil die gesandten Sächsischen wollten condemnationes machen, sollten sie gefaßt seyn mit Artikeln, so wollten wir davon reden. Da sagen sie, es wären noch keine Artikel gestellet, aber wir sollten uns derhalben unterreden. Daruff ich gesagt, zu diesen Sachen gehörten mehr Personen, welches Doctor *Snepp* bekennet, und sagt, es wären große Sachen, dazu mehr Personen gehörten. Daruff die gesandten Räth nach langer Unterrede diese Antwort geben, daß man diese Sachen auf einen Synodum unter uns aufschieben sollt, und sollten jetzund dem künftigen Colloquio keine Verhinderung machen. Also sendet auch der Churfürst Pfalzgrave eine Schrift gleich [1]) solcher Meinung an die gesandten Räth.

Darnach hat der Präsident das Colloquium anzufahen alle Personen, Bepstliche und uns, gefordert, daß also wir unter uns keine weiter Unterrede gehabt haben. Da sind wiederumb Doctor *Snepp* und seine mitgesandten kommen, und haben gesagt, sie müßten ihre condemnationes vor proponiren. Da ist durch die Chur und fürstlichen gesandten Räth der augsburgischen Confession dieser Weg fürgeschlagen, sie sollten damit content seyn, daß sie ihnen die condemnationes übergeben. Also hatte sich auch Herzog Johann Friedrich erkläret, daß er damit zufrieden wäre, so die condemnationes allein vor den Unsern geschähen.

---

1) gleich] abest ab apog. Olsh.

Daruff sind wir einträchtig in das Colloquium uff des Herrn Präsidenten Erforderung getreten, und ist nach den praeambulus [2]) und nach der geschehen promissio die erste deliberatio gewesen, ob wir schriftlich oder anders procediren sollten, und haben wir dieses fürgeschlagen: wir achten, daß bei Gelehrten und die zu freundlicher Handlung geneigt wären, der richtigst und kürzest Weg wäre, daß man erstlich ein freundliche Unterrede hielt, was jedes Theils Lehre gründliche wäre, wo Streyt, oder nicht Streyt wäre. Darnach so man sich freundlich unterredt hätt, daß man alsdann, so man verglichen wäre, einen Artikel sämptlich stellet schriftlich, und wo man nicht verglichen wäre, daß man zween Artikel stellet. Also könnten die Reichsstände kurz und klar sehen, wo Streyt, und wo nicht Streyt wäre. So werde auch [3]) das Schreiben viel Zeit bedürfen.

Zum andern, wo sie aber lieber wollten allein schriftlich handeln, wollten wir solches auch nicht fliehen, und stellten dieses zu des Herrn Präsidenten Verordnung. Daruff die Bepstlichen Colloquenten angezeigt, sie hätten wichtig Ursach darumb sie gedächten schriftlich und nicht anders zu procediren. Wiewohl nun der Präsident ein Rede mit ihnen gehabt hat, sind sie gleichwohl daruff beharret, sie wollten nicht anders denn schriftlich procediren, welches wir auch gewilligt haben, daraus zu vernehmen, daß wir nicht Ausflucht suchen [4]). Und ist der Anfang des colloquii nicht unförmlich gewesen. Denn die Bepstlichen Colloquenten, als die Anfänger [5]), haben in ihr erste Schrift gesetzt, man müßte vor allen strittigen Sachen ein Richter, das ist, ein Normam iudicii setzen, darnach man sprechen sollt, und haben sie diese Normam genennet perpetuum consensum Ecclesiae, und wollen unter diesem schönen Namen perpetui consensus Ecclesiae begriffen haben ihre lange Gewohnheit, und damit viel Mißbräuch bestättigen. Dagegen haben wir erstlich im [6]) Eingang die gewöhnliche Vorrede repetirt, daß wir durch Gottes Gnad sind und in Ewigkeit bleiben wollen wahrhaftiger Kirchen Christi Gliedmaßen, und sind nicht von der wahrhaftigen Kirchen Christi abgewichen, sondern haben derselbigen in göttlicher Schrift und alten frommen Scribenten Zeugniß in allen Artikeln, haben daruff unser Bekenntniß gethan, daß wir durch Gottes Gnaden halten der Propheten und Aposteln Schrift, und die Symbola, und daß dieselbige Lehr in der Augsburgischen Confession repetirt sey, die wir hiemit bekennen und nicht anders lehren, daß wir auch alle widerwärtige Lehre verdammen, die alten Gotteslästerung und die neuen, das Concilium Tridentinum und Interim [7]), Stenckefeldt, Anabaptisten und alle, die unrecht lehren von der iustificatio und Sacramenten.

Nach dieser general Vorreden haben wir gesagt, daß auch uns sehr gefällig sey erstlich vom Richter und norma iudicii zu reden, haben derwegen gesetzt, daß wir ihre normam, die sie nenneten perpetuum consensum Ecclesiae, wie sie dieses deuten, nicht annehmen könnten, denn sie zögen in diesen consensum ihre Gewohnheit. Nu wären viel neue Gesetz und Gewohnheiten den alten widerwärtig, als das Gesetz de coniugio sacerdotum, die privata missa, Anbetung der gestorbenen Menschen, des Sacraments im Umbtragen, und dieses wären alles neue Einführung, die sie wollten unter diesem Titel, consensum Ecclesiae, stärken, und sey unbillig dieses zu Richter zu machen, das wir als den fürnehmen Gegentheil, nämlich die viciosam consuetudinem, anfechten. Derwegen setzen wir dagegen zu Richter und unwandelbare normam iudicii, Scripta prophetica und apostolica und Symbola. Wir ziehen auch an als Zeugen die alten fürnehmen Scribenten; doch muß Unterschied gehalten werden. Etlich sind reiner, etlich nicht so rein, und so der Gegentheil die alten fürnehmen Scribenten halten wollt, würden bald viel ihre [8]) Abgötterey durch dieselbigen Zeugen [9]) fallen und zu schanden werden. Daß auch [10]) der Gegentheil fürwendet, die scripta prophetica und apostolica sind ungewiß etc., dieses sey eine unrechte Ausflucht. Gott hat sein Gesetz und Verheißung der Gnaden und Artikel des Glaubens vom Herrn Christo und ewigen Leben nicht wollen ein blinde [11]) ungewisse Rede seyn wollen, und der Sohn Gottes, der solches geoffenbart hat, ist nicht ein betrüglicher Redner, hat klar seines ewigen Vatters Willen uns fürgetragen etc., und ist diese disputatio schön gehandelt, daß alle Gesandten ein Gefallen daran hatten.

Hernach ist der Artikel de peccato originis angefangen, in welchem der Gegentheil gröblich geirret hat. Da wir nu dagegen die Wahrheit erkläret haben, sind

2) Olsh. *praeambulis.*
3) Olsh. würde noch.
4) Olsh. suchten.
5) Olsh. anfingen.
6) in] Olsh. zum.

7) und *Interim*] Olsh. non habet.
8) viel ihre] Olsh. mit ihrer.
9) Olsh. derselbigen Zeugniß.
10) auch] Olsh. noch.
11) Olsh. blinde und.

sie von der angefangen disputatio auf diesen List gefallen, haben begehrt, wir sollten vor allen andern Sachen Zwinglianos, Osiandriacos, Illyricum condemniren, daruff geantwort ist, wir wollten nach Ordnung der Artikel zu [12]) jedem Artikel condemnationes anhängen, denn es wäre unförmlich condemnationes machen vor der Erklärung. Aber *Snepp* und seine Gesellen haben wiederumb ihre vorige condemnationes fürgenommen, unangesehen daß sie zuvor gewilligt hatten, daß sie es dabei wollten bleiben lassen, daß sie die condemnationes den Unsern hätten überantwortet, auch unangesehen daß wir sagten, sie möchten in jedem Artikel ihre condemnationes einbringen [13]), wie wir uns sunst erboten hätten. Da sie aber nicht zufrieden gewesen, habe ich gewilligt, einträchtige condemnationes mit ihnen zu machen, habe ein Form gestellet, die aber *Brentius* von wegen Osiandri nicht hat gewilligt, und ist also eine Trennung unter uns worden. Da sind *Snepp* und seine Gesellen zum Präsidenten gangen, und haben ihm ihre condemnationes überantworten wollen, der sie nicht angenommen. Hernach haben sie dieselbige den Colloquenten des Gegentheils zugestellt und sind hernach weggezogen.

Als wir nun wiederumb in das Colloquium erfordert sind, haben wir wiederumb diese Antwort von den condemnationibus geben, daß wir zu jedem Artikel condemnationes anhängen wollten etc. nach Erklärung der Sachen, denn es sey ein Unform, condemnationes zu machen ohne Erklärung des Grunds. Dweil aber nu *Snepp* und seine Gesellen weg waren, haben die Colloquenten des Gegentheils nicht weiter procediren wollen. Da hat der Präsident an die Königlich M. geschrieben und eine Resolution begehrt, ob man procediren sollt. Daruff K. M. geantwort, man sollte procediren, und sollte damit zufrieden seyn, daß die condemnationes zu jedem Artikel nach Irer Ordnung angehängt würden.

Als diese resolutio ankommen ist, haben wir uns erboten zu procediren und anzufahen von welchem Artikel die andern wollten [14]). Aber die Bepstlichen Colloquenten haben in keinen Weg procediren wollen, wiewohl der Präsident und Doctor Selt acht Tag [15]) davon mit ihn gehandelt haben. Als sie nu nicht haben procediren wollen, haben wir unser Protestation gethan, daß der Mangel an uns nicht sey, haben uns nochmal erboten zu procediren. Als aber der Präsident angezeigt hat, er könne sie wider ihren Willen nicht zwingen und etlich der ihren weggezogen von Worms, sind wir auch weggezogen, und ist leicht zu verstehen, daß die Bepstlichen nicht Lust zu procediren gehabt, und haben zu einem Schein die unnöthige Trennung unter uns fürgewandt.

So weiß man auch, daß die Lovanienses mit den andern nicht einig gewesen. Denn sie haben offentlich gesagt, sie wollen ganz nichts ändern lassen in ihrer Lehr und ceremoniis. So denn nichts sollte zu emendiren gewilligt werden, so wäre das Colloquium vergeblich gewesen. Es haben auch die Bepstlichen Colloquenten, so oft ihr einer gepredigt hat, für und für unsre rechte Lehr in offentlichen Sachen gelästert, wiewohl die Stadt daran ein groß Mißfallen gehabt hat. Dieses alles ist also ergangen, wie diese narration lautet. Vor unserm Wegziehen hab ich zu Verhütung vieler böser Reden ein Schrift lassen drucken, darin wir, die wir bis zum End verharret haben, anzeigen, daß wir einträchtig sind, und bei der Augsburgischen Confession bleiben. Gott gebe uns Gnad und Fried. Geschrieben zu Dessau 28. Februarii anno 1558.

Philippus Melanthon.

12) zu] Olsh. an.

13) Olsh. anbringen.

14) Olsh. der ander (Theil) wollte.

15) acht Tag] Olsh. mehr noch.

No. 6469. (paulo post.)

Historia colloq. Worm.

Ea, quae antea data est narratio de colloquio Wormatiense, latine quoque scripta est a Melanthone, sed in multis a germanica diversa. Legitur in Select. epist. p. 481. Iterum in Epist. lib. I. p. 201. (ed. Lond. lib. I. ep. 70.). Etiam edita a Pezelio in Epist. lib. III. p. 24. (Consil. latin. P. II. p. 288.).

Historia Colloquii Wormaciae instituti Anno 1557.

Anno 1557. mense Augusto, postquam in urbem *Vangionum* venimus, antequam inchoarentur congressus cum Pontificiis, legati Principum nostrorum vocaverunt concionatores missos ad doctrinae explicationem, et iusserunt paratos esse, cum a praeside ad congressum cum Pontificiis vocarentur, et hortati sunt, ut perspicue et modeste doctrinam Ecclesiarum nostrarum exponerent. Hac communi adhortatione proposita, Legatus ducum *Saxoniae* fratrum *Basilius*, longam orationem habuit, cum multi post bellum doctrinae corruptelas recepissent, primum rursus consti-

tuendam esse concordiam inter nostros congruentem ad Confessionem *Augustanam*, et articulos *Smalcaldicos*. Deinde *Sneppius* prodiit, dixit se mandata habere a suis Principibus, ut de articulis communi consensu condemnationes fiant.

Primum, *damnandos esse Cinglianos.*

Secundo, *Osiandri doctrinam.*

Tertio, *Propositionem, quae dicit, Bona opera necessaria esse ad salutem.*

Quarto, *Lapsum eorum, qui Adiaphora recepissent.*

Respondit *Philippus*, si condemnationes faciendae essent, articulos scribendos esse, qui de tantis rebus explicate dicant quid asseverandum, quid improbandum sit. Nec in primo articulo *Cinglianos* damnandos esse, sed etiam Pontificios, qui horribilia idola in Ecclesiam invexerunt, et adhuc stabiliunt in depravatione Sacramenti. De secundo articulo extare nostra scripta, quibus perspicue refutatur *Osiandri* doctrina. De tertio, non refragari se ipsis dixit, sed tamen articulum scribendum esse, ut sciatur, quae forma loquendi retinenda sit. Etsi enim placet omitti formulam, *Ad salutem*: tamen retinendas esse has propositiones, *Nova obedientia necessaria est eo ipso, quia Creatori rationalis creatura debet obedientiam.* Item, *Clamores Antinomorum impios esse, qui vociferantur renatos retinere Spiritum sanctum, et iustos esse fide, etiamsi perseverent in sceleribus contra conscientiam.* De quarto dixit, crimen falsi ab *Illyrico* commissum esse in editione scripti *Lipsici*, et se iudicium praesentibus legatis de toto illo negotio permittere. Fateri se dedisse consilium, ne Ecclesiae desererentur propter vestem lineam, et festorum et lectionum ordinem. Sed alia multa affingere falsa *Illyricum*. Libenter etiam se abfuturum esse dixit ab ipsorum congressibus, si fuerit reiectus a *Flacianis*.

Deinde dixit etiam, cum venissent ad faciendas condemnationes, articulos formatos fuisse adferendos, ut caeteri de eis deliberari possent. Addidit etiam nos paucos esse, et magnum periculum esse si nos pauci conderemus articulos, cum tanta sit multorum rabies in reprehendendis aliis. Idem postea *Sneppius* dixit, nos paucos esse, nec sine periculo articulos scribi posse.

Brentius plura de *Osiandri* controversia dixit, se de doctrina prorsus nobiscum sentire. Sed *Osiandrum* a se non condemnari, quia aliter intelligeretur, quam sensisset. His responsionibus auditis, Legati re deliberata responderunt: Quia missi essemus ad defensionem Ecclesiarum nostrarum adversus Pontificios, nunc nos debere in communi causa coniunctos esse, nec faciendam esse distractionem. Illas igitur controversias inter nos differendas esse ad Synodum nostrorum. Idem Elector *Palatinus* scriptis literis ad omnes legatos, petivit, ad quem tamen accesserant aliqui antea, ut eum contra nos incenderent. Haec inter nos acta sunt, antequam Praeses nos vocavit. Non multo post a Praeside vocati sunt collocutores utriusque partis. Hic rursus mota est contentio de condemnationibus faciendis initio congressuum. Petiverunt legati, ne initia communis colloquii hac re turbarent, quia postea in singulis articulis, et quidem rebus explicatis, liberum singulis futurum esset dicere suas sententias, et addere condemnationes ut videretur. Post longam altercationem decursum est eo, ut condemnationes isti exhiberent legatis nostrorum Principum. Ita videri satisfactum mandatis, quae haberent. Dictum etiam fuit Illustrissimum Ducem *Iohannem Fridericum* hac exhibitione contentum esse. Quia cum eo caeteri Principes ea de re locuti erant, cum esset in vicinia. Exhibitae sunt igitur legatis nostrorum Principum illae condemnationes. Deinde simul ad colloquium cum Pontificiis accessimus, et videbatur inter nostros omnes dulcis concordia esse.

In publicis congressibus exordia erant placida. Hortabatur nos Praeses, ut modeste conferremus sententias, et ad concordiam mentes et voluntates flecteremus. Deinde promissio facta est, ne disputata spargerentur in publicum. Deinde, de modo procedendi deliberatum est. Ibi nos proposuimus duas vias: Priorem, quae inter doctos et bonos utilissima et expeditissima esset, ut candide et placide conferremus voce sententias, et argumenta, et cum de aliqua materia inter nos constitutus esset consensus, mox articulus unicus de ea re scriberetur; ubi non conveniret, duo articuli scriberentur. Ita Senatum Imperii facile posse agnoscere, de quibus rebus consensus esset, et de quibus reliquae essent controversiae. Hac via si non vellent uti, sed mallent certare scriptis, nos non gravatim etiam scriptis acturos esse, etiamsi tale certamen futurum esset multo longius collatione, quae voce fieret. Placuit et Praesidi via prior. Sed Pontificii contenderunt, ut scri-

ptis certaretur. Non recusavimus et quidem beneficium nobis tribui diximus. Ventum est igitur ad certaminis initium, quod fuit splendidum et iucundum.

Da auch einer auf vorgehende billig Verhör dermaßen befunden, daß er unserer christlichen Confession zuwider lehrte, oder handelte, so soll solches Ihren Chur- und Fürstl. Gn., als der Obrigkeit, jederzeit angebracht, und die abtrünnige, verführte Person keinesweges im Kirchendienst oder Lehramt geduldet oder gelitten, auch da solches an einem Orte abgeschafft, solches den andern Churfürsten und Fürsten angezeigt, und von [45]) denselben und andern Ständen, die diesen Abschied annehmen, keineswegs ferner unterschleift [46]) oder zu gleichen Aemtern gebraucht werden.

Und ist höchst und hochgedachter Churfürsten und Fürsten Gemüth und Meinung nicht, durch diese ihre Verordnung, welche sie nach Gelegenheit, zur Erhaltung und Aufpflanzung gemeines Friedens in der Kirche für dienstlich, nothwendig und fürträglich ansehen, jemanden aus der andern confessions-verwandten Ständen zu verachten, zu verkleinern [47]), zu verunglimpfen oder gefährlicher Weise dadurch auszuschließen, oder aufs wenigste in einen Verdacht zu bringen. Sondern Ihre Chur- und Fürstl. Gn. sind in alle Wege geneigt, erbötig und parat [48]), sich mit andern Abwesenden gleicher Gestalt und auf alle christliche, gebührende Wege zu vereinigen und zu vergleichen. Daran denn Ihro Chur- und Fürstl. Gn. nicht irren, oder von diesem hochwichtigen Werk abwendig machen solle alles dasjenige, so sich vor dieser Zeit (wie denn der leidige Satan bei der rechten, wahren, reinen Kirche nimmermehr feyert), in ein oder den andern Weg zugetragen und verlaufen haben möchte, wollen dasselbe durch christliche Geduld und Sanftmuth selbst mildern, und ihren Prädicanten und Kirchendienern solches gleichergestalt zu thun gnädigst und gnädig befehlen, daß also die Unruhe und Verbitterung, so einige vorhanden seyn sollte, unter denen, die dieses Verstandes mit ihren Chur- und Fürstl. Gn. einig seyn werden, in Vergessen gestellt, derselben nimmer gedacht, alle gottselige Ruhe und beständige Einigkeit in der Kirche dagegen wieder an die Statt gepflanzet; doch in allewege dergestalt, wie sich's auch in diesen hochwichtigsten Religionssachen gebührt, daß der wahren, christlichen, allein seligmachenden Bekenntniß nichts benommen, sondern dasselbe unverfälscht und unverdunkelt in ihren Würden und Kräften hinfürder bleiben und gelassen werde.

Dieweil auch Ihre Chur- und Fürstl. Gn. in keinen Zweifel setzen, es werden die abwesende confessionsverwandte Stände zu diesem christlichen Werke für sich selbst willig und geneigt seyn; so haben sie ferner für rathsam angesehn, auch allbereit bewilligt und beschlossen, die andern Fürsten, Grafen, Städte und Stände, die dieser Confession verwandt sind, zum förderlichsten zu ersuchen und zu erbitten, daß Ihre Fürstl. Gn. und sie, in Betrachtung, daß durch diesen Abschied nichts neues gesucht oder gehandelt, sondern allein die zuvor ausgegangene Bekenntniß repetiret und erholet, sich mit diesen Ständen auch gleichfalls nothdürftiglich erklären wollten, allein vornehmlich aus der Ursache, daß die Verfolger christlicher Wahrheit sehen und spüren möchten, daß die evangelischen Stände in der Lehre und den Hauptartikeln christlichen Glaubens einig, obschon sonst, wie die wahre Kirche nimmermehr ohne Betrübniß ist, allerley Anfechtung durch den Erbfeind christliches Namens in diesen letzten, gefährlichen Zeiten entgegen geworfen würde.

Und soll darauf im Namen aller Chur- und Fürsten, so diesen Abschied unterschrieben, Herzog Johann Friedrich von Sachsen sammt seiner Fürstl. Gn. Brüdern, gleicher Gestalt freundlich erinnert und ersucht werden.

Insonderheit aber so soll und will Pfalzgraf Otto Heinrich, Churfürst, Ihro Churfürstl. Gn. benachbarte Stände von Fürsten und Grafen dergestalt ersuchen, auch zur Förderung der Sachen mit der Stadt Straßburg dahin handeln, daß sie bei den andern benachbarten Städten, und insonderheit mit denen, so dem Rheinischen Kreis nahe gesessen, dies christlich, nöthige Werk befördern.

Und damit solches bei andern weit gesessenen auch desto förderlicher vorgehe, so sollen und wollen, wie vom Churfürsten Pfalzgrafen vermeldet, die andern beide, Herzog Augustus zu Sachsen und Markgraf Joachim zu Brandenburg, Churfürsten, bei Ihrer Churfürstl. Gn. Benachbarten gleichmäßige Anmahnung thun, und sonderlich höchstgedachter Chur-

45) Luen. vor pro und von.
46) Pez. et codd. untergeschleift.
47) Luen. verdammen.
48) Pez. et codd. Guelph. bereit.

fürst zu Sachsen bei Markgraf George Friedrichen zu Brandenburg und bei den Fürsten zu Anhalt, unter andern auch bei der Stadt Magdeburg, welche auf jüngstem allhier gehaltenen Religionstage zu Frankfurt deßwegen angesucht, damit dieselbige Stadt bei andern nahe gelegenen Städten ferner Handlung pflegen könne; item, der Churfürst zu Brandenburg bei seiner Churfürstl. Gn. Bruder, Markgrafen Hansen zu Brandenburg, auch bei den Fürstl. Häusern Lüneburg, Meklenburg und Pommern, und andern Benachbarten. So soll auch durch Herzog Christoph zu Würtemberg bei seiner Fürstl. Gn. Vettern, Graf Georg zu Würtemberg und dann auch etlichen Grafen; item, bei etlichen der vornehmsten oberländischen Städten, als Ulm, Augsburg, Nürnberg und Regensburg, gleichförmige Ansuchung geschehen, mit den beiden, daß sie, inmaßen oben von Straßburg gemeldet ist, mit andern ihren Nachbarn gleiche Handlung vorzunehmen bewilligt, und wo einige Stände von Fürsten, Grafen, Herrn, Städten jetzt schon ausdrücklich nicht gedacht werden, so soll nichts desto weniger derselben dieses Abschiedes verständiget, und darauf mit ihnen wie mit andern freundlich, bittlich und ersuchlich gehandelt werden.

Was auch durch dieses Ansuchen hin und wieder ausgerichtet oder nicht, das soll der Churfürst, Pfalzgraf, (dessen Churfürstl. Gn. auch Christoph, Herzog zu Würtemberg, was seiner Fürstl. Gn. begegnet, zu wissen thun will) dem Churfürsten zu Sachsen, und dann hochermeldeter Churfürst zu Sachsen dasselbe alles, und was seine Churfürstl. Gn. erlangen, dem Churfürsten zu Brandenburg, und dem Landgrafen zu Hessen, und dagegen höchstermeldeter Churfürst zu Brandenburg, was ihre Churfürstl. Gn. verrichtet, dem Churfürsten zu Sachsen hinwieder freundlich verständigen, welches alles dann Ihre Churfürstl. und Fürstl. Gn. auch an den Churfürsten Pfalzgrafen gelangen lassen, und derselbe Churfürst Pfalzgraf, dessen die andern in diesem Abschiede benannte Fürsten hie zwischen S. Johannes Tag ungefährlich [49]), freundlich und vertraulich berichten.

Wäre es aber Sache, daß jemand aus denjenigen, bei denen dergestalt zur Erhaltung gemeines Friedens in der Kirche christlicher Weise angesucht, sich nicht einlassen wolle, das man sich doch in Bewegung obangeregter Ursachen, und daß man hiermit nichts neues aufrichten, sondern die alte christliche Bekenntniß erholt und repetirt, gar nicht versieht; so sollen und wollen nichts desto weniger höchst und hochbemeldete Chur- und Fürsten bei diesem Abschiede und desselben wahren christlichen Bekenntniß und allen obbemeldeten Punkten beständig und einhelliglich bleiben und derselben nichts zuwider, so einige Verfälschung der Lehre, unbilliger Ruhe oder Weiterung auf sich tragen möchte, gestatten, einräumen oder annehmen.

So aber künftiglich, wie sich doch Ihre Chur- und Fürstl. Gn. billig nicht zu versehen haben, jemand diesen Abschied in einem oder dem andern Weg anfechten, dawider schreiben oder denselben in einen Mißbrauch ziehen wollte, so ist für rathsam hiermit angesehn und bewilligt, daß Ihre Chur- und Fürstl. Gn. dasselbe einander förderlich verständigen, und alsbald darauf zeitlich und unverzüglich, je nach Gelegenheit der Sachen, Ihre Theologi mit nothwendigen, genugsamen Befehlen und Instructionen zusammenschicken, und stattlich bedenken, berathschlagen und abhandeln lassen, was darauf zu weiterer Ausführung und Erklärung vorzunehmen, die Nothdurft erfordern wolle, darinn sich dann Ihre Chur- und Fürstl. Gn. jederzeit freundlich und christlich vergleichen, und einhelliglich darüber halten und erzeigen wollen. Gleicher Gestalt soll es auch in andern wichtigen, so der Religion halben vorfallen möchten, die diese Stände in gemein berühren, gehalten werden.

Stellen auch in keinen Zweifel, und haben die tröstliche Hoffnung zu Gott, dem Allmächtigen, dieweil solches alles keiner zeitlichen Ehre oder jemandes zur Verkleinerung oder Nachtheil gesucht oder gemeint, es werde die göttliche Majestät, deren Werk es ist, ihnen Gnade und Segen dazu mildiglich mittheilen, wie sie auch darum zum fleißigsten bitten, damit es von andern christlichen und gottseligen Ständen dermaßen, wie es gemeint, verstanden und endlich dahin gedeihe und ersprieße, daß alle der wahren Confession verwandte Stände, desto einiger und ruhiger in geistlichen und weltlichen Sachen bei einander leben und bleiben, auch dem gemeinen Feind der Wahrheit und desselben Gliedern desto ernstlicher widerstanden werde. Solches alles, und jedes, wie obstehet, haben sie höchst und hochgenannte Churfürsten und Fürsten mit einander einhelliglich verglichen, und zu mehr Behaltens auf das Papier bringen lassen, auch denselben wirklich und unweigerlich nachzusetzen bewilligt und sich entschlossen und zu mehr Urkund diesen Abschied mit Ihro Chur- und Fürstl. Gn. eignen Händen unterschrieben, welcher ge-

49) Luen. unveränderlich.

geben ist zu Frankfurt am Mayn, den 18. Martii, im Jahre 1558.

Otto Heinrich, Churfürst.
Augustus, Churfürst.
Joachim, Churfürst.
Wolfgang, Pfalzgraf und Graf zu Veldenz, manu propria subscripsit.
Christoph, Herzog zu Würtemberg.
Philipp, Landgraf zu Hessen.

No. 6484. (18. Mart.)

G. Fabricio.

Epist. lib. V. p. 434 sq.

Georgio Fabricio, gubernanti Scholam Misnensem.

Ut texit Deus Ecclesiam in Aegypto intra limina conspersa sanguine agni, sic et Ecclesias publicas et privatas in his regionibus protegat, toto eum pectore oro. Filium tibi natum esse gaudeo, et Deo gratias ago pro hoc ipsius beneficio, et, ut te et domesticam tuam Ecclesiam servet, ipsum precor. Memini tuam epistolam, in qua de amore scribebas. Nunc et senties et miraberis mirificam *στοργὴν* in paterno pectore, de qua saepe dicere soleo, esse eam commonefactricem de amore Dei erga nos. Sed haec coram.

Nuper meus comes properans deflexit ad viam breviorem, cum valde cuperem, eum ad te accedere. Mitto tibi tui auditoris carmen *περὶ χαρίτων*. Ego scriptione alia occupatus sum.

Edidit *Staphylus* tetra *στέμφυλα* *), contra nostras Ecclesias omnes. Hunc communem hostem refutare institui, prorsus immemorem etiam illarum *χαρίτων*, de quibus carmen mitto. Fuit enim a nobis ornatus multis modis. Sed Deo ingratus non erit hominibus gratus. Oro autem Deum, ut nos gubernet. Bene et feliciter vale. Mense Martio.

*) Uvarum expressarum retrimenta, sive reliquas. (*Saub.*)

No. 6485. 24. Mart.

P. Vincentio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[a].

Petro Vincentio (qui in patriam, Vratislaviam profectus erat.)

S. D. Clarissime vir et cariss. frater. Dei beneficio et in hac vicinia et in oppido nostro mediocris tranquillitas est; mihi vero post iter tuum creverunt labores. Venit huc *Tilemannus Heshusius*, et scripta Danica attulit. Meministi Philoxenum, qui se iubebat in Latomias reduci. Et ego malim in Latomias includi quam litigare cum Regibus. Abiit *Heshusius* in meam patriam ornatus nostris testimoniis, *ἀλλὰ τὴν ἐχεμυθίαν τοῦ διδασκάλου μιμεῖται οὐκ ἄνευ σπονδῆς*. Narravit tamen venenatas calumnias, quas ex ipso *Mylio* se audivisse dicebat. Vocat nos dux Pomeranicus ad renunciationem gradus *Iacobi Rungii*, et promisi, Deo iuvante me visurum illam tuam Academiam, teque ductorem fore spero. Mitto vobis pagellas de *Staphylo*, de quibus considerabis prudentum iudicia. Plura scriberem, sed vides quales chartas habeamus. Itaque a te peto, vestratem seu firmiorem nobis istic emas; pretium hic liberaliter numerabo. Bene et feliciter vale. 24. Martii, quo die filius Dei ante annos 1524. coenam instituit, quam voluit esse pignus suae coniunctionis cum Ecclesia, et qua nos testatur sua membra esse et servari per ipsum. Iterum vale et salutem dicito amicis omnibus; nam scribere non potui cum tam multi flagitarent literas. Philippus.

No. 6486. 26. Mart.

Ge. Agricolae.

Epist. lib. II. p. 567. (ed. Lond. lib. II. ep. 589.). — Hic ex autographo in cod. Goth. 400.

Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Georgio Agricolae, gubernanti studia doctrinae in inclyta urbe Norici Amberga, fratri suo carissimo

S. D. Charissime frater, Iustius de *Micylli* morte querelam illam apud *Theocritum* recitare possumus, quam scripta est de *Bione*:

Νῦν ὑάκινθε λάλει τὰ σὰ γράμματα, καὶ πλέον αἲ αἴ.

Nam et virtus *Micylli* et eruditio fuit eximia, et labores eius Ecclesiae profuerunt. Misi nunc in Academiam meae patriae doctorem Theologiae, virum eruditum et honestum, *Tilemannum Heshusium*, quem spero, Deo iuvante, recte gubernaturum esse studia doctrinae Ecclesiasticae. Exemplum meae responsionis contra *Staphylum* tibi mitto [1]), quam legens deplorabis mecum Ecclesiae aerumnas, qui cum tam multos exteros hostes habeamus, non maiore cura coniunctionem nostram tuemur. Te quaeso ut mihi significes iudicia vestrorum de mea responsione. Carmen etiam *περὶ χαρίτων* mitto, *καὶ εὔξαίμην πολλοὺς σπένδειν χάρισιν*, ut *Plato* dicebat *Xenocrati*. Bene vale, et rescribe. Die XXVI. Martii [2]).

Philippus.

No. 6487. 29. Mart.

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camer. p. 736 sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 882.).

Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioach. Camer. fratri suo carissimo,

S. D. Lectis litteris filii tui, quae significant te non recte valere, et ego et gener *) valde de te soliciti esse caepimus, ac primum quidem Deum vitae fontem precamur, ut te et totam Ecclesiam tuam domesticam servet, et vobis omnibus animorum et corporum vires confirmet. Nam res ipsa loquitur, nos non tantum physicis causis vivere. Et scis scriptum esse de Deo, ipse est vita tua, et longitudo dierum tuorum. Nec tamen ordo physicus negligendus est. Generum ad te expatiari iubebo, etsi filii *Casparis* morbus adhuc eum retinet. Ego etsi operis retineor, tamen, nisi significabis te rectius valere, ad vos excurram. Heri primum redii domum, cum et Baptismo filii praefecti *Belcensis*, et coniugis puerperae funeri affuissem, quae nondum egressa fuit annum XVIII. Agnoscamus nos homines esse. Post biduum dies mortis erit Hieronymi Stridonensis, qui primo et Nonagesimo anno aetatis suae mortuus est in Bethlehem, vir bene meritus de Ecclesia, et eo etiam felix, quae senectam habuit, sed procul a patria, tranquillam. Nos inter quas echidnas vivimus? sed commendemus nos Deo. Bene vale, et rescribe, III. Cal. April.

Philippus.

1) Responsio ad criminationes Staphyli et Avii. Viteb. 1558. 4.

2) Anno 1558. addidit Peucer., sed ab autogr. annus abest.

*) Esromus Rudinger, qui a. 1557. se contulerat in Acad. Witeb.

No. 6488. 31. Mart. (Lipsiae.)

Io. Matthesio.

Epist. lib. II. p. 67. (ed. Lond. lib. II. ep. 50.).

D. Iohanni Matthesio

S. D. Reverende vir et charissime frater, *Lipsiae* tuas literas accepi, in quibus scribis de vestro cive qui abest a coniuge sua, et tamen interea ad coenam Domini accessit, decepto ministro Evangelii. Censeo nunc quoque dicendum esse illi ipsi reo, ne deinceps antequam uxori reconciliatus fuerit, ad coenam Domini accedat; sunt et Diaconi tui admonendi, ne eum admittant. Poena autem prioris facti differatur donec praeterierit dies constituta reconciliationi cum coniuge. Si dissensio non tollatur post admonitionem privationis, palam pronuncia adversus eum sententiam excommunicationis: Sin autem fuerit reconciliatus uxori, petat a te prioris facti veniam, quod publice fieri vellem, et deinde a te publice absolvatur. Non vellem addi a Senatu poenam post factam reconciliationem. Deus gubernet et protegat nos. *Lipsiam* vocatus fui ad examen scholasticorum, quibus dantur stipendia. Id significo ne quid aliud suspiceris. Eodem autem tempore huc redierunt consiliarii Principis nostri, qui narrarunt *Francofordiensis* Conventus *) acta. De Ecclesiasticis controversiis nostri etiam capita quaedam scripserunt, quibus additae sunt subscriptiones *Palatini* Electoris, Ducis *Saxoniae* Electoris, *Marchionis* Electoris, Ducis *Friderici Palatini*, Ducis *Wirtebergensis*, *Landgravii Marchionis Badensis*. Et petetur a caeteris subscriptio, ut consensus constituatur. Existimo contradicturos esse *τοὺς βλακικοὺς*, sed de hac re scribam copiosius, cum domum rediero, et exemplum mittam *Francofordianae* deliberationis. Bene vale et

*) Fuit ineunte Martio 1558. Vid. *Salig.* in hist. Aug. Conf. III. p. 348. et p. 363 sqq. Scriptum ibidem d. 18. Martii factum vide supra d. 18. Mart. h. a.

rescribe. Pridie Calendas Aprilis. Salutem tibi optant D. *Ioachimus Camerarius* et *Caspar Peucerus*, Fratris mei filium tibi commendo.

No. 6489. 1. Apr. (Lipsiae.)

P. Vincentio.

† Ex apographo in cod. 54., qui est in Bibliotheca St. Genovevae Lutetiis Parisior. Descripta nobis a Clariss. *Beckio.*

Petro Vincentio, (*Vratislaviae.*)

S. D. Clariss. vir et cariss. frater. *Eperienses* huc miserunt nuncium cum litteris, quibus vocant te ad gubernationem Ecclesiae suae. Ac vicini ipsorum una scripserunt, et a me et *Ebero* flagitant, ut [ad] eam functionem tibi hortatores simus. Sed nuncium ad te Vratislaviam accedere iussimus, nec sumo mihi auctoritatem. Te potius hortor, ne deseras nos. Etsi non ignoras, quibus fluctibus iactetur cymba nostra et βλακικαὶ Erinnyes dira nobis minitantur, tibi tamen semper honestus locus in his regionibus esse poterit, et utilia docendi et iuvandi Ecclesiam. Quare nollem [1]) te a nobis avelli. Cogitabis etiam, in Ungaria non tantum metuenda esse Turcica bella, sed etiam theologica, quae Vratislaviae non sunt ignota. Sed Deo Ecclesiam et nos omnes commendo. Si in Austriam exspatiabere [2]), velim scribas πάντα περὶ πάντες [3]), ac iam literas a te expecto. Honestissima coniux tua recte valet. Bene et feliciter vale, et rescribe. Calend. April. 1558.

No. 6490. 1. Apr.

Marchionibus Brandenb.

Praemissa Ioh. Schosseri Aemiliani Marchiados libro (Wittenb. 1558. 4. *), repetita in *Ioh. Schosseri* Poematum lib. XI. (Francof. ad Viadr. 1585. 8.) (Descripta nobis a Clariss. *Foerstemanno.*) — Caeterum vid. d. 12. Aug. 1557.

Inclytis et Illustrissimis Principibus et Dominis, Domino Ioachimo II. Marchioni Brandeburgensi Electori: et Domino Sigismundo, Archiepiscopo Magdeburgensi, Primati Germaniae: et ceteris laudatissimis Principibus Marchionibus Brandeburgensibus.

Philippus Melanthon S. D.

Multa sunt illustria testimonia de Deo, de providentia, de praesentia eius in genere humano, impressa naturae rerum, et humanis mentibus. Nam ut nunc non dicam de figura mundi, de ordine motuum coelestium, de temporum vicibus, et varietate rerum nascentium, partim victus, partim medicationis causa: fateri necesse est, certas ac perpetuas noticias in mente humana, intellectum numerorum et ordinis, et discrimen immotum honestorum et turpium, non posse a caecis atomis, aut ab ulla natura non intelligente initia habere, sed radios esse, ab intelligente natura architectatrice et formatrice rerum, sparsos in mentes humanas, ut sciremus, et esse Deum, et esse sapientem, veracem, beneficii, castum et vindicem scelerum. Deinde et conservatio legitimae societatis hominum, testimonium est de praesentia Dei in genere humano. Ut enim cum in gregem lupi et ursi grassantur, pastorum cura tamen et excubiis, magna pars gregis servatur: Ita quanquam horrendis furoribus diaboli et homines impii, qui sunt organa diabolorum, tristissimas dissipationes efficiunt: tamen quantum ordinis politici reliquum est, verissime servatur a Deo, qui non sinit penitus interire genus humanum, ex quo Filius massam adsumpsit, ac servat ideo reliquias, ut inde Ecclesiam aeternam colligat, quae inseritur massae, quam Filius adsumpsit. Et quidem mirandis operibus ostendit Deus praesentiam suam, certo punit latrocinia, iuxta dictum: Omnis qui gladium acceperit, gladio peribit. Saepe magni exercitus ab exiguo numero vincuntur, quia Deus iniustitiam punit. Quam exigua fuit Cyri potentia, collata ad Assyriorum et Chaldaeorum regna? Quid Alexandri vires et opes fuerunt, collatae ad potentiam Orientis? Sed veram esse agnoscamus Danielis concionem, Deus transfert regna et stabilit. Et Psalmus inquit: Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.

---

1) Cod. 54. *vellem*; mendose.

2) Utique in Austriam profectus est, unde mense Maio 1558. rediit. Nam legitur Vincentii scheda academica in Scriptis Acad. Witeb. P. III. p. 169. (post d. 12. Maii) sic inscripta: „Significatio praelectionis publicae *post Austriacam profectionem*, proposita studiosis auditoribus a Petro Vincentio Vratislaviense."

3) πάντες?] — Fortasse πάντος.

*) Diese erste Ausgabe erschien unter dem Titel: Marchiada S. historia de origine et incrementis illustriss. famil. March. Brandeb. elegiaco carmine. [*Foerst.*]

Firmissime igitur statuamus, Deum vere custodem esse legitimae societatis hominum, et politicum ordinem propter voluntatem Dei amemus, veneremur, et grati celebremus hanc Dei praesentiam. Simus grati etiam salutaribus Principibus et familiis eorum, quos Deus in hoc fastigium collocavit, et servat, ut sint organa legitimae societatis. Diu autem et in summo senatu generis humani, videlicet inter Principes Electores, et in defensione harum regionum ad Albim, et ad Viadrum, et in ora Francica et Norica, familia vestra res magnas gubernavit et gessit. Quare gratitudo et maioribus vestris et vobis debetur. Utile est autem propter testimonia de praesentia Dei in Imperiis, extare quam plurimas historias Regnorum et Principum. Quare et vestrae familiae res gestas ordine describi magnopere optarim. Tempore Imperatoris Rodolphi, qui in Germania, cum Pontificiis fraudibus valde dilacerata esset, pacem leges et iudicia restituit, maximae res gubernatae sunt consilio Friderici Burggravii: a quo deinceps Burggravii Noribergenses et Marchiones Brandeburgenses orti sunt, fitque eius mentio in bello Boiemico tunc gesto. Deinde in dissensione, quam etiam accenderant Romani Pontifices, inter Ludovicum Bavarum, et Fridericum Austriacum, in pugna ad Neccharum captus est Austriacus a Burggravio Noribergensi, qui in ea discordia non solum fortitudinis, sed etiam iustitiae laudem adeptus est, quod defensionem iustae partis adiuvit. Idem Burggravius victor, etiam autor pacis inter Ludovicum et Fridericum fuit, eiusque consiliis pacis conditiones scriptae et receptae sunt. Postea Sigismundi Imperatoris tempore, Fridericus Quintus Burggravius, Boiemos populantes Noricum et viciniam, ex ea Germaniae parte factis aliquot praeliis expulit. Deinde cum Sigismundus Imperator tradidit Marchiam Brandeburgensem, et Electoris dignitatem eidem Friderico, diuturna bella gesta sunt a Friderico et Alberto filio, quibus etiam Iohannes et Fridericus Alberti filii interfuerunt. Haec in publicis historiis breviter recensentur, sed integre exponi optarim, inspectis domesticis monumentis. Oro autem Deum aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, creatorem generis humani, qui custos est legitimae societatis humanae, ut et familiam vestram servet ac gubernet, et patriam protegat. Vos autem adhortor, ut, quod facitis, Ecclesias Filii Dei foveatis, et honestis studiis opem feratis. Qua in re cum optima voluntas vestra nota sit universae Germaniae, docti vicissim studia sua vobis ostendere solent: inter quos ut hunc *Iohannem Schosserum* *) praeconem laudum vestrarum, clementer complectamini, etiam atque etiam oro. Qui cum sit vir bonus et honestus, et recte invocet Deum, sciatque venam fundendi carminis sonori et elegantis, Dei opus et donum esse, confert eam ad Dei, et bonorum Principum laudes celebrandas, non ad inanes ludos, nec ad contumelias honestorum Principum, nec ad incitandos homines ad contemptum legis et ordinis politici, quibus argumentis non pauci inquieti homines delectantur, qui severitate bonorum gubernatorum cohercendi erant. Posteritatem etiam boni Principes intueantur et curent, ne doctrina necessaria extinguatur, sed ut sint in Ecclesiis et consiliis publicis recte docti, invocantes Deum et amantes piam concordiam ac pacem, et conservationem generis humani. Datum Vitebergae **), Calendis Aprilis. Anno 1558.

No. 6491. 2. Apr. (Lipsiae.)

A. Hardenbergio.

Epp. ad Hardenberg. ep. 2.

D. Alberto Hardebergio.

S. D. Reverende vir et carissime frater. Utinam quantum in adversariis crescit rabies, tantum pietas in nobis, et coniunctionis tuendae studium crescerent. Mitto tibi libellum scriptum contra virulentas *Staphyli* calumnias. Tales hostes communes omnium Ecclesiarum nostrarum negligunt nostri: tantum domestica bella movent. Sed oro Filium Dei, ut nos gubernet. Existimo *Paulum Eberum* tibi de actis Francofurdianis scripturum

*) Lipsiae fuit Melanthon d. 1. Apr. 1558.

**) Schosser selbst schreibt in der Epistola nuncup. an den Kurf. v. Brandenburg Johann Georg, und dessen Sohn Joachim Friedrich, Administrator des Erzbisthums Magdeburg (V Id. Ian. 1585.) zu der Ausgabe seiner Gedichte über Melanchthons Empfehlung also: „Nam ex quo primum de commendatione Philippi Melanthonis et Georgii Sabini, qui sibi de ingenio meo nonnibil pollicebantur, Ioachimo II. — eiusque filio Sigismundo — iunctui —: meam tenuitatem sua liberalitate sublevare non destiterunt." Er wurde bald nach Melanchthons Tode im J. 1560. als Professor der Beredtsamkeit und Dichtkunst an der Universität zu Frankfurt a/O. angestellt, und erhielt später die Würde eines Kurfürstl. Rathes. Er starb am 3. Jul. 1585. [*Foerstem.*]

esse. Melius esset in Synodo de illis materiis disserere eruditos. Et haec ipsa Francofurdiana deliberata novas contentiones movebunt, quae Synodum convenire cogent. *Lascii* voluntatem non existimo erga te mutatam esse, cui iam cum *Vergerio* certamina erunt, qui redit in Poloniam *). Ego laboribus ita obruor, ut quotidie mortem expectem, et tamen inimici mei prius me hinc expellere conantur. Bene vale et rescribe. Die 2. Aprilis.

Philippus Melanthon.

No. 6492. 4. Apr.

D. Chytraeo.

(Ex David. Chytraei epistolis, p. 1215.)

Dav. Chytraeo.

S. D. Carissime frater. Quod amanter mihi respondisti, habeo tibi gratiam, et volo inter nos aeternam amicitiam esse. Vides quam necessarium sit, nos coniunctionem nostram tueri, contra communes hostes, quorum crescit rabies, et gloriae Dei interest, eos potius refutare, quam quaerere inter nos rixas de minoribus negotiis. Cogitemus igitur illud Siculi principis οὐκ αἰσχρὸν οἰκείους οἰκείων ἡσσᾶσθαι. Et exempla sapientum multorum legimus et vidimus. Mitto tibi bona fide literas *Palatini* principis obsignatas ut accepi, teque oro ut diserte mihi scribas, an hic auriga noster eas tibi fideliter exhibuerit, quem quidem iudico virum honestum esse, et do mercedem. *Tilemannus Heshusius* iter ingressus est die 23. Martii profecturus ad ripam Necchari. Deus gubernet eius consilia et iter? Mitto tibi et *Micylli* Epicedion et scriptum contra *Staphylum*, teque oro, ut cum legeris, aliquid mihi de tuo indicio significes. Brevior est mea responsio, quam debebat esse, cum ille vere ἁμάξας βλασφημιῶν ediderit. Sed multi coniungere nos debebamus. Bene vale, et rescribe, die Ambrosii.

Philippus.

---

*) De Vergerio tum in Polonia versato vid. *Saligius* in hist. Aug. T. II. p. 1173.

No. 6493. 5. Apr.

Matth. Luthero.

Epist. lib. V. p. 726.

Matthiae Luthero, Syndico Northusano.

S. D. Integerrime vir, et charissime frater. Quod benevolentiam vestram erga me non sinitis extingui, gratiam vobis habeo. Et volo, inter nos aeternam amicitiam esse, qua etiam in coelesti consuetudine fruamur. De aquila carmen edi curabo. Domus extructa, cui fuit imposita Aquila, mihi Germaniam significare videtur, hanc Turcas vexaturos esse metuo. Et Aquila reliqua erit *Carolus* Sextus, qui aliud novum Imperium fortasse constituet, Deo gubernante, hunc mundi finem. Mitto vobis libellos, quorum lectionem spero vobis iucundam fore. Bene valete. Die 5. Aprilis 1558.

Philippus.

No. 6494. 6. Apr.

P. Vincentio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54 [a].

Petro Vincentio (Vratislaviae).

S. D. Clarissime vir et cariss. frater. Post tuum iter Senatus Eperiensis misit huc literas, quibus te vocat ad gubernationem suae Ecclesiae, ut ex ipsis literis cognosces *). Iussimus nuncium ad te in urbem Vratislaviam accedere. Essem dissuasor, si adesses, non solum propter vicinas Turcarum irruptiones, sed multo magis propter theologica bella, quae Vratislaviae non sunt ignota. Sed non sumo mihi autoritatem aliquid statuendi, sicut etiam ad Senatum Eperiensem scripsi. Miratus sum etiam, hunc nuncium sine literis *Sigismundi Geloi* ad me venisse, cum quidem domi fuerit. Sed oro filium Dei, ut Ecclesias ubique et tua consilia gubernet. Scribo brevius, quia magnus concursus erat occupationum. Bene vale. Die 6. Aprilis, [1560.] **)

Philippus.

---

*) Vid. ep. d. 1. Apr. 1558.
**) Annum uncis inclusi; nam 1558. scripta est epistola.

No. 6495. 6. Apr.

Io. Matthesio.

Epist. lib. II. p. 108. (ed. Lond. lib. II. ep. 95.).

D. Iohanni Matthesio

S. D. Reverende vir et charissime frater, Legit hic *Simon Suerinensis* vir doctus sententiam in *Salomone* dulcissimam: *Omnis sermo purgatus*, צרופה: *clypeus est sperantibus propter ipsum.* Ut igitur videat exempla vestrarum coctionum, *Sareptam* vestram adite decrevit, tuam etiam amicitiam expetit. Ac scio tibi sermones eius propter eruditionem et propter modestiam gratos fore. In *Polonia* intelligo inter *Lascium* et *Vergerium* magna certamina fore, et uterque se armat sua factione. Precemur Filium Dei, ut nos gubernet. Mitto tibi *Epicedion* viri optimi *Micylli.* Bene vale et rescribe. Die 6. Aprilis.

No. 6496. 6. Apr.

Io. Stigelio.

Danz. epp. ad Stigel. ep. 93. Cod. Goth. 188. ep. 162.

Clarissimo viro, ingenio, eruditione et virtute praestanti, D. Ioanni Stigelio, τῷ Θεῷ, καὶ ταῖς Μούσαις, φιλτάτῳ, fratri suo carissimo, S. D.

Clariss. vir et cariss. frater. Misit mihi aliquot exempla Epicedii, *Micyllo* viro optimo scripti, vir optimus Petrus *Lotichius*, ut amicis distribuerem, praesertim iis, quorum ibi fit mentio. Leges autem in eo carmine et tuum nomen. Scis, Musarum et *χαρίτων* templa olim coniuncta fuisse. Decet igitur, vos Musarum amicos, et *τὰς χάριτας* amare. Optarim et voluntates tales pacis cupidas esse in his, de quibus Nazianzenus inquit, *εἰρήνην βοάοντες ἐφ᾽ αἵματι κυδιόωντες.* Mitto et responsionem meam editam contra *Staphylum*, quae multo est tenuior, quam debebat esse. Sed in his doloribus quid scribam? Spero, me brevi ex hac aerumnosa in Ecclesiam tranquilliorem transiturum esse. Bene vale memor nostrae amicitiae. 6. Aprilis.

Philippus Melanthon.

No. 6497. 6. Apr.

Cph. Libio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Christophoro Libio, Pastori Ecclesiae Brandenburg.

S. D. Reverende vir et cariss. frater. *Sabini* reditum ex Salinis adhuc expecto, cum quo fueram ad vos profecturus, si paulo ante has ferias huc rediisset. Sed Deo iuvante cum primum potero, filias meas ad Aviam adducam. In *conventu Francofordiano* deliberarunt principes nostri de tranquillitate Ecclesiarum nostrarum, et decreta facta sunt *περὶ τῆς Ὀσιάνδρου καινοτομίας, περὶ ἀνάγκης ἔργων, περὶ ἀδιαφόρων, καὶ περὶ μυστηρίου κοινωνίας σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ.* Subscripserunt tres Electores, Palatinus, Saxonicus et Marchicus, et alii principes quatuor. Missi sunt legati et ad Duces Saxoniae in Tyrigetis. Non existimo, probaturos esse hos Areopagitas aliorum sententiam, sed haec et alia multa coram. Rursus mitto tibi exemplum meae responsionis, quia dubitabam, an acceperis antea missam. Bene et feliciter vale. Die 6. Aprilis, anno 1558. Mitto epicedion *Micylli.*

Philippus.

No. 6498. 7. Apr.

Nic. Gallo.

Edita in Strobelii neuen Beiträgen ꝛc. P. V. p. 371. Contuli apographon in cod. Galli II. p. 226[a].

Reverendo viro eruditione et virtute praestanti D. Nicolao Gallo docenti Evangelium in Ecclesia Dei in inclyta urbe Rhaetisburgo

S. D. Reverende Vir. Scio in dissensionibus civilibus varias esse omnium vices, etiam eorum, qui non sunt in acie. Feram igitur in hac terribili temporum saevitia, Deo iuvante, quidquid mihi accidet. Ac spero, iudicia Ecclesiae et posteritatis de me aequiora fore, quam sunt quorundam, qui aperte dixerunt, me opprimendum esse*),

---

*) Hoc dixisse ferebatur *Chytraeus*, qui vero hoc tantum dixisse fassus est, dum Melanchthon et Flacius viverent, concordiam inter eos futuram sperari non posse. Vid. *Dav.*

ne impediam ea, quae ipsi moliuntur. Commendo autem me Filio Dei, qui est καρδιογνώστης, et scit me quaesivisse veritatem, et dolere *) propterea, quod pellitur e medio sapientia, vi geritur res, imo et clamoribus, accommodatis ad plausus potentum. De illustris familiae *Stahrenbergensis* adolescentibus scito ad Doctorem *Vitum* nominatim scriptum esse, ne deerunt eis mea officia. Bene vale, die 7. Aprilis.

No. 6499. 10. Apr.

Io. Bottichero.

Primum edita in *Io. Bottícheri* de arte disserendi oratione (Witeb. 1563.), unde eam hausimus. Postea iterum prodiit in Manlii farrag. p. 273.

Honestissimo viro, sapientia et virtute praestanti, Ioanni Botigero seniori,

S. D. Honestissime vir, et amice charissime, consolemur nos voce divina: *Generationi rectorum benedicetur.* Nam in tantis confusionibus generis humani, nulla familia conservari potest solis humanis consiliis et praesidiis. Sed Deus protegit aliquas piorum familias: ut protexit Israelitas in Aegypto, cum iussisset limina conspergi sanguine. Ita et nostras familias Deo curae esse credamus, et petamus ut ipse nos gubernet et servet. Mea officia filio vestro non deerunt, praesertim cum eius integritas mihi nota sit. Bene valete. Die Paschatos, quod est ab exitu ex Aegypto Pascha 3067.

Philippus Melanthon.

No. 6500. 10. Apr.

Christiano III., Reg. Dan.

Schumacher Briefe an die Könige in Dänem. Vol. II. p. 83. epist. 30.

(*Christiano III., Regi Daniae.*)

Gottes Gnad durch seinen eingebohrnen Sohn Jesum Christum, unsern Heiland und wahrhaften Helfer, zuvor. Durchleuchtister, großmächtigster König und Herr. Ewr. Königl. Majestät sendet ein christlicher, gelahrter Mann, genannt Magister *Hieronymus Osius*, in Thüringen gebohren, ein künstlich Büchlein von tugendlichen Sitten, das vor zwei tausend Jahren in Graecia geschrieben ist von einem, genannt *Theognis*, und ist jetzund durch gedachten Hieronymum Osium in lateinische Sprach gebracht zu guter Uebung der Jugend, und ist in Unterthänikeit E. K. M. zugeschrieben, dieweil E. K. M. zu Erhaltung christlicher Lehr, Sprachen und Künsten, die der Christenheit nützlich sind, mehr denn alle Potentaten auf Erden, Sorg, Arbeit und Kosten tragen. Dieweil denn dieses Werk *Hieronymi Osii* wohl gemacht ist, bitt ich in Unterthänikeit, E. K. M. wolle ihr gnädiglich dieses Mannes Werk und unterthäniges Gemüth gefallen lassen, denn er auch samt gemeiner christlichen Kirchen sein ernstlich Gebet für alle christliche Regenten und für E. K. M. thut, und die Jugend treulich unterweiset.

Jetzt ist die türkisch Botschaft zu Wien, und wird von einem Anstand gehandelt, davon doch die Hungarn also reden: wenn gleich der Anstand gemacht wird, so plündern die Wascha für und für, führen viel Volks weg und verbrennen Dörfer und Flecken.

Von Niederland und Frankreich haben E. K. M. gewisser Zeitung, denn ich; aber dieses ist leider wahr, daß in Frankreich und Niederland große Zerrüttung ist durch mancherlei Secten, und die Päpstliche Gute und Böse tödten, wo sie kommen *). Der allmächtige Gott, Vatter unsers Heilandes Jesu Christi, wolle gnädiglich ihm eine ewige Kirchen allezeit in E. K. M. Königreichen und in diesen Landen sammlen, und in rechten Stand erhalten, und E. K. M. und E. K. M. Königin und Sohn an Seel und Leib stärken, Amen. Dat. X. Aprilis Anno 1558.

E. K. M.

armer, unterthäniger Diener
Philippus Melanthon.

No. 6501. 10. Apr.

Iac. Bordingo.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54 [3].

Iacobo Bordingo, Ἀρχιάτρῳ inclyti Regis Daniae.

S. D. Clariss. vir et cariss. frater. Cum in urbe Vangionum princeps Palatinus Elector a me, et

---

Chytraei Epist. p. 417. *Schützii* Vit. Chytraei, I. 149. et *Saligii* Gesch. der Augsb. Conf. III. 254. Gallus vero, acerrimus Flacii propugnator, Melanchthonem omni modo carpebat. *Strobel.* d. l. [*Lunzius.*]

*) Strob. *dolore.*

*) können?

a caeteris, qui ex nostris Ecclesiis eo missi erant, petivisset consilium de reprimendis furoribus Anabaptistarum, scripsi, re deliberata cum aliis, libellum, quem et caeteri pium esse iudicarunt, *καὶ τῇ ὑπογραφῇ* comprobarunt *). Postea sparsa est epistola sine nomine autoris; sed latinae orationis forma et grandiloquentia ostendunt, autorem ineruditum esse. Tales non sunt Anabaptistae, et expresse reprehendit illa epistola severitatem, qua iuste usus est senatus *Genevensis* adversus *Servetum*. Haec eo tibi significo, ut mecum deplores horum temporum miseriam, quae infinitam licentiam adpetunt, nec tribuunt nobis defensionem, qui blasphemiis et furoribus multorum adversamur. Sed Deo Ecclesiam et nos in ea commendo. Te oro, ut *Hieronymum Osium*, qui istuc Theognidis interpretationem mittit, inclyto Regi reverenter commendes. Bene et feliciter vale, carissime frater. Die decimo Aprilis.

No. 6502. 12. Apr.

Ge. Buchholzero.

Edita in *Ioanni Schosseri* Poema elegiac. de Friderici I. et II., Burggraviorum Norimbergae, Comitum in Zollern, vita et rebus gestis etc. Witeberg. 1559. in 4. unde transscripta est in cod. Goth. 188. ep. 56. Legitur etiam in *Schosseri* poematib. epist. 1. 8.

Philippus Melanthon reverendo viro, D. Georgio Bucholcero, Pastori Ecclesiae Dei in urbe Arctoa S. P. D.

Reverende vir et carissime frater. Vult Deus, extare multas Regum et Principum historias, primum, ut sint testimonia praesentiae Dei in Imperiis, deinde ut sint commonefactiones de virtutibus. Et profecto optarim, multarum familiarum Germanicarum res praeclare gestas, notas esse. Valde igitur probo consilium *Ioannis Schosseri*, viri excellentis ingenio et eruditione, quam et integritate morum, modestia et pietate, ornat, quod, ex antiquis scriptis erutas, historias Principum Marchiae profert, teque oro, ut eum illustrissimis Principibus, Electori et Filio commendes. Mitto et scripta contra *Staphylum*. Exemplum alterum dabis illustrissimo Principi. Bene vale et rescribe. Die 12. Aprilis **), A. 1558.

*) Hoc scriptum lucem nondum vidisse videtur.
**) In Schoss. Poemat d. 21. April.

No. 6503. 13. Apr.

Hier. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 231 sq. — Hic ex autographo in cod. Monac. I. p. 277., cui Baumgartnerus adscripsit: „1558. d. 26. April. per Iacobum."

Hieronymo Bomgartnero, Senatori inclyt. urbis Noriberg.

S. D. Clariss. vir et Patrone Cariss. Meministi multos sapientes viros et amare et colere *Durerum*, non solum propter artis excellentiam, sed multo magis propter alias summas virtutes, quae Deo copulant homines et sunt rectrices vitae. Talis et *Micyllus* erat, ut scis, non solum propter ingenii elegantiam et eruditionem, quae fuit amplissima, diligendus, sed multo magis quia mens eius fuit templum Dei. Haec scio te cogitantem valde dolere, quod et Scholae et Ecclesia *) tali ornamento orbatae sunt.

Hodie literas accepi, *Petrum Lotichium* etiam aegrotare magno cum periculo, qui ante paucos annos in Italia venenum hausit. Mitto tibi *Lotichii* carmen de *Micyllo*. Mitto et nostras pagellas, quas tamen vidisse te opinor, quarum squalori et brevitati veniam dato. Quid enim scribere possum in his miseriis, in quibus vivo? quas ut Filius Dei leniat, toto eum pectore oro.

Iacobum natum in urbe Lyncea Austriae, doctum et modestum virum esse scimus, et vera pietate Deum colere. Quare ut eum complectaris et tuearis, oro. Spero etiam in omnibus negotiis tuis consiliis obtemperaturum esse. Bene vale. Idibus Aprilis **).

Philippus MelanthoN.

No. 6504. 14. Apr.

Philippus D. Pom. ad Melanthonem.

(Ex autographo Ducis edita in den Unsch. Nachr. Jahrg. 1715. p. 191.)

Dem würdigen und hochgelahrten, unsern lieben Andächtigen und Besondern, *Philippo Melanchthoni*, der heil. Schrift und freien Künste Professori in der Universität zu Wittenberg.

Von Gottes Gnaden, Philips zu Stettin, Pommern, der Cassuben und Wenden Herzog, Fürst zu

*) Text. impr. *Ecclesiae*, mendose.
**) Alia manus adscripsit: 1558.

Rügen und Graf zu Gutzkaw ꝛc. Unsern günstigen gnädigen Gruß zuvor. Würdiger und hochgelarter, lieber andächtiger und besonderer. Ob wir wohl auf euere willfährige Erbieten im Anfange des Mai herein nach Gripswalda zu kommen gestrigen Tages euch schriftlich beantwortet, und verordnet, daß die Disputation und Promotion bis in die Woche nach dem Sonntage Cantate sollte erstrecket werden: so ist uns doch heutiges Tages von dem hochgebohrnen Fürsten, Herrn Johannsen Friedrichen, Herzogen zu Sachsen ꝛc., unsern freundlichen lieben Oheim und Schwager ein Schreiben zugekommen, dabei Ihre Liebden uns den Frankfurtischen Abschied, die Vergleichung, den zwischen den Ständen der Augsburg. Confession eingefallenen Streit belangende, zugeschickt und anspurlich [ausführlich?] vermeldet, weil es gemeine Sache ist, daß Ihre Liebden ohne unsrer und andrer Confessionverwandten Erwägung, Rath und Beschluß, sich zu resolviren Bedenken gehabt, demnach uns, wie auch andre Stände ersucht, zu Erwägung der Sachen auf den Montag nach Vocem iucunditatis zu Magdeburg zusammen zu kommen *).

Ob nun wohl solche Zusammenkunft von vielen Leuten für rathsam möchte erachtet werden, so bedenken wir doch, daß es besser sey, daß gemeldeter Abschied in gemein, und von vielen trefflich erwogen, disputiret, und darauf was die Nothdurft seyn wird, zu handeln und vorzunehmen, so viel seyn kann, mit einhelligem Rath und gutem Vorbedacht vorgenommen werde, als daß ein jeder Stand oder Theologus darauf seine Meinung oder iudicium anzeigen sollte, daraus große Spaltungen zu besorgen, und möchte durch Gottes Gnade je so viele Frucht aus dieser Zusammenkunft zum wenigsten erfolgen, daß Ihr und andere auch noch mit zu den Sachen könnten gezogen, und eine gemeine Vergleichung getroffen werden. Weil wir dann erachten können, der vorstehenden Werke hohe Nothdurft auch erfordert, daß Ihr um die Zeit bei der Hand seyn müsset, und mit zu den Sachen möget gezogen werden, wir auch gemeint sind, vermittelst göttlicher Gnaden dazu Doctor Venediger und Magistrum Rungen unsers Theils als Theologos zu gebrauchen, und also eure Hereinkunft im Maio, deßgleichen auch die Promotion in der Woche nach Cantate durch dieses gemeine Werk gehindert wird, welchem das eigene billig weichet: so haben wir diese Gelegenheit Euch gnädiglichen vermelden wollen, und hoffen, der Allmächtige werde aus Gnaden Zeit und Gelegenheit verleihen, damit ihr in diesem vorstehenden Sommer dennoch irgends nach den Pfingsten uns, unsre Söhne, und Schule besuchen möget. Das sind wir in Gnaden zugedenken geneigt. Datum in Eile. Wolgast, Donnerstags in den Osterfeiertagen, anno im LVIIIten.

*) Ea de re vid. *Saligius* in hist. Aug. confess. T. III. p. 391. et epist. Mel. d. d. 20. Apr.

No. 6505. 18. Apr.

Cph. Libio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54³.

Christophoro Libio, Pastori Ecclesiae Brandenburgensis.

S. D. Reverende vir et cariss. frater. In Belgico et in Celtica crescunt confusiones opinionum et saevitia Monachorum adversus recte invocantes Deum, etsi piis multi admixti sunt fascinati malis opinionibus, ut fit ubi non sunt constitutae Ecclesiae. Precemur autem filium Dei, ut nos gubernet et protegat. De Francofordianis deliberatis expecto censuram insuavem Areopagitarum vicinorum, qui nec veritatem nec concordiam quaerunt. *Basileenses* interrogati, an, si synodus indicatur a nostris, accedere ad eum velint, non recusant. *Tigurini* recusant, quia praeiudiciis nostris condemnati sint. Sed non existimo, hanc deliram mundi senectam habituram esse legitimum congressum, in quo serio plures gentes deliberant de salute Ecclesiarum, sed subinde maiores erunt dilacerationes. Ideo nunc tueamur coniunctionem nostram quantum possumus. Quam primum potero ad vos accedam. Bene vale. Die 18. Aprilis, 1558.

Philippus.

No. 6506. 20. Apr.

Academicis.

Scripta publ. Acad. Witeb. T. III. p. 158b. Nisi prorsus opinio me fallit Melanthon est auctor huius pagellae.

Rector Academiae Witebergensis Matthaeus Blochinger.

Ut Italiae vastatio secuta est Ambrosii mortem, Augustini mortem non solum vastationes, sed

etiam dira supplicia piorum et extinctio verae doctrinae in Africa, ita post mortem Reverendi viri D. *Martini Lutheri* mox tristia bella Principum orta sunt, deinde nova et atrocia dissidia docentium: ita nunc, postquam Reverendus vir *Iohannes Bugenhagen Pomeranus*, Theologiae Doctor, et Pastor Ecclesiae nostrae, ex statione sua ad coelestis Ecclesiae societatem abductus est, metuamus non levia mala, quae ut filius Dei, dominus noster Iesus Christus, averteret, ipse quotidianis precibus et lacrymis petebat, et ut nos idem peteremus, assidue hortabatur. Ita non solum docendi laboribus et diiudicatione multarum controversiarum, sed etiam lacrymis et precatione Ecclesiam nostram adiuvit annos octo et triginta. Interea, vocatus ad alias urbes et regiones, puram Evangelii doctrinam ibi quoque fideliter docuit, ex Ecclesiis impiam doctrinam eiecit, abolevit perniciosos ritus, repressit corruptelas et fanaticas opiniones, et constituit piam formam Ecclesiarum, duraturam ad posteritatem, in inclytis urbibus Lubeca, Hamburga, Brunsviga, in tota Pomerania et in magna parte regni Danici. Ac ut vetustas discernens Apostolos, Evangelistas et Pastores, nominavit Evangelistas eos, qui in diversis locis semina Evangelii spargebant, Pastores vero qui in loco certo praeerant Ecclesiis: ita hic vir et Pastor noster et multarum gentium Evangelista fuit.

Adeo autem integritatem ipsius et pietatem probarunt cum alii multi sapientia et virtute praestantes, tum vero et inclytus Rex Danicus, et Regina, ut in publica celebritate ab hoc viro praecipue voluerint sibi coronas imponi: quo in ritu cum fiant testificatio, quod legitima imperia sint Dei opera et beneficia, et invocatio ardentissima, ut Deus det salutarem gubernationem, pius Rex maxime voluit adhibere virum sanctum, reverenter de imperiis sentientem et ardenter invocantem Deum.

Testes sunt et omnes pii in hoc oppido, talem fuisse hunc Pastorem Ecclesiae, ut vere congruant doctrina et vita eius ad normam, de qua Paulus dicit: esto typus fidelium in sermone, in conservatione, in dilectione, in spiritu, in fide, in castitate. Recte docuit, mores fuerunt modesti et placidi, fuit iustus et beneficus erga omnes, in obiurgatione severus et intrepidus, acer in defensione verae doctrinae, ardens fide et spe in precatione, castus et severus hostis turpitudinum.

Tali et Pastore et patre cum simus orbati, vere dolent omnes pii, et in publico luctu non solum de orbitate huius Ecclesiae, sed etiam de futuris periculis cogitant. Vosque adhortantur *), ut consideretis publicas miserias, et precemini filium Dei cum Ecclesia nostra, ut hic et alibi det pios et salutares Pastores et Doctores. Exemplo eius etiam confirmemur. In hoc postremo actu vitae cum morbos et senectae imbecillitatem placide ferret, subinde et desiderium et certam spem vitae aeternae ostendit, et gratiarum actionem precibus assidue miscuit, petens et sese Spiritu sancto confirmari, et regi ac servari domesticam Ecclesiam suam et publicam. Hi fuerunt eius sermones in hoc extremo agone adeo alacres de beneficiis filii Dei, ut intelligi posset, initia salutis et laeticiae aeternae in eo accensa esse, cum saepe hoc dictum repeteret: haec est vita aeterna, ut agnoscant te solum verum Deum, et quem misisti Iesum Christum. His se cogitationibus erigebat, et laetabatur, cito se ex hac caligine in illam lucem transiturum esse.

Cum autem in optimis studiis, in officio docendi Evangelii, in gubernatione Ecclesiae, in omnium virtutum exercitiis, in assidua Dei invocatione tam diu vixerit, annos videlicet septuaginta tres, minus duobus mensibus, Deo gratias agamus pro donis ipsi et Ecclesiae per eum datis, et petamus Ecclesiae tales Pastores multos et nobis similia dona tribui. Haec in funere cogitanda sunt, quod fiet hora septima. Datae die 20. Aprilis anno 1558.

No. 6507. 20. Apr.

U. Mordeisen.

Epist. lib. V. p. 179 sq.

Clarissimo viro, eruditione, sapientia et virtute praestanti, D. Ulrico Mordisin, Doct. Iuris, inclyti Ducis Saxoniae, Electoris etc. Consiliario, Patrono suo colendo.

S. D. Clarissime vir, et Patrone charissime. Heri sero accepi literas *Ducis Pomeranici* **),

---

*) *adhortamur?*

**) Vid. Epist. d. d. 14. Apr.

quae significant, petente Duce *Iohanne Friderico*, aliquot Principum Legatos et Theologos in Urbem *Meideburg* mitti, ut de deliberatis Francofordianis statuant. Eas literas adfert vir Clarissimus Doctor *Laurentius*. Credo, per Marchionem, Electorem, agendum esse cum Marchione *Iohanne*, et cum Anspachensi, aut etiam cum Ducibus Pomeraniae, ut pro communi salute cogitent, ne maiores fiant distractiones. Haec bono studio vobis significo, et oro Deum, ut Ecclesiam suam regat et servet, in qua nos esse cives non dubito.

Hodie mane Doctor *Pomeranus* ex hac mortali vita decessit. Literas Pomeranicas per proprium tabellarium missurus eram, sed cum audirem ex Dn. Doctore *Laurentio* de suo itinere ad Meideburg, iudicari prius vobis significanda esse haec, quae Dux Pomeraniae scripsit. Bene et felic. valete. Die 20. Ap.

Philippus Melanthon.

No. 6508. 22. Apr.

Christiano R. Dan.

Ex autographo Mel. in bibl. orphanotroph. Halensi, olim a *Niemeyero*, nunc denuo ex eodem edita.

DEm Durchleuchtigsten großmächtigsten König und Herrn, Herrn Christian zu Dennmark, Norwegen, der Gothen und Wenden König, Herzog zu Sleswik und Holstein ꝛc., der Ditmarsen Herrn, Graven zu Oldenburg und Delmenhorst ꝛc. meinem gnädigsten Herrn.

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Sohn Jesum Christum, unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer zuvor. Durchleuchtigster, großmächtigster, gnädigster König und Herr. E. Königlich Majestät sende ich in Unterthänigkeit eine Schrift wider *Staphylum*, der in Preußen ein Legent gewesen, und hat sich hernach an die Bäpstlichen gehenget, hat neulich ein sehr unflätig Lästerbuch wider alle unsre Kirchen lassen ausgehen. Wider solche Feinde, deren viel sind, sollten wir unter uns einträchtig seyn, und einander helfen, die große Bäpstliche Gotteslästerung zu strafen, und unsre Kirchen zu stärken, und die Jugend im rechten Studio erhalten. Was nun die drei Churfürsten samt etlichen andern Fürsten in Frankfort bedacht, das zu Einigkeit nützlich seyn soll, wird E. Königlich Majestät ohne Zweifel von dem durchleuchtigsten hochgebornen Fürsten und Herrn, Herrn *Augusto*, Churfürsten, Herzogen zu Sachsen ꝛc., meinem gnädigsten Herrn, berichtet werden. Wiewohl aber dieses alles guter Meinung von höchstgedachten Chur- und Fürsten bedacht ist, so hab ich doch Sorge, es werde neu Gezänk daraus folgen, daß doch endlich diese Sachen eines ernstlichen Synodi bedürfen werden, darin man gleich lautende Reden fasset in diesen und [andern] *) Artikeln, davon Etliche unter uns streiten. Könnt ich zu Einigkeit unter uns dienen, das wollte ich herzlich gern thun, hab auch derwegen Geduld in mancherlei Verfolgung, und bitte in Unterthänigkeit, Ew. Königlich Majestät, als ein hochlöblicher christlicher König, wolle auch betrachten, wie zu beständiger Einigkeit unter uns zu kommen sey.

Doctor *Tilemannus Hesshusius* ist allhie gewesen, hat aber noch nicht geschlossen, in der Pfalz zu dienen, sondern ist mehr geneigt, E. Königlichen Majestät zu dienen. Der allmächtige Gott, Vater unsers Heilandes Jesu Christi, wolle E. K. M. an Seel und Leib stärken und zu Gutem der armen Christenheit E. K. M., und E. K. M. Königin und junge Herrschaft gnädiglich in christlicher Regierung für und für erhalten. Datum 22. Aprilis 1558.

E. K. M.

armer unterthänigster Diener

Philippus Melanthon.

No. 6509. (hoc fere t.)

G. Cracovio.

Epist. lib. II. p. 361. (ed. Lond. lib. II. ep. 370.).

D. Georgio Cracovio

S. D. Deo gratias ago cum tua domestica Ecclesia, quod te incolumem ad tuos et ad nos reduxit.

---

*) Praetermisit Melanth. in describenda hac epistola hic aliquid, puto: andere. Externa enim forma huius epistolae docet, hoc autographon non esse illud, quod Mel. regi Daniae misit, sed sua manu, ut solebat, descriptum in usum amicorum, quibuscum has literas communicavit. Caeterum puto hanc epist. non d. 22. April. sed d. 12. scriptam esse, quum non verosimile sit, Melanthonem, si d. 22. Apr. scripsisset, nullam mentionem fecisse mortis Bugenhagenii, (defuncti d. 20. Aprilis mane), de Dania meritissimi, vel prorsus tacuisse de argumento epistolae Philippi, Ducis Pomeraniae, quam d. 19. April. acceperat. *Heshusius* Viteberga exierat profecturus Heidelbergam d. 23. Martii. Vid. epist. ad Chytraeum. Vel igitur d. 2. vel d. 12. Apr. scripta videtur. Dedimus eam tamen hic permoti auctoritate autographi.

Non aetas tantum soceri [1]) lenire tibi dolorem debet, quem στοργή non potest non adferre, sed etiam tempora. Crescunt furores ut ostendunt exempla. Interfectus est Princeps *Francicus* [2]), et audio laudari interfectores ut *Brutum* et *Cassium*. Quantam distractionem etiam faciet *Parthenopaea σύνοδος?* [3]) Sed precemur Filium Dei, ut nos servet, sicut dixit: *Nemo rapiet oves meas ex manibus meis.* Mitto tibi πρόγραμμα de funere. Cras velim te nobiscum prandere. Bene vale.

No. 6510. 26. Apr.

Academicis.

Scripta publica Acad. Witeb. T. III. p. 161 b. — Pagella haec a Melanthone est scripta. Vid. etiam ep. ad Hencelium d. 1. Maii.

Rector Academiae Witebergensis Matthaeus Plochinger.

Vidistis flagrantem Cometam ante biennium. Deinde eodem anno duas Eclipses. Rursus hoc anno vidimus Eclipsin eo terribiliorem, quia incidit in idem tempus dira Saturni et Martis coniunctio. Et tunc significationes audistis proponi, quas non fuisse vanas haec tempestas ostendit. Saturnus ὕπαυγος frigus adfert, quod in vere multis rebus nascentibus inimicum est. Augeri etiam furores in hominum animis ostendit crudelitas illius, qui recens Principem Francicum in propria urbe interfecit, quod scelus non dubium est fore προκαταρκτικὴν causam novorum bellorum. Sed causae προηγούμεναι multae et magnae sunt aliae, magna et atrocia scelera multorum. Multi Reges defendunt idola, gerunt bella iniusta et sunt pestes generis humani. Centauri vendunt suas animas et sua corpora impulsi avaricia: furiae Theologorum serunt aut stabiliunt falsas opiniones, et inflammant odia et dissidia in Ecclesiis: populus fit prophanus, et quaerit belluinas voluptates. Talis cum sit maxima pars generis humani, iusto iudicio Dei veniunt poenae. Inter has precamur toto pectore filium Dei, ne prorsus extingui veram Ecclesiam sinat, sed nos et nostras familias suae Ecclesiae insitas clementer servet et protegat, tanquam supplices ad aram, id est, ad ipsum propiciatorem confugientes. Etsi autem propter paternam στοργὴν magno dolore adficior, filio meo Georgio orbatus, tamen cum sciam vocem filii Dei: non est voluntas patris, ut pereat unus de parvulis istis, item: ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem: moderari me dolorem iustum est, praesertim cum hic meus Georgius surculus fuerit filio Dei insitus et iam disceret initia doctrinae, et Deum recte invocaret in agnitione et fiducia Domini nostri Iesu Christi. Cumque tam saevae mutationes generis humani impendeant, nos et nostros praeripi venturis calamitatibus minus doleamus. Peto autem, ut ad pias funeris ceremonias hodie hora quarta conveniatis, in quibus singuli et suam vitam et publicam salutem Deo piis et ardentibus votis commendent. Datae die 26. Aprilis, anno 1558.

1) Io. Bugenbagii.

2) Episcopus Bambergensis, Guilielmus Zobel, trucidatus d. 15. Apr. a Grumbachii satellitibus.

3) Vid. ep. d. 14. Apr.

No. 6511. (m. Apr.)

M. Meienburgio iun.

Epist. lib. V. p. 733 sq.

Michaëli Meienburgio, iuniori.

Commenda Deo viam tuam, et spera in eum, et ipse faciet. Haec vitae regula divinitus nobis tradita est, hanc sequamur, et praeceptum et consolationem nobis proponi sciamus. Cum voluntates vestras Deus ita gubernaverit *), toto pectore eum oro, ut vobis adsit, et vos servet et gubernet. Scis, me nihil in hac re molitum esse, aut struxisse. Quare invocatio mea ad Deum ex bona conscientia proficiscitur, teque oro, ut de tempore et de caeteris rebus, quae ad honesta coniugia praeparandae sunt, nobiscum deliberes. Te et tuos fratres semper ut filios dilexi, propter paternam amicitiam, et cum Patre coniunxit me consiliorum collatio de multis magnis rebus. Semper igitur et deinceps, Deo iuvante, vos diligam, et Deum oro, ut nos omnes servet, et gubernet. Bene vale.

Philippus.

*) Loquitur de eo quod Mich. Meienburg Catharinam, filiam Sabini, a Melanthone educatam, in matrimonium ducere volebat.

No. 6512. 29. Apr.

Val. Heckero.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54³.

Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Valentino Hecker, Pastori Ecclesiae in Schwibosen, fratri suo colendo.

Reverende vir et cariss. frater. Sedet ad dextram aeterni patris filius Dei, dans dona hominibus, pastores et doctores. Simul autem vult nos circumspectos esse in eligendis talibus, quos et praeparavit et offert. Talis est hic *Dionysius Luneburgensis* a Deo ornatus ingenio et veris virtutibus, quare tibi eum commendo et oro, ut ei locum docendi praebeas. Ad vestram dialecton se assuefaciet, et propter rerum bonitatem tibi et auditoribus tuis placiturum esse spero. Plura scribere non potui, sed pagellas mitto, quae ostendunt studia et labores Academiae. Sumus etiam in luctu, quia Reverendo Pastore, doctore *Pomerano* orbati sumus. Tu nos Deo piis precibus commenda. Bene vale. 29. Aprilis.

No. 6513. (ex. Apr.)

Sigismundo Archiepisc.

Praefatio Ph. Mel. praemissa libro: Chronicon Carionis latine expositum ac auctum — a Ph. Melanthone. P. I. Wittebergae excusum in officina haeredum Georgii Rhaw [vid. ep. ad Cracov. d. 4. Febr. 1558.] anno M. D. LVIII. 8. (Postea saepius recusum.) — Descripsimus praefationem ex hac prima editione. Scripta vero esse debet exeunte Aprili, quum iam d. 8. Maii librum miserit amicis.

Illustrissimo et Reverendissimo Principi ac domino, Dom. Sigismundo, Archiepiscopo Meideburgensi, Primati Germaniae, Administratori Halberstatensi, Marchioni Brandenburgensi, Duci Pomeraniae etc. et Burggravio Norinbergensi etc. Principi clementissimo S. D.

Excelluit ingenio, eruditione, consilio et virtute *Hermannus Bonnus*, qui in inclyta urbe Lubeca et doctrinae studia rexit, et Evangelium docuit. Is ante annos viginti Germanicum Libellum, cui titulus est *Chronicon Carionis*, ut adolescentia invitaretur ad historiarum lectionem, et illo Compendio nonnihil adiuvaretur, in quo Monarchiarum seriem, et temporum collationem in praecipuis Ecclesiae, veteris Graeciae, et Romae negotiis probavit, latine interpretatus est. Eam interpretationem cum postea viderem non solum in manibus esse adolescentum, sed etiam vagari per exteras nationes, retexendam esse iudicavi, non tam ut augerem, (etsi enim quaedam addidi, tamen compendii modus servandus est), quam ut phrasin Germanicam, quam interpres suo quodam consilio studiosius retinuerat, cum quidem facundus et disertus esset, propter adolescentes et exteros mutarem. Nec alia causa fuit, cur hunc laborem susceperim. Ut enim lectio ametur, intelligi orationem oportet.

Cum autem prima editio Illustrissimo Principi Electori patri tuo dedicata sit, ne transferre munus in aliam familiam viderer, filio dedicare hanc editionem volui, quia patrem ipsum, cui iam historia Ecclesiae et Imperiorum notissima est, scio velle talia iam a filiis legi, et se vivo vos in possessionem doctrinae venire. Cum igitur non dubitem, eum pro sua excellenti sapientia hanc nostram inscriptionem probaturum esse, te oro, ut hunc librum accipias, ac non tam meum, quam paternum munus esse cogites, et propter patrem Principem sapientia et virtute excellentem, magis ames, et legas saepius.

Est omnino necessaria singulis hominibus historiae cognitio, sed maxime gubernatoribus, quae sine temporum serie, sine gentium distinctione, et non monstrato Imperiorum ordine, lucem non habet.

Saepe audivi narrare *Capnionem*, cum apud *Philippum* Principem Palatinum Electorem essent *Dalburgius* Episcopus Vangionum, *Rudolphus Agricola* et ipse, et non solum in familiaribus colloquiis, sed etiam in deliberationibus de re publica saepe narrarent insignia exempla vel Persica, vel Graeca, vel Romana, mirifice accensum esse Principem studio cognoscendae historiae, sed dixisse, se animadvertere, distinctione temporum, gentium et imperiorum opus esse, eamque ob causam petivisse, ut sibi ex tota antiquitate, quantum nota esset, ex Ebraeis fontibus, et ex Graecis ac Latinis Scriptoribus ordine contexerent Monarchias, ut mente complecti tempora mundi, et seriem maximarum mutationum posset. Nulli tunc extabant scripti lingua Germanica libri de veteribus imperiis. Nec Latina praeter *Iustini* confusaneam Epitomen, quae tamen distinctione

temporum caret, habeantur. Erat ocium tunc illis doctis viris, et hoc labore delectabantur. Ordine igitur ex Ebraeis, Graecis et Latinis monumentis Monarchias recensent, et maxime digna memoria suo loco adhibita temporum et gentium distinctione inserunt. Legit avidissime id Scriptum Princeps ingeniosus, seque laetari dicebat, divinitus conservatam esse temporum seriem, et rerum praecipuarum memoriam. Ostenderant enim ei continuatam esse mundi historiam ita, ut Herodotus inchoet suas narrationes paulo ante finem Propheticae historiae. Nam et ante regnum Persicum, de quo narrationes luculentae extant in Daniele, Esdra et Nehemia, Regum Assyriorum et Aegyptiorum aliquot nomina sunt eadem in Prophetis et Herodoto. Apryi praedicit exitium Ieremias, quod describit Herodotus. Postquam Ieremiam interfecit Apryes, postea Amasis captum Regem superbum strangulat. Agnoscere etiam se Princeps Palatinus dicebat testimonia praesentiae Dei in constitutione Monarchiarum, quia solis humanis viribus constitui et retineri non potuerint, et eo divinitus constitutae sint, ut essent custodes humanae societatis, coniungerent multas Gentes, restituerent leges, iudicia, pacem, ut doceri homines de Deo possent. Saepe igitur repetebat Danielis verba: Deus Imperia transfert et stabilit. In mutationibus etiam et Tyrannorum poenis dicebat conspici iudicium Dei, et moneri totum genus humanum illustribus exemplis, ut agnoscat Deum, sciat ordinasse eum et velle iusta, et vere irasci violantibus ipsius ordinem. Tales erant eius Principis sermones considerantis ordine Imperiorum incrementa et ruinas.

Etsi autem necesse est iunioribus initio proponi talia compendia, tamen cum accedit aetas, legendi sunt fontes, et historiae quae extant sapienter scriptae, cognoscendae sunt integrae, quantum fieri potest. Est omnino excellentis sapientiae et eloquentiae opus historiam recte scribere. Sed sapientia est etiam lectori necessaria considerare, quae commonefactiones ex historiis sumendae sint, de quibus haec regula tenenda est: Sit vitae norma Decalogus, id est, lex Dei, sicut scriptum est, In praeceptis meis ambulate. Postea historias sciamus legum exempla esse, ac monstrare poenas atrocium scelerum, et liberationes iustorum. Ac in utrisque non tantum eventus intueamur, sed Dei praesentiam cogitemus, qui sui ordinis custos est.

Historiae Ethnicae magis proponunt exempla secundae Tabulae Decalogi, quorum multa pertinent ad praeceptum, Non occides, ad quod et haec regula pertinet: Omnis qui gladium acceperit, videlicet non datum a legibus, gladio peribit. Quam multi Tyranni, quam multae Gentes poenas dederunt, iuxta hanc regulam? Movit *Annibal* non necessarium et iniustum bellum. Etsi autem utrinque magnae clades acceptae sunt (nam bella communes poenae sunt utriusque partis), tamen Romani vincunt tandem. Plenae sunt historiae talium exemplorum. Et in hoc genere multa errata accidunt. *Brutus* et *Cassius* existimant se iustam habere causam interficiendi *Iulii*. *Piso*, *Marius* et multi sapientes contrarium iudicarunt. Et lex divina inquit: Qui potestati resistunt, incident in poenas. Monent igitur historiae, ut recte iudicetur, quod cum in rebus obscuris difficile sit, diligentia adhibenda est, et a Deo consilium petendum est, et non necessaria in magnis rebus non sunt tentanda.

Multa exempla pertinent ad praeceptum, Non moechaberis, cui lex addit comminationem: Omnis anima, quae fecerit has abominationes, eradicabitur. Saepe igitur propter libidinum confusiones totae Gentes deletae sunt, Sodoma, Thebae, Troia. Contra Davidem horrenda seditio mota est a filio, trucidata multa millia civium, contaminatae sanctae matronae. Est et urbe Roma stirps Regia expulsa. Et in conspectu sunt exempla quotidiana. Vagantur poenae per Regum, Principum et privatorum familias propter adulteria et incestas contaminationes.

Multa exempla pertinent ad praeceptum, Non furtum facies, cui praecepto addita est comminatio: Vae qui spolias, quia spoliaberis. *Cresphontes* defraudatis orphanis fallaci sortione occupavit Messenen. Postea cives eum interfecerunt, et coniunx *Merope* furens filios interfecit. Haec poena fuit fraude occupati alii regni deceptis orphanis.

Haec eo dixi, ut exempla ad regulas prudenter accommodentur, et cogitemus Legem Dei normam vitae esse oportere, et exempla poenarum ad comminationes divinas congruere. Nihil dubium est, poenas in hac vita mortali comitari atrocia delicta, etiamsi mitigantur iis, qui ad Deum redeunt.

Deinde quantus usus est Chronicorum et Historiae in doctrina primae tabulae Decalogi? Ne-

cesse est scire seriem patefactionum divinarum, Legis et Promissionis gratiae. Necesse est considerari, quae et ubi semper vera Ecclesia Dei fuerit, quae fuerit vox verae doctrinae, quam horrendae tenebrae fuerint et sint in maxima multitudine hominum, qui discesserunt a vero Deo et a vera doctrina, et furenter excogitarunt commenticia numina.

Ostendunt etiam Historiae aerumnas Ecclesiae, et testimonia praesentiae Dei in liberationibus. Ac sapienter accommodanda sunt exempla ad primam tabulam, quomodo tolerandae sint aerumnae, et quomodo petenda et expectanda sit liberatio. Semper certa sit spes salutis aeternae, etiamsi in hac vita mortali magnis calamitatibus opprimimur. Mitigantur tamen hae quoque recte invocantibus, ut Davidi, Iosaphat, Ezechiae, Manassae, et aliis innumerabilibus, quorum exempla congruunt ad regulas: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te. Item: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos. Si fuerint peccata vestra ut coccinum, et ut vermiculus, eritis candidi ut nix. Ut enim exemplis recte uti possimus, simul et regulas oportet notas esse.

Iam de controversiis Ecclesiae quantum refert scire veteres diiudicationes, qui fuerint testes verae sententiae, quae fuerint hostium agmina. Quam dulce est videre consensum Irenaei, Gregorii Neocaesariensis et similium veterum *περὶ Λόγου*, qui antecesserunt Synodum Nicenam, sicut et *Ignatius* scribit, saepe repetens haec verba: *θεὸς λόγος* et *λόγος οὐσιώδης*, non sonus evanescens. Et *Alexander* Episcopus Alexandrinus, qui refutationem Arii scripsit ante Nicenam Synodum, testimonia superiorum temporum recenset, et inter caetera inquit: *ἡ ἔναγχος ἐπαναστᾶσα τῇ ἐκκλησιαστικῇ εὐσεβείᾳ, διδασκαλία, ἐβίωνος ἐστὶ καὶ ἀρτεμᾶ, καὶ ζῆλος τοῦ κατὰ ἀντιόχειαν παύλου τοῦ σαμοσατέως συνόδῳ καὶ κρίσει τῶν ἁπανταχοῦ ἐπισκόπων ἀποκηρυχθέντος τῆς ἐκκλησίας.* Haec omnia, si non extarent historiae, prorsus ignota essent, ac ne hoc quidem sciretur, quae prior quae posterior sit doctrina, quod considerari necesse est, quia non contemnendum est *Tertulliani* dictum: *Primum quodque verissimum est.*

Cum *Meletius* seditionem in Ecclesia Alexandrina moveret, de lapsis non recipiendis, qui supplices ad Ecclesiam redire volebant, *Petrus* Episcopus exempla vetustatis opposuit, et vera consolatione erexit eos, qui ad veram invocationem redituri erant. Eius iudicii memoriam gratam esse piis contra *Novati* rabiem manifestum est. Extant et vera testimonia contra Martionem, Manichaeos et Pelagianos edita, in quibus multum ab Historia adiuvamur.

Nec tantum prodest videre, ubi recte iudicatum sit, sed etiam ubi veritas Hypocritarum factionibus oppressa sit. Quia interdum hoc quoque accidit, ut, cum falsa decreta facta sunt, quae Romano Pontifici tribuunt summam auctoritatem, non solum in Ecclesia, sed etiam in transferendis imperiis mundi. Item de adoratione hominum mortuorum, de circumgestatione panis in pompa Persica, de Sacrificio venali, de Coelibatu. Haec decreta etsi aliquot seculorum spaciis confirmata sunt, (ut propter temporis longitudinem fit illud Simonideum, *δόξα βιάζεται τὴν ἀλήθειαν*), tamen deprehenditur vanitas non solum ex scriptis Propheticis et Apostolicis, sed etiam ex consensu purioris antiquitatis, quem historiae dignae fide ostendunt ab hac recenti turba Pontificum et Monachorum dissentire. Semper autem in exemplis anteferenda sunt ea, quae cum Norma iudicii congruunt, videlicet, cum scriptis Propheticis et Apostolicis, iuxta dictum: Si quis alium Evangelium docet, anathema sit.

Considerentur autem praecipue in historia Ecclesiae, semina utriusque Imperii huius senectae mundi, *Mahometici* et *Pontificii.* Utrunque ortum est ex dissidiis de doctrina. Cum in Oriente dilaceratae essent Ecclesiae non tantum Ariana peste, sed etiam Manichaeis et aliis furoribus, et haec varietas in multorum animis dubitationes et odium religionis Christianae et nominis Christiani accenderet, et disciplina laxata esset, facile impelli homines potuerunt, ut novum dogma, quod obscuras disputationes tollebat, et tantum plausibilia humanis iudiciis proponebat, amplecterentur, praesertim cum et Imperium Romanum multae gentes iam et odissent et contemnerent, avide arripuerunt illae gentes alioqui et curiosae et leves, Aegyptia, Arabica, Syriaca, opiniones populares, et autorem *Mahometum* armaverunt.

Praecipue vero *potentia Romani Pontificis* crevit, cum attracti sunt Franci in Italiam, quod fiebat Graecorum odio, non quidem iniusto. Nam et iniusta eorum Imperia erant, et vires non erant pares iis Gentibus, quae Italiam vastabant. Sed tamen alia causa praetexebatur, accusabantur

Graeci, quod delerent picturas et statuas templorum. Sciebant autem Romani Pontifices, valde abhorrere Gallorum et Germanorum animos ab εἰκονομαχίᾳ, quare facile persuadebant nostris, ut Graecos tanquam Religionis hostes procul ex Italia depellerent. Postea propter Regum discordias crevit Pontificum auctoritas, qui Italiam inclinabant ad quos volebant. In his confusionibus tandem nati sunt Monachi, quorum avaricia cumulavit Idola et errores.

Harum rerum series cum in Historia conspicitur, accendatur in nobis cura recte discendi, et tuendae coniunctionis in vera Ecclesia. Quam ad rem etiam opus est candore et moderatione disputationum et adfectuum. Quia non sine gravi causa Platonicum illud celebratum est: τὰ μεγάλα κακὰ οὐκ ἄλλως ἢ ἐκ φιλονεικείας συνίσταται.

Oro autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, ut semper Ecclesiam sibi inter nos colligat. Horribilis mutatio omnium Regnorum generi humano impendet, qua *) barbaricam vastitatem fieri in his regionibus filius Dei prohibeat. Nos etiam pietate morum et invocatione Dei studeamus impetrare poenarum mitigationem. Et diligentiam in studiis doctrinae et in fovendis Ecclesiis adhibeamus, ne tristissima poena obruamur, de qua scriptum est: Quia scientiam repulisti, repellam te. Crescit feritas in moribus, negliguntur doctrinae studia, et ducitur esse virtus laxare disciplinam. His publicis malis omnes gubernatores summi et infimi repugnare debent. Cumque nos quibus doctrinae propagatio commendata est, iuventuti hortatores esse debeamus ad recte discendum, et ad omnia honesta officia auxiliis gubernatorum indigeamus, oro ut boni principes et alii gubernatores considerent singulorum labores, et recte docentes et amantes communem salutem et concordiam adiuvent. Ego quidem hac voce Paulina et me et alios in his docendi laboribus saepe confirmo: Non erit inanis labor vester in Domino. Non dubito Deum gubernatorem et βραβευτὴν esse nostrorum laborum, et eum assiduis gemitibus et votis oro, ut faciat me σκεῦος ἐλέους, et organum utile discentibus. Et huius meae voluntatis conscientiam oppono Sycophantarum crudelitati, et spero sapientum et bonorum iudicia de me esse mitiora, quam sunt inimicorum. Laetabor etiam, si tibi et aliis iunioribus huius libri lectionem gratam fuisse intellexero. Filius Dei Dominus noster Iesus Christus te protegat et gubernet. Anno 1558.

Philippus Melanthon.

*) Edit. 1560.: *in qua.*

No. 6514. 1. Maii.

Hier. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 232 sq. Hic ex autographo in cod. Monac. I. p. 228. cui Baumgartnerus adscripsit: „1558. 9. Maii per D. D. Georg. Cracovium."

Hieron. Bomgartnero, Senatori incl. urbis Noriberg.

S. D. Clariss. vir et Patrone cariss. Etsi cogitabam tibi et aliis post tragicum exemplum in Ripa Meni editum crescere curas, Duraque multa tuo tristi cum corde putare te praecipue[1]), eoque minus libenter te interpellabam: tamen huic nostro amico *Georgio Cracovio* Doctori iuris, genero Doctoris *Pomerani*, cupido tuae amicitiae, literas dedi, cui ut hospitalia officia praebeas, propter memoriam nostri Pastoris, qui te valde dilexit, oro. Proficiscitur Legatus ad Marchionem vobis vicinum, propterea quod οἱ μεθωναῖοι[2]) σύνοδον περὶ δογμάτων ἐν τῇ παρθενόπῃ συγκροτῆσαι σπουδάζουσι. Etsi non interfui deliberationi Francofordianae, et vellem non tam cito scriptos esse articulos; tamen cum alii flagitarent Synodum, nostri ne maiora certamina orirentur, si Synodus convocaretur, decurrerunt ad hoc consilium, ut hoc testimonium de suo consensu, et studio concordiae ostenderent. Ideo non velim inde maiores tumultus oriri. Sed de his rebus quaeso ut consilia tua *Georgio Cracovio* ostendas. Scis nos maxime optare Ecclesiarum nostrarum concordiam et pacem Germaniae. Haec bona ut Deus tribuat nobis, et ut te et nos servet, toto eum pectore oro. Bene et foeliciter vale. Cal. Maii [3]).

Philippus Melanthon.

1) Accurate sic, ut edita sunt, scripta omnia leguntur in autographo.
2) Wimarienses. Vid. ep. d. 10. Maii.
3) Alia manus adscripsit: 1558.

No. 6515. 1. Maii.

Hier. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 234 sq. — Hic ex autographo in cod. Monac. I. p. 231.

Hieron. Bomgartnero, Senatori incl. urbis Norib.

S. D. Clariss. vir et Patrone colende; Quanquam et usus causa, divina vox iubet ut Medicos honore adficiamus, ut scis; tamen et artem et Medicos amo, non tantum utilitatis causa, sed etiam quia ars est consideratio mirabilium operum Dei, quae sunt testimonia praesentiae Dei in genere humano, et Medici nobis possessionem optimae doctrinae tuentur. Laudanda est igitur civitas vestra, quae erga Medicos officiosior est, quam pleraeque aliae. Mittit autem ad vos vir excellens eruditione, virtute, et peritia in medendo Doctor *Iohannes Placotomus* librum utilem artificibus, qui in Myropoliis medicamenta adparant. Etsi non rudis sum doctrinae Medicae, tamen non facio me iudicem de talium librorum collatione. De viro ipso hoc adfirmo, eum excellere et mores esse integerrimos et honestissimos, et in medicando magnam industriam, cum in vulnerum curatione, quae Chirurgorum existimatur esse propria, tum vero in Physica arte quae morbos interiores curat. Fuit charus Duci Prussiae, et nunc *Dantiscani* eum revocant. Nam propter honestissimae coniugis Patriam, redierat *Islebiam.* Valde igitur te oro, ut et propter artis dignitatem, et viri integritatem, commendes huius Doctoris *Iohannis Placotomi* laborem Amplissimo Senatui vestro. Scio tales interpellationes in his turbulentis temporibus difficiles esse. Sed te oro ut in hac causa et arti et nobis hoc officium tribuas. Et scis pacis et belli temporibus magnum esse Medicorum usum. Bene et foeliciter vale. Cal. Maii. 1558.

Philippus Melanthon.

No. 6516. 1. Maii.

B. Hencelio.

Epist. lib. II. p. 323. (ed. Lond. lib. II. ep. 329.).

D. Iohanni Baptistae Hencelio

S. D. Clarissime vir et patrone charissime, Haec cum scriberem Calendis Maii, intuens utriusque Apostoli aerumnas, *Iacobi*, qui *Ierosolymae* triginta annis spectator fuit horribilium seditionum; et *Philippi*, qui in urbe *Hierapoli* vicina *Colossis*, ubi *Typhon* ardens sepultus ferebatur, magna certamina cum *Typhonis* cultoribus habuit: multa cogitabam de miseriis Ecclesiae huius temporis. Habemus Pontifices nihilo meliores *Sadduceo Anania*, qui *Iacobum* interfecit. Habemus et *Typhonas*, qui nos terribiliter adflant, *Staphylos*, *Canisios*, *Stenckfeldios*, *καὶ τὸ βλακῶδες τάγμα.* Inter haec portenta tamen, nos qui sumus verae Ecclesiae membra, sine odiis, ac sine sophistica quaerimus veritatem. Filius Dei Dominus noster Iesus Christus, crucifixus pro nobis et resuscitatus, sedens ad dextram aeterni Patris, ac dona largiens hominibus, servabit nos, et ut nos gubernet et protegat toto eum pectore oro. Grata ei etiam est pietas vestra, quod quaeritis Doctores Ecclesiarum pios, eruditos, modestos, abhorrentes a sophistica et a rixis. Iudico *Remi* naturam placidam esse, et recte eruditus est, et Deum vere invocat. Quare eum tibi et ornatissimis viris, quibus curae est Ecclesia vestra, commendo, teque oro, ut eum complectaris et paternis consiliis gubernes. Spero etiam tibi modeste obtemperaturum esse. *Victorinus* vir integerrimus et recte invocans Deum, experitur suos *Typhonas* *), quem ut liberet Filius Dei, custos Ecclesiae suae opto. Mitto tibi pagellas, in quibus leves flatus *Typhonibus* oppono, teque oro, ut iudicium mihi tuum significes **). Bene vale. *Georgium Cracovium* gaudeo tibi notum esse, is praedicat tua officia. Vobis autem salutem opto. Calend. Maii.

No. 6517. (hoc t.)

M. Meienburgio iun.

Epist. lib. V. p. 731 sq.

Mich. Meienburgio iuniori.

S. D. Cum expectemus adventum tuum, scribo brevius: et iam iter ingredior Lipsiam profectu-

*) Flacius, qui Vict. Strigelium synergismi accusabat. Vid. Plank Gesch. des protest. Lehrbegr. IV. p. 586 sqq.

**) De quibusnam pagellis loquatur, definiri vix satis potest. Puto fuisse schedam d. 26. Apr. editam.

rus, ubi tamen non plus biduo manebo. Proficiscor enim ad deliberationes de controversiis *Svinfurdensibus*: et ad visendum senem *Menium*, qui aegrotat. Oro autem Filium Dei, ut adsit nobis. Filia nostra, tua sponsa, mediocriter valet, et tibi omnia fausta precatur. Bene vale.

Philippus.

No. 6518. 3. Maii.

Philippus Landg. H. ad Melanthonem.

Edita a *Saligio* in eiusd. Historie der Augsb. Confess. T. III. p. 391., et quidem ex apographo quod habetur in cod. Guelph. No. 11. 10. fol. p. 621., et quod ex autographo, Melanthoni misso, descriptum videtur. Aliud apographon cum Saligio consentiens legitur in cod. Galli II. p. 28. — Nuperrime hanc epistolam edidit Clariss. *Neudecker* in eiusd. Neuen Beiträgen zur Geschichte der Reformation Vol. I. (Lips. 1341. 8.) p. 164., qui eam descripsit ex prima scriptura asservata in Tabulario Cassellano, quae scriptura vero postea aliquo modo mutata et emendata esse videtur. — Responsum Melanthonis datum est d. 16. Maii.

Dem würdigen und hochgelahrten, unsern lieben getreuen Philippo Melanthoni, *Theologiae Professori* zu Wittenberg [1]).

Philips von Gotts Gnaden, Landgrave zu Hessen, Grave zu Catzenelnpogen ꝛc.

Unsern gnädigsten Gruß zuvor. Würdiger und [2]) hochgelahrter, lieber getreuer. Ihr werdet ohne Zweifel wissen, was die Chur und Fürsten zu [3]) Frankfurt, unsrer Religion verwandt [4]), auf nächstem Tage der Religion halben [5]) verglichen, darin sonderlich vier Artikel angezeigt [6]) worden, welche uns ganz [7]) wohl gefallen. Und wenn wir auch sterben sollten, so wollen wir in dem Glauben von hinnen scheiden. Können auch nicht [8]) denken, was doch Herzog Johanns Friedrichen zu Sachsen, und sonderlich die Theologen, die es Seiner Lieb einbilden, bewege, dem zuwider etwas fürzunehmen und Trennung anzurichten in [9]) der Kirchen Christi, wie Ihr denn ohne [10]) Zweifel nunmehr aus dem Ausschreiben, das Sein Lieb an etzliche Fürsten und Stände, die zu Magdeburg sollen versammelt werden, gethan, vernommen [11]) habt. Und bekümmert und mißfällt uns nicht wenig, daß solche Trennunge angerichtet werden will. Begehren gnädiglichen, Ihr wollet uns euer Bedenken hierin anzeigen, und [12]) was Ihr doch vermeinet, damit doch ihre [13]) unruhige [14]) Gemüther möchten gestillt und wieder zurecht bracht werden, daß die Papisten nicht Ursach durch diese Trennung nehmen, unsre Religion härter anzufechten [15]), auch mit der Zeit durch Gewalt und Krieg unterstehen [16]) auszureuthen [17]). Wäre es ihnen allein um den Chorrock und dergleichen Dinge [18]) zu thun, könnte man austhun, auch andre Dinge [19]), die sie ärgern [20]), möchten um Liebe willen unterlassen werden. Doch sorgen wir, es sey ihnen eines Theils darum nicht zu thun, non solum propter Christum, sed etiam ut velint videre Lazarum. Darneben wollet uns auch Euer Wohlfahrt anzeigen. Neues wissen wir Euch anderst nichts [21]) zu schreiben, denn daß beide große König zu Hispanien und Frankreich sich zum Kriege rüsten, und [22]) viel Reuter [23]) und Landsknechte in Frankreich ziehen. Gott gebe Fried und Wohlfahrt der christlichen Religion und teutscher Nation. Gott der Herre [24]) wolle Euch der christlichen Religion zum Besten lang gesund sparen. Euch gnädigen Willen zu erzeigen seind wir willig. Datum Cassel, am 3. May 1558.

Philips, Landgrav zu Hessen.

---

1) Neud. „An Doctorem Philippum Melanthonem."

2) und] abest a text. Salig.

3) Neud. in.

4) unsrer Rel. verw.] Neud. dieser Religion.

5) Sal. tantum: auf nächsten Tag.

6) Neud. angezogen.

7) Sal. gar.

8) nicht] casu excidit apud Salig.

9) in] excidit apud. Neud.

10) Sal. sonder.

11) Sal. zu vernehmen. Conventus Magdeb. d. 16. Maii habendus.

12) und] Salig. non habet.

13) ihre] Sal. etliche.

14) Neud. mendose: verüchtige.

15) Neud. anzufahren.

16) unterstehen] Sal. non habet.

17) Neud. auszurüthen.

18) Dinge] Salig. non habet.

19) könnte man — Dinge] non habet Salig.

20) ärgern] Sal. begehren.

21) anderst nichts] Sal. nicht.

22) und] non habet Sal.

23) Reuter] Sal. Leute.

24) Herre] Sal. Allmächtige.

No. 6519. 6. Maii. (Lips.)

Hier. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 233. — Hic ex autographo in cod. Monac. I. p. 229. cui Baumgartnerus adscripsit: „1558., 18. Maii per Oliverium."

Hieronymo Bomgartnero, Senatori incl. urbis Noriberg.

S. D. Clariss. vir et Patrone cariss. Cum Lipsiae accepissem fasciculum literarum vestrarum, iussi nuncium pergere ad nostras collegas, nec resignavi Senatus literas. Domi igitur respondebo copiosius lecta vestra quaestione, quae si eadem est, quam *Ioachimus Anhaltinus* ad nos misit, scire te volo quid consilii *Anhaltino* dederimus, responsuro τοῖς μεθωναίοις. Pagellam igitur huic chartae inserui, in qua nostri consilii summa narratur. Postea Dux *Pomeraniae* cum *Anhaltino* deliberavit. Et existimo eos idem respondere. Praeterii dogmatum disputationem, et suadeo ne ad illos accedant, qui moliuntur novas distractiones. Miror etiam quomodo ad Synodum congruant tantae equitum copiae, quae ἐν τῇ χώρᾳ τῶν μεθωναίων colliguntur. An causam dicemus inter equites, aut hi erunt iudices? Sed Deo nos commendo.

Oliverio *) dedi mandatum, ut ad regulas Grammaticas adolescentiam adsuefaciat. Spero eum recte facturum officium, et tuis consiliis obtemperaturum esse, quare te oro, ut eum gubernes et tuearis. Bene vale. Die sexto Maii **). Lipsiae.

Philippus.

*) Oliverio Bockio, docenti iuventutem Norinbergae, de quo vid. Büttinghausens Beiträge zur Pfälz. Gesch. II. p. 30.

**) Alia manus adscripsit: 1558.

No. 6520. 8. Maii.

G. Buchholzero.

† Ex autographo in cod. Landshut. fol. 194.

Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Georgio Buchholzero, Pastori Ecclesiae dei in urbe Arctoa, fratri suo cariss.

S. D. Reverende vir et carissime frater. Utinam et res publica diutius uti potuisset consiliis viri excellentis ingenio et virtute, D. Cancellarii [1]), et familia paterna consuetudine diutius frui potuisset. Sed deo evocanti nos ex hac statione obediendum est. Filium commendavimus viro clarissimo doctori *Sneidenwin*, ubi habet honestum sodalicium studio iuris deditum.

Mitto vobis exemplum libelli chronici [2]). Talia scripta iuventuti plus prodesse existimo, quam maledicos libros *Staphyli* et *Flacii*. Oro autem filium dei, ut reprimat sycophantas, et Ecclesiae tribuat doctores et gubernatores, diligentes veritatem et pacem, ut vox divina praecipit, inquiens: diligite veritatem et pacem. Bene valete. die octavo Maii.

Philippus Melanthon.

No. 6521. 9. Maii.

Alberto, Duci Pruss.

Ex autographo edita a *Fabro* in epp. p. 219. ep. 64.

Alberto, Duci Borussiae

S. D. Illustrissime et clementissime Princeps. Cum una fuerunt Electores et alii quidam Principes in urbe Francofordia mense Martio, testimonium de suo consensu scripserunt, et voluntatem eorum iudico piam fuisse. Idque testimonium miserunt ad Duces Saxoniae fratres ad aulam Turingicam.

Scripsit contra *Flacius* venenatas calumnias. Et indixerunt Synodum Duces Saxoniae fratres, petunt ut principes et civitatem legati conveniant in urbe Meideburg. Etsi nondum scio, an sit futura Synodus, tamen haec initia sunt maiorum dissidiorum, cum oporteret nos coniunctionem nostram summa cura tueri. Spero autem Filium dei etiam haec pericula gubernaturum esse, et nobis adfuturum esse.

Vinum quod Celsitudo vestra misit *), fideliter allatum est. Etsi autem ego Rhenano con-

1) Io. Weinlaubii.

2) Libellus chronologicus, quem Melanthon hic et saepius in epp. sqq. commemorat, est: Chronicon Carionis latine expositum et auctum a Phil. Mel. Viteb. 1558. 8. P. I. Vid. supra ex. Apr.

*) Der Herzog hatte im Herbst des vorigen Jahres ein Geschenk von ungarischem Wein an Melanthon überschickt. (*Faber.*)

tentus sum, tamen Celsitudini vestrae et pro benevolentia et pro munere gratias ago, et deum oro ut Celsitudini vestrae vires corporis et animae confirmet. Datae die Nono Maii 1558.

Celsitudinis vestrae
Servus
Philippus Melanthon.

No. 6522. 9. Maii.

Io. Aurifabro.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Ioanni Aurifabro.

S. D. Reverende vir et carissime frater. Quantum sit periculi nunc aut confessiones edere, ἢ *ἐπιψηφίζειν ὡμολογημένα,* etiam nostri Principes experiuntur, qui Francofordiae ad Moenum pia voluntate testimonium de suo consensu scripserunt. Id lacerat venenatissimis calumniis *βλάκιος.* Cogitabis igitur et de tuo periculo, si *τὴν λασκίου ἐξήγησιν ἐπιψηφίσεις,* eaque de re valde sollicitus sum. Vides, quanta rabies sit sycophantarum, inter quos ut quisque indoctissimus est, ita est et audacissimus et venenatissimus. Nec synodi his malis mederi poterunt. Petamus ergo auxilium a filio Dei. Mitto editas pagellas contra *Staphylum*, qui post hanc editionem alias sycophantias edidit. Ecclesiae in mea patria Dei beneficio sunt tranquilliores. Bene vale et rescribe. Die 9. Maii 1558.

Philippus.

No. 6523. 10. Maii.

G. Kargio.

Edita in *Schosseri* Poematibus, Epist. I. 10. (Danz.)

Ad Georgium Cargium, Pastorem Ecclesiae Dei in Anspach.

Reverende vir et carissime frater. Spero *Georgium Cracovium* feliciter ad vos pervenisse *), et opto, ut Deus eum honestissimae coniugi suae et nobis omnibus incolumem restituat, quem quidem et literas tuas nobis adferre velim. Causam legationis Deo commendo, quem oro, ut maiores distractiones Ecclesiarum nostrarum non sinat fieri. Nunc tibi commendo curam exhibendi carminis *), de stirpe *Marchionum* Brandenburgensium. Vides egregiam esse autoris venam, qui eo etiam laudandus est, quod ingenii vim confert ad laudes Dei virtutum, et bonorum Principum, nec venditat se hostibus Dei, qui magna mercede scriptores conducunt. Quaeso te, ut aut ipse exhibeas illustrissimo Principi Marchioni, *Georgio Friderico*, aut per aliquem exhiberi cures, qui et studiis doctrinarum favet, et aditum habet ad illustrissimum Principem: cui certe gratam fore honorificam mentionem familiae suae existimo, in qua multos praestantes fuisse Principes certum est. Et meminimus nos, in patre Georgio omnes virtutes bono Principi convenientes fuisse. Valde te oro, ut hoc negocium suscipias. Bene vale. Die 10. Maii. Anno 1558.

*) Cf. ep. ad Baumgartnerum d. 1. Maii.

*) Schosseri.

No. 6524. 12. Maii.

Ioachimo Pr. Anhalt.

Edita in *Becmanni* Accession. hist. Anhalt. p. 121. (Danz.)

An Fürst Joachim zu Anhalt.

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Sohn Jesum Christum unsern Heiland und wahrhafftigen Helffer zuvor. Durchleuchter, Hochgeborner Gnädiger Fürst und Herr, E. F. G. dank ich in Unterthenigkeit für E. F. G. gnädigen Willen zu aller Zeit, und für viel und mancherley Wohlthaten, auch für das Getreidich neulich anher gesandt; daß ich aber die Zeit E. F. G. nicht geschrieben habe, ist Ursach, daß ich zu Leiptzick gewesen bin, da ich Schrifft an die Universitet alhie von dem erbarn Radt zu Noriberg empfangen habe, von dem Frankfordischen Artickel, darauf ich jetzund die Antwort gen Noriberg zu fertigen, in der Arbeit bin. Und dieweil ich bedenk, daß E. F. G. dieselbige Antwort zu wissen, nicht unnütz sey, will ich sie E. F. G. fürderlich zusenden. Der allmächtige Gott Vater unsers Heilands Jesu Christi, der ihm gewißlich ein

ewige Kirche durchs Evangelium samlet, wolle E. F. G. an Seel und Leib sterken, zu gut vielen Christlichen Menschen. Datum 12. Maii, 1558.

E. F. G.
armer untertheniger Diener
Philippus Melanthon.

No. 6525. 12. Maii.

W. ab Eisen.

Edita in *Schosseri* Poemat. Epp. l. 11. (Lunz.)

Philippus Melanthon Wernero Eisen Iuris consulto, cognato suo S. P. D.

Clarissime vir et cognate carissime. Familiaritas cum bonis et sapientibus viris magna levatio est dolorum in molestis negotiis. Fuit igitur mihi pergrata tua consuetudo in urbe Vangionum. Nam et consilio, et animi candore, et vero dolorum societate, nobis molestias leniebas. Quare amicitiam inter nos perpetuam esse volo, qua etiam in coelesti consuetudine fruemur. Nunc autem ut amico commendare amici causam volui. Mittit istuc vir honestus et eruditus *Iohannes Schosserus* scripta de stirpe et rebus gestis nobilissimae familiae Marchionum *). Haec ut exhibeas inclyto Principi, *Georgio Friderico*, te oro. Materia grata est Principibus amantibus virtutem. Ideo hanc interpellationem spero non fore odiosam: etsi haec turbulenta tempora sunt asperiora Musis. Sed tamen sapientes viri, ubicunque possunt, iuvare studia debent. Et scio, tuam voluntatem erga literas optimam esse. Bene vale, 12. die Maii, Anno 1558.

No. 6526. 12. Maii.

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camerar. p. 731. (ed. Lond. lib. IV. ep. 875.).

Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo cariss.

S. D. Oro filium Dei custodem Ecclesiae suae, ut familiam tuam salvam ad te reducat, et protegat publicam Ecclesiam, et domesticas Ecclesias nostras. Videmus enim, quam sint infirma humana omnia, nisi divinitus tegamur. Huc reversi cognovimus circumferri paginas βλακικὰς, in quibus est reprehensio Francofordiani scripti. Narrant *Eberus* et *Milichius* adeo impudenter fictas esse calumnias, ut in suo theatro non sit habiturus applausores, nisi homines impudentes. Sed haec turba his miseris temporib. non parva est. Inter has confusiones erit tamen vera Ecclesia, in qua nos filius Dei ἱκέτης, ἱκέτας ad aram suam sedentes servet. Iam scribo responsionem ad senatum *Noribergensem*. Redit istuc fratris mei filius *), quem, si istic non invenit operas, redire ad me iussi, et ad Balticum littus mittere cogito, cum videam eum delectari his stultis errationibus. Si fieri poterit, velim te cum *Bromio* ad filias expaciari. Bene et feliciter vale.

Philippus.

No. 6527. 14. Maii.

Senatui Norinb.

Editum a Pezelio in Mel. christlichen Bedenken p. 585. — Ex isto denuo editum in den Unschuld. Nachrichten ann. 1716. p. 13., ubi inscribitur: „Der Theologen zu Wittenberg responsum an den Rath zu Nürnberg wegen des Frankfurtischen Abschieds. Apographon in cod. Monac. 86. No. 111. p. 147., ubi inscribitur: Philippi Melanchthonis Schrift an den Rath zu Nürnberg auf das Sächsische Bedenken über das Frankfurtische Buch. — Aliud apographon, quod ex autographo Melanth. descriptum dicitur, in cod. Galli II. p. 35 b., ubi inscribitur: „Verantwortung des Bedenkens Phil. Melanchthonis, so den Chur und Fürsten gen Frankfurt gesandt. Auch der Receß, so die Chur und Fürsten und Stände um die Einigkeit zugesandt, wider das Schreiben und Calumnien Flacii Illyrici an E. E. Rath der Stadt Nürnberg durch Phil. Mel. 1558.

Antwort auf des Raths zu Nürnberg Frage von den Frankfurtischen Artikeln.

Wiewohl unser keiner zu Frankfurt bei Stellung der Artikel, darvon ein Ehrbar Weiser Rath zu Nürnberg [1]) an uns geschrieben hat, gewesen ist, so sind wir

---

*) V. *Schosseri* Poemata, Lit. Ee 3. Hunc vero *Eisen* suspicatur *Strobelius* in Melancbthon. p. 48. fuisse Consiliarium Marchionum Brandenburgens. in aula Onoldina seu Anspacensi.

*) Sigismundus Melanthon.

1) U. Nachr.: der Stadt Nürnberg.

doch also [2]) berichtet, daß [3]), nachdem Pfalz und Wirtemberg sehr gearbeitet haben, daß man einen gemeinen Synodum aller Kirchen der Augsburgischen Confession [4]) versammeln sollte, und aber die andern Chur und Fürsten bedacht haben, wie sorglich das [5]) seyn sollte: [so] ist hernach [6]) diese folgende Meinung vorgeschlagen.

So ein Synodus sollt versammelt werden, so müßten zuvor die Chur und Fürsten und etliche fürnehmste Stände wissen, nicht allein was sie vortragen wollten, sondern auch worauf entlich sollt geschlossen werden, und solches müßte vertraulich mit etlichen gelehrten christlichen und friedliebenden Männern berathschlaget werden, und sollten dieselbigen Chur und Fürsten dieselbigen Bedenken einander vertreulich zuschicken, darauf mir, Philippo, befohlen, meine Meinung zu stellen, was vor [7]) dem Synodo vertreulich zu berathschlagen seyn sollte, welchs ich gethan und habe in zehen oder mehr [8]) Artikeln deutlich gesetzt, was ich halte, daß zu schließen seyn sollte. Doch sollte dieses alles von andern Verständigen auch vertreulich bewogen [9]) werden.

Als aber die Chur und Fürsten zu Frankfurt zusammenkommen, und da abermals Pfalz und Wirtemberg angehalten haben um einen Generalsynodum, haben die andern Churfürsten in Betrachtung der großen Fährlichkeiten, die dabei seyn würden, nicht darauf schließen wollen [10]). Also ist weiter disputirt, wie denn künftig [11]) in ihren eignen Kirchen Spaltung zu verhüten seyn sollte.

Es haben auch dieselbige Zeit etliche Herrn aus Frankreich [12]) angehalten, sie wollten doch fremden Nationen zu gut unter ihnen selbst eine Erklärung thun, daß man wüßte, was diese Stände einträchtiglich halten. Da ist bedacht worden, daß diese Chur und Fürsten ein Zeugniß von ihrer Einträchtigkeit in der Lehre stellen wollten, und dasselbige an andre Confessionsverwandte vertreulich gelangen lassen, ob man also in vertreulicher Collation zur Einigkeit besser kommen könnte, denn durch ein Synodum, da weitläuftig Gezänk erregt würde. Also sind die Artikel gestellt, die hernach andern Fürsten und Ständen [13]) vertreulich zugesandt, und [14]) ist im Eingang nichts anders denn ein gemein Zeugniß, daß sie durch Gottes Gnade wollen in der Augsb. Confession einträchtiglich bleiben, und ist klar ausgedruckt, daß sie nichts Neues machen wollen. Darnach sind vier Artikel angehängt [15]), die belangen etliche Streit, die nach dem Krieg erregt sind, und ist nämlich der erste Artikel wider Osiandri Irrthum gesetzt. Der andere: ob diese Rede zu leiden sey: gute Werke sind nöthig zur Seligkeit. Der dritte Artikel: vom Sacramento corporis et sanguinis domini. Der vierte: von mitteln Ceremonien oder Adiaphoris. Nun ist wohl zu sehen, besonder im ersten und andern angehenkten Artikeln [16]), daß die Herren meine Bedenken gesehen [17]) haben, die doch nicht zu diesem Werk geschrieben sind, sondern daß man davon reden sollt, und Anderer Meinung auch vertreulich hören. Wiewohl nun die Stellung im ersten und andern Artikel etwas kürzer ist, denn in meiner Schrift, darin ich Osiandrum genannt habe, so ist doch in denselbigen beiden Artikeln die Meinung nicht geändert, und ist darin die gemeine Lehre, so in unsern Kirchen bekannt ist, wie solchs alle verständige Christen richten können: die nicht Sophisterei oder calumnias machen wollen.

Im dritten Artikel vom Sacrament haben sich die Chur und Fürsten selb verwahret, daß sie bei der Confession und Apologie bleiben wollen. Der vierte Artikel von mittlern [18]) Ceremonien sind nicht meine Wort, und ist ohne Zweifel diesen [19]), so davon streiten allzu [20]) kurz. Es sind auch in meiner Schrift etliche mehr Artikel [21]) gesetzt, welche die Chur und Fürsten ohne Zweifel [22]) guter Meinung übergangen haben.

Dieweil aber nun ein Ehrbarer Rath zu Nürnberg begehrt zu wissen, was wir in [23]) diesen Artikeln halten, ist dieses unsre klare Antwort, daß gewißlich

2) Cod. Monac. 86. alle.
3) daß] abest a cod. Monac. 86.
4) verwandt] addidit cod. Monac. 86.
5) Cod. Monac. 86. et U. N. dieser.
6) hernach] praetermissum est a Pez.
7) Pez. von.
8) Pez. in gewissen.
9) U. N. erwogen.
10) Cod. Mon. 86. können.
11) Cod. Monac. 86. künftigen Zeiten, cod. Galli in künftigen.
12) Cod. Galli Frankfurt.
13) U. N. et cod. Monac. 86. Städten.
14) U. N. et cod. Monac. 86. nu.
15) U. N. ausgehängt; cod. Monac. 86. hinangehängt, Pez. ausgesetzt, cod. Galli angehängt.
16) U. N. im ersten und zweiten Artikel.
17) U. N. besehen. Sic etiam cod. Galli.
18) Cod. Monac. 86. et cod. Galli mittel.
19) Cod. Monac. 86. denen.
20) Cod. Monac. 86. et cod. Galli zu.
21) Artikel] abest a cod. Monac. 86.
22) Pro ohne Zweifel cod. Monac. 86. vielleicht.
23) U. N. cod. Monac. 86. et cod. Galli von.

der erste und andre Artikel recht sind. Und ob sie gleich Illyricus mit Sophisterei umstoßen will, und falsche Deutung darein menget, so sind sie doch in ihrem eigentlichen Verstande recht und gewisse Wahrheit, und berufen [wir] uns auf aller verständigen Christen Urtheil, die ohne Sophisterei richten wollen. Daß sie aber kurz gestellt sind, ist nicht übel zu deuten, und wer weiter Erklärung haben will, der mag darum bei diesen ansuchen, welche ihnen die Artikel gefallen lassen. Daß aber die Personen Osiander oder andere von den Chur und Fürsten nicht [24]) namhaftig gemacht, das belanget die Lehre nicht. Wir geben Antwort von der Lehre, und, damit nicht Zweifel sey, von welchen Artikeln wir reden, sondern wir hiemit unser Exemplar von den vier Artikeln, wie es uns zukommen. Wie sie aber von Illyrico angefochten werden, mag man in seinem Buch lesen, das wir darum hie mitsenden, daß Ew. Ehrbarkeit selbst und die Prädicanten in euern Kirchen richten, ob die Frankfurtischen Artikel mit Grund oder Ungrund angefochten werden.

Im ersten Artikel spricht er, es sey nicht klar geredt von der imputata iustitia, ob man verstehen soll des Herrn Christi Gehorsam, oder essentialem iustitiam. Dies ist eine öffentliche calumnia; denn diese Worte sind im Frankfurter Artikel etliche Mal repetirt: daß wir vor Gott allein von wegen des Gehorsams Christi durch Glauben gerecht sind.

Vom andern Artikel macht er viel verwirrter Calumnien, sagt, man führe die Leut in Verzweifelung, so man spreche [25]), der neue [26]) Gehorsam sey nöthig, denn auch am letzten Ende einer, der keine guten Werke gehabt, oder bei sich findet, durch Glauben selig werde. Nun ist öffentlich, daß wir lehren, daß zu allen Zeiten in diesem Leben, auch in der letzten Stunde, so der Mensch in der Bekehrung durch Glauben Trost empfähet, solcher gerecht und ein Erbe der ewigen Seligkeit wird, wie im Ezechiele geschrieben stehet: vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Und so diese Bekehrung geschiehet, auch in der letzten Stunde, folget zugleich mit [der] Anfang des neuen Gehorsams. Und spricht der Frankfurtische Artikel klar, daß man diese Rede, „neuer Gehorsam ist nöthig", verstehen soll nach der Bekehrung, und bleibet dieser Trost gleichwohl, daß wir allein durch den Glauben von wegen des Gehorsams Christi gerecht und Erben der Seligkeit sind. Und ist darin [27]) das Exempel de latrone converso angezogen, das Illyricus boshaftiglich verkehret, kökelt [28]) weiter, Bekehrung sey nicht ein Werk, sondern eine göttliche Bewegung. Diese Sophisterei ist leicht zu richten. Josephs Keuschheit ist gewiß auch ein göttlichs Treiben; dennoch wird sie ein Werk oder Tugend genennet, und ist die Person Joseph nicht gerecht vor Gott von wegen dieser Tugend oder Werk. Etliche reden so grob von den Werken [29]), als heiße das Wort Werk allein äußerlich Werk, und will Illyricus in dieser Calumnien auch invocationem nicht ein Werk seyn lassen, und redet von der [30]) Bekehrung, als sey sie allein der Anfang der Bekehrung, und nicht die Verneurung [31]) für und für. In summa, kurz und entlich zu beschließen, sprechen wir klar, daß wir diese Proposition: neuer Gehorsam ist nöthig in allen Bekehrten, nicht können fallen lassen, und wer diese Proposition nicht dulden will, den achten wir als einen Antinomum und Feind Gottes.

Vom dritten Artikel haben sich die Herrn selbst verwahrt, daß sie sprechen, sie bleiben in der Confession und Apologia. Daß sie aber etliche Fragen auslassen, die ich doch in meiner Verzeichniß gemeldet habe, das ist ohne Zweifel guter Meinung geschehen; und weiß Illyricus wohl, daß diese Sache einer stattlichen Unterrede bedarf, und muß die propositio wahr bleiben, daß nichts Sacrament seyn kann außer dem eingesetzten Brauch; dagegen große Verfolgung geübet † wird in Frankreich und andern Landen. Diese Verfolgung" [32]) wird gebilliget und gestärket durch viele, die sich evangelisch nennen. Davon weiß Illyricus mehr denn wir, und schweiget doch gleichwohl.

Vom vierten Artikel können wir wohl achten, daß Illyricus und sein Anhang damit nicht zufrieden seyn werden. Gleichwohl ist noth, diese Lehre und diesen Verstand für und für zu erhalten, daß menschliche Gebote in Ceremonien die Gewissen nicht also binden, daß man Unterlassung derselbigen oder Aenderung Sünde seyn achten solle. Und ist in unsern

---

24) Cod. Monac. 86. daß aber die Person Osiandri nicht.

25) Pez. et cod. Galli spricht.

26) Cod. Monac. 86. et cod. Galli neuer, absque der.

27) U. N. dazu.

28) Cod. Monac. 86. gaukelt, U. N. pickelt.

29) Cod. Monac. 86. groß von Werken.

30) Pez. einer.

31) U. N. Bekehrung, als sey sie allein der Anfang und nicht die Verneur. ꝛc. Cod. Monac. 86. Bekehrung und nicht die Verneur. Cod. Galli: Bekehrung, als sey sie allein der Anfang der Bekehrung und nicht die Verneuerung ꝛc., quam lectionem praetulimus. — Pezel. einer Bekehrung, die nicht zugleich sey eine Verneuerung.

32) Exciderunt haec ex textu Pez.

Schriften, auch in der Confession davon nothdürftiger Unterricht geschehen. Daß aber Illyricus disputirt, man soll den Verfolgern zu gefallen nichts annehmen, wie einer gesagt hätte, er wollte lieber einen Todtschlag begehen denn einen Chorrock anziehen, das ist sehr hart, Und stehet zu jedes [33]) Verantwortung was wir gewilligt oder nicht gewilligt haben. Darum möchten wir wohl leiden, daß zu Frankfurt dieser Anhang an diesen Artikel gemacht wäre: so jemand wider andre etwas zu klagen vorhätte, daß Chur und Fürsten und alle Stände sich erböten, denselbigen zu Recht zu halten, und daß die iudicia also bestellt würden, daß Personen aus etlichen Landen nach Bequemlichkeit erfordert [34]) würden, wie zu Nürnberg in Osiandri Sache geschehen, und daß das Urtheil in schweren Sachen andern mehr Fürsten und Ständen zu bewegen zugeschickt würde. Dergleichen sollt es gehalten werden, so oft controversiae von der Lehre vorfallen würden. Denn das ist wahr, daß man in der Kirchen iudicia haben soll und muß.

Dieses ist unser einfältig Bedenken von den vier Artikeln, welche von den Chur und Fürsten gestellet sind, nicht neue Unruhe anzurichten, sondern vertreulich als Bedenken zur Einigkeit dienlich. Darum obgleich nicht alle strittige Sachen darin gefasset [35]) sind, so wollen wir sie doch nicht verwerfen oder condemniren. Denn daß Illyricus spricht, es sind viel Sachen ausgelassen, darauf ist die Antwort, daß sie sich im Anfang declariren und verpflichten zur Confession zu Augsburg übergeben. Bei derselbigen Declaration lassen wir es bleiben, die viel klärer ist denn Illyrici verwirrte Calumnien wider diese Artikel, darauf wir nach Nothdurft antworten wollten, so er † oder andere" solche Sophisterei, neue Unruhe anzurichten und so viel löblicher christlicher Fürsten zu schmähen, in Druck geben wird. Dieses ist unser einfältig Bedenken von den Frankfurtischen Artikeln, darvon eines Ehrbaren Raths Frag an uns gestellt ist.

Wiewohl nun ein ehrbarer Rath nicht fraget, was den [36]) Herzogen zu Sachsen vom vorgenommenen Synodo zu antworten sey, und wir nicht zweifeln, ein ehrbarer Rath bedenke selbst, wie eine große fährliche Sache dieses sey, neue Spaltung im Schein eines Synodi anzurichten: so wollen wir doch in Demuth anzeigen, wie wir andern, die uns davon gefragt, zu antworten bedacht haben, nämlich daß sie schreiben möchten, sie wollten durch Gottes Gnade in der christlichen Confession zu Augsburg beständig [37]) in Ewigkeit bleiben, wollten sich auch nicht von andern Chur und Fürsten und Ständen absondern, und so ein General Synodus aller christlichen Chur und Fürsten und Stände würde, wollten sie dabei seyn, und treulich helfen bedenken und fördern christliche Einigkeit und dieser Kirchen Besserung; aber zu keinem particular Synodo wollten sie helfen oder kommen oder schicken, denn sie wollten nit zu Spaltung helfen, daraus gewißlich größere Irrthum, Gotteslästerung, Krieg und Verwüstung bei allen Nachkommen folgen würden, welches alles Gott um seiner Ehre willen gnädiglich verhüten wolle.

Wir vernehmen auch, daß etliche Fürsten, Lüneburg und Meckelnburg, die Schickung abgeschlagen haben, und was wir weiter erfahren, wollen wir den Euern auch zu wissen thun. Senden auch hiemit eine Schrift des Hochgebohrnen Fürsten, Landgrafen zu Hessen, darin er von den Artikeln seine Meinung anzeigt.

Dieses alles haben wir E. E. treuer Wohlmeinung berichten wollen, als in einer groß [38]) wichtigen, sorglichen Sachen, darin allerlei Umstände zu vernehmen nützlich ist, und bitten, E. E. wolle solchs alles gütlich verstehen, und so E. E. von uns weiter Erklärung fordert, erbieten wir uns, dieselbige mit Gottes Hülfe treulich zu thun. Denn Gott, der aller Herzen erkennet, weiß, daß wir zum höchsten begehren, in der Kirchen christliche Confession, christliche Einigkeit und guten [39]) Stand [40]) zu aller Zeit. Diese Gaben wolle der Sohn Gottes, der ihm gewißlich durchs Evangelium, † und nicht anders", eine ewige Kirche sammelt, gnädiglichen geben, der wolle auch Euer löblichen Stadt und Kirchen und E. E. und die Euern gnädiglich bewahren. **Datum 14. Maii anno 1558.**

No. 6528. 15. Maii.

Hier. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 235. — Hic ex autographo in cod. Monac. I. p. 233., cui Baumgartnerus adscripsit: „1558. 23. Maii" (videl. accepi).

33) U. N. cod. Galli et cod. Monac. 86. unsrer.
34) Cod. Monac. 86. erfordert, geörtert.
35) Cod. Monac. 86. verfasset; U. N. gesetzt.
36) U. N. den löblichen.
37) Cod. Monac. 86. Augsburg überantwortet. Cod. Galli: Confession überantwort.
38) groß] non habet Pez.
39) U. N. christlichen.
40) Cod. Monac. 86. Verstand.

Hieronymo Bomgartnero, *Senatori incl. urbis Norib.*

S. D. Clariss. vir et Patrone cariss. Etsi optarim Principes in Ripa Meni non properasse in scribendis articulis, tamen maiores fieri dilacerationes postea minus velim, et quidem cum tantum praestigiis sophisticis deliberata illa labefactentur. Si omnino volunt aliqui novas distractiones fieri, res prius ad Synodum communem deducatur. Sed oro filium Dei, angelum magni consilii, ut nobis omnibus det pia et salutaria consilia. Vos spero nequaquam ad particularem Synodum accessuros esse. Fata postremae senectae mundi horribiles Imperiorum et Ecclesiae dilacerationes minitantur, quae ut leniat Filius Dei precemur, et ut sapientes gubernatores moderentur, valde optandum est. Bene et foeliciter vale. Die 15. Maii *).

Philippus.

No. 6529. 16. Maii.

A. Hardenbergio.

Epp. ad Hardenberg. ep. 66.

D. Alberto Hardebergio.

S. D. Reverende vir et carissime frater. Etsi Synodus non convenit in Urbe Parthenopea, tamen odia non sunt extincta, nec sunt consumtae artes inimicorum, quibus nos opprimere conantur. Moliuntur illi non parva. Sed nos teneamus illud Psalmi: Sileas Deo et oro eum. Neminem irrito et oro filium Dei, ut nos gubernet et protegat.

Senatus *Noribergensis* non voluit accedere suos πρὸς τὴν σύνοδον. Responderunt et alii quidam se eo non accessuros, ne novas distractiones facerent. *Macedo* misit honorificum testimonium de Francofordianis articulis, cui hodie de te et me scripsi. Mitto Comiti *Christophoro*, tibi et *Medmanno* libellos χρονολογικοὺς [1]), quorum lectionem non insuavem vobis futuram esse spero, teque oro, ut exhiberi cures et mihi rescribas. *Eberus* Lipsiam expatiatus est. Possem multa scribere, sed literis non sunt committenda. Bene vale et rescribe. Die 16. Maii 1558.

Philippus.

*) Alia manus adscripsit: 1558.

1) Chronicon Carionis.

No. 6530. (16. Maii.)

Philippo Landgr. II.

Edita in Saligs Historie der Augsb. Confess. T. III. p. 392. ex apographo in cod. Guelph. in fol. No. 11. 10. p. 626., quod contuli. Item apogr. in cod. Gall. II. p. 29. — Epistolam Landgravii, cui Mel. respondet vid. supra d. 8. Maii. Autographon Melanthonis *Neudeckerus* in Tabular. Cassellano non invenit.

(An Philipp, Landgrafen zu Hessen.)

Gottes Gnad durch seinen Eingebornen Sohn Jesum Christum unsern einigen Heiland und wahrhaftigen Helfer zuvor. Durchleuchtiger, Hochgeborner, gnädiger Fürst und Herr. Ew. Fürstl. Gnaden wissen, daß der Herzog Christoff, Fürst und Herzog [1]) zu Wirtenberg lange Zeit um ein General Synodum angehalten hat. Wie sorglich nun dasselbe vorzunehmen, verstehen E. F. G. als ein hochlöblicher Fürst, besser denn ich. Nun hab ich aus Befehl mein Bedenken angezeigt, dabei aber hochgedachtem Herzogen zu Wirtenberg geschrieben, daß ich dieses vor gut ansehe, daß Pfalz, Wirtenberg, Hessen und die Nachbarn eine gründliche, wahrhaftige, klare, unzweifelhafte Einigkeit unter sich machten mit gutem Rath. Denn da sie die Sächsischen Lande wollten dazu ziehen, würde nicht Einigkeit gemacht, sondern viel größer Zwietracht und Haß angezündet. Darauf mir hochgedachter Herzog Christoff wiederum geschrieben, dieses sollte zuvor zu versuchen seyn, hernach, wenn es nicht fortginge, wollten Ihre [2]) F. G. darauf arbeiten, eine Einigkeit zu machen bei den Nachbarn, wie ich gerathen hatte [3]). Von allen diesen Sachen will ich [4]), so ich lebe, E. F. G. selbst Bericht thun in Gegenwärtigkeit, so mich E. F. G. gnädiglichen hören wollen, so der vorgenommene Proceß durch Illyricum und seinen Anhang in das Werk käme. Denn dieses practicirt er, daß D. Albertus [Hardenberg] zu Bremen, der offentlich protestirt hat, er bleibe bei den Frankfurtischen Artikeln, und ich sollen condemnirt werden. Das muß ich Gott befehlen. Meine Feinde haben gesagt, sie wollen mir Deutschland zu

1) Salig. Heer.
2) Ihre] Salig. E. F. G.
3) Salig. hätte.
4) ich] addidi ex cod. Galli.

enge machen, wiewohl ich nicht weiß, warum sie die große Cainische Bitterkeit wider mich gefaßt haben, so sie mich in fremde Lande treiben. Was mein Arbeit, Elend und Gemüth allzeit gewesen ist, wissen E. F. G. selbst, und viel verständige Männer in deutscher Nation. Ich will gern aus diesem Leben, nicht allein aus diesem Lande, weichen, wenn Gott will; bin bisher geblieben, dieser Schule zu gut. Soll ich fort, wie ich denn des Todes täglich gewarte, dazu bin ich mit Gottes Hülff willig und bereit. Ich will aber dennoch, so mir Gott das Leben und Gnade gibt, meine klare Confession von allen Artikeln christlicher Lehre mit E. F. G., und nicht ein besonder Ding oder Secte machen, sondern anzeigen, daß ich ein Gliedmaß dieser wahrhaftigen Kirchen Gottes *) bin, darin diese bekannte Lehre gehalten wird, und Gott recht anruffen. Um solche Erklärung bin ich vielmal gebeten, und hoffe durch Gottes Gnade, solche Confession soll vielen zu gut kommen, und zur Einigkeit bei den Gottfürchtigen und Verständigen dienen. Was aber dagegen schreien die abgöttischen und sophistischen Bluthunde, kann ich nicht ändern. Dennoch wird Gott seiner Kirchen und Wahrheit helfen. Amen.

No. 6531. 19. Maii.

M. Dillero.

Ex autographo in biblioth. Pl. Rev. *Baehrii* [1]), ab ipso mihi descripta, antea iam edita in C. Büttingshausens Beiträgen zur Pfälzisch. Geschichte Vol. I. (Mannh. 1776. 8.) p. 42.

Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, Micaeli Dillero, docenti Evangelium in Ecclesia Dei in aula inclyti Electoris Palatini, fratri suo cariss.

S. D. Reverende vir et carissime frater. Etsi multa tristia spectacula in his confusionibus generis humani oppugnant adsensionem de providentia, tamen anteferamus hanc *ἀπόδειξιν*, impossibile esse, totam hanc hominum naturam, summa arte factam et vestigia Dei multa gerentem, casu ex Atomis confluxisse et tantum ad interitum nasci. Hac erecti [2]) cogitatione quaeramus Deum in ea doctrina, quam certis testimoniis tradidit, et opponamus eam spectaculis, quae adsensionem concutiunt. Sciamus, nos esse membra aeternae [3]) Ecclesiae Dei, et eam ornare studeamus, et piorum laborum socios complectamur. Cognosces autem hunc *Paulinum Ursinum* [4]) virum honestum et prudentem esse et praeclare eruditum. Dederam ei literas ad *Comitem Ludovicum in Koenigstein*, sed serius eo venit, postea ad nos [5]) accessit, ubi si vobis non promisisset reditum, iam ei in nostro oppido docendi evangelii ministerium mandaveram, quia eruditio, modestia et pietas eius eximia est. Quare tibi eum commendo. Synodus in urbe *Parthenope* indicta a Ducibus Saxoniae fratribus non coiit. Mitto quae de articulis *Francofordianis* respondimus Senatui Noribergensi. Bene vale et saepe ad nos scribito. Die triumphi Christi.

Philippus Melanthon.

---

*) Salig. Gottes-Kirche.

1) Antea fuit Deslochii, Inspectoris Neostadiensis. Vid. Büttingshaus. l. l.

2) Büttingsh. *erecta*, mendose.

3) Büttingsh. *externae*.

4) Büttingshausen sine iusta causa mendum in nomine suspicatur, et arbitratur, Melanthonem *Zachariam Ursinum* scripsisse.

5) *nos*] edidi, non *vos*, ut habet Büttingsh. et legit etiam Baehrius.

No. 6532. 22. Maii. (h. a.?)

Cph. Libio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Christophoro Libio, Pastori Ecclesiae Brandenburgensis.

S. D. Cum scripsisset mihi affinis meus, te aegrotare, valde angebar animo, ac Deum, vitae fontem, orabam, ut tibi longiora vitae spatia concederet in hac militia, et propter publicam Ecclesiam et propter domesticam Ecclesiam tuam. Postea nuncius dixit, te convalescere. Quod si potes scribere, quaeso, ut quam primum significes mihi qualis sit tua valetudo. Oro autem Deum, conditorem generis humani et vitae fontem, patrem domini nostri Iesu Christi, ut tibi vires animi et corporis confirmet. Ideo filius assumpsit humanam naturam, ut nos sibi insertos tanquam surculos sua vita et suo succu vivificet, sicut inquit: ego sum vitis, vos palmites. Bene et feliciter vale. 22. Maii.

Philippus.

No. 6533. 24. Maii.

Ge. Fabricio.

Epist. lib. V. p. 437 sq.

Georgio Fabricio, gubernanti scholam Misnens.

Duo sunt exigua oppida nobis vicina, *Nimecia*, quod lingua Heneta Teutonas significat, et alterum a *Ponte* nomen *) habens. Haec impetrarunt, ut suorum civium filiis etiam locus in scholis, quas Illustrissimus Princeps constituit, tribuatur. Et pium est, non negligi tenuiora oppida. Scis, etiam interdum ingenia excellentia nata esse in oppidis non magnis. Ascram fuisse parvam et inopem Hesiodus ostendit. Nec Orionis Patriam multo fuisse maiorem arbitror. Inter haec oppida nobis vicina, quae nominavi, alterum Pontani Patria fuit, cuius natura certe fuit oratoria. Existimo autem, de his adolescentibus scribi ad oeconomum nostrum. Cumque rogatus essem, ut meas literas adderem, non volui meum officium eis deesse. Teque oro, ut, quod facis, et hos paterno animo complectaris. Bene vale. Die 24. Maii 1558.

No. 6534. 24. Maii.

Abd. Praetorio.

† Ex apographo in cod. 54. epistolar., qui est Lutetiis Parisiorum, in bibliotheca S. Genovevae, descripta mihi a Clariss. *Beckio*.

Clarissimo viro, Abdiae Praetorio, in inclyta Academia Francof. lectori, fratri suo carissimo

S. D. Doctiss. vir et cariss. frater. Scimus filium Dei λόγον ἀΐδιον πατρός, qui protulit Evangelium ex sinu aeterni patris, studia doctrinarum et regere et tueri. Hunc toto pectore oro, ut nos in hac militia gubernet, et faciat ut tua migratio in Academiam Ecclesiae studiis patriae et tibi sit fausta et felix. Opto etiam aeternam esse harum Ecclesiarum et Academiarum concordiam. De fama itinerum meorum scito, mutatum esse consilium de Pomeranico itinere. Cum synodus indicta esset, quae putabatur in urbe Parthenope conventum [1]) esse, scripsit Dux Pomeraniae [2]), hoc tempore me non evocari, quod existimaret, me propter Synodi disputationem oportere domi esse.

De *chronicis* [3]) quae scribis, ominari vos εὔφημα velim. Si vivam, addam sequentium temporum historias, et partem, quam edidi, probari tibi valde opto. Squallidior est quam velim, quia scis mihi tempus deesse ad emendationem. Sed institui, ut adolescentes invitentur ad veterum lectionem. Bene vale. 24. Maii 1558. Salutem opto Pannonio et vobis omnibus.

Philippus.

*) *Bruck.*

1) *conventuram?*

2) Literas Ducis Pomer. vide supra d. 14. Apr. h. a.

3) Intelligit Chronicon Carionis ab ipso auctum et editum.

No. 6535. 25. Maii. (Lipsiae.)

Io. Aurifabro.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54 [3].

Iohanni Aurifabro.

S. D. Reverende vir et carissime frater. Subito hanc epistolam Lipsiae scripsi, cum hic honestus et doctus vir Anglicus, qui in Anglia fuit Episcopus Batonensis et Wellensis, *Guielmus Barlowe* [?] narraret, se malle in Prussia hospitium quaerere quam in Polonia, quia non ignarus sit linguae Germanicae. Adficiamur eo maiore misericordia talium exulum, quia scimus iniustam et immanem saevitiam in Anglia exerceri. Poterit vobis esse hic Guielmus in aliqua parte gubernationis Ecclesiarum usui, et adiunget suas sententias ad tuas, quia maxime amat et optat nostrarum Ecclesiarum concordiam. Bene et feliciter vale. 25. Maii, 1558.

Philippus.

No. 6536. 29. Maii.

Io. Praetorio.

Epist. lib. V. p. 147 sq.

Iohanni Praetorio, docenti Evangel. Vratislaviae.

S. D. Reverende vir, et chariss. frater: Sedet ad dextram aeterni Patris Filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, vere dans dona hominibus, salutares Pastores et Doctores. Talibus donis ornari ab eo vestram Ecclesiam, gaudeo, et toto pectore Filio Dei pro hoc beneficio et aliis omnibus gratias ago. Profiteor ab ipso vere colligi et protegi aeternam Ecclesiam, et eum oro, ut nos gubernet, et vestram Ecclesiam et Urbem servet.

Tibi etiam et caeteris Collegis hunc *Casparum* commendo, et oro Filium Dei, ut faciat, ut in tota aeternitate unum in Deo simus. Nota sunt vobis praecepta divina de Concordia. Et saepe hos versus recito: *οὐ χρυσὸς ἀγλαὸς, οὐ δε ἀδάμας οὕτως ἀστράπτει πρὸς ὄψιν, ὡς ἀγαθῶν ἀνδρῶν ὁμοφράδμων νόησις.*

Rursus editur mea responsio scripta contra *Staphyli* calumnias. In hac editione addam responsionem de altero *Staphyli* libello. Deus reprimat Sycophantas. Bene vale. In Pentecoste 1558. Rescribito.

Philippus.

Salutem opto vobis omnibus.

No. 6537. 29. Maii.

B. Clammero.

Epist. lib. II. p. 484. (ed. Lond. lib. II. ep. 514.)

D. Baldasaro Clammero, Doct. Iuris, Cancellario Luneburgensi.

S. D. Clarissime vir et patrone colende, Cum in magno dolore essem propter tuum luctum ingentem, et postea ad eum moerorem accessisset mihi domesticus luctus, propter meae coniugis interitum, et procul hinc abessem in rixis odiosissimis; impeditus sum, quo minus ad te scriberem, quod facere cupiebam, non quod arbitrarer te consilio a me iuvari posse, sed ut societatem doloris ostenderem. Erat omnino excellens in filio natura, sed fato cedendum est, et petendum a Deo, ut Ecclesiam, politias, et honestas familias ipse protegat, et servet. Spero autem te saepe colligentem mente consolationum causas, iam ex aliquo intervallo aliquantulum acquiescere, et toto pectore oro Filium Dei, quem recte invocas, ut tibi dolores leniat, et te, et nos protegat ac servet. Nunc autem tibi et *Bernhardi Bomgartneri* petitionem, de qua ad Illustriss. Principem scripsi, commendo, et reverenter peto, ne viro integerrimo, qui tot annos utiliter docet, desis. Bene vale. In Pentecoste. Anno 1558.

No. 6538. 29. Maii.

Ioach. Mollero.

Epist. lib. II. p. 528. (ed. Lond. lib. II. ep. 553.).

D. Ioachimo Mollero

S. D. Clarissime vir et charissime frater, Scriberem ad te saepius, si possem, quia et tua colloquia, prudentiae et fidei plena expeto. Sed nosti aerumnas nostras. Nunc scribo et ad Principem Illustrissimum et ad vos, de filio *Bernhardi Bomgartneri*, teque valde oro, ut petitionem hanc adiuves. Scis gratitudinem deberi iis, qui recte erudiunt primam aetatem. Audio vos graviter dissuasisse convocationem Synodi *Parthenopeae.* Id vestrum consilium scio multis bonis probari. Etsi enim nolim Principes *Francofordiae* non scripsisse articulos: tamen nunc maiores distractiones fieri nolim. In hanc sententiam respondimus et Senatui *τῆς νωρικῆς πόλεως.* De hoc toto negotio optarem vos coram posse colloqui. Bene vale et rescribe, *ἐν τῇ πεντηκοστῇ.*

No. 6539. 29. Maii.

Io. Cratoni.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54 [3].

Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Iohanni Cratoni, Doctori artis medicae in inclyta Vratislavia, fratri suo carissimo,

S. D. Clarissime vir et cariss. frater. Non dubito te quotidie in Medicatione multa de natura hominum cogitare, in qua vides tantum esse artis, ut non possit existimari, casu ex Democriti atomis confluxisse, quae tamen, cum ad agnitionem

Dei et illustrem rerum aspectionem condita sit, in hac brevi et aerumnosa vita in magna caligine versatur. Restat igitur alia sapientior Academia. Hanc intueamur et ad eam nos praeparemus, et propter eam cum alias virtutes tum vero et amicitias colamus, quibus in illa coelesti consuetudine dulcius fruemur, quam frui in hac vita possumus. Interea tamen conferamus studia ac Ecclesiae consociationem, quod cum te facere sciam, vere te diligo et tuam erga me benevolentiam magni facio tibique gratiam habeo pro multis tuis beneficiis et pro charta nuper missa. Exempla τῆς χρονολογίας tria mitto, quae tuo arbitrio mittes quibus videbitur. Scis nobis deesse tempus ad perpoliendas tales narrationes. Sed voluntatem institutum (?) tibi probari velim. Bene vale. Ἐν τῇ ἁγίᾳ πεντηκοστῇ.

Philippus.

No. 6540. (m. Maio.)

Conr. Heresbachio.

Epist. lib. II. p. 394. (ed. Lond. lib. II. ep. 406.) — Quae de Bulione in hac ep. scribit, referenda sunt ad ea, quae libro I. Chronici Carionis, hoc mense editi, leguntur, cuius partem priorem Melanthon misisse videtur, ubi haec habes: „recuperarunt (Principes Gallici et Germanici) Ierosolymam duce Godofrido Bilionaeo, quorum virtute diu repressi sunt Turci." — Fuit autem Godofridus Dux in eadem natus familia, e qua orti sunt duces Bergenses et Iuliacenses.

D. Conrado Heresbachio

S. D. Clarissime vir et charissime frater, Ego vero et recordatione tuarum virtutum, et literis tuis valde delector. Quare nolim te excusare interpellationes, si possem etiam coram tecum quotidie colloquerer, non de populi fabulis, aut Principum tumultibus, sed de optima doctrina, de consolationibus divinitus traditis, et de iis rebus, de quibus aliquanto post in coelestis Ecclesiae consuetudine colloquemur. Mitto tibi pagellam, in qua vestram familiam insero heroico generi *Godofredi Bilionei* *), qui vere inter optimos Principes numeratur. Existimo tibi arcem *Bulion* in *Leodiensi*, opinor, vicinia notam esse. Si quid de stirpe legisti, quaeso ut nobis impertias. Non enim adsentior *Gallis*, qui aliam illi patriam tribuunt. Bene vale et rescribe.

*) In Chronico Carionis affirmat, Duces Iuliacenses ortum habere a Bullione.

No. 6541. 1. Iun.

Abd. Praetorio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Abdiae Praetorio, Lectori in Academia Francofordiana.

S. D. Doctissime vir et cariss. frater. Propter adolescentes repetivi in scholis seriem veterum Imperiorum, quam certe prodest illi aetati proponere. Et voluntatem meam vobis probari spero. Exempla duo mitto istuc, teque oro, ut *Christophoro* exhibeas id, quod ei inscripsi. Utinam ad narrationes ipsas perpoliendas plus et temporis et eloquentiae mihi contigisset. Sed spero alios et feliciores et magis disertos hoc exemplo excitatos meliora scripturos esse. Oro filium Dei, custodem Ecclesiae, ut nos omnes gubernet, et protegat Ecclesias. Quaeso mihi significes, an has nostras literas et priores acceperis. Bene vale. Cal. Iun. 1558.

Philippus.

No. 6542. 5. Iun.

D. Chytraeo.

(Ex David. Chytraei epistolis p. 1217.)

Dav. Chytraeo.

Clarissime vir et cariss. frater. De legum dignitate et de ordine politico scis me aliquanto plura quaesivisse, quam alii multi scripserunt. Et spero illa nostra Panegyrica moribus multorum prodesse. Vicissim autem mihi a sapientibus gubernatoribus, benevolentia debebatur. Sed quorundam a me voluntates alienantur, ut fit in dissensionibus civilibus. Te tamen velim placatorem nobis esse, apud inclytum Principem Ducem *Iohannem Albertum*, teque oro ut libellum χρονολογικὸν, quem nunc ad te mitto, ei exhibeas. Tibi etiam exemplum mitto, ac voluntatem meam vobis probari opto. Nam opus tenue esse scio,

et in his aerumnis et hac negociorum confusione, ne possum quidem perpolire ea quae instituo. Mitto tibi epistolam *Tilemanni*, quam de itinere suo ad me scripsit. Bene vale et rescribe. Die pugnae Leuctricae.

Philippus.

No. 6543. 6. Iun.

Io. Marbachio.

Ex *Io. Fechtii* histor. eccles. sec. XVI. Supplem. p. 80.

Ioh. Marbachio

S. D. Reverende Vir et charissime Frater. Etsi optarem, *Francofurdiae* non esse scriptos *articulos:* tamen studium Principum fuit pium, quo testimonium de suo consensu ostendere voluerunt. Postea indicta est *Synodus Parthenopea*, ut novae fierent distractiones: quae cum non processisset, in aulam *Wimariensem* vocati sunt aliqui ex vicinia. Sed ut concionem apud Aristophanem balaena regit: ita in illa Synodo *Flacius* dominatur. Decreta cuduntur iam toto mense *περὶ στωϊκῆς ἀνάγκης, περὶ ἀρτολατρείας, περὶ ἔργων*, denique et de meo capite. Haec cum proferentur, erunt classica novorum certaminum. Sed oro Filium Dei, ut nos gubernet, et servet Ecclesiae reliquias, et faciat, ut unum simus in ipso. Utar vestro consilio, cum de responsione deliberabo. Nunc vobis commendo *Menii* filium, *Augustum* *), cuius indoles modesta est, et regi vestris consiliis poterit. Vides Ecclesiam fieri et angustiorem et magis aerumnosam, propter domesticas discordias. Ideo nos, qui coniunctionem pii agminis tueri studemus, induamus paternos animos erga filios amicorum, ut studia doctrinarum conserventur, quae inimici nostri delere conantur. Bene et feliciter vale. Die 6. Iunii, 1558.

Philippus Melanthon.

No. 6544. 7. Iun.

Abd. Praetorio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54 ³.

*) Eundem Marbachio iterum commendat d. 1. Maii 1559.

Abdiae Praetorio, Lectori in Academia Francofordiana.

S. D. Clarissime vir et cariss. frater. In libelli chronici inscriptione quibusdam hos versus addidi:

ἐστὶ χάρις καθαρὰ τάδε δῶρα Φιλίππου,
ἔστω καὶ φίλη ἐν δεξαμένοισι χάρις.

Te spero *ξὺν χαρίτων εὐνοίᾳ* accepisse exemplum chronici libelli, et an acceperis quaeso significa; nam per proximum tabellarium misi. Quae de sycophantica censura[1]) sparsa a *Flacio* scripsisti ad generum meum, iudico vere et graviter scripta esse. Nunc expecto decreta Turingica[2]), de quibus deliberabimus, cum prolata fuerint. Nuncius properabat, ideo addere plura non potui; sed semper nos unum esse in Deo volo. Mittam de die nuptiarum filiae *Sabini* peculiarem tabellarium; nam te quoque vocabimus. Bene vale. Die 7. Iunii 1558. Salutem reverenter optat *Peucerus*, scripturus brevi prolixe.

Philippus.

No. 6545. 9. Iun.

Cph. Libio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54³.

Christophoro Libio, Pastori Ecclesiae Brandenburgensis.

S. D. Reverende vir et cariss. frater. Cum indicari vobis idoneum ad docendum in schola et in templo volueris, hunc *Matthaeum Tilonem* Bernoensem tibi indicandum esse censui, qui et recte doctus et facundus est. Potuit habere locum in schola Smidbergensi, sed mavult propior esse patriae et habere aditum ad ministerium Evangelii. Quare eum tibi et caeteris amicis commendo. Bene vale et rescribe. Die nono Iunii, 1558.

Philippus.

No. 6546. d. solstitii.

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camer. p. 739. (ed. Lond. lib. IV. ep. 885.).

1) Videlicet articulorum Francofordensium.
2) Decreta Theologorum Wimariam vocatorum.

Clariss. viro, eruditone et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo cariss.

S. D. Tuam frugalitatem in apparatu convivii valde probo, in quo etiamsi paululum a philosophica mediocritate recesseris, non est reprehendenda facilitas, quod aliquid affectibus tuorum tribuis, cum tamen non procul a lege discedas, μέτρα φυλάσσεσθαι. Ego insulsus, qui in tanto luctu Ecclesiae, et privatis doloribus, et miseriis, nimium indulgeo, non dico filiae, sed patri *). Sed pugnare cum eo non possum, qui a nostra philosophia alienissimus est. Tecum autem oro filium Dei dominum nostrum Iesum Christum, toto pectore, ut in his regionibus semper Ecclesiam sibi colligat, et det ei honesta et tranquilla hospitia, gubernet etiam et protegat nos, et nostras familias, et tribuat fausta coniugia tuis et meis, propter gloriam Dei, et salutem ipsorum. Genero fui hortator, ut ad vos accederet cum coniuge, et filiabus. Bene vale, die Solstitii aestivi.

Philippus.

No. 6547. 13. Iun.

Cph. Libio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54 3.

Christophoro Libio, Pastori Ecclesiae Brandenburgensis.

S. D. Reverende vir et cariss. frater.

Casta Deus mens est, casta vult mente vocari,

et leges coniugii sanxit. Ab ipso igitur casto creatore toto pectore felix coniugium filiae *Sabini*, *Annae*, peto. Amicos etiam oro, ut in coniugii ritibus nobis non desint. Ideo ad Senatum vestrum et matrem aviam Annae et ad patruum scripsi, teque oro, ut literas ad aviam scriptas cum patruo ipse ei legas. Scis amicos in talibus officiis amicorum causa, imo propter ipsas puellas, oportere labores suscipere. Curabis igitur, ut literae reddantur iis, quibus inscriptae sunt. Iussi enim nuncium, ut primum ad te accedat, ut sciam, literas certo exhiberi. De cancris quaeso loquaris cum domino *Simone* et aliis amicis, et petes, ut sponsae *) non desint, natae ex patre Brandenburgensi. Tuae prudentiae et fidei omnia haec negotia commendo. Bene vale. Die 13. Iunii, 1558.

Philippus.

*) Sabino.

No. 6548. 13. Iun.

Abd. Praetorio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54 3.

Abdiae Praetorio, Lectori in Academia Francofordiana.

S. D. Clarissime vir et carissime frater. Voluit *Sabinus* vocari Senatum Academiae vestrae ad publicum ritum desponsationis filiae ante aram. Etsi non libenter onero vos: tamen eo non gravatim ad vos scripsi, quia colloquia vestra expecto, et te, ut ad nos venias ad diem constitutum **), oro, etiamsi Senatus alios mittet publico nomine. Dies publicae desponsationis constitutus est 27. Iunii. Epistolam ad Senatum Academiae scriptam quaeso ut tu exhibeas. Iussi enim nuncium nostrum ad te accedere, teque oro, ut mihi rescribas. Significes etiam an libellos chronicos acceperis. Bene vale et rescribe. Die 13. Iunii, 1558.

Philippus.

No. 6549. 15. Iun.

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camer. p. 737. (ed. Lond. lib. IV. ep. 883.).

Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario, fratri suo carissimo,

S. D. Cum audirem hunc Callimachum *Eobani* filium narrare fratrum historias, non sine dolore cogitavi, et de temporum confusione, et de nostris familiis, ac iam haec scribens duas hinc familias mittebam, alteram ad iuga meae patriae

*) *sponsae*] scripsi pro *sponsis*.

**) Venisse Praetorium intelligitur ex ep. d. d. 20. Iul. h. a.

vicina, alteram ad saltus Boiemici viciniam *). Vagamur miseri in hac publica discordia. Sed filio Dei nos commendemus, qui etiam fuit exul, et quidem in patria. Gaudeo tamen hunc *Callimachum* habere patronum, virum honestum, *Aegidium* Iurisconsultum, qui eum secum ducet Spiram. Excellit ingenio *Aegidius*, et praeclare instructus est, non solum Iuris cognitione, sed etiam aliis honestis doctrinis, et scio te ab eo diligi, quod ex filio tuo etiam cognoscere potes. *Callimachum* cum excipies, scio te ipsi quidem gratulaturum esse talem patronum, sed de communibus miseriis nostris, et periculis posteritatis eadem cogitaturum esse, quae mihi in mentem venerunt. Tuae familiae et sponsae et sponso fausta omnia opto. Bene et feliciter vale, XV. Iunii.

Philippus.

No. 6550. 16. Iun.

Conr. Nesseno.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Clarissimo viro, prudentia, eruditione et virtute praestanti, Domino Cunrado Nesseno, Syndico in urbe Lusatiae Sitta, fratri suo carissimo.

S. D. Clarissime vir et carissime frater. Magnum mihi dolorem adfert cogitatio de morbo tuo, sed spero, te consolationes, quas Deus nobis certissimis testimoniis tradidit, mente intueri, et morbo et moestitiae remedia adhibere, quod et ego in meo morbo facio. Defluit mihi larga pituita in pectus, quae mihi mortem minitatur **), et commonefactio est, ut saepius de amicis aegrotis deque mea morte cogitem. Certo scimus, Deum vitae datorem esse, qui donec vult nos in hac aerumnosa militia communi societati servire, confirmat vires corporis. Hunc toto pectore oro, ut et tibi et mihi adsit et nobis opem ferat, leniat morbos donec nos vult in hac vita manere et propter filium Dominum nostrum Iesum Christum, et per eum, cum ex hoc carcere nos dimittet, ducat ad dulcissimam coelestis Ecclesiae consuetudinem, et ibi frui concedat sua luce et sapientia. Hunc fontem intueamur, et spe ac expectatione illius melioris vitae minori moestitia praesentes aerumnas feramus. Ipsi etiam filio Dei posteritatem nostram commendemus, qui affirmat se semper Ecclesiae custodem esse, nec passurum esse, ut tota deleatur. Hic defendet reliquias contra Turcica arma et contra alios furores. Discernamus in his cogitationibus sapientiam a Deo patefactam a philosophicis disputationibus, quae mundum et homines ex atomis componunt, et casu volvi omnia fingunt; et erecti testimoniis divinis certo statuamus, nos et nostros filio Dei curae esse. His cogitationibus in meo morbo moestitiam lenire studeo, nec dubito quin idem facias in tuo morbo. *Davidem Bormannum* tibi commendo. Scripsi de eo vicissim ad Senatum vestrum, teque oro, ut tua autoritate adolescenti pio et honesto opem feras. Propter tales etiam Deus mitigat publicas poenas. Bene valete. 16. Iunii 1558.

No. 6551. 22. Iun.

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camer. p. 740 sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 887.).

Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo cariss.

S. D. Etsi disputabam ipse mecum, an istuc accederem etiam non vocatus, ad ritum initiorum coniugii honestissimae filiae tuae, tamen me continui, quod id et modestius, et tibi gratius fore arbitrabar. Nunc de te evocando, etsi malim tibi parcere, tamen *Sabini* voluntati necesse est me morem gerere. Is te, ut decet, facit plurimi, et vocat te ad publicum ritum initiorum coniugii filiae suae, quae erunt V. Cal. Iulii. Etsi autem mihi quoque adventus tuus erit gratissimus, tamen valetudinis tuae rationem te habere volo, cui audio quiete opus esse. Scio vota et pias preces ad filium Dei nos coniungere, ubicunque sumus, quem toto pectore oro, ut nos et familias nostras gubernet et protegat, et servet eis Ecclesiam, et honestas politias. Ioachimum filium tuum volo nobiscum domi meae esse. Bene vale. X. Cal. Iulii.

Philippus.

---

*) Sabini duas filias locavit, Annam Eusebio Menio, et Catharinam Mich. Meienburgio.

**) Cf. quae Peucerus infra d. 1. Aug. 1558 scribit.

No. 6552. 30. Iun.

U. Mordeisen.

Epist. lib. V. p. 164.

Ulrico Mordisin, Consiliario Ducis Sax. Elect.

S. D. Clarissime vir, et charissime Patrone. De obsidione oppidi *Didenhofen*, et de sollicitudine regionum ad Rhenum, heri in coena accepi literas, scriptas in urbe Spira a viro prudente et non ignaro Reipublicae magistro nunciorum, genero mei fratris. Si attrahitur Rex Galliae in Germaniam, Papa Imperatoris fastigium in eum transferet. Precor Deum, ut Germaniae tribuat salutarem tranquillitatem, et servet in ea Ecclesias, et earum hospitia.

Mitto Illustrissimo Principi aureum Hungaricum, in quo filius *Iohannis* nominatur *Iohannes Sigismundus.* In aliis aureis non est nomen posterius. Bene et feliciter valete. Pridie Cal. Iulii 1558.

Philippus.

No. 6553. 2. Iul.

Abd. Praetorio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[e].

Abdiae Praetorio, Lectori in Academia Francofordiana.

S. D. Clarissime vir et cariss. frater. Et amore vestro et iudicio delectatus sum, quod ad me expatiati estis*), vobisque et debeo et habeo gratiam. Post iter vestrum scripserunt ad me amici Norimbergenses, Senatum dimisisse concionatorem, qui fuit ἐν τῷ βλακικῷ τάγματι πρωταγωνιστής. Adhuc expectatur editio censurae βλακικῆς, de qua in aula Turingica contentiones fuerunt. Quicquid intellexero tibi significabo. *Κοινὰ γὰρ τῶν φίλων ἄχη.* Audio renovari τὴν στωϊκὴν ἀνάγκην, et alias quasdam gregis istius delicias. Etsi Ecclesiae vulnera maiora fieri doleo, tamen, si respondendum esse indicabo, dicam Deo iuvante, quae et vera sunt et Ecclesiae utilia. Bene vale et rescribe. Die 2. Iulii 1558.

Philippus.

*) Videl. ad nuptias Annae, Sabini filiae. Vid. ep. d. d. 13. Iun.

No. 6554. 2. Iul.

Antonio.

† Ex autographo in cod. Goth. 379. fol. 33.

Venerando viro Domino Antonio, Pastori Ecclesiae Dei in Trebitz, amico suo,

S. D. Venerande domine Pastor. Scriptum est: esto pater orphano, tunc Deus magis te diliget, quam diligit te mater tua. Quid potest promitti maius amore Dei tanto erga nos, qui vincet maternam στοργὴν, quae est ardentissima? Hac tanta promissione invitati libenter benefaciamus orphanis piis et modestis. Talis est hic orphanus *Christophorus Ernestus*, natus in monte Annae **). Doctrinam Evangelii recte didicit, et mores sunt pii. Cum autem profuturum sit ei exercitium, oro, ut eum ad docendum admittatis, et ea in re pietatem erga orphanum declaretis, cum quidem et auditoribus sperem eius conciones profuturas esse. Bene vale. Die Synodi Mariae et Elisabeth. 1558.

Philippus Melanthon.

No. 6555. 4. Iul.

Hardenbergius ad Eberum.

Ex autographo Hardenbergii in cod. Goth. 123. in fol. ep. 163. edita a Cypriano in libello: Clarorum virorum epistolae CXVII e biblioth. Goth. autographis. (Lips. 1714. 4.) p. 21. — Contulimus autographon.

Doctissimo ac eidem pientissimo viro, Magistro Paulo Ebero, Professori et Concionatori in Ecclesia et Schola Wittenbergensi, Domino suo.

Domine frater salve in Christo Iesu et perge meae, hoc est Iesu Christi causae favere, et sume animos. Deus auxiliator noster est. Et collapsa est hic meorum hostium auctoritas, si vos dignabimini

**) In oppido Annaberg in Misnia.

non approbare cuiusdam *Elardi Segelbadii*[1]) propositiones prorsus ineptas et dissolutas de *ubiquitate.* Nam in illis hic iam res et spes pendent[2]), ut videas, quod, quale et quantum iudicii[3]) hic sit illis, qui has tragoedias movent. Puto, vos vidisse librum, quem diabolicus blatero et infundus ardelio Magdeburgus nuper Hamburgae[4]) effudit, ubi vos vocat Quadiaphoristas, quod non potest non contristare pia pectora. Sed nihil proficiet inimicus, modo vos opponatis vos muros pro domo Israel. Scripsi quaedam ad *Praeceptorem*, tum et ad M. *Sebastianum*[5]), de quibus rogo, ut cum illis conferas. Opto te cum tuis omnibus bene valere. Si quid a me fieri velis, id significabis. Deus vos gubernet. Raptim 4. Iulii.

Alb. Hardenbergus[6]).

Magistro *Peucero* perscribam responsum per duos adolescentes, qui hinc ad vos venient. Quaeso uti[7]) illum meis verbis salutes in domino. Oro et obtestor te per Christum Dominum[8]), perge recte sentire de communi causa, et commenda mea pericula Christo, cui ministramus. Et[9]) etiam operare[10]), ne inepti isti triumphos de Christo, de Ecclesia, de pietate et de vera doctrina et de nobis, qui Christo cupimus servire, agant. Nostri quidam pauci te salutant et gemunt[11]). Interim in te et paucis aliis spem reponunt in Christo.

---

1) Cypr. mendose: *Ebardi Segelbaldii.* — De scripto Eilhardi Segehadii, pastoris ad aed. S. Annae Bremae, quod a. 1558. prodiit, et de tota controversia vid. *Saligii* Historie der Augsb. Confeß T. III. p. 738. et *Planckii* Geschichte des prot. Lehrbegr. Vol. V. P. II. p. 165 sq.

2) *res et spes pendent*] Haec verba Cyprianus legere non potuit, et per lineolas indicavit lacunam, quae vero non est.

3) Cypr. *iudicium.*

4) Cypr. *Hamburgi.*

5) i. e. ad Melanthonem et Seb. Froeschelium.

6) Nomen subscriptum Cyprianus non dedit.

7) *uti*] Cypr. *etiam.*

8) Cypr. *Domine.*

9) *Et*, quod satis perspicue pictum est, Cyprian. mutavit in *Da.*

10) *operare*] Cypr. *operam.*

11) *et gemunt*] Cypr. legere non potuit et indicavit lacunam.

No. 6556. 7. Iul.

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camer. p. 739. (ed. Lond. lib. IV. ep. 886.).

Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo cariss.

S. D. Hodie mecum in prandio fuerunt gener tuus, et vetus amicus *Dascius*, qui cum affine *Pontano* huc venit. Nesciebat τὸν στάφυλον hostem esse nostrarum Ecclesiarum. Adeo sunt Periclei, ut externos hostes ignorent, tantum domi quaerunt, quos perdant. Id ei dixi. Post tuum iter lapsus duriter quassavi os sacrum, et quanquam adhibui Chironis coniugem*), tamen medicatio nondum fuit efficax. Sed hoc mihi accidit molestius, post tuum iter allocutus sum *Aonium* de hospitibus in Salinis, qui arcentur a Synaxi, cumque putarem me sapienter loqui de distinctione poenae politicae, et Ecclesiae, ille sane ὑβριστικῶς respondit, καὶ ἐδόκουν ξυρεῖν λέοντα. στέργειν αἰπάθαι ἡμᾶς διδάσκουσι, καὶ ἡ ἡμετέρα ἀγάπη πρὸς ἐκκλησίαν, quam plus turbari nollemus. Bene vale, subito scripsi. *Cnemiandro* commendata est Ecclesia *Lubena.* Pridie Nonas Iulii.

Philippus.

No. 6557. 13. Iul.

P. Vincentio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54^{3}.

*Petro Vincentio, Decano***).

S. D. Clarissime domine Decane. Hic *Caspar Godemann*, Witstockiensis, fuit hic triennium; antea in Academia Rostochiensi audivit *Burenium.* Ait, se nunc primum a suis literas de gradu accepisse; ideo tardius venire ad dandum nomen. Petit tamen adiungi caeteris; et censeo adiungendum esse. Die *Μαργαρίθος.*

Philippus.

---

*) Schraniam. C. W.

**) Videl. ordinis Philosophorum in Academia Witebergensi. Functus est hoc munere Vincentius in sem. aest. anni 1558. Vid. Script. publ. T. III. p. 186.

No. 6558. 20. Iul.

A. Hardenbergio.

Epp. ad Hardenberg. ep. 20.

D. Alberto Hardebergio.

S. D. Reverende vir, et carissime frater. Senis huius tabellarii opera mihi pergrata est. Libenter enim tecum quotiescunque possum, quasi colloquor, Et fortassis aliquanto post coram colloquemur, vel in tua vicinia, vel in mea patria. Iam enim expectatur editio censurae Turingicae*) seu potius *βλακικῆς*, de multis doctrinae partibus, *περὶ ἀνάγκης Στωϊκῆς, περὶ ἀρτολατρείας, περὶ ἀντινόμων*, ubi necesse erit me respondere: quod faciam Deo iuvante plane, sed communicatis sententiis cum piis et doctis. Publicae tranquillitatis causa haec certamina hactenus defugi, quantum potui. Sed postquam irritare me inimici non desinunt, et errores cumulant, necesse est, me testimonia mei iudicii relinquere, quod volo congruere cum vera Ecclesia, id est, cum piis et doctis omnibus. Bene vale. Die 20. Iulii.

Phil.

No. 6559. 23. Iul.

Cph. Libio.

÷ Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54³.

Christophoro Libio, Pastori Ecclesiae Brandenburgensis.

S. D. Reverende vir et cariss. frater. Gaudeo tibi itineris in hoc aestu molestiam leniisse dulcissimos congressus cum viris piis, doctis, candidis et amantibus publicae concordiae. Ac prodest, tales saepe convenire, quia contraria factio, etiamsi nihil molimur, fit languidior. Expector et te et *Petrum Praetorium*, et cum Etesiae iam nobis sind secundi, his flantibus quam primum vos advenire velim. Sed ad filiae secundae**) nuptias Deo iuvante te adfuturum esse spero. Psalmos vere quam primum edi velim, ac optarim prius edi, quam ad vos accedet vester *ἁρμοστής*, quem tamen non ita metuas, ut existimationi vestrae aliquam nubeculam offundi sinas. Oro autem filium Dei, ut nos gubernet. Bene vale et rescribe. Die Iulii 23. 1558.

Philippus.

*) Conventus Vinariae hoc tempore habitus.

**) Catharinae, filiae Sabini, quae nupsit Michaëli Meienburgo.

No. 6560. 25. Iul.

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camer. p. 741. (ed. Lond. lib. IV. ep. 888.).

Clariss. viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo carissimo,

S. D. Etsi in inspectione, de qua scribis, usus mei nullus est, et vere sum *οὔτε τρίτος, οὔτε τέταρτος*, tamen ad vos accederem, quia probo consilium inspectionis, et consuetudinem conservari velim, et vestro conspectu et vestris colloquiis delector. Sed retinent me multae causae, quas non commemoro, ne videatur esse *σχήματα λόγου*: una est, quam iudicabitis iustam, et non ironicam esse. Filiae *Sabini* nescio utrum funus an nuptias paremus, propter hanc domi retineor, et spero vos pro vestra sapientia, mihi veniam daturos. Te quidem boni consulere meam absentiam non dubito, ac oro, ut meam excusationem aulae et collegis exponas. Aestus afflixit multos apud nos, sed Dei beneficio gener tuus convalescit.

De munere Doctoris *Aegidii* scito me valde delectatum esse eius candore, *καὶ βαιοῖσιν ὀπηδεῖ χάρις*. Et Deum creatorem venarum metallicarum orabimus, ut eas foecundet. Bene vale, VIII. Cal. Augusti. Significa an hanc epistolam acceperis.

Philippus.

No. 6561. 1. Aug.

Hier. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 236 sq. Hic ex autographo in cod. Mon. I. p. 234, cui Baumgartnerus adscripsit: „1558., 15. Augusti per Michaelem Rotingum."

Hieronymo Bomgartnero, Senatori incl. urbis Norib.

S. D. Clariss. vir et Patrone cariss. Amo veterem versum, qui et tui animi effigies est:

ἅπαν τὸ χρηστὸν τὴν ἴσην ἔχει φύσιν. Dilexi *Rottingum* annos quadraginta: nec benevolentia erga ipsum mea extinguitur, etiam sicubi fortassis a me dissentit, quanquam nondum scio, quid in nostris sententiis desideret. Filium vero et propter paternam amicitiam, et propter proprias virtutes complexus sum, et ut meum filium diligo. Scio eum Ecclesiae vestrae consensum et amplecti et tueri et maxime optare ut aeterna sit Ecclesiarum nostrarum coniunctio. Quare te oro ut eum et complectaris et ornare studeas. Ea est ipsius moderatio, ut de dogmatibus cum Patre nihil disputaturus sit, qua de re congruent tuae admonitiones cum meis. Tueamur coniunctionem nostram propter gloriam Filii Dei, et Ecclesiae salutem, nec frangamur animis propter Sycophantias, quas Deus etiam aliquando refutabit. Bene et foeliciter vale. Filius Dei totam Ecclesiam vestram publicam et tuam domesticam servet. Cal. Augusti *).

Philippus Melanthon.

No. 6562. 1. Aug.

Peucerus ad Baumgartner.

Edita ex autographo Peuceri in Strobelii Miscell. IV. p. 78.

Epistola Casparis Peuceri inscripta Hieronymo Baumgartnero, Senatori inclytae Reipubl. Noricae praecipuo.

S. D. Clarissime vir, patrone reverenter colende. Cunctante *Andreola* [1]), et nescio quas nectente moras, has dedi interea literas M. *Rotingo*, ut, cum nulla alia re possim, hoc qualicunque officio literarum meum tibi studium declarem, praesertim iis scribendis, quae ad socerum pertinent.

Οἱ Μεθωναῖοι fabricam diu pressi operis historici ordini dicuntur a causa Lutherana, argumento et contextu tali, ut et quando dissenserint *Lutherus* et noster, et ubi sententiis discrepent, commemorent, et *ἀντιλογίας* omnes hinc inde conquirant ac decerpant sollicite, collatis veteribus omnibus et recentibus scriptis. Considera, obsecro, coecitatem et odiorum violentiam ac virulentiam, ut vel evertant vel labefactent eum, quem semel odisse coeperunt absque ullo ipsius merito, quibus nulla alia excogitari possent accommodatiora et efficaciora toti causae nostrae deformandae et opprimendae. Dissidia esse inter nostros iam dudum clamitant adversarii, hisque vel solis maxime nos urgent. Quae sint illae dissensiones explicant isti prolatis etiam et publicatis, quantum intelligo, arcanis quibusdam inde usque ab initio motorum certaminum, ne quid deficiat hostes, quo nos conficiant et iugulent.

Sed haec quo tendunt? quove evasura sunt tandem? Senex noster quanquam vix spiritum ducit [2]), tamen si fuerit ei illata necessitas sese defendendi, dicet, quae piis et moderatis probabuntur, utcunque plebs furiosa tumultuetur, quae quid est aliud quam concio ovium, ut est apud Aristophanem, cui *δημηγορεῖ φαλαίνα πανδοκεύτρια ἔχουσα φωνὴν ἐμπεπρισμένης ὑός* [3]). Sed per *Andreolam* Deo volente plura. *Oliverium* [4]) et placere vobis et suo recte fungi munere laetor et Deo gratias ago. Cal. Aug.

No. 6563. 5. Aug.

Ge. Buchholzero.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54 [3].

Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Georgio Büchholtzero, Pastori Ecclesiae Dei in inclyta urbe Arctoa, fratri suo cariss.

S. D. Reverende vir et cariss. frater. Dei beneficio hic mediocris tranquillitas est, nec vagantur morbi saevi, qui multos interficiant. Librum Wimariensem ex nostra aula expecto, quem cum audiam vetera sophismata Flacica repetere, non valde eum desidero. Heri *Stenckfeldianum* librum contra me scriptum accepi, in quo repetuntur contumeliae ministerii Evangelici, et depra-

---

*) Alia manus adscripsit: 1558.

1) Sine dubio filius Andreae, nuncii, qui multos annos, ut ex epistolis Mel. intelligitur, tabellarius fuit inter Vitebergam et Norinbergam.

2) Vid. ep. ad Nessenum d. 16. Iun.

3) Sunt verba Aristophan. in Vesp. 35. ed. Brunck. haec:
κἤπειτα τούτοις τοῖς προβάτοισί μοι 'δόκει
δημηγορεῖν φάλαινα πανδοκεύτρια,
ἔχουσα etc.

4) Oliverium Bock.

vatur dictum Pauli: unus est mediator Christus. Inde argumentatur ille praestigiator, verbum externum non esse medium, quo Deus est efficax. Talis sophistica principum severitate compescenda erat. De *Vatabli* editionibus mihi placet ut filio gratificemini, quia verum est, Vatablum fuisse virum doctum in lingua Ebrea, et grammaticas admonitiones utiles tradidisse. Sed utilius est filio, conferre interpretationes germanicam Lutheri et usitatam latinam, ad fontes. Et vellem, eum non distrahere intentionem in plures versiones.

In Belgico pugnatum est mense Iulio, et in Gallico exercitu aliquot millia trucidata sunt, et multi nobiles viri capti *). Sed existimo, vos habere integram narrationem. Utinam nos, intuentes illam tristem tragoediam Galliae et Belgici, essemus modestiores, et peteremus a Deo pacem his regionibus et Ecclesiis. Bene valete. Die 5. Augusti. D. *Sabino* epistolam, quam ei inscripsi, ut mittas, oro. 1558.

Philippus Melanthon.

No. 6564. 7. Aug.

Ge. Buchholzero.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Georgio Buchholtzero, Praeposito Berlinensi.

S. D. Reverende vir et carissime frater. Etsi praeter ea, quae in proximis literis ad te missis scripsi nihil habebam: tamen cum *Ferinarius*, vir doctus et tui amans istuc proficisceretur, dedi ei hanc epistolam, ut aditum ad te haberet. Historiam cladis Gallicae scripsit Comes de Schwartzburg ad Principem Anhaltinum *Wolfgangum*. Certum est etiam in Belgico decollatos esse quosdam Hispanos, qui struxerunt proditiones. Precemur Deum, ut vestris regionibus tribuat salutarem pacem. *Ferinarius* vidit Stenckfeldianum scriptum, quod mihi recens missum est, et narrare poterit, quales furores contineat. Defendit hoc argumentum: unus est mediator Dei et hominum dominus; ergo verbum externum non est medium, quo se Deus communicat. Manifestum est, Paulum loqui de mediatore propitiationis, non de instrumento cognitionis. Si plura exempla haberem, mitterem unum. Bene vale et rescribe. Die 7. Augusti 1558.

Ph.

*) Vid. ep. d. 7. Aug. h. a.

No. 6565. 7. Aug.

Petitio eleemosynae.

† Ex apogr. cod. Dresd. Zeltneri p. 85 sq., mihi descripta a Cl. *Gersdorfio*.

Petitio elemosynae.

Cum Theseus mortuorum ducum cadavera lavat, iubet eum quispiam id officium alteri mandare, sed respondet ipse: οὐκ αἰσχρὸν ἀνθρώποισιν ἀλλήλων κακά· ita non ducamus turpe esse miseris senibus opitulari. Multi hic elemosynam petunt, sed non oneramus scholasticos, verum plerumque ex fisco et de nostro peregrinis largimur. Tanta est autem miseria huius senis *Ioh. Pöl* nati in oppido *Barreit*, ut aliis quoque commendandum esse censuerimus. Exul est, pulsus ex finibus Boemiae, in extrema senecta surdus, et aliis morbis aegrotans. Possunt eadem nobis accidere. Cogitantes igitur de communi infirmitate, magis afficiamur calamitatibus aliorum. Quare oro ut aliquid ad viaticum huic misero seni conferatis. Meministis amplissimam et uberrimam promissionem, in qua dicit filius dei recipi in aeterna tabernacula, i. e. in societatem bonorum Ecclesiae etiam in hac vita pios, qui benefici sint erga miseros et protegi et iuvari in Ecclesia. Datae Witteb. die 7. Augusti Anno dom. 1558.

Philippus Melanth.

No. 6566. 10. Aug.

Hier. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 237. — Hic ex autographo in cod. Monac. I. p. 235., cui Baumgartnerus adscripsit: „1558. 23. Augusti per Andreolum."

Hieronymo Bomgartnero, Senatori inclytae urbis Noribergae.

S. D. Clariss. vir et Patrone cariss. Cum nuper decerneretur gradus Magisterii aliquot Scho-

lasticis, recitata est oratio de vita Pastoris nostri Doctoris *Pomerani*, quam cum scriberem, saepe te intuebar, cogitans illam auream aetatem huius seculi, in qua tibi dulcissima familiaritas erat cum ipso D. *Pomerano*, *Suavenio*, et aliis honestis et doctis viris qui tunc aderant. Exempla Orationis mittam cum Typographi ediderint. Nunc tantum hanc mitto pagellam, in qua spero tibi *) consolationem communem quam ibi scripsi non ingratam fore.

Tragoedias Belgicas scio vobis notas esse: ideo de eis nihil scribo. De Theologicis hoc scio, *τὸν μεθωναῖον ἡγεμόνα* misisse suam censuram ad aulas, quam audio non dissimilem esse illi sophistico Scripto, quod *Flacius* antea sparsit. Non nunc primum hoc Thucydideum amant, *μὴ ἐθέλειν ξυνέπεσθαι μετὰ δεδοκιμασμένου*, sed spero tamen Deum mentes multorum piorum copulaturum esse, ut aliquod sit agmen honestum consentiens. Bene vale. Die Laurentii **).

Philippus.

No. 6567. 12. Aug.

D. Chytraeo.

(Ex David. Chytraei epistolis p. 1217.)

Dav. Chytraeo.

S. D. Clarissime vir et carissime frater. Mitto tibi pagellam disputationis *Felsii*, qui hospes est in Academia meae patriae. Sed *Mercurius* alias propositiones in sua epistola recitat, quam ad me scripsit. Volui haec a te legi, ut deplores nobiscum Ecclesiae calamitatem. Prorsus hoc fit, quod est in versu Timonis opinor. *φοιτᾷ δὴ βροτολοιγὸς ἔρις, κενεὸν λελακυῖα.* Recens ediderunt *Staphylus* et *Stenkfeldiani* nominatim contra me talia scripta, quae videri possint a furiis ipsis dictata esse. Propter hos communes hostes oportebat nos coniunctionem etiam *ἐπιεικείᾳ* quadam tueri. Bene vale et rescribe. die 12. Augusti.

Philippus Melanthon.

*) Mel. scripsit *te* pro *tibi*.

**) Alia manus adscripsit: 1558.

No. 6568. 12. Aug.

Scriptum.

Editum a Pezelio in Mel. Consil. lat. P. II. p. 317., ubi inscribitur: „*Pagina inclusa in fastigium turris in arce Wittenb. ann.* 1558." — Contuli apographon in cod. Goth. 213., ubi inscriptio est: „*Scriptum Phil. Melanthonis impositum fastigiis turrium in templo* 1558."

(*Scriptum.*)

Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Primum igitur Deum omnipotentem, aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, qui cum filio suo coaeterno, Domino nostro Iesu Christo, et Spiritu suo sancto, creavit coelum et terram et homines, et colligit in genere humano aeternam Ecclesiam, et propter Ecclesiam servat hospitia *), precamur, ut harum regionum Principes et populum clementer gubernet et protegat, et custodiat oppida, et loca omnia harum regionum.

Cum autem harum turrium nova fastigia fierent Anno 1558. munificentia Inclyti Ducis Saxoniae Electoris Augusti, hae narrationes de mutationibus, quae inciderunt, in capita tectorum inclusa sunt.

Ac ut posteritas sciat, quomodo nostro tempore situs observatus sit, hoc primum asscripsimus, artifices iudicasse, oppidum Wittebergam situm in ripa Albis supra Meideburgam, habere longitudinem graduum 30 et 30 minutorum: latitudinem vero graduum 51, minutorum vero 54.

An vero Witteberga a Widekindo condita sit, non scimus. Nec historias habemus de oppido vetustiores Friderico primo, qui Henrico Superbo Duci Saxoniae eripuit dignitatem Electoratus, et partem ditionis, et dedit Bernhardo Principi Anhaldino Ducis Saxoniae Electoris dignitatem, et Wittebergam cum vicinis aliquot oppidis, sitis inter Mysorum regionem, et Marchionis Electoris ditionem. Ademit et aliam partem, non procul ab Hamburga sitam **). Haec acciderunt circiter annum a nato Christo ex virgine 1180. Post id tempus Witteberga fuit praecipuus locus aulae Ducum Saxoniae Electorum. Et multi Principes Electores orti a Bernhardo Anhaldino, et eorum coniuges, filii, et filiae, Wittebergae sepulti sunt,

*) i. e. *civitates ecclesiae hospitia.*

**) Cod. Goth. 213. addit: *et ademptam dignitatem Electoris et ditionem attribuit Bernhardo, principi Anhaltino.*

quorum nomina in ipsis monumentis legimus, et recitantur in historia Principum Anhaldinorum, quorum praecipua et hic recitabimus, ut qui legent tot bonis Principibus gratum fuisse hoc domicilium, magis ament hoc oppidum [1]).

In templo Franciscanorum Wittebergae hi Principes et eorum coniuges sepulti sunt: Domina *Helena* Ducis Saxoniae Electoris Alberti coniunx, filia Ducis Brunsvicensis Othonis fundatrix coenobii, obiit anno 1273. [2]), sepulta in medio choro. Dux *Albertus* maritus eius fuit Ductor exercitus apud Fridericum secundum Imperatorem, cum in Aegypto Damiata recepta est, anno 1219. Est autem nunc Damiata, quae olim nominabatur [3]) Pelusium.

Dux *Albertus II.* filius Alberti primi, obiit anno 1297., sepultus in templo Franciscanorum Wittebergae. Coniunx eius Domina *Hagne*, filia Rodolphi Imperatoris, obiit anno 1312., sepulta in medio choro. Huic Duci Alberto socer Rodolphus Imperator addidit Palatinatum Saxoniae, et Comitatum Breen. Ad oppidum Aken † in ripa Albis a Magdeburgensibus victus est."

Rodolphus primus Alberti II. filius, natus ex matre Hagne, vicit Meideburgenses † ad oppidum Borkau". Huius coniunx Iutta fuit filia Marchionis Othonis longi, mater horum filiorum Alberti, Othonis, Iohannis, et Rodolphi, obiit anno 1327., sepulta in choro, ad parietem meridianum.

Rodolphus secundus Dux Saxoniae Elector elegit Carolum IV. Imperatorem contra Ludovicum Bavarum, profectus in Galliam ad Philippum Regem Franciae, duxit exercitum contra Eduardum Regem Angliae, quo tempore magno praelio victi sunt Galli ab Anglis, et cecidit in praelio Rex Bohemiae Iohannes, qui auxilia ad Regem Gallicum adduxerat. Et Angli Calesio potiti sunt. Donatus est autem Rodolphus a Rege Gallico spina, quae ex Christi corona esse dicebatur, quam spinam cum in patriam attulisset, fundavit Wittebergae collegium Canonicorum. Mortuus est anno 1385. [4]) Coniunx eius Domina *Anna* filia Lantgravii Thuringiae Baldasari, mortua est anno 1395. Sepulti sunt in templo Franciscanorum Wittebergae.

Wenceslaus Dux Saxoniae Elector occupavit Luneburgensem Ducatum, sed in obsidione Cellae accepit lethale vulnus, ex quo mortuus est anno 1402. [5]) Uxor *Caecilia* filia Francisci Principis Paduam, qui tunc imperialis Vicarius fuit, obiit anno 1429. Lapis sepulcralis cum inscriptione erat marmor porphyreticum in templo Franciscanorum.

Rodolphus III. Saxoniae Dux et Elector Wenceslai filius, depulit Episcopum Meideburgensem a Peltzick et Rabenstein, obiit anno 1419. Uxor Barbara Ducissa Lignicensis et Brigensis, obiit anno 1435. Horum filios Rodolphum et Wenceslaum, viventibus parentibus, oppressit in arce Sveinitz collapsa turris. Pater deinde a Sigismundo Imp. missus in Bohemiam, ut autoritate imperii mandaret Bohemis, ut quiescerent, in itinere mortuus est.

Successit *Albertus* Elector in ea familia postremus Rodolphi III. frater. Coniugem habuit filiam Ducis Aureliani. Incendio in arce Locha orto perterrefactus aliquanto post mortuus est anno 1422. Decessit sine masculis haeredibus, sepultus apud fratrem in templo Franciscanorum.

Hanc commemorationem hic inseruimus [6]), ut qui legent, sciant fuisse egregiam virtutem etiam illo tempore Principum Electorum Ducum Saxoniae, quanquam potentia non semper par fuit.

Anno 1423. translata est dignitas Electoralis in familiam Marchionum Misnensium: Quia magnos exercitus ad reprimendos Bohemos miserant, et Fridericus Marchio tum regionem Mysorum et Thuringiam tenebat.

Huic igitur Imperator Sigismundus tradidit dignitatem Electoris Saxonici, et eam regionem, quae nunc est Electoris Saxonici propria, in qua est Witteberga.

Ornavit urbem Wittebergam Dux Saxoniae Elector Fridericus III. qui vixit regnante Imperatore Maximiliano. Condidit arcem, et templum arci vicinum, et ripas Albis ligneo ponte iunxit. Postea anno 1502. Academiam Wittebergae constituit, accersitis huc Lectoribus ex Academia Lipsica, et ex Academia Tubingensi. In hac Academia anno 1517. Reverendus vir Martinus Lutherus natus in Isleben, Theologiae D. edidit

1) *ut qui legent* etc.] praetermissa sunt in cod. Goth.
2) Cod. Goth.: 1272.
3) Cod. Goth. *dicebatur*.
4) Cod. Goth.: 1386.
5) Cod. Goth.: 1409.
6) Cod. Goth. *instituimus*.

propositiones pie et erudite scriptas de vera poenitentia et fide, qua homo in conversione accipit remissionem peccatorum, et fit iustus. Et refutavit multos errores Pontificum Romanorum, et Monachorum de imposturis indulgentiarum, et aliis falsis opinionibus. Inde orta est correctio multarum superstitionum, et restitutio purae doctrinae Evangelii, de qua extat confessio Ecclesiarum Saxonicarum exhibita Imperatore Carolo V. in Comitiis Augustanis, anno 1530. Quam confessionem scripsit Philippus Melanthon, natus in oppido Palatinorum Rheni Bretta, qui etiam alia scripta edidit, ex quibus cognosci potest integrum doctrinae genus in hac urbe receptum, verum esse, et Ecclesiae necessarium. Speramus enim [7]) Deo iuvante libros ad posteritatem perventuros esse.

Etsi autem Romani Pontifices et Episcopi cum iis [8]) sentientes, et Imperator Carolus V. et multi Principes veritati adversabantur: tamen magna pars Germaniae, et in aliis gentibus multi viri docti, et timentes Deum amplexi sunt doctrinam confessionis Ecclesiarum Saxonicarum. Nec vero dubium est, Romanos Pontifices Carolo Imp. semper hortatores fuisse ad bellum movendum contra eos, qui puram Evangelii doctrinam amplexi erant. Tandem igitur anno 1546. cum eodem anno mense Februario D. Martinus Lutherus mortuus esset, edidit proscriptionem Carolus Imperator contra Ducem Saxoniae Iohannem Fridericum, et Lantgravium Hassiae Philippum. Quae belli occasiones proxime antecesserunt, et quae caussae ostensae sint, legi potest [9]) in integris historiis. Nam Imperator Carolus, ne omnium Principum animos a se alienaret [10]), affirmavit, se tunc non mutaturum esse Ecclesias.

Cum autem Dux Saxoniae Ioannes Fridericus Elector, et Lantgravius Hassiae, et socii duxissent magnum exercitum in Bavariam, ut Imperatori Carolo, ibi colligenti exercitum, occurrerent, levia aliquot praelia ibi facta sunt, ac tota hyems consumta est sine magno praelio, quia Imperator Carolus cum exercitu tanto et cupido dimicationis non esse pugnandum iudicabat. Rediit igitur Dux Saxoniae Iohannes Fridericus Elector in regionem Mysorum.

7) *etiam*] cod. Goth.
8) Pez. *eo.*
9) Cod. Goth. *poterit.*
10) Cod. Goth. *abalienaret.*

Et quia [11]) bellum inter agnatos Principes, Ducem Iohannem Fridericum, et Ducem Mauritium motum erat, Carolus Imperator in vere anni 1547. ab oppido Egra duxit magnum exercitum ad ripam Albis prope Mulberg, quod supra Torgam situm est. Ibi die 24. Aprilis captus est in praelio Dux Saxoniae Iohannes Fridericus, et ad Carolum Imperatorem mox adductus, qui captivum apud se retinuit, et statim cum exercitu ad oppidum Wittebergam accessit.

Cumque Imperator Carolus, et Rex Ferdinandus, et alii Principes divertissent in pagum Academiae Pistricium, Imperator inde usque ad Albim castra locat, et petit, ut fiat Wittebergae deditio. Erant in oppido Ducis Iohannis Friderici coniunx, et tres filii: Pater extra urbem in castris Imperatoris captivus erat. Itaque et pater et filii in maiore periculo futuri erant, si oppidum vi expugnatum esset. Oppidum igitur Witteberga consilio nobilium, quibus commendata erat coniunx Ducis Iohannis Friderici cum filiis deditum est Imperatori, et praesidium Imperatoris intra moenia receptum est die 23. Maii. Postea Imperator dignitatem Electoris Saxonici transtulit in Ducem Saxoniae Mauritium, et ei Wittebergam, et hanc vicinam ditionem, quae est Electoris propria, tradidit, et certis conditionibus pacem dedit filiis Ducis Iohannis Friderici.

Hoc modo facta est mutatio dominii in hac ditione, anno 1547. Moderate autem egit Imperator, quod dignitatem Electoris et hanc ditionem non transtulit a familia Ducum Saxoniae. Et Dux Saxoniae Elector *Mauritius* clementer gubernavit, et defendit hanc ditionem, cum postea nova bella mota essent ab Alberto *Marchione* Brandeburgense, qui minabatur his regionibus ad Albim vastationem.

Mortuo autem Duce Saxoniae Electore Mauritio, anno 1553. successit frater Dux Saxoniae Elector *Augustus*, qui facta transactione cum Duce Saxoniae *Iohanne Friderico* pacem in his regionibus constituit. Postea et haereditarium foedus Ducum Saxoniae, Marchionum Brandeburgensium, et Lantgraviorum Hassiae renovatum est. Quo in foedere et hoc comprehensum est, ut consensum tueantur [12]) de confessione pu-

11) Cod. Goth. *Mysorum, quia.*
12) Cod. Goth. tantum haec: *renovatum est, ut tuerentur consensum.*

rae doctrinae, exhibita Imperatori Carolo V. in conventu Augustano.

Hactenus igitur Dei beneficio tranquillam gubernationem Dux Saxoniae Elector Augustus tenet, qui in vita privata iustus, castus [13]) et modestus est, et Deum vera invocatione in agnitione et fiducia Domini nostri Iesu Christi colit: et publice Ecclesias [14]), disciplinam, et iurisdictionem honeste tuetur. Ostendit etiam studium publicae pacis et concordiae in Germania, cum in aliis negotiis, tum in Electorum coniunctione tuenda, qui hoc anno 1558. Francofordiae omnes convenerunt, ut cum Imperator Carolus ultro Imperatoriam dignitatem deposuisset, electionem Imperatoris Ferdinandi confirmarent, nec sinerent Germaniam diversis electionibus distrahi.

Oramus igitur Deum aeternum, patrem Domini nostri Iesu Christi, creatorem generis humani, custodem Ecclesiae suae, et honestarum politiarum, ut huic Duci Saxoniae Electori Augusto tribuat longa vitae spacia, salutarem gubernationem, et felicem posteritatem. Huius Ducis Saxoniae Electoris Augusti mandato et sumtu haec fastigia turrium rursus facta sunt. Anno 1558. cum ante obsidionem amota essent, ut collocari machinae in turres possent, qua tamen demolitione non opus fuisset. Quia Imperator Carolus adeo quietus fuit, ut ex machinis eius nullus globus in oppidum emissus sit: Ita Deus clementer hoc oppidum protexit. †Hanc narrationem, compositam a Phil. Melanthone, scripsit ipsius [et] D. Lutheri discipulus *Paulus Eberus*, natus in Franciae oppido Kitinga, Pastor Ecclesiae Wittebergensis, electus in locum Rev. viri, D. *Ioh. Bugenhagii* Pomer., qui, cum huic Ecclesiae praefuisset magna cum, laude pietatis fidei et diligentiae annos 36, placida morte obiit die 20. Aprilis, anno aetatis 73., anno Christi 1558., quo et haec scripta sunt mensis August. die 12." [15]).

---

13) *castus*] abest a textu Pez.

14) Cod. Goth. *Ecclesiae.*

15) Habetur hoc additum in cod. Goth

No. 6569. 13. Aug.

G. Fabricio.

Epist. lib. V. p. 417.

Georgio Fabricio, gubernanti Scholam Misnensem.

Doctissime vir, et charissime frater. Hanc epistolam dedi *Huperto*, Burgundo [1]). Qui mores hominum multorum vidit, et urbes, vixit nobiscum fere biennium, et comperimus, esse virum prudentem et integrum. Ac, tui amore accensus, in hoc itinere te alloqui cupit. Excipies igitur amanter, ut vere laudatam esse hospitalitatem tuae gentis in Argonautico poëmate sciat. De Republ. quid scribam? Scis, me semper metuisse illam oram littoris Baltici, quae toto hoc sexennio quotannis Titanum exercitus genuit. Et adhuc metuo, vastationes similes illis veteribus Gotthicis aut Hunnicis [2]). Sed oremus Filium Dei, ut fatales poenas leniat. Bene vale. 13. August.

No. 6570. 13. Aug.

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camer. p. 742. (ed. Lond. lib. IV. ep. 889.).

Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioach. Camerario fratri suo carissimo,

S. D. Dei beneficio *Esromus* recte valet, et nobiscum ad vos accessurus erat, sed cum litteras de morte *Menii* amici utriusque nostrum veteris et carissimi accepissem, dolore retentus sum. Memini nostram militiam annorum triginta, non ignotam tibi, in qua multa magna negocia, et Ecclesiae utilia communi consilio egimus. Postea quae confusiones Reipub. inciderint, scimus. Harum rerum omnium cogitatio mihi ingentes dolores affert. Sed oro filium Dei, ut et Ecclesiam, et in ea pias familias, et tuam servet, et honestissimae coniugi tuae vires animae et corporis confirmet. De *Troiae* Francicae negocio vobiscum deliberabo. Bene vale, die XIII. Augusti.

Philippus.

---

1) Huberto Langueto.

2) Loquitur de bello in Livonia Vid. ep. ad Baumgartner. d. 5. Sept. 1558.

No. 6571. 13. Aug.

Euseb. Menio.

Edita in libello rarissimo: Gesammelter Briefwechsel über die Frage: ob vor der Ausgabe der locor. theologicor. Philippi Mel. vom Jahre 1521. eine andere, von ihm vielleicht unterdrückte vorhergegangen sey? (Hamb. 1752. 8.) p. 137.

Eusebio Menio, filio.

S. D. Carissime fili, hodie ad vos accessuri eramus ego, *Caspar* et *Esromus*, et auriga conductus erat: sed acceptis tuis literis[1]) ante meridiem, dolore retentus sum, quem mihi .... recordatio historiae triginta annorum adfert. Amicitia mihi cum patre tuo non est orta a iuvenilibus voluptatibus, sed ex societate maximorum negotiorum, et quae Ecclesiae utilissima fuerunt. Sustinuit pater amplius annos triginta in Thuringia omnia officia Episcopi, recte docuit suas Ecclesias, iudicavit controversias dogmatum, refutavit adversarios optimis scriptis, rexit inspectiones Ecclesiarum, de multis maximis negotiis contulit mecum suas cogitationes. Ex his tantis causis orta et confirmata amicitia duravit, et durabit in aeternum. Non possum igitur non dolere tali orbatus amico. Deinde familiae causa doleo. Sed oro filium Dei, custodem Ecclesiae, ut nos omnes servet et gubernet, et orphanorum nostrorum pater sit. Hac consolatione lenies tuos dolores, quod Deus vult orphanis opitulari. Paterna officia tibi et filiae meae, tuae coniugi[2]), praestabo, donec Deus concedet. Plura scribere non potui properante tabellario. Bene vale et repugna dolori. Wittenbergae 13. Aug. a. 58.

Philipp. Melanth.

No. 6572. 13. Aug.

Iac. Bordingo.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54³.

Iacobo Bordingo, Ἀρχιάτρῳ inclyti Regis Daniae, patrono suo carissimo.

S. D. Clarissime vir et carissime frater.

Ipse ego quicquid ero cineres interque favillas,
Tunc ego non potero non memor esse tui,

1) Mortem Menii patris nuntiantibus.
2) Annae, filiae Sabini.

et quidem amore virtutis tuae. Nec aliam ob causam ad te scribo, nisi ut amoris erga te mei significationem ostendam. Nam de miseriis meis scribere non libet. Recens adversus me *Staphylus* et *Stenkefeldiani* talia scripta ediderunt, ut videri possint ab ipsis furiis dictata. Adversus tales hostes prodesset nostros coniunctos esse. Sed non minus hostiliter me lacerat ὁ ὄχλος βλακικός. Inter has adversationes, donec in hac docendi militia vivam, dicam moderate, quae dixi hactenus et prodesse discentibus iudico. Qua de re tuum et tui similium virorum doctorum et sapientium iudicia intueor. *Οὐ λασκάζω τοὺς κροτοθορύβους ἐν αὐλαῖς* *) *καὶ γυναικείοις.* Sed filio Dei me commendo. Fortassis me veniens climactericus annus his aerumnis liberabit. Tui cognati Dei beneficio recte valent et discunt. Dedi alteri legendum Galenum *περὶ χρείας μορίων.* Bene vale et rescribe. Idib. Augusti 1558.

No. 6573. 14. Aug.

Senatui Herzberg.

Edita in den Unschuld. Nachrichten, ann. 1706. (*Lunz.*)

An den Rath zu Hertzberg.

Gottes Gnad durch seinen Eingebornen Sohn Jesum Christum unsern Heiland und wahrhaftiglichen Helfer zuvor.

Erbare, weise, günstige Herren und Freunde, Ich bitt ganz fleißig, diß meine Schrift gutwilliglich anzunehmen, belangend die Schulregirung in der Stadt Hertzberg, denn wie wol Ich mich da nichts anmaß, so hoff Ich doch, Ew. Erbarkeiten werden mir ein Vorbitt für gut halten, insonderheit dieweil dieser junge Mann Johannes Clarus Ew. Erbarkeit bekannt ist, und ist zu Hertzberg geboren, und ist wahr, daß dieser Johannes von Gott mit Gaben Ingenii reichlich gezieret ist, wie seine Schriften ausweisen, in beiden Sprachen lateinisch und griechisch, und in Carmine und Prosa, darin auch zu sehen, daß er sehr wohl gelart ist in gedachten Sprachen und löblichen Künsten, auch ist zu hoffen, durch Gottes Hülf, daß er mit der Zeit in Kirchen oder Universitäten vor andern nützlich mag gebraucht werden. Dazu ist er gottsfürchtig

*) αὐλαῖς] rescripsi pro εὐλαῖς.

und guter Sitten. Dieweil denn jetzund die Schulregirung in der Stadt Hertzberg ledig ist, bitt Ich neben gedachten Johann Clarus, Ew. Erbarkeiten wollen ihm die Schul anvertraun wegen seiner guten Geschicklichkeit, derohalben zu hoffen, er werde der Jugend sehr nützlich und der Stadt ein Zier seyn, werde auch durch diesen Anfang mehr bekannt werden, und zu großer Arbeit in Kirchen oder Universitäten erfodert, darumb bitt ich ganz fleißig, Ew. Erbarkeiten wollen ihn, diesen Ihres Mitbürgers Sohn, väterlich lassen befohlen sein, daran E. Erbarkeit auch Gott ein wohlgefällig Werk thun, und wo Ich den Ewren dienen kann, bin Ich dazu willig. Der allmächtige Gott wölle dies Land und E. Erbarkeiten und die Ewren allezeit gnädiglich bewahren, datum 14. Augusti Anno 1558.

Ewr. Erbarkeiten

williger Diener
Philippus Melanthon.

No. 6574. 15. Aug.

Augusto Pr. Elect.

† Ex autographo Melanthonis in biblioth. Regia Hannover — Est prima delineatio scripti (das Concept), in qua haud pauca iterum deleta sunt emendationis causa, quam calligrapho data ad describendum. In tergo *Paulus Eberus* sua manu adscripsit haec:

„Scriptum academiae et Senatus Witebergensis missum ad illustrissimum Electorem *Augustum*, Ducem Saxoniae, quo petitur confirmatio electi Pastoris in locum Domini *Iohannis Bugenhagii* Pomerani doctoris theologiae defuncti. 20. Aprilis 1558."

Dem Durchleuchtigsten, Hochgebohrnen Fürsten und Herrn, Herrn *Augusto*, Herzogen zu Sachsen, des heiligen Römischen Reichs Erzmarschall und Churfürsten, Landgraven zu Türingen, Marggraven zu Meißen und Burggraven zu Meideburg, unserm gnädigsten Herrn.

(Inscriptio in tergo posita, aliena manuscripta est.)

Gottes Gnad durch seinen eingebohrnen Sohn Jesum Christum unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer zuvor. Durchlauchtigster, Hochgebohrner Churfürst, gnädigster Herr. So der allmächtige Gott den ehrwürdigen Herrn Doctor Johann Bugenhagen, unsrer Kirchen Pastor, länger bei uns gelassen hätte, und hätt' ihm Leibesstärke zum Amt geben, dieses hätten wir für eine besondere Gnad geacht, erkennen uns auch zu Dankbarkeit gegen Gott schuldig, daß er uns einen solchen treuen Pastor 36 Jahr geben hat, der in Sterben und Krieg nicht von uns gewichen ist, und hat diese Kirchen ohne Stolz in christlicher Einträchtigkeit alle Zeit regirt. Nachdem ihn nun Gott aus diesem Amt und schwachen Leben in ewige Seligkeit erfordert, und wir wissen, daß gewißlich rechte Prädicanten Gottes Gaben sind, doch durch gebührlichen Beruf, sind wir, laut der Visitation Befehl, die Universität und Rath zusammen kommen, und haben einträchtiglich zum Pastor der Kirchen zu Witteberg den würdigen Herrn Magistrum *Paulum Eberum* berufen und nominirt, ihn nach seiner Bewilligung Ew. Churf. Gnaden unterthäniglich anzuzeigen, und sind aller unser Stimmen, ohne alles Practiciren, einträchtig gewesen, daß keine andre Person von Jemand nominirt ist; denn wir alle wissen, daß er gottfürchtig ist und einen rechten Verstand hat christlicher Lehre, und ist alle Zeit in gemeiner Confession der Kirchen dieser Land geblieben, ist verständig und friedliebend. Wiewohl nun gedachter Magister *Paulus Eberus* sich entschuldiget, und viel Ursachen fürgewandt von der großen Last dieses Amts, hat darüber seines Leibes Schwachheit angezogen, die wir alle wissen, und wir gern sein verschont hätten, so haben wir doch keine andre Person, nach Gelegenheit dieser Zeit, ihm vorzuziehen bedenken können; haben also guter christlicher Meinung aus keinem Privataffect angehalten und gebeten, daß er bewilligen wollt. Nach diesen Reden hat er auf Ew. Churf. Gnaden gnädigst und väterlichst Bedenken, Schließen und Confirmation demüthiglich gewilligt. Dieses alles berichten wir Ew. Churf. Gnaden in Unterthänigkeit, und bitten Ew. Chf. Gn. Gott zu Ehren, sie wollen gnädiglich und väterlich diese wichtige Sache erwägen, und so Ew. Chf. Gn. auf gedachten *Paulum Eberum* schließen werden, wollen sie diesen Beruf und Election gnädiglich confirmiren; und wie Ew. Chf. Gn. schließen werden, also wollen wir uns in Unterthänigkeit gehorsamlich halten, und bitten den allmächtigen Sohn Gottes, Jesum Christum, der zur rechten Hand seines ewigen Vaters sitzet, eine ewige Kirche zu sammeln, und derselbigen Gaben zu geben, Pastores und Doctores, er wolle gnädiglich ihm in diesen Landen alle Zeit eine ewige Kirche sammeln, Herrschaft und Land bewahren, und uns selige Prediger geben, wolle auch Ew. Chf. Gnaden und E. Chf. Gn. Gemahl und junge Herrschaft an Seel und Leib stärken und zu Gut der Christenheit in friedlicher Regierung lang erhalten. Datum 15. Augusti 1558.

Ew. Churf. Gnaden

unterthänige Diener
Universität und Rath zu
Witeberg.

No. 6575. 15. Aug.

Ge. Cargio.

Ex autographo edita in *Veesenmeyeri* Sammlung von Aufsätzen zur Erläuter. der Kirchengeschichte — des 16. Jahrh. (Ulm 1827. 8.) p. 193.

Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti D. Georgio Cargio, Pastori Ecclesiae Dei in urbe Francica Anspach, fratri suo carissimo,

S. D. Reverende vir et carissime frater. Non longo intervallo hic vicinae Ecclesiae duobus egregiis viris orbatae sunt, Pastore nostro Doctore *Pomerano* et *Iusto Menio*, quorum uterque fideliter servivit multis Ecclesiis. Etsi autem ipsis migratio ex his miseriis gratulanda est, tamen iactura publica deploranda est, praesertim cum Pontificiorum et fanaticorum rabies crescat. Ediderunt recens talia scripta *Staphylus* et *Stenckfeldiani*, quae ab ipsis furiis [1]) dictata videri possint. P...l.s [2]) connexio est Stenckfeldianorum: *unus est mediator Christus; igitur verbi scripti aut lecti cogitatio non est medium, quo Deus est efficax?* Si librum vidisti, quaeso, ut aliquid de tuis cogitationibus scribas. *Manlium* tibi commendo. Bene vale. Die 15. Augusti.

No. 6576. 16. Aug.

Ge. Cracovio.

Epist. lib. II. p. 360. (ed. Lond. lib. II. ep. 367.).

Georgio Cracovio, Doctori Iuris et Ducis Saxon. Electoris Consiliario.

S. D. Saepe iam de itinere anni superioris *) cogito, et de Ecclesiae miseriis. Hoc die ante annum Inclytus Comes nobis Principis mandata exposuit. Quae postea secuta sint, quae impendeant saepe te cogitare scio. Sed precemur Filium Dei, ut cymbam suam et nos in ea servet et gubernet. In his doloribus nostris aliquam mihi levationem tua colloquia adferunt. Ideo et te saepius nobiscum esse vellem, et libenter te accedo; Veniemus ad te, *Caspar*, *Hubertus* et ego. Bene vale. Die 16. Augusti.

No. 6577. 17. Aug.

Peucerus ad Baumgartn.

Edita ex autogr. Peuceri in *Strobelii* Miscell. IV. p. 80.

Epistola Casp. Peuceri ad Hieronymum Baumgartner.

S. D. Clarissime vir. Misit ad Electores censuram de articulis Francofortensibus *Iohannes Fridericus*, Saxoniae Dux, subscriptione suae manus consignatam, plenam sophistices et manifestarum corruptelarum pugnantium cum explicata doctrina nostrarum Ecclesiarum, qua tota formula initae et constitutae consensionis reiicitur, et horribili atrocitate condemnatur. Inter caetera et haec extant: *particulam sola non tantum excludere conditionem meriti, sed praesentiam operum, ne adsint.* Et quidam ex satellitio *Flacii* nuper defendens portenta ista pro concione impudenter et blaspheme dixerat: et retineri fidem et credentem placere Deo etiam in actu homicidii. Qualem itaque nobis fingunt formantque religionem? Hactenus ἐκ τοῦ παρόντος κόσμου μετέστησαν τὴν ἐκκλησίαν turbatam rixis non necessariis; nunc et fidei ac salutis fundamenta convellunt.

Convenient hisce diebus Theologi Electorum Witebergae ad examinandam censuram illam, quam ex illo scripto, quod sparsum fuit ante, conversam tantum esse in sermonem germanicum apparet. Ideoque a solo *Flacio* ortam hanc arbitramur. Certe *Schnepfio* et *Victorino* nec malitiae tantum neque inscitiae tribuimus, et fuisse hos exclusos a deliberationibus postremis fama est. Bene et feliciter vale. Si quid fuerit compositum a nostris, curabo ut describatur vobis. 17. Augusti.

---

1) In autographo legit Veesenmeyer *furari* et coniicit legendum esse *ab ipso furore*; sed haud dubie *furiis* est legendum. Vid. ep. ad Chytr. d. 12. Aug.

2) Literae sunt obliteratae. Veesenmeyer coniicit: *Qualis*, quod aptissime convenit. Signum interrogandi, quod Mel. non in fine interrogationis ponere solet, sed mox post initium, et hoc loco post „*Stenckfeldianorum*", reieci, ut et in aliis epistolis feci, ad finem interrogationis. Quod si signum interrogandi in autogr. non legatur et litera P sit satis distincte scripta, legendum putaverim non *Qualis*, sed *Petulans.*

*) Hoc die videl. d. 16. Aug. 1557. iter Wormatiam ingressus fuerat accepto mandato a Principe Electore, in quo itinere Cracovium habuerat comitem.

No. 6578. 20. Aug.

Petitio eleemosyn.

Scripta publ. T. III. p. 210. (*Lunz.*)

Petitio Eleemosynae.

Scitis recens accensum esse *Cometam* in hoc mense Augusto, quem adhuc initio noctis conspicimus sub coma Berenices, ac propter figuram ensi similem *ξιφίαν* nominare possumus. Mucro directus est versus ortum Brumalem, etsi non uni tantum genti minitatur: quia regula est: *οὐδεὶς κομήτης, ὅστις οὐ κακὸν φέρει.* Sciamus igitur, nos omnes moneri, ut petamus mitigari poenas, et, ut precatio sit ardentior, simus modesti. Nuper pagus vicinus incendio periit. Nomen pagi est *Berkitz* a betula, *Bircken*, quae Graecis est *σημύδα*, quae gignit succum valde salubrem contra calculum renum. In eo pago et Pastoris domus et horreum, et huius anni fruges perierunt. Ideo vos hortamur, ut iam egenti opem feratis, et in hoc officio exerceatis precationem ad Deum, et fidem, et spem; petatis, ut Deus vobis et Ecclesiae poenas leniat, ut vos et Ecclesiam protegat; et haec beneficia a Deo exspectetis propter Filium intercessorem. Et hac spe erecti mementote etiam gratitudinem erga Deum declarandam esse his eleemosynis, sicut scriptum est: Date et dabitur vobis. Et in secunda ad Corinthios scriptum est: Qui suppeditat semen seminanti, praebeat et panem ad cibum, et augeat sementem vestram. Datae, die 20. Augusti Anno 1558.

Philippus Melanthon.

No. 6579. (fere hoc t.)

Scriptum.

† Ex autographo in cod. Monac. II. p. 62. — Est pagella, amico cuidam missa, quae fortasse mense Augusto huius anni scripta est, ubi conspiciebatur cometa sub coma Berenices.

Ζητήσεις.

Vindemiator haud dubie est *προτρυγήτης,* qui est in dextra ala virginis. Atque ita *προτρυγήτην* interpretatus est Pontanus in propositione 29. centiloquii. Et Arati interpres Theon ait, *πρὸ τῆς τρυγητοῦ ὥρας ὀλίγον προανατέλλει.* In Higinio est: vindemiator exoriri mane incipit XI. Calendas Septbris. vindemiae maturitatem promittens. Credo latinos graecum nomen imitatos esse, sed tamen omisisse compositionem, quod durius esset praevindemiator; etsi in almagesti versione ita vertit Trapezontius.

Comam Berenices septentrionalem esse stellam non dubium est, supra tergum leonis, seu extremum leonis, sub cauda ursae maioris pone pedem postremum. Sicut recte ait Catullus

Virginis et saevi contingens ora leonis
Lumina Calistoi iuncta Lycaoniae.

Et commentarius Arati intelligit de coma Berenices *οἷος οἱ πρὸ ποδῶν φέρεται καλός τε μεγάς τε* etc.

Deinde Theon:

οἱ δὲ ἠλακάτην αὐτὴν λέγουσι
κόνων δὲ ὁ μαθηματικὸς πτολεμαίῳ
χαριζόμενος βερενίκης πλόκανον
ἐξ αὐτοῦ κατηστέρισε.
Τοῦτο καὶ Καλλιμαχός που φησὶν
ἠδὲ κόνων ἔβλειψεν ἐν ἠέρι τὸν βερενίκης
βόστρυχον etc.

Ptolemeus vocat comas maximas tribuitque ei gradum leonis 24 long. et latit. 30. Sed gradus hodie fortassis non conveniunt propter motum octavae sphaerae proprium. Alii ibi legunt Cincinnos, alii Trichas. Haec vides convenire omnia. Et quidem qui globos diligenter pingunt ita collocant comam Berenices.

Apud *Plinium* error est, nisi, ut mihi videtur, aliquid deest, aut transpositum est in illo Plinii loco. Sed non raró errat Plinius, ut scis. Et ridiculum est, eius errata manifesta callide velle excusare.

Milvii veteres non meminerunt. Sed nunc quidem vocant milvium illud ipsum sidus, quod Lyram vocamus; item, vulturem cadentem.

No. 6580. 24. Aug.

Ge. Agricolae.

Epist. lib. II. p. 568. (ed. Lond. lib. II. ep. 590.). — Hic ex autographo in cod. Goth. 400.

Georgio Agricolae, gubernanti studia doctrinae Ambergae.

S. D. Clarissime vir et charissime frater, Non longo intervallo duobus viris orbatae sunt nostrae Ecclesiae, quorum eruditio et virtus excellens fuit, Pastore Ecclesiae nostrae, et *Iusto Menio.* Historiam nostri pastoris *Pomerani* recitavi breviter, nam in tanta mole occupationum tempus mihi deest ad longiora scripta: Mitto Exemplum eius orationis. Tales narrationes legere utilius est, quam *βλακικὰς συκοφαντίας.* Nam et conservare memoriam bene meritorum utile est, et multa obiter narrantur, quae formant iudicia iuniorum. Tibi quidem spero non insuavem esse lectionem nostrarum lucubrationum. Oro autem Filium Dei, et ut semper Ecclesiam sibi inter nos colligat, et me faciat *σκεῦος ἐλέους,* et tribuat piam et salutarem concordiam nostris Ecclesiis. Bene vale, et rescribe. Die *Bartolomaei* 1557. [Qui numerus haud dubie mendum est, cum Pomeranus obierit ann. 1558.]

Philippus Melanthon.

No. 6581. 25. Aug.

Abd. Praetorio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L 54[3].

Abdiae Praetorio, Lectori in Academia Francofordiana.

S. D. Clarissime vir et carissime frater. Existimo labores meos in illa ora Balthici littoris multis profuisse; sed nunc voluntates alienatae sunt. Et tu vetus illud nosti: *ἀπονέμου τῆς ἁμάξης, τῶν δ' ὄνων οὐδὲν μέλει* *). Quare non ausus sum scribere ad Regem, cum quidem huic *Georgio*, quem iudico virum bonum esse, libenter gratificaturus essem. Sed fortassis nocuissent ei meae literae. Mitto tibi orationem de nostro sene Pastore, cuius lectionem tibi et multis leonis spero non insuavem fore. Nuper ad nos missus fuit *Islebius*, qui amanter a nobis exceptus est, ut narrare poterit (ὁ) *ἀρχιγραμματεύς.* Bene vale. Die 25. Augusti, 1558.

Philippus.

*) Est Suidae apud Schott. Adag. Centur. III. 34. p. 361.

No. 6582. 1. Sept.

Lectori.

Manlii farrag. p. 376[b] sq.

S. D. *omnibus lecturis has literas.*

Accenderunt Pontificiae furiae magnum bellum in Germania adversus Imperatorem *Henricum* quartum. Interfecto autem *Rodolfo*, quem Papa fecerat Imperatorem missa corona, cui versus inscriptus fuit,

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolfo.

Factus est dux Saxonici exercitus Marchio *Ecbertus*, qui tunc regionem ad Salam tenuit. Ab illo *Ecberto* nomen est arcis et oppidi *Eckerbergs*: nec procul inde *Ecbertus* ille interfectus est, et postea sepultus in Neoburgo. In eo oppido Eckerbergs natus est hic *Esaias Valla*, qui adolescens fuit in Academia Francofordiana, ubi servivit reverendo viro *Andreae Musculo*: postea ministerium Evangelii publica ordinatione ipsi commendatum est voce reverendi viri *Martini Lutheri*, cum in urbe Islebia esset anno 1546. Deinde vocatus ad limites Bohemiae, rursus inde cum aliis piis pastoribus multis pulsus est. Iudico virum honestum et intelligentem esse: et habet honestam coniugem, et duas filias. Est autem grata Deo pietas, talibus exulibus piis et modestis bene facere. Quare oro omnes honestos viros, ut huic *Esaiae* Eckerbergensi hospitalia officia praestent: et sicubi erit occasio, ipsi locum docendi, et exulanti familiae nidum praebeant. Leniamus piis exulibus aerumnas: et precemur, ut Deus nobis omnibus calamitates nostras mitiget. Datae Calendis Septembris, Anno 1558.

Philippus Melanthon.

No. 6583. 1. Sept.

Culmbachero.

† Ex apographo in cod. Goth. 212. in fine et in cod. Goth. 213.

Venerando viro eruditione et virtute praestanti D. N. Culmbachero, Pastori Ecclesiae Dei in oppido Rotach, fratri suo charissimo

S. D. Venerande vir et carissime frater. Est omnino grata Deo pietas, dolere propter Ecclesiae vulnera, et petere, ut ea filius Dei, qui se pingit in narratione de Samaritano, qui medetur saucio viatori, clementer sanet. Quare et tuos gemitus in nostris vulneribus probat. Mediocri studio servivi Ecclesiis nostris, et scio, me non esse *ἀναμάρτητον,* et semper testatus sum, velle me Ecclesias meas iudices esse de me et meis scriptis. Id cum sentiam et dicam, non existimo, causam esse, cur tam crudeliter me insectetur *ἡ βλακικὴ διχάς* *). Sed Deo me commendo, et spero, iudicia Ecclesiae et posteritatis aequiora esse et fore. Proferant integrum doctrinae corpus adversarii mei, postea sit iudex Ecclesia. Nunc tantum arrodit ***Flacius*** quaedam mea dicta; ipse quid sentiat de toto corpore doctrinae astute occultat, ut prius odium mei animis hominum inserat; postea sua mysteria proferet. Sed oro filium Dei, ut nos gubernet, et servet Ecclesiae reliquias. Salutem opto venerando viro M. *Stosselio*, et aliis amicis. Bene vale. Calend. Septembr. Wittenbergae, Anno LVIII.

*) Die thörichte Hälfte, videlicet Theologorum Saxonicorum, Vimarienses et Ienenses.

No. 6584. 1. Sept.

Th. Hübnero.

Manlii farrag. p. 383 sq.

Clariss. viro, (Thomae Hübnero) **), *docenti illustrissimum Principem Marchionem N. N., etc. fratri suo charissimo.*

Non dubium est, salutares principes divinitus et dari, et regi. Quare a Deo petamus, praesertim in hac languida et delira mundi senecta, ut in his regionibus, in quibus Ecclesiarum niduli sunt, det bonos gubernatores et custodes. Sed tamen hoc quoque vult Deus, recte erudiri et praeparari tenerae mentes eorum, quibus genus humanum aditum ad gubernationem praebet. Hanc igitur felicitatem gratulor Principi tuo, quod te doctorem habet, qui recte formas ipsius iudicium, et eam ad amorem doctrinarum et virtutum accendis. Oro etiam Deum sapientiae fontem, ut tuos labores adiuvet. Semper familia tuorum Principum laude sapientiae et eloquentiae excelluit, et res maximas in Germanico imperio consiliis rexit. Quare et indolem, et idem decus in tuo auditore praeclarum esse existimo. Amabit igitur nostra studia, et propter ea gregi favebit: hanc ipsius voluntatem confirmari a te non dubito. Me igitur, et alios qui Reipublicae mediocriter inserviunt in propagatione literarum, ipsi commendato. Inter quos commendari volo et *N.* cuius et natura est excellens et non tantum iis virtutibus ornata, quae diligentia nostra parantur: sed etiam aliis maioribus, quae divinitus in bonis mentibus accenduntur: et eruditio tanta est, ut in utraque lingua, Graeca et Latina, eruditam antiquitatem feliciter imitetur: et ad haec studia adiunxerit Philosophiam, et Ecclesiae doctrinam, quare eum magno usui et ornamento Ecclesiae esse spero. Talia ingenia sapientes principes propter utilitatem publicam et eligere et ornare valde prodest. Bene vale charissime *N.* Calend. Septembris, 1558.

**) Manlius tantum: *N. N.* — Nomen adscriptum est in exempl. Buchholz.

No. 6585. 1. Spt.

Ge. Buchholzero.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Georgio Buchholtzero, Pastori Ecclesiae Berlinensis.

S. D. Reverende vir et cariss. frater. Scio bonis viris iucundam esse recordationem benemeritorum; ideo mitto orationem de doctore *Pomerano*, ac spero, vobis lectionem eius voluptati fore. Mitto et alterum librum *Stenckfeldii* nomine scriptum in Silesia*). Ita passim habet ille fanaticus homo suos satellites, qui multas Ecclesias turbant. Sed filium Dei oro, ut nos gubernet, et efficiat, ut nostrae Ecclesiae unum sint in Deo. Spero, clarissimum virum Cancellarium

*) Vid. ep. d. 5. Aug. 1558.

Illustrissimi Electoris Marchionis istic narrasse, legatos amanter hic exceptos esse. Bene vale. Calend. Septemb. 1558.

Philippus.

No. 6586. 1. Sept.

Io. Aurifabro.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Iohanni Aurifabro, Theol. doct.

S. D. Reverende vir et carissime frater. In Argonautico carmine describitur immanitas *τῶν μοσυνοικείων,* quos esse Moscovios consentaneum est, et in Psalmo queritur Ecclesia, se esse in Mesech. Nec incredibile est Davidi Mosynoecos notos fuisse, cum tunc sedes tenuerint, quae postea a Galatis et Cappadocibus occupatae sunt. Existimo autem propter Mosynoecos etiam Borussiam minus quietam esse. Ideo saepe de te loquimur, *καὶ εὐχόμεθά σε ἐλθεῖν εἰς ἀκαδημίας ἡμετέρας, καὶ πάντες εὐσεβεῖς τε καὶ διδάσκαλοι ἀσμένως σε ἀποδέξονται.* Mittit istuc filius *Erasmi Reinholdi* Mathematici hunc nuncium Salveldensem et poscit pecuniam. Existimo iam impediri talia beneficia cura vicini belli: igitur ea de re non scribo ad ullum, sed tibi aula vestra notior est quam mihi. Bene vale. Calend. Septemb. 1558. Mitto tibi orationem de Pastore nostro.

Philippus Melanth.

No. 6587. 1. Sept.

Senatui Coburg.

Edita in *Ioh. Conr. Schwarz* monumentis ingenior. hui. et super. Saeculi. Tom. I. p. 35.

Honestissimis viris, prudentia et virtute praestantibus Consuli et Senatoribus inclytae urbis Coburgae, patronis suis colendis,

S. D. Honestissimi viri. Utrumque vox divina praedixit, in hac languida mundi senecta, et futuras esse maiores confusiones generis humani, quam fuerunt antea, et tamen filium Dei dominum nostrum Iesum Christum collecturum esse aeternam Ecclesiam voce Evangelii etiam inter Imperiales ruinas et servaturum esse aliqua Ecclesiae hospitia. Sic cum et honestam urbem Coburgam protegat, et ibi Ecclesiam aeternam colligat, pro his summis beneficiis deo aeterno Patri et Domino nostro Iesu Christo vobiscum gratias ago, et oro, ut deinceps hae Regiones et urbes divina bonitate serventur et feliciter regantur. Est autem inter gratitudinis officia erga deum, liberalitas quae collocatur ad literarum conservationem. Haec liberalitas vestra multis bonis ingeniis opem tulit, quae spero deo iuvante, Reipublicae profutura esse. Iudico autem et *Baldasari Hoflen**) naturam bonam esse, capacem doctrinae et virtutis amantem. Pulcerrima copulatio est eruditionis, pietatis modestiae et facundiae. Haec bona cum sint in *Baldasaro*, oro deum ut faciat eum salutare organum, et vos rogo, ut deinceps liberalitate vestra iuvetis. Spero enim usui futurum reipublicae. Et specimen mitto studiorum ipsius, inclusum huic Epistolae. Bene valete. Cal. Septembris Anno 1558.

Philippus Melanthon

No. 6588. 1. Sept.

(Principi cuidam.)

Select. epist. p. 253. Epist. lib. I. p. 332. (ed. Lond. lib. I. ep. 108.) — Etiam in Mel. Declamat. I. p. 272. (ed. Servest. T. V. p. 970.), ubi inscribitur: „Praefatio Mel. quam praescripsit cuidam libello de arte poëtica.

Epistola Principi cuidam scripta de dissidiis praesentium temporum.

In tanta confusione, non opinionum tantum, sed etiam eventuum et fortunae in genere humano semper quaesiverunt et quaerunt multi, sit ne Ecclesia Dei aliqua distincta a caeteris gentibus, et quae et ubi sit, praesertim cum maxima pars generis humani, cum florerent ordine quatuor Monarchiae, ignara fuerit eius doctrinae quae propria est Ecclesiae, et nunc *Mahometica* barbaries complectatur magnam partem orbis terrarum, et praecipuam potentiam in genere humano teneat.

*) De patre eiusdem vid. epist. d. 25. Decb. 1559.

Quomodo autem consentaneum est pauculos et miseros errones et velut seditiosos, Deo caros esse; illos vero florentes sapientia, virtute, imperiis a Deo abiectos esse, cum quidem fateri necesse sit, Imperia divinitus constitui?

Deinde in eo ipso coetu, qui nomen Ecclesiae sibi tribuit, quam horrenda sunt exempla licentiae in moribus, et in fingendis monstrosis deliramentis? Quales fuerunt *Manichaei* furores, qui late vagati sunt in Oriente et in *Aphrica*, duos esse coaeternos creatores, inter sese praeliantes, alterum causam boni, alteram causam mali. Nihil esse libertatem voluntatis humanae, Non posse converti ad bonum homines χοϊκοὺς, ortos a mala causa, Nihil esse diligentiam regendi mores, nullam esse electionem, sed quo coeci impetus unumquemque impellerent, eo praecipitem necessario ruere. Hoc fascinati errore, nullam adhibebant diligentiam regendi mores, quia nihil profutura videbatur, sed laxabant frenos cupiditatibus alii aliis. Ipse *Marcion*, qui in ea colluvie praecipua seditionum tuba fuerat, a Diacono uxorem abduxit, quae post annos aliquot reversa, narravit historiam illius factionis plenam spurcissimorum exemplorum. Et singulae aetates vident multa tristia spectacula, quae ita turbant mentes, vix ut eluctari ex his dubitationibus possint: An et quae sit Ecclesia Dei. Sed propter hanc ipsam luctam animi, quotidie in Symbolo iubemur adfirmare esse Dei Ecclesiam; quod cum recitamus, simul cogitemus patefactiones divinas, et testimonia quae nos docent, et esse et mansuram esse Dei Ecclesiam, et sciamus mandatum Dei esse, ut nos ei adiungamus, et cives eius fiamus. Sicut in *Psalmo* scriptum est, *Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt.* Sed excusant se multi dubitatione. Cum tot diversa agmina sibi titulum Ecclesiae tribuant, ad quam iubemur accedere? Tot seculorum consensus Pontificiam turbam nominavit Ecclesiam. Nunc alii alios coetus monstrant. Illa velut lacerata navis et fatiscens relinquitur, alii in alias Scaphas desiliunt, Vos quam nobis firmam navim ostenditis?

Non difficilis responsio est, si normam iudicii sequaris, quam Deus proposuit. Sunt signa verae Ecclesiae non fallentia, scilicet scripta Prophetica et Apostolica, et Symbola. Haec qui sine corruptelis amplectuntur, hi sunt vera Dei Ecclesia, iuxta haec dicta, *Oves meae vocem meam audiunt*: *Fundamentum aliud poni non potest, praeter id, quod positum est, quod Christus Iesus*: *Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit.* Nec dubium est hostes Ecclesiae Dei esse universam illam generis humani multitudinem, quae Prophetica et Apostolica scripta et Symbola palam abiicit, videlicet Ethnicos, *Mahometicos*, feces *Iudaicas.* Et his annumerandi sunt, qui manifesta Idola defendunt, videlicet Sacrificuli et Monachi, et horum satellites, qui Idola Papae tuentur, Invocationes hominum mortuorum, Adorationem panis in circumgestatione histrionica, venales Missas, Monachorum dubitationem in invocatione, Fiduciam propriorum meritorum, Vagas libidines. Haec Ethnica exempla cum incurrant in oculos, manifeste ostendunt eorum defensores non esse Ecclesiam Dei.

Etsi enim iactitant se retinere scripta Prophetica et Apostolica, tamen aut palam contraria decreta illis anteferunt, aut affingunt falsas interpretationes, et prorsus ut dicitur, ὑπόχαλκον χρυσίον populo exhibent. Idem faciunt et qui nunc *Anabaptistae* dicuntur. Loquimur enim de huius temporis impostoribus. Excerpunt hi quoque mutila dicta ex scriptis Apostolicis: *Non vindicantes vosmet ipsi.* Item, *Et habebant omnia communia.* Haec omissa collatione aliorum dictorum, non recte intellecta detorquent ad eversionem iudiciorum et conturbationem Dominiorum, denique ad infinitas confusiones, sicut olim *Carpocrates* et alii quidam lacerarunt Ecclesiam similibus furoribus. Nec difficile est iudicare modestis hominibus et recte institutis in Ecclesia, qui discedant a scriptis Propheticis et Apostolicis, et a Symbolis.

Hanc normam intuentes sciamus nostros coetus esse veram Dei Ecclesiam, et laeti Deo gratias agamus, quod et servat in genere humano suas reliquias, et nos ad huius sui agminis, societatem vocavit, et in his castris constanter maneamus. At obiiciunt nobis multi, inter nos quoque dissidia esse. His respondeo, congruere omnes eruditos et dextre iudicantes de Fundamento. Sed, ut in magno exercitu nec Ducum est, nec militum virtus similis, etiamsi voluntates congruunt, ita in multitudine piorum alii magis, alii minus eruditi sunt; alii aurum, alii stipulas supra fundamentum extruunt. Sed de Fundamento consensus sit. Et cives sunt Ecclesiae, qui quanquam sunt infirmi, tamen sunt dociles, ut de puerili agmine dicit Filius Dei, *Ex ore infantium et lactentium*

perfecisti laudem. Non sunt cives ubicunque sunt, qui aut monstrosas opiniones pertinaciter retinent, aut recte tradita praestigiis Sophismatum et Sycophantice corrumpunt. Ut autem regantur et emendentur iudicia, vult Deus studia doctrinae esse, vult legi scripta Prophetica et Apostolica, vult dicta omnia prudenter conferri, ut *Paulus* inquit, *Sermo Dei habitet in vobis opulenter, cum omni sapientia.* Non stolide accipiantur dicta, ut accipiebant ἀνθρωπομορφῖται, aut ut *Anabaptistae* sine distinctione damnant vindictam, quam magistratus exercet mandato divino, et privatam, aut ut Pontificii ex dicto *Petri*, *Ecce duo gladii hic*, extruunt dogma, Pontifices tenere potestatem regiam. Quid insulsius est, quam fingere Sacramentum esse panem qui circumgestatur, cum Sacramenta sint actiones institutae, ut fiant certo modo? Sed exempla insulsarum interpretationum nimis multa passim obvia sunt, nec dubium est multos tetros errores ab iis ortos esse, qui cum essent indocti, continuas disputationes *Pauli* et sermonem eius non intellexerunt, ideoque mutila membra excerpserunt, et iis induerunt sententias natas in ipsis, non traditas in sermone Prophetico et Apostolico. Postea confirmati sunt errores consensu multitudinis, qua deinceps stipati indocti et mali exercuerunt et exercent magnam tyrannidem contra pios, ut dictum est in *Euripide*, σὺν ὄχλῳ ἀμαθία, μέγιστον κακόν· Quae litera est in Propheticis et Apostolicis scriptis, quae invocationi mortuorum hominum patrocinetur? Et tamen praestigiatores quidam inde sumunt testimonia contra conscientiam, et muniti vulgi aut Principum satellitio audacissime propugnant ea, quae illis grata sunt. Haec fiunt nunc cum adhuc mediocria sunt literarum studia, et multi sunt recte eruditi, qui refutare errores, et impudentiam ostendere aliis possunt, qui non sunt ἄθεοι. Quid fiet aliquanto post, cum inscitia barbaricam feritatem augebit? Haec cogitare sapientes et bonos Principes decet, ut maiore cura literis et disciplinae opem ferant. Cum intereunt literae, simul efferari animos videmus, ut dicitur, ἀμαθία θράσος ἀπεργάζεται· Contra qui procedunt in doctrinis magis vident, quanta moles sit rerum quae discendae sunt, et quantum onus sit perspicua explicatio difficilium controversiarum. Crescunt igitur et discendi cura, et modestia, et invocatio Dei.

Recens *Stenckfeldianus* satelles edidit librum contra me et *Paulum Eberum*, in quo valde vituperat studia doctrinarum, ut hoc persuadeat, Ecclesiam non colligi ministerio lectae, seu auditae et cogitatae doctrinae, sed prius rapi mentes Enthusiasmis, postea lectionem seu cogitationem scriptae doctrinae accedere, quae aliis ostendat illos adflatus. Ita invertitur ordo, quem *Paulus* tradidit, *Quomodo credent, nisi audiant?* Coacervat autem ille *Stenckfeldianus* longam Rhapsodiam testimoniorum ex Scriptoribus veteribus et recentibus, quae dicunt, a Deo mentes illustrari: Id et fatemur, et semper nos professos esse, et scripta nostra ostendunt, et ostendimus in quotidiana Invocatione. Agimus gratias aeterno Patri, quod misit Filium, qui proferret Evangelium ex arcano consilio divinitatis. Sed is vult notam esse hanc vocem doctrinae, per hanc est efficax in cordibus, sicut planissime dicitur de externo ministerio: *Quomodo audient, nisi praedicatum fuerit?* Et de scripta doctrina *Esaias* inquit, *Ad Legem et ad Testimonium.* Delent fanatici consolationem necessariam, cum in dubitationibus et doloribus abducunt nos a scriptis promissionibus. Nec docent in eis agnoscendam esse voluntatem Dei, et earum cogitatione fidem erigendam. Sed de hac controversia rursus alibi dicemus.

Nunc obiter haec intexui, ut confirmem haec legentes contra doctrinae vituperatores. Oro autem pios Principes, ut et ipsi sua autoritate pestes illas Ecclesiae, quae doctrinam et ministerium in contemtum adducunt, reprimant, et propagationem doctrinae, et ministerii publici conservationem adiuvent, sicut eis praeceptum est cum dicitur, *Et nunc Reges intelligite: Osculamini Filium. Aperite portas Principes vestras.* Item, *Reges erunt nutritores tui.* Te quidem illustrissime Dux, cum fontes doctrinae Ecclesiae ipse legas, et doctrinarum initia feliciter didiceris, et intelligas necessariam esse Ecclesiae linguarum et honestarum artium cognitionem, spero non defuturum esse discentibus, et Deum oro, ut te servet et gubernet. Oro etiam meos commilitones, ut concordiam ament, quae et Deo grata est, et omnibus nobis necessaria, et Principum beneficentiam invitat. Et videmus quam multi hostes undique Ecclesiam oppugnent: Adversus hos coniunctione nobis opus est. *Bessarion* cum Principes ad concordiam hortatur, ut reprimere *Turcas*

possint, narrat hunc Apologum: *Bellum erat,* inquit, *inter lupos et canes; Cumque nunciatum esset lupis, venire ingentem exercitum canum ad lacerandos lupos, missus est speculator unus ex vetulis lupis. Hic diligenter considerato hostili agmine redit, eis renunciat, esse quidem multitudinem canum longe maiorem, quam sit luporum: Sed bene sperandum esse, quia viderit multas esse dissimilitudines colorum in canibus. Hac voce confirmati lupi non cedebant, sed dissimiles facile pelli posse sperabant.*

Eodem modo nunc de nobis triumphos agunt *Staphilus*, *Canisius*, et alii in factione *Papistica.* Oro autem Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut nos gubernet, et faciat ut omnes in nostris Ecclesiis unum simus in ipso. Sit autem et in nobis studium tuendae coniunctionis. Haec ad te scripsi, Illustrissime Dux, ut publica studia tibi commendarem. Bene vale, Illustrissime Princeps. *Witebergae* Calend. Septemb. Anno 1558.

No. 6589. 3. Sept. (h. a.?)

P. Medmanno.

Edita in S. A. Gabbema epist. claror. viror. p. 79.

Clariss. viro, prudentia, eruditione et virtute praestanti, Petro Medmanno, consuli inclytae urbis Embdae, id est, veritatis seu constantiae, fratri suo cariss. S. D.

Integerrime Vir et cariss. Frater! Scriptum est de Vero Deo aeterno Patre Domini nostri Iesu Christi, Creatore generis humani: Ipse est Vita tua et longitudo dierum tuorum. Hunc verum Deum vitae fontem oro, ut tibi vires animae et corporis confirmet. Mitto tibi libellum cuius lectionem tibi non insuavem fore arbitror, et te oro, cum scribere poteris, ut mihi de valetudine tua scribas. Me si quis casus hinc expellet, si vivam ad te recta proficiscar Deo iuvante. Volo enim inter nos aeternam amicitiam esse, qua in coelesti consuetudine dulcius fruemur. Sed tamen colloquemur, et in hac vita coram, aut per literas, donec poterimus, quia Cives Ecclesiae ostendere coniunctionem suam, et conferre cogitationes et vota utile est. Hodie ritu publico ministerium Evangelii commendatum est *Isebrando* Embdano, qui se tibi commendari petivit. Recte doctus est, et mores sunt honesti, quaeso, ut eum complectaris, et consilis paternis gubernes. Bene et feliciter vale. die III. Septembr.

Philippus Melanthon
Frater tuus.

No. 6590. (in Sept.)

M. Meienburgio.

Epist. lib. V. p. 731.

Michaëli Meienburgio, iuniori.

Oro Deum aeternum, Patrem Domini nostri Iesu Christi, Creatorem generis humani, ut tibi et filiae meae*) tribuat felix coniugium. De tempore quid scribat *Sabinus,* cognosces ex eius literis. Quid facturus sis per hunc nuncium, significa. Bene et feliciter vale.

Philippus.

No. 6591. 5. Sept.

H. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 238 sq. Hic ex autographo in cod. Mon. I. p. 237.

Hieronymo Bomgartnero, Senatori incl. urbis Noribergae.

S. D. In Argonautico carmine describitur immanitas *τῶν μοσσυνοίκων,* quos esse Moscovios consentaneum est. Et in Psalmo querela est Ecclesiae, quod exulet in Mesech, quos etiam interpretor Moscovios; Poterat enim David nosse *τοὺς μοσσυνοίκους,* quae tenuerunt tunc ea loca quae deinde partim Galatae partim Cappadoces occuparunt. Nunc[1]) exempla crudelitatis ostendunt in Livonia Mossynoeci non pauca, magna multitudo abducitur in barbarica exilia, matronis et virginibus pudicitiam tutantibus praeciduntur ubera. Si Dux Livonia potitus fuerit, appetet Balticum litus et Poloniam. Plura nunc de hac Arctoa plaga scribere non libet.

---

*) Catharinae, Sabini et Annae filiae.

1) Spanhemius suo arbitrio edidit: *nunc certe.*

Bosonem[2]) cum tuo iudicio complexus sis, spero te etiam deinceps ornaturum esse, cuius cursum ut gubernet Deus opto. Oro etiam Deum ut vestras Ecclesias et urbem et vos omnes protegat. Bene et foeliciter vale. Nonis Septembris. 1558.

Philippus Melanthon.

No. 6592. 8. Sept.

Georgio Duci Siles.

† Ex autographo Philippi in Tabulario regio Wratislaviae, mihi missa a S. V. *Schulzio.*

Dem Durchleuchtigen, hochgebornen Fürsten und Herrn, Herrn Georgen, Herzogen zu Slesien, zur Liegnitz und Brieg, 2c. meinem gnädigen Herrn.

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Sohn Jesum Christum, unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer zuvor. Durchleuchtiger, hochgeborner gnädiger Fürst und Herr. E. F. G. bitt ich in Unterthänikeit, diese meine Schrift gnädiglich zu vernehmen, belangend diesen E. F. G. Unterthan *Franciscum Rosentrit*, der ein armer Waise ist, und deß Vater E. F. G. wohl bekannt gewesen. Dieser Franciscus bericht mich, daß er Ew. F. Gn. und Vaterland gern in einer Schul, oder im Predigampt dienen wollt, und erbeut sich dazu in Unterthänikeit. Dieweil er denn von Gott mit Gaben ingenii wohl gezieret ist, und hat löblich studirt, und ist gottfürchtig und guter Sitten, kann die Jugend unterweisen in lateinischer, grekischer und ebräischer Sprachen und andern löblichen Künsten, die der Christenheit nützlich sind, kann auch rechte christliche Lehr dem Volk klar und ordentlich vortragen: bitt ich E. F. G. in Unterthänikeit, sie wollen gnädiglich in einer Schul oder zum Predigampt zu gebrauchen befehlen. Denn daß er diese seine beste Jahr mit der unnützen Arbeit, im Chor zu singen, da niemand von gebessert wird, hab ich ihm widerrathen, und bitt E. F. G. um Gottes willen, sie wollen ihr diesen armen Waisen, der doch von Gott mit vielen Tugenden geziert ist, gnädiglich lassen befohlen seyn, in Betrachtung dieser göttlichen reichen Verheißung: du sollt des Waisen Vater seyn, so wird dich Gott mehr lieben denn dich deine eigene Mutter liebt. Gott wird gewißlich E. F. G. dagegen seine Gaben mehren, so E. F. G. diesem Waisen eine gnädige Hülf thun. Der allmächtige Gott, der Erschaffer aller Creaturen und der Waisen Vater, wolle E. F. G. an Seel und Leib stärken, und gnädiglich vielen Christen zu gut in friedlicher Regierung lang erhalten. Datum 8. Septembris 1558.

E. F. G.
armer unterthäniger Diener
Philippus Melanthon.

2) Spanh. mendose: *Bossonem.*

No. 6593. 10. Sept. (Torgae.)

Abd. Praetorio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Abdiae Praetorio, Lectori in Academia Francofordiana.

S. D. Clarissime vir et cariss. frater. Ego vero et vellem te adfuisse, et ut conveniamus operam dabo. Etsi enim consilium nostrum fuit Socraticum, ne quid principum nomine respondeatur, tamen hoc additum est, oportere nostro docentium nomine habere scriptam defensionem, si illi rursus indicent synodum, aut edent illas saevas *γοητείας*. Formare igitur necesse est scriptum, de quo deliberare et principes et eruditos, res poscit. Ardet Europa horribilibus bellis. Interea in media Germania ista sphynx *βλακικὴ* dissidia accendit partim vanissimis sophismatum praestigiis, partim defensione manifestae *εἰδωλομανίας*. *Bavari* iam ediderunt capita inquisitionis contra nostros. Hi armantur clamoribus Flacianis. De quaestione agitata inter *Islebium* et *Fagium* nihil ad me princeps scripsit, et utilius est *ἀμνηστίαν* sanciri. Nosti enim alterum intra doctrinarum metas nolle coërceri, sed delicias quaerere in dicendo. De bellicis[1]) rebus narrantur quaedam, de quibus ex aula vestra habebitis certiores historias. Scis illud Homericum: *κακὸν ἀνεμώλια βάζειν*[2]). Bene vale. Die 9. Septb. 1558. Salutem opto et *Sabino* et *Fideli* et *Cnolochio*. Nescio an acceperis orationem de pastore nostro; ideo mitto aliud exemplum.

Philippus.

1) Belgicis?
2) Hom. Odyss. *δ*. 837.

No. 6594. 10. Sept.

Iohanni Alberto D. M.

† Ex autographo Melanthonis in Tabulario Megapolitano Suerini, descripta a Tabularii praefecto, Cl. *Evers.*

Illustrissimo Principi et Domino, Dom. Iohanni Alberto Duci Megapolensi, Principi vetustae gentis Henetae et Suerini, Domino Rostochiae et Stargardiae etc. Dominò suo clementissimo.

S. D. Illustrissime et Clementissime Princeps. Celsitudinis vestrae Epistolam accepi die decimo Septembris, quo die ante annos centum et duos *Iohannes Huniades* postquam magno prelio *Mahometum* ad *Belgradum* vicerat, mortuus est, ducum omnium praestantissimus qui fuerunt hoc seculo. Cum autem Celsitudinis vestrae nuncius eodem die mox abiturus esset, accessi ad eum ad hospitium *Tilemanni Stellae*, ubi mihi narravit se intra mensem huc rediturum esse. Hic sive redibit, sive hoc iter ut multa incidunt, omittet, ego Celsitudini vestrae, virum idoneum indicabo. Iamque duos ad me vocavi Academiae Rostochianae magistros, notos viro clarissimo *Davidi* [1]), meo conterraneo et amico *Petrum Sikium* et *Petrum Suerinensem*, quibus Celsitudinis vestrae literas ostendam. Cogitavi et de alio quodam vicino nostro, *Singelio* docto viro, cuius scripta mitterem, si haec domi meae scriberem [2]). Sed plane respondebo Celsitudini vestrae, et reverenter oro, ut Celsitudo vestra non sinat extingui benevolentiam erga me suam, donec in his laboribus docendi servio Ecclesiae, quos sapientes principes tueri decet.

In *Bavaria* exasperata est sevicia contra pios, et mitterem capita Inquisitionis et historias de honestorum hominum exiliis, si domi essem.

Bene et foeliciter valeat Celsitudo vestra. die X. Septembris Anno 1558.

Celsitudinis vestrae

servus

Philippus Melanthon.

1) Davidi Chytraeo.

2) Torgae erat illo tempore Melanthon.

No. 6595. 10. Sept.

M. Collino.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54³.

Matthaeo Collino, in Academia Pragensi.

S. D. Familia vetus et honesta est *Winsia* in urbe Francofordia ad Viadrum. In ea familia natus est vir excellens eruditione et virtute, doctor iuris *Melchior Winsius.* Is mittit filios ad urbem Pragam, et ut linguam Henetam ibi discant, et ut exempla gubernationis in civitate frequentissima, cuius in disciplina severitas celebrata est, considerent. Habebunt adolescentes domesticum praeceptorem: sed huic in tanta urbe opus erit honesti hominis familiaritate, qui sit tanquam *πρόξενος*. Propterea me pater rogavit, ut ad amicos de ipsis scriberem. Scio, te, virum eruditum et omnia iustitiae officia intelligentem et praestantem, non deesse honestorum hominum filiis. Et scis, Tritonem Argonautis polliceri consilium, et dicere: *εἰ δέ τι τῇσδε πόρους μαίεσθ' ἁλὸς οἷά τε πολλὰ ἄνθρωποι χατέουσιν ἐν ἀλλοδαπῇ περώντες* [1]). Sic et te oro, ut hos hospites consiliis tuis regas et honestis civibus commendes. Mitto tibi narrationem de sene pastore nostro, et literas tuas avide expecto. Bene vale. Anno 1558. die decimo Septembris, quo die ante annos centum et duo *Iohannes Huniades* pene ut Epaminondas accepto vulnere in proelio, quo Turcicum exercitum profligaverat, aliquanto post mortuus est, sed longe pulcrius et felicius hic Pannonius [2]), qui barbaricam saevitiam a Pannonia, Germania et Bohemia depulit, quam ille Thebanus, cuius pertinaciam etiam Xenophon reprehendit. Iterum vale.

No. 6596. d. aequinoct.

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camerar. p. 742sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 890.).

Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo carissimo,

S. D. Etiam *Iob* queritur sibi molestos esse amicos, qui dolorem ipsi disputando lenire volebant,

1) Apollon. Argon. IV. 1565. ed. Brunck.

2) *Pannonius*] scripsi pro *Paeonius*, quod pro mendo habeo.

veris gemitibus et votis a Deo petamus mitigationem et publicarum et privatarum calamitatum, quae et multae et magnae sunt, ac toto pectore oro Deum aeternum, qui se patefecit misso filio, et sempiternam Ecclesiam propter filium colligit, ut servet et sanet honestissimam coniugem tuam, te et familiam tuam. In mea familia febri laborant *Martha* Sabini, *Anna* Peuceri. Et sponsa *) quotidie moritur. Hic aiunt in Belgico pacem esse factam. Bene et feliciter vale, die aequinoctii autumnalis.

Philippus.

No. 6597. d. aequinoct.

Melch. Winsio.

† Ex apographo in cod. Paris. D. L. 54[a].

Clarissimo viro, sapientia et virtute praestanti, Melchiori Winsio[1]), *Doctori Iuris, Consiliario inclyti Principis Electoris Marchionis, patrono suo.*

Clarissime vir et amice colende. Singulare et ingens beneficium Dei est soboles, quae habet semina virtutum et est doctrinae capax. Cumque velit Deus addi culturam, gratum Deo officium facis, quod filiis et doctrinam de Deo et de omnium virtutum officiis sine rixis tradi curas. Et haec moderata institutio, quae gravi iudico parentum regitur, semper proderit ad honestorum hominum in Ecclesia concordiam. Probo etiam consilium de discenda lingua Heneta, cuius cognitionem mallem quam Gallicae. Oro autem filium Dei, custodem Ecclesiae suae, ut et tuam domesticam Ecclesiam et filios tuos servet et gubernet. Ad amicos, ut voluisti, scripsi. *Collino*, optimo viro et eruditissimo, quia docet recte invocare Deum, *Canisius* munus docendi ademit. Sed sperat fore, ut Regis *Maxaemiliani* autoritate restituatur. Scripsi autem et ad alium quendam virum doctum et honestum, *Simonem* Proxenum', qui adhuc retinet publicum docendi munus. Bene valete. Die aequinoctii autumnalis, anno 1558.

Philippus Melanthon.

---

*) Videtur esse Catharina, Meienburgii sponsa.

1 Scriptum est: Winsro; sed rectius in ep. ad Collinum: *Winsio.* Fuit is Francofordiae ad Viadrum.

No. 6598. 17. Sept.

Scholasticis.

Scripta publ. Acad. Witeb. T. III. p. 217. — (Melanthon scripsit hanc pagellam.)

Rector Academiae Witebergensis Adolphus Comes in Nassau, Catten Elnbogen, Vianden ac Dietz, etc.

Scripsimus nuper, familiam viri excellentis eruditione et virtute, *Ioachimi Camerarii* imaginem esse universae Ecclesiae Dei, quam scitis esse ingenti dolore propter horrendas contumelias Dei et propter saeviciam Tyrannorum et sophisticam hypocritarum. Ita cum parentes ipsi communi dolore excrucientur, accedunt et domestica vulnera multa et magna, et nunc tristissimo in luctu sunt parentes orbati filia, et Magister *Esromus* [Rudinger], eruditione et virtute praestans, orbatus honestissima coniuge, *Anna*, filia Ioachimi Camerarii. Horum honestissimorum hominum ingentem tristiciam simul et ipsorum causa doleamus, et cogitemus de omnium piorum moerore in Ecclesia, de quibus Esaias inquit: angeli pacis amare flebunt, et veris gemitibus petamus a filio Dei mitigationem privatarum calamitatum, cum quidem videamus nos humanis auxiliis destitui, et sciamus severissime praecipi, ut ad filium Dei custodem Ecclesiae confugiamus, qui inquit: nemo rapiet oves meas ex manibus meis.

Etsi recordatio virtutum huius matronae, coniugis Esromi desiderium in parentibus et marito auget, tamen consolationem etiam aliquam adferat cogitantibus hanc migrationem fuisse iter ad coelestem Ecclesiam. Qui audiverunt hanc matronam in hoc morbo recitantem confessionem, divinas promissiones et precationes, adfirmant, se neminem audivisse, qui ardentiore animi motu tales sententias recitasset. Integros Psalmos et longas Christi et Pauli conciones ad verbum recitabat, seque et carissimum maritum et dulcissimos parentes et filiam et universam Ecclesiam domesticam et publicam Deo et domino nostro Iesu Christo commendabat. Saepe recitato Symbolo agebat gratias Deo, cum pro omnibus aliis beneficiis, tum pro donata redemptione per filium, de qua repetebat dicta: sic Deus dilexit mundum, et aiebat, se fide et erigi et in Deo acquiescere, quem sciret veracem esse, et certo se expectare laetissimam consuetudinem coelestis Ecclesiae, in qua

sapientia, bonitate et laeticia Dei fruitura esset. Haec exordia vitae aeternae sentiens ex hac vita decessit, et haud dubie in hoc numero est, de quo dicitur: beati mortui, qui in domino moriuntur. Hortamur igitur scholasticos, ut iam hora nona ad pias funeris ceremonias conveniant, et singuli sese et Ecclesiam pia precatione commendent. Dat. die 17. Septb. anno 1558.

No. 6599. 17. Sept.

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camer. p. 743. (ed. Lond. lib. IV. ep. 891.)

Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo carissimo,

S. D. Humana officia tantos dolores non leniunt, quantos et tuos et generi esse cogito, *καὶ οὐδὲν ἔχω σοφὸν, εἰ μὴ δάκρυα καὶ εὐχάς* *). Oro igitur filium Dei dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, ut tibi et tuis vires animi et corporis confirmet, et ostendat se exaudire invocantes ipsum. Consilium de profectione generi ad vos probo, quia solitudo in luctu periculosa est, et *Esromus* nusquam libentius est, quam tecum, et te sciebam desiderio eius valde affici. Plura in tantis dolorib. et inter tot funera ne possum quidem scribere. Bene vale, XVII. die Septembris.

Philippus.

No. 6600. (17. Sept.)

Eidem.

Epist. ad Camer. p. 744. — Puto, haec non fuisse integram epistolam, sed schedam inclusam epistolae antecedenti.

Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camer. fratri suo cariss.

S. D. Leniretur tibi et tuis dolor, quem scio ingentem esse, de filiae morte, si coram audivisses eius assiduam invocationem, et asseverationes

*) Mortua est *Anna*, Camerarii filia, Esromi coniunx Vitebergae. Vid. Scripta publ. T. III. p. 217 sq.

de spe futurae vitae. Iam exordia in ea erant aeternae laeticiae acquiescentis in Deo. Quotquot eam audiverunt, affirmant, se non vidisse tanto animi robore confirmatum ullum in hoc agone. Sic et ego iudico, quotidie eius sermones cogitans, qui mihi *ἔναυλοι* sunt in auribus, et ad hoc iter *ἐφόδιον*. Oro autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut nos gubernet, et familias nostras servet. Bene et feliciter vale.

Philippus.

No. 6601. 18. Sept.

A. Hardenbergio.

Epp. ad Hardenberg. ep. 47.

D. Alberto Hardebergio.

S. D. Reverende vir et carissime frater. Plurimum prodesset, me iam scire sermones Comitis cum duobus Principibus, ut sio. Iam enim constitutum est, ut conveniant multarum Ecclesiarum doctores in oppido *Phorcensi* et Principes multi convenient ibi ad sacrum nuptiale *Marchionis Badensis Caroli.* Ibi deliberatio erit de *Wimariensi* scripto [1]). Nostri neminem mittunt. Et suadebo, ne quid ibi disputetur, et ne nova certamina accendantur. Miror cur in sacro nuptiali haec agi velint, cum profecto res tantae subito agi non possint. Ego ad illum Phorcensem conventum me non mitti gaudeo, et existimo certo consilio me non mitti. Oro Deum, ut liberet me ex Sophistica horum temporum. Licentia quaeritur a vulgo et praestigiis Sophismatum confirmantur vulgi cupiditates et *ἀρτολατρεία*. Editum est scriptum Hildesheimense, cuius architectum esse *Mörlinum* audio, ubi etiam insertae sunt sugillationes, sed sine nomine [2]). Oro

1) Vid. *Saligii* hist. Aug. conf. III. p. 411. In matrimonium duxit Carolus Annam, filiam Ruperti Palatini.

2) Vid. ea de re narratio apud *Saligium* in hist. Aug. Conf. III. p. 412 sq. Tilemannus Kragius, Superintendens Hildesh., ita displicuit Senatui, ut ex urbe eiiceretur. Kragius ediderat: „Wider die falschen Brüder und Feinde des Bluts Christi wahrhaftige Lehre und Bekenntniß vom Gesetz, Evangelio, Sacrament, neuem Leben, durch Tilomannum Kragen, unverhörter und unerkennter Sachen verdammten Superint. der Gemeinde Gottes zu Hildesheim. Eißleb. 1558. 4. Cui Senatus opposuit libellum: Eines Ehrbaren Radts und Regiments der alten Statt Hildesheim, auch der Prädicanten daselbst Antwort auf M. Tilomanni Cragii unwahrhaftige, un-

filium Dei, ut nos gubernet. Bene vale et rescribe. Die 18. Septb.

Philippus.

No. 6602. 24. Sept.

(*Scriptum.*)

Editum a Pezelio in Melanthons christlichen Bedenken und Berathschlagungen p. 568., ubi inscribitur: „Philippi Melanthonis Antwort auf die Weimarische Schrift, so wider die Frankfurtischen Artikel gerichtet, welche Flacius Illyricus für ein Samaritanisch Interim ausgerufen." — Finitis comitiis Francof. mense Martio huius anni, formula pacis ibi a Principibus Evangelicis facta, quae appellatur der Frankfurtische Receß, missa etiam est ad Ioannem Fridericum et Guilhelmum eius fratrem, Duces Saxoniae, ut eam adsensu suo comprobarent. Hi autem eam formulam tradiderunt Theologis suis, qui satis acerbam de ea scripserunt censuram. Haec a Ducibus missa est ad Augustum, Ducem Sax. Electorem, et ab illo ad Melanthonem, auctorem formulae Francofordianae. Ad hanc igitur censuram Melanthon hic respondet, eamque non Wimariam, sed Dresdam ad Principem Electorem misisse videtur. Vid. etiam *Saligius* in hist. Aug. Conf. T. III. p. 383. — Apographon huius scripti est in cod. Goth. 94. p. 64. et aliud in cod. Monac. 86 p. 90., ex quibus Pezelii passim emendavimus. In codd. simpliciter inscriptum est: „Antwort auf die Weimarische Schrift autore D. Philippo Melanthone." Ex argumento intelligitur, non suo sed omnium Theologorum Witebergensium nomine hoc scriptum traditum esse.

(*Responsum Melanthonis de censura formulae pacis Francofordianae, scripta a Theologis Wimariensibus.*)

Wir wollen ganz klar und ohne alle Sophisterei antworten, wollen auch viel beschwerlicher Reden um Friedes willen fürüber gehen lassen; als das in der Vorrede[1]) vom Colloquio zu Wormbs und andere Sachen mehr gemeldet werden. Davon wollen wir jetzund nicht reden. Daß aber dieses angezogen wird, als sollte den Chur und Fürsten nicht gebühret haben, von den Religionssachen etwas zu stellen; darauf ist diese Antwort. So christliche Personen, Laien oder Prediger, einer oder viel, ihre rechte Confession thun, dieses ist recht gethan. Und dieweil dieser Zeit in solcher großen Zwietracht, da die großen gewaltigen Potentaten, der Papst, viel Könige und Fürsten, öffentliche Feinde sind christlicher Lehr, ist diese Gnade Gottes zu preisen, daß in Teutschland drei Churfürsten, und viel andere löbliche Fürsten in großer Fährlichkeit göttliche Wahrheit, allein Gott zu Ehren und zu ihrer selbst[2]) Seligkeit, annehmen und pflanzen, und sollten wir darum Gott danken, daß sie sich klar zu rechter Lehr bekennen, und Einigkeit unter sich suchen. Und ist die Form in den Artikeln nicht dazu gestellet, daß niemand[3]) weiter Erklärung thun oder fordern sollt; es ist aber in der Gegenschrift nicht Erklärung geschehen, sondern sind viel fremder, auch etliche unrechte Deutungen zusammenbracht, wie alle gottförchtige, verständige, friedliebende Menschen[4]) erkennen mögen, so sie beide Schriften gegen einander halten.

Daß auch von den Abgewichenen in der Verfolgung Meldung geschiehet, dieses stehet zu jedes Verantwortung, so sie anzeigen, wer damit gemeinet wird; und ist hochbeschwerlich, dem gemeinen Mann, Fürsten und andern Personen also in gemein einzubilden zu Verbitterung, so doch die Personen und Sachen ungleich sind, und die Beschuldiger auch ihre nicht geringe Gebrechen haben, davon zu seiner Zeit zu reden[5]).

Daß der Schmalkaldischen Artikel nicht gedacht wird, ist ungefährlich geschehen. Denn in des Reichs Händeln[6]) gemeiniglich nur[7]) die Confessio und Apologia genannt werden. So wissen sie, daß in den Schmalkaldischen Artikeln gewilliget ist, der Bischoffe Authorität bleiben zu lassen, das doch vom Illyrico zum höchsten[8]) angefochten wird. Daß sie auch als verdächtig anziehen, daß die Antitheses und condemnationes ausgelassen seyen[9]), findet sich in den Artikeln, daß Antitheses der Lehr gesetzt sind, und die Gegenlehr verworfen, obgleich nicht alle Personen[10]) genannt sind, welches[11]) sie als Fürsten unterlassen. Denn Personen zu condemniren gehört den Gelehrten, die aus ihren Büchern zu überweisen wissen, und nicht allein wider falsche Lehr, sondern auch wider die Personen[12]) klagen wollen.

Daß auch dieses sehr übel gedeutet wird, daß gesetzt ist, die Consistoria sollen Acht haben auf die Lehr,

christliche Verläumdung. 1558. 4. — De disputationibus prioribus inter concionatores Hildeshem. videatur ep. ad Mollerum d. 16. Iun. 1557. et ad Gigantem d. 4. Iul. eiusdem anni. — De Cragio autem vid. ep. ad Mollerum d. 27. Sept. 1558.

1) in der Vorrede] in cod. Goth. 94. non leguntur.

2) selbst] cod. Goth. 94. Seelen.

3) Cod. Goth. 94. jemand, mendose.

4) Menschen] cod. Goth. 94. non habet.

5) davon reden] in cod. Mon. 86. non leguntur.

6) Pez. Handlungen.

7) nur] Pez. non habet.

8) zum höchsten] addidi e codd.

9) Pez. sind.

10) Cod. Goth. 94. Gegenpersonen.

11) Pez. welche.

12) Cod. Goth. 94. Person.

und verhüten, daß nicht Lehr wider die Confessio einreiße. Damit, sprechen sie, mache man ein neu Papstthum, und man wolle nicht dulden, daß jemand den Consistoriis widerspreche. Hie können alle Verständige verstehen und[13]) sehen, daß diese Deutung eine gesuchte Beschwerung ist. Denn es müssen je in Kirchen iudicia und Consistoria seyn, und diese sollen von der Lehr Befehl haben und rechte Ordnung in[14]) Proceß halten, nicht allein aus ihrer Authorität sprechen, sondern mehr tüchtige[15]) Personen zu sich ziehen, und soll norma iudicii seyn der Propheten und Aposteln Schrift und Symbola, und nicht eigener Trutz. Denn es soll die Kirche nicht eine Barbarei seyn ohne ordentliche Gericht, und wundert uns, daß dieses wider uns also unfreundlich gemeldet, so doch sie selbst auch dergleichen wider Anabaptisten[16]) und andre halten.

Von der Gerechtigkeit und guten Werken.

Erstlich bitten wir alle gottesförchtige und verständige Christen, sie wollten diese beiden Artikel, die zu Frankfurt gestellet sind, lesen[17]), und bei sich selbst erwägen, ob sie recht oder unrecht sind, und ob einige Sophisterei und tückische Vermummelung[18]) darin gebraucht sey, und wollten hernach die gesuchten Deutungen dagegen halten; also wird leichtlich zu schließen seyn, ob die Artikel billig oder unbillig gestraft werden. Sie sprechen, es sey die imputata iustitia nicht genugsam erkläret, ob sie das Verdienst Christi sey, oder iustitia essentialis. Dagegen lese man die Wort im Artikel, die lauten also: Der erste Artikel von der Justification, davon soll gelehret werden, daß der Glaube soll vertrauen auf die verheißene Barmherzigkeit Gottes, der uns gewißlich annimpt, allein von wegen des Gehorsams Christi, wie der Text spricht: iustificati sanguine ipsius, wir sind durch sein Blut gerecht worden. Und allein durch diesen Glauben ist der Mensch vor Gott gerecht[19]), das ist, er hat Vergebung der Sünden und imputatam iustitiam propter Christum, wird gerecht geachtet[20]) um Christus[21]) willen, und ist Gott gefällig. Und wird die Person also vor Gott gerecht, das ist, ihm angenehm, so der Glaube auf den Mittler Christum und seinen Gehorsam und Verdienst vertrauet. Also treten die Propheten und alle Heilige vor Gott, suchen die verheißene Barmherzigkeit um des Mittlers willen, und sind durch den Glauben gerecht, und haben[22]) Fried durch Gott, wie Daniel spricht: hilf mir um deiner Barmherzigkeit willen. Ob nun wohl Erneuerung[23]) folget und anfähet, so ist sie doch nicht dieses, darum die Person vor Gott gerecht ist und gefällig; denn im sterblichen Leben ist noch Sünde im Menschen und bleibet der Spruch: totus mundus sit reus Deo, die ganze Welt ist für Gott schuldig. Darum muß dieser Trost für und für bleiben, daß die Person durch Barmherzigkeit von wegen des Mittlers und seines Gehorsams und Verdienstes gerecht sey, das ist, Gott gefällig, allein durch den Glauben an ihn. Nach diesem Trost ist wahr, daß Gott im Menschen wohnet und Verneuerung folget, und daß dieselbe Verneuerung Gottes Werk ist, wie viel Sprüch sagen; Johann. 14.: wer mich liebet, der wird meine Rede bewahren. 1 Johann. 4.: er ist in uns, denn von seinem Geiste gibt er uns. Aber obgleich dieses neue und angefangene Licht und angefangener Gehorsam in den Gläubigen auch Gerechtigkeit genannt wird, welches recht zu verstehen ist, nämlich darum, daß der Gehorsam gegen Gottes Gebot also anfähet, und in den Gläubigen Gott gefällig ist, ja es ist Gottes Werk: so wissen doch[24]) alle Heiligen, daß neben diesem Anfang des neuen Gehorsams und göttlicher Wirkung in uns in diesem[25]) sterblichen Leben in uns[26]) große Schwachheit und Sünde bleiben, wie der Psalm spricht: für dir ist kein Lebendiger gerecht; und wie weiter folget in Frankfurdischen Artikeln.

Und ist der Artikel darum gestellet, die imputatam iustitiam zu unterscheiden von der Einwohnung oder[27]) Wirkung Gottes im Menschen, die man[28]) erkennen soll, und gleichwohl wissen, daß die Person aus Barmherzigkeit von wegen des Verdienstes Christi durch Glauben für Gott angenehm und gerecht ist. Aber[29]) mehr Verdachts zu machen[30]), wird von ihnen[31]) kurz gesetzt: das Wort Bekehrung, conversio, sey weitläuf-

13) verstehen und] Pez. non habet.
14) in] sic codd. — Pez. und.
15) mehr tüchtige] Pez. gelehrte und erfahrne.
16) Anabapt.] cod. Mon. 86. die Papisten.
17) lesen] sic codd. Sed Pez. besehen.
18) Cod. Mon. 86. Vermeldung.
19) Cod. Goth. 94. gerecht vor Gott geacht.
20) geachtet] addidi e codd.
21) Cod. Goth. 94. des Herrn Christi.
22) Cod. Goth. 94. halten.
23) Cod. Goth. 94. wohl nun Neuerung.
24) doch] addidi e codd.
25) diesem] Pez. dem.
26) in uns] addidi e codd.
27) oder] cod. Goth. 94. und.
28) Cod. Goth. 94. addit: auch.
29) Aber] cod. Goth. 94. Und.
30) machen] cod. Mon. 86. vermeiden.
31) wird von ihnen] codd. ist.

tig gebraucht. Was conversio sey und genannt werde in unsern Kirchen, ist offenbar aus gemeiner Confession[32]) und vielen der Unsern Schriften, wie es in diesen Worten verstanden wird: vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Dieser ist nicht recht[33]) bekehret zu Gott, ist auch nicht gerecht, der in Abgötterei und in Sünden wider Gewissen beharret. Haben aber[34]) unsre Censores einen andern Verstand dieses Worts conversio denn laut unsrer Confession, den sollen sie billig uns anzeigen.

Wir sprechen klar und ohne alle Sophisterei: es soll im Menschen seyn Schrecken vor Gottes Zorn wider die Sünde; dagegen soll Trost empfangen werden aus göttlicher Verheißung durch Glauben. Und also durch das äußerliche Wort wirket Gott, gibt durch den Sohn den heiligen Geist, und ist dieser Glaub ein[35]) herzlich und fröhlich Vertrauen auf den Herrn Christum, daß uns von wegen seines Verdienstes gewißlich Vergebung der Sünden, Zurechnung der Gerechtigkeit, heiliger Geist und Erbschaft ewiger Seligkeit[36]) nicht von wegen unsrer Tugenden oder Werk, geschenkt wird. Dieses nennen wir conversionem, und ist dieses keine blinde Subtilität. Alle Christen verstehen, was dieses geredt ist. Und ist dieser Verstand einträchtiglich in unsern Kirchen viel Jahr, und berufen uns auf alle christliche verständige[37]) Prädicanten. Und so wir vom neuen Gehorsam oder guten Werken reden, ist allezeit zu verstehen, daß wir von diesen Tugenden und Werken reden, welche nach der Bekehrung und Glauben folgen.

Und ist wahr, daß wir sagen, neuer Gehorsam sey nöthig, und ist solches wider die Antinomer gestritten, die dichten: wenn einer gleich in Sünden wider Gewissen lebe, so bleibe er doch gerecht und heilig, und behalte den heiligen Geist und Glauben. Dieser Irrthum ist in vielen, wie man Zeugen fürstellen[38]) kann, und wissen viel Leut, daß diese Wort mit großem Pracht am Hof zu Weimar vor vielen Jahren[39]) gepredigt sind: das Muß ist versalzen. Item Ambsdorf hat für vielen Jahren nicht leiden wollen, daß man sage: nova obedientia est debitum, und hat diese Ursach vorgewandt: es folge ungezwungen.

32) Cod. Mon. 86. addit: unsrer Kirchen.
33) recht] addidi e codd.
34) aber] Pez. non habet.
35) ein] addidi e codd.
36) ewiger Seligkeit] Pez. non habet.
37) verständige] Pez. non habet.
38) Cod. Goth. 94. darstellen.
39) vor vielen Jahren] Pez. non habet.

Wir sprechen auch klar: so der Mensch bekehret ist, und durch Glauben Trost empfangen hat, so wirket der heilige Geist zugleich viel Tugenden, und ist da der Anfang des neuen Gehorsams und guter Werke. Denn gute Werke heißen nicht allein äußerlich Werk; wie etliche grob sagen, man solle gute Werke thun, wenn es einem gelegen sey; als, sprechen sie, du sollt ins Bad gehen, so es dir gelegen ist: sondern gute Werke heißen in Bekehrten guter Vorsatz, Anrufung, Freude[40]) an Gott haben, Lieb, Keuschheit, Geduld, wie Gott spricht: effundam spiritum gratiae et precum; Item: accepistis spiritum clamantem: Abba pater; Item: per fidem lex stabilitur. Und ist der rechte Glaube keine Zeit ohne solche Frucht[41]). Darum wundert uns, daß unsre Censores so heftig streiten: *sola* non tantum excludit meritum sed etiam praesentiam operum, wie das Wimariense Decretum spricht; und die Schrift an die Churfürsten ist damit nicht zufrieden, daß man lehret: ohne Verdienst der Werk; sondern man soll sagen: ohne alle Werk; † so doch der Glaube nicht ist ohne alle Werk"[42]), sondern[43]) sind beide Reden recht: sola fide iustificamur, und: fides non est sola. Diese beide propositiones halten wir durch Gottes Gnaden, und folget nicht daraus: ergo man kann nicht selig werden ohne Verdienst unsrer Werk; wie solche Sophisterei etliche daraus spinnen. Auch ist diese Deutung unnöthig: wenn Gott einen Menschen im Tode bekehrt, wird der Mensch trostlos, so man nicht lehret, er werde selig ohne alle Werk. Denn wir reden allezeit von folgendem Gehorsam nach der Bekehrung. Auch ist in derselbigen Bekehrung guter Vorsatz und Anrufung, und ist dennoch wahr, daß derselbige Mensch nicht gerecht und selig werde aus Verdienst boni propositi oder andrer Tugenden. So[44]) ist öffentlich, daß wir alle in unsern Kirchen lehren, der[45]) Sünder müsse[46]) durch Gottes Gnad bekehrt werden[47]), so lang er lebet, und ist kein klar Exempel conversus latro in cruce, in welchem sind Bekehrung, Glaube, Anrufung, und viel höher Tugenden, und folget nicht daraus, daß er durch Verdienst seines neuen

40) Pez. Fried.
41) solche Frucht] sic codd. Sed Pezel. gute Werk, ex interpretamento, ut puto.
42) Addunt codd., sed cod. Mon. 86. ea habet in margine.
43) sondern] Pez. Nun.
44) So] Pez. Solches; mendose.
45) Cod. Goth. 94. daß der.
46) Cod. Mon. 86. mag.
47) Cod. Goth. 94. werde.

Gehorsams gerecht und selig werde, wie solches uns[48]) in der Schrift an die Churfürsten gedeutet wird. Und ist recht geredt in der Churfürsten Artikel, derselbe Schächer habe alles gehabt, das in diesem Spruch begriffen ist; omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. Denn er hat den Glauben gehabt, dadurch er gerecht und selig worden ist, und bei diesem Glauben sind gewesen Anrufung und andre Tugenden. Also redet auch Paulus: superinduemur si non nudi reperiemur, sine poenitentia et sine fide; wie Christus spricht: nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Und folget nicht, daß es unser Verdienst sey. Es bleiben auch gleichwohl diese Reden wahr: non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Item: nemo satisfacit legi Dei. Item Hiob: non erit iustus homo coram Deo. Und wie dieses alles zusammen concordire[49]), wissen alle verständige christliche Menschen. Ja diese Confessio selbst ist der hohen Tugenden eine, die in den Bekehrten angefangen sind.

Daß aber etliche sprechen: diese Tugenden wirket Gott, darum sollen sie nicht unsre Werk genennet werden; dieses ist kindische Sophisterei. So jemands Verstand ist: wir sind gerecht durch Glauben darum, daß Gott diese Tugenden wirket, ist[50]) wahr, daß Gott diese und andre Tugenden wirket; aber der Verstand, sola fide iustificamur, ist nicht dieser: novitate iustificamur, wie etliche imaginiren; sondern dieses lehret[51]) Paulus: per misericordiam propter filii Dei merita reputamur iusti fide. Darum muß man Unterschied halten zwischen Glauben und andern göttlichen Wirkungen in Menschen.

In der Censura an die Churfürsten werden die Wort angefochten, daß sie sprechen: man soll auf den Glauben vertrauen. Diese Erinnerung nehmen wir an, und ist wahr, es sollt geschrieben seyn: man soll allein auf des Herrn Christi Verdienst vertrauen. Ist aber vielleicht[52]) im Umschreiben[53]) versehen. Denn diese Wort oft in unsern Kirchen repetirt werden, daß diese propositio: sola fide iustificamur, soll correlative verstanden werden. Ist auch diese Erklärung für 30 Jahren mit großem Fleiß bewogen worden, da viel diese Imagination hatten: fide, id est, novitate sumus iusti.

Und wiewohl Gott in Moyse, in Elia, Daniele hohe, große Gaben und Tugenden wirket, so sind doch die Personen für Gott dadurch nicht gerecht. Und so sie mehr erleuchtet sind, fühlen sie ihre Schwachheit mehr, und schreien für Gott, daß kein Mensch in dieser sündigen Natur für ihm gerecht sey, erkennen, daß ihre Gaben und Tugenden nicht gegen Gottes Gericht zu bringen sind, sondern sie haben Zuflucht zum Sohne Gottes[54]), wie Daniel spricht: non in iustitia nostra sed propter Dominum exaudi nos. Dieses ist alles wahr, aber gleichwohl ist nicht zu lehren, daß der Anfang des neuen Gehorsams nicht nöthig sey, daß der Sohn Gottes sein Blut vergossen habe, daß du allen Muthwillen sicher treiben mögest, und ist große unaussprechliche Gütigkeit Gottes, daß er in uns schwachen, unreinen Menschen wohnen will, und will den elenden bettlischen[55]) Gehorsam um des Mittlers willen annehmen; wie Petrus spricht: offerte hostias spirituales acceptas Deo per Iesum Christum.

Dieses alles ist klar und licht, ohne alle Sophisterei, von Bekehrung, Glauben und neuem Gehorsam, und stellen es zu aller verständigen, christlichen Menschen Urtheil. Und macht nicht ein epicurisch Leben, wie die Schrift an die Churfürsten spricht, sondern der freveler Antinomer Reden machen epicurisch Wesen, die da schreien, der Mensch behalte heiligen Geist und Glauben[56]), wenn er gleich in Sünden wider Gewissen lebet.

Daß aber etliche sprechen, sie wollen diese Proposition nicht anfechten: neuer Gehorhorsam ist nöthig; sondern wollen, man solle diese Proposition damniren: neuer Gehorsam ist nöthig zur Seligkeit; darauf haben die Chur und Fürsten für sich genug geantwortet, daß dieser Anhang: zur Seligkeit, in ihren Kirchen nicht soll gepredigt werden; wie es auch in keinen Kirchen der Augsburgischen Confession gepredigt oder zugelassen worden[57]). Daß aber weiter in sie gedrungen wird, sie sollten diese Proposition als falsch condemniren: davon mögen die Chur und Fürsten in einem[58]) Synodo reden lassen. In ihrem Bekenntniß ist dieses genug, daß sie verbieten, diese Proposition zu predigen. Denn im Synodo soll von der ganzen Sache ge-

48) uns] cod. Goth. 94. non habet.
49) Pez. concordiren müsse.
50) Codd. ists.
51) lehret] Pez. deutet.
52) vielleicht] cod. Goth. 94. allein; cod. Mon. 86. gleich.
53) Pez. Schreiben.
54) Cod. Goth. 94. addit: dieser Mittler ist höher denn alle Creaturen.
55) Cod. Goth. 94. bettlerischen.
56) und Glauben] Pez. non habet.
57) Cod. Goth. 94. wird.
58) Cod. Goth. 94. addit: gemeinen.

redt werden, ob es recht geredt sey: excludi non tantum meritum sed etiam praesentiam operum. Meritum necessario excluditur, et peccat Pharisaeus volens mereri: Paulus necessario habet novam obedientiam, et non peccat volens aut [59]) habens eam. Wir haben auch diese beide Artikel, die zu Frankfurt gestellet seyn, jetzund wiederum angesehen, und alle Wort bewogen; können noch [60]) nicht anders richten, denn daß sie recht, christlich, ohne alle Sophisterei und verständiglich [61]) gestellet sind in der ganzen Summa und in einem jeden Stück. Daß aber diese Phrases darein gefallen: „Vertrauen auf Glauben", nehmen wir die Erinnerung an. Daß aber die Censores so viel Stück angefochten haben, davon mögen wir Richter leiden alle gottförchtige, christliche Männer in allen Landen, und bitten alle, welchen diese Schriften [62]) fürkommen, sie wollen severi iudices seyn, wie sich in solchen großwichtigen Sachen gebühret; doch sine calumnia, wie verständige, ehrliche Männer an allen calumniis ein ernstlich Mißfallen haben, und haben sollen, iuxta praeceptum: non dicas falsum testimonium.

De coena Domini.

Daß zur letzten Zeit in der Welt grausame offentliche Abgötterei seyn werden, ist im Daniele und sonst verkündiget, und Daniel spricht: sie werden ihren Gott Mauzim [63]) anbeten, und mit Gold und Silber ehren. Auch spricht der Herr Christus, es werde der Abgott der Verwüstung in der heiligen Stätte stehen. Nun ist das höchste Gebot: non habebis Deos alienos. Item: fugite idola. Darum sollen wir mit höchstem Fleiß [64]) lernen, welches [65]) Abgötter sind, und dieselbigen meiden, und des wahrhaftigen Gottes Ehre retten. Nun sind zwei Theil im menschlichen Geschlecht die größer [66]) Haufen [67]), mahometisch und päpstisch. Der Mahometischen Agötterei † und Lästerung" ist offenbar; denn sie bekennen ausdrücklich, daß sie den Sohn Gottes nicht als [68]) Gottes Sohn und nicht als den Erlöser erkennen und annehmen, und können nicht Gottes Kirch seyn, denn sie verwerfen offentlich [69]) der Propheten und Aposteln Schriften. Der andere große Haufe ist der päpstische [70]), der sich rühmt, er sey Gottes Kirch, und will nicht geachtet seyn als verwerfe er der Propheten und Aposteln Schrift, macht aber falsche Deutung. Von diesem Haufen ist geredt, daß der Abgott in loco sancto, im Heiligthum, stehen werde. Nun haben die Päpstischen mancherlei offentliche Abgötterei, als Heiligen anrufen. Aber die grobe und sichtbarliche Abgötterei ist ihr Meßopfer und Anbetung des Brods in ihrem Opfer und Umtragen, und sonst. Denn die Regel bleibt fest: nichts kann Sacrament seyn außer dem eingesetzten Brauch, denn Creaturen können nicht Sacrament machen. Diese Regula ist zu Regensburg im Colloquio angezogen worden [71]) wider die päpstische abgöttische Anbetung, und hat Eck nichts darauf antworten können, ist also erzürnet, daß er denselben Abend gesoffen, und krank worden, daß er zu keiner Handlung hernach kommen ist. Auch ist Granvel sehr erzürnet, hat aber dennoch diese Worte geredt: Dieses ist eine große Sache und bedürft eines rechten Concilii. Nun weiß man, welche Grausamkeit mit mancherlei Morden in vielen Landen [72]) geübt worden [73]), die päpstische Abgötterei zu handhaben, und hat neulich Herzog Albrecht zu Bayern besonders zu Stärkung dieser Abgötterei schreckliche Artikel lassen ausgehen. Von diesem Stück schweigen alle [74]) diese still, die sonst viel vom Chorrock und Adiaphoris schreiben und [75]) schreien. Und wird in der Schrift an die Churfürsten übel gedeutet, daß Meldung von dieser Abgötterei geschehen ist, und dagegen angezogen, als rede der Artikel allein von geistlicher Nießung, so doch die hohe große [76]) Nothdurft erfordert, daß männiglich wisse, daß sie hohe, große, wichtige Ursach haben, päpstische Lehre nicht zu halten; besonders so jetzund der Papst diese löbliche Churfürsten zum höchsten schmähet, und ohne Zweifel Ursach sucht, zu Aenderung der Churfürsten und zu Zerstörung des Reichs in deutscher Nation. Damit aber verstanden werde, daß nicht allein von geistlicher Nießung, die auch außer dem Gebrauch

59) *aut*] cod. Goth. 94. *eam et*.
60) noch] cod. Goth. 94. auch.
61) Cod. Goth. 94. verständlich.
62) Pez. Schrift.
63) Cod. Goth. 94. Maczim; cod. Mon. 86. *Machozim*.
64) Pez. Ernst.
65) Pez. welche.
66) Cod. Goth. 94. größten.
67) Cod. Goth. 94. addit: seyn die.
68) Cod. Goth. 94. für.

69) Pez. offenbarlich.
70) päpstische] Pez. Papisten.
71) worden] addidi e codd.
72) vielen Landen] cod. Goth. 94. Niederland.
73) Pez. werden.
74) alle] Pez. non habet.
75) schreiben und] Pez. non habet.
76) große] cod. Goth. 94. non habet.

des Sacraments geschiehet[77]), geredt werde, ist dabei gesetzt, daß im eingesetzten Brauch der Herr Christus wahrhaftiglich lebendig und wesentlich gegenwärtig sey. Diese Worte sind auch also zuvor gebraucht worden in der formula concordiae, die mit Bucero und andern gemacht worden[78]). Und ist diese Deutung auch unbillig gesucht, man möge[79]) es verstehen von gemeiner Gegenwärtigkeit der Gottheit bei allen Dingen, wie der Vers spricht:

Enter praesenter Deus hic et ubique potenter.

Denn es ist groß Unterscheid zwischen der praesentia universali, und zwischen dieser besondern praesentia Filii Dei in ministerio. Und in dieser Action applicirt er sich uns selbst und seine Wohlthaten, ist kräftig in uns, und macht uns seine Gliedmaßen, und ist der Spruch Pauli ein klar Zeugniß, daß außer der Nießung nicht Sacrament sey: das Brod, das wir brechen[80]) ist die Gemeinschaft des Leibs. Nun ist nicht die Gemeinschaft außer der Nießung.

So[81]) ist öffentlich, was die fürnehmsten alten Scribenten in der Kirchen, Graeci und Latini, gehalten haben. Es haben auch die Chur und Fürsten in ihrem Artikel[82]) diese Wort klar gesetzt, daß sie nichts neues außer der Confession und Apologia machen wollen.

Daß aber in der Schrift an die Chur und Fürsten etliche Personen insonderheit in Verdacht gezogen werden, wäre billig, dieselben zu hören, die auch zum höhesten dieses begehren, daß ein ernstlicher Synodus durch die[83]) christlichen Chur und Fürsten und Stände gehalten würde, darin vom ganzen corpore[84]) christlicher Lehr treuliche Unterrede geschehe[85]), klare und unzweifelhaftige Zeugniß mit Gottes Hülf auf die Nachkommen zu erben, zu Gottes Ehr und zu Frieden. Denn es sind etliche große wichtige Sachen, davon zu reden hoch nöthig ist. Wir begehren auch, daß nach der Verhör in solchem Synodo gesprochen werde, und hernach Executio folge, es thue sanft oder unsanft, wem es wolle, uns selbst oder andern; nur daß die Wahrheit erkläret werde.

Von Adiaphoris.

Damit wir mit einem Schein desto gröber beschweret werden, sagen etliche, wir nennen Adiaphora das Sacrament anbeten im Umtragen; Item: Bilder[86]) anbeten. Diese und dergleichen Abgötterei haben wir nie Adiaphora genannt, sondern ist öffentlich, daß wir solche Abgötterei anfänglich[87]), zur Zeit des Interims, und hernach mit gleich[88]) klaren Reden gestraft haben, und ist die Lehr de humanis traditionibus und von Adiaphoris in unsern Schriften durch Gottes Gnad unterschiedlich vor vielen Jahren vor dem Krieg erkläret. Bei derselbigen Lehr sind wir blieben, und wollen durch Gottes Gnad noch dabei bleiben. Und was wir Adiaphora nennen, ist aus den gedachten Schriften klar zu verstehen. Und daß ich, Philippus, etlichen gerathen habe, das Ministerium nicht zu verlassen von wegen des Chorrocks, dieses bekenne ich; aber Illyricus und Gallus haben viel andere erlogene Schmähschriften wider uns † in die Welt" ausgebreitet, nicht allein die Kirchen und Schulpersonen, sondern auch die Herrschaft[89]) verhaßt zu machen, haben Fürsten und andre Personen zur Schmach mahlen lassen, das Land unruhig zu machen[90]). Wollen nun unsre Censores keine ἀμνηστίαν[91]) annehmen, so ist billig, daß man uns wider sie auch höre. So viel aber dieses belanget, wollten wir lieber, daß das Exempel Constantini gehalten würde, welcher in Nicaena Synodo der Bischoffe Klagen alle verbrannt, und geboten, sie sollten forthin laut des Symboli einträchtiglich lehren, und alle vorige Gezänke[92]) und Widerwillen vergessen. Auf solche ἀμνηστίαν ist auch zu Frankfurt guter Meinung gearbeitet. Soll aber des Gezänks kein Ende seyn, und man kann von wegen der großen Verbitterung zu keinem General Synodo kommen: so ist dennoch gut, daß die Chur und Fürsten und andre Stände, die unterschrieben haben, Einigkeit in ihrer christlichen Confession unter sich erhalten, und darzu consistoria und iudicia Ecclesiae verordnen und gebrauchen. Denn es ist der armen hochbetrübten Christenheit damit nicht geholfen, daß Illyricus jetzund da etwas anficht[93]),

---

77) die auch — geschiehet] cod. Goth. 94. non habet.
78) die mit Bucero — worden] cod. Goth. 94. non habet.
79) Pez. mag.
80) das wir brechen] cod. Goth. 94. non habet.
81) Pez. Auch so.
82) Cod. Goth. 94. ihren Artikeln.
83) durch die] cod. Goth. 94. zwischen den.
84) Cod. Goth. 94. addit: *doctrinae* oder.
85) Pez. treuliche Unterredungen geschehen.
86) Bilder] Pez. selber; ex mendo.
87) anfänglich] Pez. mendose: ausdrücklich.
88) Pez. gleichen.
89) Cod. Goth. 94. Herrschaften.
90) haben Fürsten — — zu machen] cod. Goth. 94. non habet.
91) Pez. Amnistian; et sic etiam paulo post.
92) Pez. Zänke.
93) Pez. anficht.

jeßund dorte, dieses, und das sey[94]) nicht genugsam geredt; machet kein ganz[95]) Corpus doctrinae, und weiß doch niemand, was er hält, und wo er hinaus gedenkt; suchet vorhin Zerrüttung dieser Kirchen, darnach wird er sich an Tag geben. Nazianzenus spricht: reprehendere quilibet multa[96]) potest, meliora facere non potest.

Soll man auch Einträchtigkeit erhalten, so muß man in etlichen Mitteldingen mit einander Geduld haben, als erstlich in der Kirchen viel Ungleichheiten in Ceremonien mit Haltung des Paschatis und der Fasten gewesen. Und als hernach diese Sachen geschärft[97]) sind, ist große Uneinigkeit, und hernach Veränderung in der Lehre gefolget, und sind die Spaltung endlich so weit gerissen, daß Krieg und Zerstörung, Mahomet und päpstische Abgötterei daraus kommen, wie in Teutschland auch zu besorgen, das Gott um seiner Ehre willen gnädiglich abwenden wolle[98]). Darum ist unser unterthänig Bedenken endlich, daß sie in ihrer[99]) Confession und consensu durch Gottes Gnade einträchtig bleiben, und in dieser Einträchtigkeit wollen wir mit Gottes Hülf[100]) auch bleiben. Wer ihm nun dieselbige nicht will gefallen lassen, der soll billig nicht allein bloße reprehensiones dagegen setzen, sondern Erklärung seiner ganzen Lehr ohne Sophisterei darthun, allen zur Besserung.

Wir begehren auch, daß diese unsre Antwort den Chur und Fürsten und allen christlichen Prädicanten fürgetragen werde, derer Urtheil wir uns in christlicher Demuth[101]) unterwerfen, und bitten sampt dem Herrn Christo von Grund unsers Herzens und in tiefster Betrübniß von wegen der Kirchen, der wahrhaftige, ewige, allmächtige Gott, Vater unsers Heilands Jesu Christi, wolle gnädiglich in teutschen Landen ihm für und für eine ewige Kirche sammlen, und wolle Gnade geben, daß wir in ihm eins sind, und dieses alles zu seiner Ehre, wie er spricht: propter me, propter me faciam, ut non blasphemer.

Scriptum die Matthaei[102]) Anno 1558.[103])

---

94) Cod. Goth. 94. addit: noch.
95) ganz] abest a cod. Goth. 94.
96) *multa*] cod. Goth. 94. non habet.
97) Cod. Goth. 94. gestraft.
98) Pez. wollte.
99) Cod. Goth. 94. dieser.
100) mit Gottes Hülf] cod. Goth. 94. durch Gottes Gnade.
101) Cod. Goth. 94. um christl. Dem. willen.
102) *die Matthaei*] cod. Goth. 94. non habet.
103) Cod. Goth. 94. addit: *per Philippum Melanchthonem.*

No. 6603. 23. Sept.

U. Mordeisen.

Epist. lib. V. p. 191 sq.

Ulrico Mordisin, *Consiliario Ducis Sax. Elect.*

S. D. Clarissime vir, et Patrone chariss. Profectus essem ad vos, si scivissem, vos Dresdae esse. Hospitem etiam his diebus habuimus Consulem Vratislaviensem, valde amantem nostrae Academiae, qui et unum ex Concionatoribus adduxerat. Existimo, vos satisfacturos esse Principibus in congressu *Phorcensi* *), si nostram responsionem tantum miseritis.

Dux *Moscoviae* discessit ex Livonia, sed retinet Nervam et Derptam, et praesidia imposuit. Ex vicinia magnam hominum multitudinem abduxit in Russiam.

Exercitus Moscovicus magno praelio Turcos vicit in confinio Russiae.

Rex *Danicus* promisit Revaliae defensionem. Ex Francofordiensi mercatu adfertur fama, quae narrat, pacem esse factam inter Burgundicum Ducem et Regem Gallicum.

Auxilia Turcica missa ad Gallos vexato littore Italico discesserunt ex mari Tyrrheno. Bene valete. Die Septembris 23. Ph. M.

No. 6604. 24. Sept.

G. Agricolae.

Epist. lib. II. p. 569. (ed. Lond. lib. II. ep. 591.).

D. *Georgio Agricolae*

S. D. Clarissime vir et charissime frater, Et causas et remedia calamitatum monstrat sapientia voce Filii Dei, ex sinu aeterni Patris prolata. Ex illis fontibus ignotis Philosophiae consolationem petamus. Etsi autem magnum nobis dolorem adfert illa *Chamensis* calamitas, tamen maior est dolor, quem nobis tyrannica inquisitio adfert in vicinia vestra instituta. Legi articulos *Lerneae Hydrae* sanguine scriptos **), ac profecto non

---

*) Vid. ep. ad Hardenb. d. 18. Sptbr.
**) Articulos inquisitionis Bavaricae.

solum populi causa, sed etiam propter ipsum Principem doleo, quem ingenio et consilio valere audio. Quis igitur *Ahitophel* aut *Phalaris* haec impia consilia gubernat? Oro autem Filium Dei, custodem Ecclesiae suae, ut et reprimat illam Tyrannidem, et flectat pectus Principis ad suam et populi salutem. Dei beneficio genesis filii tui significationes ingenii et eloquentiae egregias continet. Oro autem Deum conditorem naturae et Ecclesiae, ut nos et vestras familias regat et protegat. Pagellas tibi mitto, quas quidem ad manum habebam. Brevi mittam gratiores, quanquam scio tibi qualiacumque ingeniorum honesta exercitia grata esse. Bene vale, et rescribe. Die 24. Septembris. Anno 1558.

No. 6605. 26. Sept. (h. a.?)

U. Mordeisen.

Epist. lib. V. p. 193.

Ulrico Mordisin, *Consiliario Duc. Sax. Elect.*

S. D. Clarissime vir, et Patrone charissime. Iustissimum est favere laboribus illorum, qui invitant animos iuniorum ad legum et disciplinae reverentiam. Ideo etsi raro scriptores aulis commendo, tamen hunc virum doctum et honestum *Henricum Arnstadiensem* *), propter splendida legum praeconia, ut commendetis Illustrissimo Principi, Electori, vos oro, ad quem vere scribit:

Hocque tuum decus esse puta, propriumque trophaeum.
Quicquid in Ausonium ius tibi laudis abit.

Oro, ne huic *Henrico* desitis, de radiis divinae sapientiae sparsis in mentes humanas splendide scripsit. Dei beneficio filius Domini *Ponicei* convaluit. Bene valete. Die 26. Septemb.

Philippus Melanthon.

*) Vid. de eo epist. ad Strigelium d. 24. Iun. 1555.

No. 6606. 27. Sept.

Ioach. Mollero.

Epist. lib. II. p. 528. (ed. Lond. lib. II. ep. 554.).

D. Ioachimo Mollero

S. D. Clarissime vir et charissime frater, Scis me maxime optare, ut omnes in Ecclesiis nostris unum simus in Deo, nec potest retineri concordia sine ἐπιεικείᾳ. Ideo optarim *Hildesios* fuisse placidiores erga Magistrum *Cragium*. Cumque ipse mihi responsionem suam ostendisset, hortatus sum, ne edat, sed meo exemplo taceat. Boni viri non deterius de eo sentiunt propter silentium. Intueamur autem iudicia sapientum et bonorum, nec moveamur κροτοθορύβοις vulgi. Nunc dux *Bavariae* magnam exercet saevitiam propter doctrinam. Et edidit tetros articulos, quos vobis mittam, cum Typographi ediderint. Mittam et alia. Nunc paucas pagellas de Reverendo Pastore nostro mitto, qui et socerum tuum et patrem tuum et vestros sincere dilexit. Nescio quo animo lecta sit oratio in *Pomerania*, nemo de ea mihi ullam syllabam scripsit. Bene vale et rescribe. *Cragium* vobis commendo. Die 27. Septembris.

No. 6607. 28. Sept.

U. Mordeisen.

Epist. lib. V. p. 193 sq.

Ulrico Mordisin, *Consiliario Ducis Sax. Elect.*

S. D. Clarissime vir, et charissime Patrone. Assiduis et ardentibus votis precor, et multos pios precari non dubito, ut Filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, has regiones clementer protegat. Quam terribilis spes sit in Gallico et Hispanico regno, literae ostendunt ad *Hupertum* et ad me scriptae, quas exhibebit.

Venit huc ex aula Viennensi Hungarus, qui narrat, Anglicam Reginam expresse respondisse, se non nupturam ulli dissentienti ab Anglicis Ecclesiis. Caetera *Hupertus*, quem vobis commendo. Iudico, virum integrum esse, et fidelem. Bene et feliciter valete. Die 28. Septemb.

Philippus.

No. 6608. (fere ex. Sept.)

G. Cracovio.

Epist. lib. II. p. 365. (ed. Lond. lib. II. ep. 378.).

D. Georgio Cracovio

S. D. Clarissime D. Doctor, et charissime frater, Comperi bonam esse naturam huius *Matthiae Coleri Aldeburgensis*, qui et hanc Academiam saepe bonis carminibus ornavit. Ideo vicissim eum ab hac Academia ornari opto. Audivit Iurisconsultos et hic, et in inclyta Academia *Lipsensi*, et habet sui consilii honestas causas, cur hic gradum petat *). Cum autem sit sponsus, maturari disputationem, et gradus renunciationem orat. Orat etiam, ut disputatio tua voce regatur. His in rebus ut ei gratificemini eo liberius peto, quia me scitis iuventuti hortatorem esse, ut leges, doctrinam vestram, et ordinem ipsum venerentur, ut *Attica* civitas τοὺς νομοφύλακας in concionibus singulari loco collocabat, ornatos candidis fasciis. Bene vale.

No. 6609. (ex. Sept.)

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camer. p. 745. (ed. Lond. lib. IV. ep. 894.).

Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Cam. fratri suo cariss. Lipsiae,

S. D. Eadem hora, qua *Novesianus* vester advenit, litteras a principe *Palatino Wolfgango* accepi, quibus petit, indicari viros idoneos ad Ecclesiarum gubernationem, et mittit stipendiorum descriptionem. Scripsi igitur ad eum de hoc *Novesiano*, cuius aetas est idonea, sed ipse narrat se propter familiaria quaedam negocia in patriam properare. Habet tamen a me litteras et ad Palatinum et *Heresbacchium*. Quod vitavi alterum colloquium aulicum, mihi non est ingratum, ὅμοιαι γὰρ αὐτοῦ ἀπορίαι εἰσὶ τῶν ἐκ τῆς ἀκαδημίας. Ego illud Psalmi potius duco: Iacta curam tuam in Deum, et ipse te sustentabit. Spero filium Dei nobis affuturum esse, et ut nos gubernet et protegat, toto eum pectore oro. Semper horribilib. fluctibus eius cymba quassata est, inter quos tamen, gemitus tales exaudivit, quales et sanctissimae coniugis tuae vides, et ego vidi tuae filiae. Mitto tibi epistolam Pannonicam heri allatam. Bene et feliciter vale. Filius Dei vires corporis et animi coniugis tuae confirmet.

Philippus.

*) Ex Declamatt. Melanth. (T. V. p. 72.) intelligitur, Colerum Doctorem Iuris renunciatum esse d. 1. Dec. 1558.

No. 6610. 1. Oct.

Friderico Duci Sil.

Epist. lib. III. p. 57. (ed. Lond. lib. III. ep. 26.). — Conferatur etiam altera epistola de eadem re scripta d. 10. Nov.

Friderico Duci Silesiae in Lignicia, Briga, Goltberg etc.

S. D. Illustrissime et clementissime Princeps, Non casu nascitur genus humanum ad huius vitae miserias. Sed restat alia sapiens et iusta vita in consuetudine Dei, in qua fruemur conspectu Dei ad quem conditi sumus. Ad hanc vult nos praeparari Deus doctrina per Filium ex sinu aeterni Patris prolata. Ideo toto pectore oro Deum aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem generis humani, ut Ecclesias suas, et studia doctrinarum servet, et gubernet, et protegat has Regiones.

Venissem ad Celsitudinem V. si me non retinuissent negotia Ducis *Saxoniae* Electoris, ut ex literis quas mitto et ex narratione virorum integerrimorum, quos huc Cels. V. misit, intelligi poterit, ac oro reverenter ut C. V. boni consulat, quod istuc non veni hoc tempore. Deliberationes de optime merita Academia *Goltpergensi* ut regat ipse Filius Dei, sedens ad dextram aeterni Patris, dans dona hominibus, Pastores et doctores, toto eum pectore oro.

Vir honestissimus et eruditus in lingua *Graeca* et *Latina*, Doctor artis Medicae, *Henricus Paxmannus* iudicio nostro delectus est, qui se offert Cels. V. Natus est in Ducatu *Luneburgensi*, et nobiscum vixit annos undecim, doctrinam Ecclesiae recte intelligit, et abhorret ab omnibus impiis et fanaticis opinionibus, et mores eius sunt honesti et pii. Utiliter docuit hic annos aliquot, et spero doctrinarum et disciplinae Rectorem utilem, Deo iuvante, in Academia *Goltpergensi*

futurum esse, quia et eruditione recte instructus est, et Deum vera pietate colit. Malueram eum mox ad Celsitudinem vestram proficisci, sed ipse voluit prius senes parentes visere. Promisit autem se ad Cels. V. venturum esse statim post ferias, in quibus *Martini* memoria celebratur, non tantum *Pannonii*, sed etiam *Lutheri*, qui natus est in profesto *Pannonii Martini.* Oro autem reverenter, ut Cels. V. venientem Doctorem *Paxmannum* clementer excipiat et tueatur.

De controversiis Ecclesiasticis multa collocutus sum cum viris doctis et piis, quos Cels. V. huc misit, quae ipsi exponent Celsitudini Vestrae. Oro Filium Dei ut faciat, ut omnes Ecclesiae nostrae unum sint in ipso. Et scio consensum esse nostrae Ecclesiae, et Ecclesiarum in *Silesia* universa, etiamsi alicubi turbulenti homines *Suenckfeldiani* aut alii admixti sunt. Sed tamen non dubito pium consensum esse ubique pastorum, et in politica gubernatione foventium Ecclesias. Et Celsitudinem Vestram oro, ut patriae concordiam tueatur.

Prodesset etiam de simili forma Ecclesiarum Illustrissimos Principes deliberare, sed sine superstitione, sine contentionibus de rebus non necessariis. Et iudico formam *Megalburgensium* Ecclesiarum commodam esse, sed ne de ullis ritibus, qui aboliti sunt, superstitiose pugnetur. Non potest esse concordia nisi ἐπιεικεία sit in rebus non necessariis.

Plura, etiamsi apud Celsitudinem vestram istic essem, monere non possem. Opto ut usitatae Synodi docentium non omittantur, praesertim donec Autoritate Domini *Georgii Seiler* regi possunt. Et foveri coniunctionem docentium omni genere officii utile est, et eam rem maximae curae esse piis Principibus decet, sicut scriptum est, *Conveniant Reges et populi in unum, ut serviant Domino.* Oro Deum aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, creatorem generis humani, colligentem Ecclesiam aeternam, ut Celsitudini vestrae confirmet animae et corporis vires et protegat has regiones. Datae Calendis Octobris, Anno 1558.

No. 6611. 1. Oct.

Henrico, Duci Siles.

Praefatio praemissa libro: Catechesis scholae Goltpergensis, scripta a *Valentino Trocedorfio.* Viteb. 1558. 8. (descr. *Foerstemann.*)

Illustrissimo Principi et Domino, Domino Henrico Duci Silesiae in Lignitz, Bryga et Goltperg etc.
S. D.

Apud Cornelium Tacitum inter Germaniae populos nominantur Elysii, quos unius adiectione literae Silesios esse existimo, Sed vir doctus delectatus allusione graecae vocis maluit Elysios dicere, praesertim cum laudari audiret spaciosos campos feraces frumenti, et Iuga gignentia Aurum, Argentum et Ferrum, et cognovisset magnam ibi oppidorum frequentiam esse, eaque honestis legibus et iudiciis regi, et Iusticiam cives inter sese, et erga hospites exercere.

Doleo autem non solum desiderari veteres descriptiones, sed etiam recentem nullam extare eius regionis quae nunc Silesiae nomen habet, praesertim cum non alia gens in Germania plures habeat eruditos viros in tota Philosophia, et urbs Vratislavia non solum artifices industrios habeat, et ingeniosos cives peregrinatores, Sed etiam Senatum munificum in iuvandis Literarum et artium studiis. Opto autem ut eruditus aliquis patriae hanc pietatem praestet, ut χωρογραφίαν eius, arte factam edat. Ut autem ego ab amicis audio, Ea quae nunc Silesia dicitur, Figura pene Trapezii est, et limes est ad ortum, radices montis Carpathi ubi fontes sunt Viadri, Ad Occasum limes sit flumen Suevus, ad Meridiem montes Sudetes, ad Arctum Francofordia in ripa Viadri. Urbes in ea regione multae sunt ornatae aedificiis, et civium disciplinae, Sed longe excellit Vratislavia cuius situs ut certius cognoscatur adscribo longitudinem quae est graduum 34, et latitudinem quae est graduum 51. Nomen est urbis apud Ptolomeum Budorgis quam esse Vratislaviam quidam existimant, ego non adfirmo, Sed vel ad hanc vel ad vicinam aliquam transferri vetus nomen patior. Terra magna ex parte frumenti ferax est, et aliquot locis adhuc sunt auri venae mediocres, alibi argentum et ferrum gignit. Mores gentis in urbibus et pagis reguntur honestis legibus, et gens ipsa non est impatiens disciplinae. Nec in ulla parte Germa-

niae plures ex populo discunt et intelligunt doctrinas. Multi etiam ad Poeticam et ad Eloquentiam idonei sunt. *Ursini*, *Rosini*, *Logi*, *Langi* carmina, doctissimi viri in Italia laudarunt. Ecclesiarum etiam pius consensus est pene in tota regione, et multi qui docent in urbibus, norunt linguam Latinam, Graecam, et Ebraeam, et pietatem animi declarant vera Invocatione Dei, in agnitione et fiducia Mediatoris, Ac de doctrina consensum verae et catholicae Ecclesiae Christi amplectuntur, et honesta morum gubernatione, qui in eis reguntur non tantum consilio humano, sed etiam luce accensa a filio dei, voce Evangelii et Spiritu sancto, et abhorrent ab omnibus fanaticis et seditiosis opinionibus, ac ut veritatis et concordiae studium ostendant, coniunctionem cum Ecclesiis Saxonicis tuentur. Et sicubi homines fanatici et impostores spargunt deliria, Pastores in urbibus communi consensu eos reprimunt. Ad hanc concordiam multum profuit fides viri clarissimi, qui excelluit eruditione et virtute, *Valentini Trocedorfii*, qui et Scholam Goltpergensem plus triginta annis, Deo iuvante, foeliciter gubernavit, et non solum studia discentium adiuvit, sed etiam multa Ecclesiarum consilia rexit, ac genus doctrinae quod probavit, ex hac Catechesi, quam ipse scripsit, intelligi potest, quam congruere cum Ecclesia catholica Dei et confessione Saxonicarum Ecclesiarum pius lector iudicare poterit. Scio eam fuisse pietatem eius viri, nihil ut maluerit, quam ut omnes unum essemus in Deo. Quodque semper in ore habuit, idem toto pectore et praestitit ipse, et hortator fuit, ut alii praestarent. Diligite veritatem et pacem, ut in Zacharia scriptum est. Ad hunc scopum consilia sua omnia direxit, Recta docuit, et in iudicando candorem adhibuit, ne communis concordia turbaretur, et perversitatem sycophantarum odit, qui ut dissidia incendant, calumniose depravant ea quae non absurde dicta sunt. Et verum est illud, *οὐδὲν κακουργότερον διαβολοῦς ἐστί πω.*

Volo igitur et legentes hanc Catechesin, adhibere candorem qualem autor, vir optimus, in aliorum scriptis iudicandis adhibuit. Ideo autem Illustrissime Princeps in hac editione tuum nomen adscripsi, quia te maxime considerare decet qualis sit doctrina patriae tuae. Cumque sciam te recte didicisse Ecclesiae doctrinam, spero tibi hanc lectionem et gratam fore, et profuturam esse. Boni Principis avi tui pietate schola Goltpergensis constituta est, quam deinde pater tuus et patruus conservarunt. Hanc et posteros conservare decet, cogitantes quantum profuerit universae patriae, ad hanc simplicem et perspicuam verae doctrinae formam adsuefactos esse plurimos, quorum alii Ecclesias, alii consilia civitatum rexerunt. Utinam vera doctrina ubique etiam syllabis iisdem propagaretur, quam ob causam et Symbola olim composita sunt, et tradita Ecclesiis ut ad verbum recitarentur. At nunc quoque motis tot controversiis optandum erat, ut pii Principes unam communem Catechesin omnibus gentibus proponi curarent. Sed cum id fieri non possit, certe hoc prodest, quam late fieri potest eandem verae doctrinae formam multos vicinos et audire et sonare. Sapientia Dei in politia Moisi constituit, ut unum esset templum, videlicet ne plura collegia diversas doctrinas gignerent, aut certe ut censura esset in illo collegio praecipuo. Ita plurimum prodest vos in patria habere Scholam, in qua plurimi ad unam verae doctrinae formam adsuefiant. Circumspicite mentibus universam patriam et considerate qualis sit vox doctrinae in singulis locis, quod si facietis, videbitis et consentiens agmen docentium qui in schola Goltpergensi didicerunt, et *Trocedorfium* intelligetis optime meritum esse, et statuetis scholam summo studio conservandam esse, et quidem non discedendum esse a vestigiis *Trocedorfii.*

Oro autem Filium Dei dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis et resuscitatum, sedentem ad dextram aeterni Patris ut det dona hominibus, ut servet et gubernet Nobilissimam familiam Ducum Silesiae, et totam patriam, et in ea Ecclesias et earum hospitia. Bene vale, Cal. Octobris, Anno 1558.

Philip. Melanth.

No. 6612. 3. Oct.

(*Articuli inquisit. Bavar.*)

Quum etiam in Bavaria, ut in aliis Germaniae regionibus, multi essent, qui emendationi sacrorum faverent adeoque quidam ex Ordinibus Ducatus Bavariae anno 1556. a Duce Bavariae, Alberto, petiissent, ut doctrinam puram in ipsorum Ecclesiis tradi et calicem in sacra coena laicis porrigi pateretur, Iesuitae, quos Albertus paulo ante in Bavariam vocaverat, omni modo laborarunt, ut omnes, qui doctrinae puriori faverent, reprimerentur et e terris Bavaricis eiicerentur. Quem in finem inquisitio haereticae pravitatis, ut appellatur, instituta est, et compositi sunt a Iesuitis XXXI Articuli, in usum inquisitionis, de

quorum argumento omnes interrogandi, ii autem qui non recte respondissent, puniendi, eiiciendique sint. Prodierunt articuli inquisitionis mense Septembri 1558., eosque vidit Melanthon eodem adhuc mense. Melanthon, animo valde commotus, articulos inquisitionis statim edidit germanice, cum praefatione, in usum scholasticorum, eosque publice refutavit in schola, refutationemque, latine scriptam anno 1559. edidit, quam quaere in scriptis Melanthonis. Hic articulos cum praefatione in usum scholae editos habes, de quibus conf. *Strobelii* Neue Beiträge zur Literat. T. III. p. 167sqq. — Primum prodierunt:

1) „Die Abgöttische Artickel, gestellet von einem Mönch in Bayern, darauff die Inquisitio soll fürgenommen werden. Die Gott gnediglich abwenden wölle. Anno 1558. Mit einer kurzen Erinnerung Philippi Melanthonis. Gedruckt zu Wittemberg, durch Georgen Rhawen Erben." (1 pl. 4.)

2) „Die Abgöttische Artickel, gestellet etc." — — eod. ibid. et apud eundem; literis maioribus quam editio prior. (1 1/4 pl. 4.)

3) „Greuliche, erschreckliche, Abgöttische Artikel, gestellet etc. — — Eisleben durch Urbanum Kaubisch. 1558." (1 pl. 4.) — Haec Strobelius. — Porro autem:

4) „Die Abgöttische Artikel, gestellet etc. — — Anno M.D.LVIII. Mit einer kurzen Erinnerung Philippus Melanthonis. Gedruckt zu Nürnberg durch Hans Glaser Briefmaler." (1 pl. 4.)

Prima editio iterum recusa est in den Unschuldigen Nachrichten, ann. 1730. p. 405 sqq. — Hanc contuli, simulque editionem Norinbergensem, quam Strobelius, quod miror, non novit. — De re ipsa conferantur etiam epistolae Melanth. d. 27. Septb. d. 4. et 16. Oct.

(*Articuli Bavaricae inquisitionis.*)

Vorrede Philippi Melanthon.

Der edle und heilige Name Kirche Gottes, oder Ecclesia, wird mißbraucht von den Päpstlichen zu Stärkung vieler öffentlichen Abgötterei. Darum ist noth, die hochbetrübten Christen zu trösten, die durch diesen scheinbarlichen Namen sehr geängstigt werden. Und soll dargegen der klare offentliche Spruch des Herrn Christi gehalten werden von der Lästerung wider den heiligen Geist, daß dieselbige Sünd nicht vergeben werde. Wenn gleich vor dieser jetzigen Offenbarung des Evangelii etliche im Papstthum selig worden, und rechte Gliedmaß der Kirchen gewesen sind, als Bernhardus, Bonaventura und andere, die Abgötterei in Unwissenheit getrieben haben, und doch endlich zur Barmherzigkeit um des Herrn Christi willen Zuflucht gehabt: so folget doch nicht daraus, daß keine Abgötterei im Papstthum sey. Vielweniger folget dieses, daß man Irrthum und Abgötterei stärken soll, so sie Gott geoffenbaret hat, sondern dieselbige Stärkung ist Lästerung wider den heiligen Geist, und machet offentlichen Unterscheid wahrhaftiger Kirchen Gottes und der Feinde Gottes, welche den heiligen Namen Kirche schändlich mißbrauchen. Und ist gewißlich wahr, daß die Verfolger erkannter Wahrheit nicht Gottes Kirche sind, sondern sind solche Leut, davon der Sohn Gottes spricht: ihr seyd aus euerem Vater dem Teufel. Und sollen die [1]) zween Sprüch gegen einander gehalten werden: oves meae vocem meam audiunt; und: vos ex patre diabolo estis.

Wie die Lästerer, Verfolger und Mörder des Herrn Christi nicht Gottes Kirche gewesen sind, ob sie gleich im ordentlichen Regiment saßen, sondern die Zuhörer des Herrn Christi sind die wahrhaftige Kirche Gottes: also ist jetzund auch zu richten. Und haben die Päpstischen [2]) nach der jetzigen Offenbarung des Evangelii keinen Behelf mit den Exempeln etlicher, die vor dieser Zeit in Irrthum gesteckt sind, und werden dennoch vor heilig geachtet. Es sey mit denselbigen wie es ist, so folget doch nicht, daß man erkannter Wahrheit widerstreben soll, sondern alle Menschen sind schuldig, Abgötterei zu fliehen, ob sie gleich zuvor viel hundert Jahr gestanden ist. Denn Gott hat dieses auch verkündigt, daß in der letzten Zeit viel Irrthum und Abgötterei durch diese einreißen werde, die sich rühmen, daß sie die höhesten Regenten der Kirche, wie im Volk Israel Baaliten, und hernach Pharisäi und Zadducäi gewesen sind.

Wer nun diese abgöttische Artikel lieset, die ein ungelehrter rasender Mönch in Bayern gestellt hat, der wolle sich nicht betrügen lassen mit dem Schein von der Kirchen, sondern halte sich zu diesem Spruch, daß man erkannte Wahrheit nicht lästern soll, daß auch die Lästerer erkannter Wahrheit und Mörder der Gliedmaßen Christi gewißlich nicht Gottes Kirche sind.

Diese kurze Erinnerung habe ich guter Meinung gethan, und hoffe, es werden christliche Pastores von jedem Artikel insonderheit das Volk treulich berichten, welches ich mit Gottes Hülfe auch zu thun vorhabe. Wittenberg, 3. Octobris Anno 1558.

Folgen die Artikel.

1) Was die heilige christliche Kirche sey?

2) Woran oder bei wem dieselbige christliche Kirche erkannt werden möge?

3) Ob sie glauben, daß dieselbe nicht allein unsichtbar, sondern auch sichtbarlich sey?

4) Ob sie festiglich und ohne allen Zweifel glauben, und lehren, was die allgemeine Römische und Katholische Kirche zu glauben verordnet und befiehlt?

5) Ob sie glauben, daß außerhalb derselben Kirchen weder Heil noch Vergebung der Sünden sey? Daß auch alle die, so sich mit fürsetzlichem Gemüth von ihr absondern, für Ketzer und Abtrünnige billig gehalten werden?

1) ed. Norimb. diese.
2) ed. Norimb. Päpstlichen.

6) Ob sie glauben, daß die katholische Kirche bei denen, so jetzt zu unsern Zeiten die Römische Kirche und der Bischoffe ordentliche Succession, auch die geistliche Regierung, so von Alters her auf uns gekommen, nicht erkennen, oder aber bei den Christen, so gemeiniglich katholisch genennet werden, und die Einigkeit der Kirche unter dem Gehorsam eines Römischen Bischofs ehren und erhalten zc., zu finden sey?

7) Ob sie glauben, daß die heiligen allgemeinen Concilia in Sachen, so den Glauben betreffen, und hernach von der ganzen christlichen Kirchen angenommen sind, damals geirret haben, und ob sich gebühre, derselben Decreta und Satzungen wiederum zu disputiren oder zweifelhaftig zu machen?

8) Ob sie glauben, daß in der heiligen christlichen Kirche sieben Sacramente seyen, und ob man dieselben für kräftige und gewisse Zeichen göttlicher Gnade halten soll?

9) Ob sie glauben, daß im Amt der heiligen Meß Brod und Wein durch die Consecration des göttlichen Worts in das wahre Fleisch und das wahre Blut Christi wesentlich verwandelt werde, also, daß alsbald nach geschehener Consecration das wahre und lebendig machende Fleisch und Blut Christi mit seiner wahren Gottheit, allein unter äußerlicher Gestalt, vor und nach der Nießung wahrhaftig, ganz und wesentlich vorhanden sey?

10) Ob sie das Sacrament des Altars, welches zum Gebrauch der Gläubigen und anderer Christgläubigen behalten wird, allein für ein bedeutlich Sacrament, und nicht für den wahren Leib und Blut Christi halten?

11) Ob sie glauben, daß Christus im Sacrament des Altars wahrhaftig zugegen, anzubeten sey, wenn dasselbige durch den Priester aufgehoben, gezeigt oder gereicht wird?

12) Ob sie es für eine Abgötterei halten, wenn das Sacrament des Altars in seiner Behältniß, oder am Hin- und Wiedertragen angebetet wird?

13) Ob sie glauben, daß der wahre Leib und Blut Christi, und also der ganze Christus, unter einer jeden Gestalt des Sacraments begriffen, und derhalben einem jeden Christen, der nicht Priester ist, unter Einer Gestalt gereicht werde?

14) Ob sie glauben, daß solch Sacrament diene oder genommen werde zur Vergebung der Sünden?

15) Ob sie glauben, daß um Verhütung willen vieler Gefahr und Aergerniß in den Concilien zu Costnitz und Basel christlich und wohl beschlossen sey, daß man der heiligen Kirchen Gebrauch, die Laien unter einerlei Gestalt mit dem Sacrament zu speisen, keineswegs vor gottlos verdammen, sondern als gottselig und ziemlich halten soll, bis durch ein allgemeines christliches Concilium ein anderes zugelassen werde?

16) Wie sie die Wörter verstehen: das thut zu meinem Gedächtniß? Und ob dieser Befehl Christi auf alle Christen zugleich gezogen werden möge?

17) Ob sie den wahren Leib und Blut Christi in dem Sacrament des Altars für ein wahres und Gott angenehmes Opfer halten, welches in der christlichen Kirchen im Amt der heiligen Messe für Lebendige und Todte, bis so lang Christus zu richten kommen wird, unaufhörlich zu opfern sey?

18) Ob diese, so nicht zu Priestern geweihet, (deren dann bei den Evangelischen viel sind) einige Gewalt haben, aus Brod und Wein den wahren Leib und Blut Christi zu machen?

19) Ob sie glauben, daß drei Theile sind der Buße, nämlich die Reue, die Beichte, und die Genugthuung?

20) Ob sie glauben, daß die Umstände der Todsünden, als da sind Verzug, Zeit, Ort, Versäumung zc., in der sacramentlichen Beicht nothwendig angezeigt müssen werden?

21) Ob sie glauben, daß unser Genugthuen und Büßen nützlich sey, und dem Genugthuen Christi nichts entziehe?

22) Ob sie glauben, daß der Mensch einen freien Willen habe?

23) Ob allein der Glaube gerecht mache?

24) Ob sie glauben, daß unsre Werke, die wir in der Liebe vollbringen, des ewigen Lebens billig verdienstlich sind?

25) Ob sie glauben, daß man die hochgelobte Mutter Gottes, Martyrer und andre Heiligen, so bei Gott im Himmelreich leben, demüthiglich ehren, auch um Hülf und Vorbitte anrufen soll?

26) Ob sie glauben, daß die abgestorbenen Seelen, die in vollbrachter Buße von hinnen geschieden, und nicht genugsam gereinigt sind, in dem Fegfeuer gepeinigt werden? und ob ihnen die Gebete, Almosen und Opfer, so für sie in der christlichen Kirche geschehen, zu Hülfe kommen?

27) Ob die Ehe jedermann ohne einigen Unterscheid frei und erlaubt sey?

28) Ob sie den Gebrauch der Kerzen vor dem Sacrament des Altars, auch der lieben Heiligen Bildniß und Heiligthum gut heißen?

29) Ob sie ihnen die Weihung des Wassers, Kräuter und anderer Dinge, wie in der christlichen Kirche gebräuchlich, gefallen lassen?

30) Ob sie die Wall- und Kirchfahrten zu der lieben Heiligen Gebein oder ihren Tempeln für gottselig achten?

31) Ob sie die Oelung auch im Brauch haben?

Examinatores:

Iohannes Cressanicus Monachus, Concionator aulicus.

Leonartus Abbas Fürstenfeldensis.

N. Schteyckhart *), Secretarius Bavaricus.

Stephanus Thrayner, Consiliarius.

Iohannes Einckhirn, Quaestor Landeshutanus.

---

*) Mendose pro: Schweickhart.

No. 6613. 4. Oct.

Matth. Delio.

Epist. lib. II. p. 541. (ed. Lond. lib. II. ep. 565.).

D. Matthaeo Delio

S. D. Charissime frater, scis dici iustitiam alienum bonum, quia multis prosit aliis. Nam haec vita non potest carere mutuis officiis. Ideo te quoque virum iustum oro, ut nunc aurigam hunc nostrum adiuves empturum mihi butyrum. Hoc officium eo abs te peto, quia cum ab aliis peto, captare donationem videor. Volo mea pecunia emi, ut scit auriga. Mitto vobis pagellas inquisitionis *Bavaricae.* Talis saevicia nos hortari debebat ad coniunctionem *καὶ συγκρητισμὸν.* Ego responsiones iam publice trado ut pii adiuventur. Bene vale. Salutem opto D. D. *Paulo* et aliis amicis. Die 4. Octobris.

No. 6614. 8. Oct.

Hier. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 238. Hic ex autographo in cod. Monac. I. p. 236., cui Baumgartnerus adscripsit: „1558. 20. Oct. per Laur. Durrenhofer."

Hieron. Bomgartnero, Senatori inclytae urbis Noribergae.

S. D. Clariss. vir et Patrone cariss. Et debeo et habeo gratiam, quod in scribendo adsiduitatem praestas, cum quidem occupationes tuae, nobis notae sint: ac in his doloribus, quibus nunc excruciamur, levationem aliquam literae nobis tuae adferunt. *Ioachimi* luctus et mihi et multis aliis auget moestitiam, sed precemur Filium Dei, ut Ecclesiam publicam, et domesticas Ecclesias nostras servet et gubernet. Videmus enim quam sint humana omnia fragilia.

Hic iuvenis *Laurentius Dürnhofer Petreii* Typographi privignus etiam propter valetudinem in patrium aërem proficiscitur. Natus enim in coniunctione Solis et Lunae metuit tabem. Sed doctrina bene excultus est, et ut aditum ad te haberet, literas a me flagitavit, nec aliud petit, nisi ut a te Matri commendetur. Nam autoritatem tui iudicii multum sibi profuturum esse iudicat: adiungas autem et meum testimonium. Bene vale. Die 8. Octobr. *).

Philippus.

No. 6615. 9. Oct.

Io. Stigelio.

Danz. Epp. ad Stigel. ep. 94. Cod. Goth. 188. ep. 166.

Clarissimo viro, ingenio, eruditione et virtute praestanti, D. Ioanni Stigelio, τῷ Θεῷ, καὶ ταῖς Μούσαις, φιλτάτῳ, fratri suo carissimo, S. D.

Clariss. vir et carissime frater. Saepe hoc cogito, *στοργὰς* divinitus insitas esse humanis pectoribus, ut sint commonefactrices de amore Dei erga Filium et erga nos; quarum quanta vis sit, magis in doloribus sentimus, quos adferunt nobis nostrorum calamitates. Cum igitur tantam *στοργὴν* in nobis experiamur, nos quoque valde diligi a Deo, statuamus. Haec mihi cogitatio saepe in magnis doloribus levationem attulit, quam in tuo luctu intueri te, non dubito. Cogitabis et illud: non est voluntas patris, ut pereat unus de parvulis istis. Vides multorum piorum similes dolores. *Ioachimus* hoc anno duas filias [1]), virtute et pietate praestantes, et neptem amisit. Vult, nos dolere, Deus, sed moderari dolorem iubet, et adiuvat luctantes. Quae scribis de tua erga me perpetua benevolentia, mihi gratissima sunt, nec dubito de fide et constantia tua, et opto, nos omnes unum

---

*) Alia manus adscripsit: 1558.

1) Ipse Camerarius in Vita Melanthonis (ed. Strob. p. 360.) scribit: „Philippus nobiscum luxit obitum filiae atque neptis meae", videlicet Annae, coniugis Esromi Rudingeri et eius filiae. Melanthon igitur Annam et filiam eius appellat „*duas filias*", et suspicor post *praestantes* excidisse: *filiam*, ita ut scripserit Melanthon: *filiam et neptem amisit.* — Caeterum addere licet hic quaedam ex epistola Camerarii ad Advanum Albium, data d. 6. Ianuar. 1559. (in cod. Mehn. I. p. 322. ep. 14.). Scribit Camerarius: „fuit profecto anno „hoc toto (i. e. a. 1558.) varia fortuna mea. — Primum filiae „*Marthae* mors luctus causam dedit. Postea in patria de„flagratione partis aedium nostrarum detrimentum pro no„stris rebus magnum accepimus. Secutum est funus alterius „filiae *Annae*, cum *Esromo* populari meo nuptae, promissa „nepte. Interea domi graviter et periculose aegrotantem „fovimus et fovemus adhuc uxorem meam, quae mense Au„gusto incidit in febrem quartanam, invasionibus iam tri„plicatis. Mea quoque valetudo firmissima non fuit Atque „mihi tamen curationem Rectoris tulerunt aestivo semestri. „Et elocavi filiam *Magdalenam* quam duxit Professor apud „nos Mathematum *Ioannes Homilius.*"

in Deo esse. Nec futilibus inimicorum calumniis ita frangor animo, ut bonorum iudicia, et meae voluntatis conscientiam non anteponam. Bene et feliciter vale. Hospiti nostro *Stephano*, et propter tuam amicitiam et propter ipsius virtutem et vero patrui memoriam, studia nostra iis officiis ostendimus, quae nunc subito praestare potuimus, quae sunt *μικρὰ φιλοφρονήματα*. Utinam possem ulla in re magna tibi et tuis amicis gratificari. Iterum vale 7. Idus Octob. [2]).

Philippus.

Salutat te amanter Peucerus tuus.

No. 6616. 15. Oct.

Senatui Brandenburg.

Ex autogr. Mel. in cod. Seid. Dresd. edita in *Wegscheid.* Progr. I. ep 5.

Den Erbarn weisen und fürnemen Herrn Burgermeistern und Rath der löblichen Stadt, der Altenstadt Brandenburg, meinen günstigen Herrn.

Gottes Gnad durch seinen Eingebornen Sohn Jesum Christum unsern Heiland und wahrhafftigen Helfern zuvor, Erbare, weise fürneme günstige Herrn, Ewr Erbarkeiten dank ich von wegen der freundlichen Erzeigung zu beiden meiner armen Kinder Hochzeiten *), und bitt Gott den allmächtigen Erschaffer aller Creaturen und Vater unsers Heilands Jesu Christi, der ihm gewißlich ein ewige Kirchen im menschlichen Geschlecht durchs Evangelium sammlet, er wölle gnädiglich in diesen Landen selige Regiment und Frieden erhalten, und Euch und die Ewren bewaren, und unsern armen Kindern und ihren Nachkommen Kirchen und selige Regiment geben. Denn Ewr Erbarkeiten als verständige christliche Regenten sehen, wie große sorgliche Zerrüttungen und Spaltungen durch böse Leut gesucht werden. Der allmächtige Gott Vater unsers Heilands Jesu Christi, wolle uns helfen, und wo ich zu Einikeit dieser Land Kirchen dienen kann, das bin ich zu thun zum höchsten begirig. Datum 15. Octobris 1558.

Ewr Erbarkeit
williger Diener
Philippus Melanthon.

2) Cod. Goth. addit: 1558.

*) Manu antiqua adscripta leguntur haec: Phil. Mel. Danksagung bei der Tochter Anna und Katharina Hochzeit.

No. 6617. 15. Oct.

Cph. Libio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Christophoro Lybio, Pastori Ecclesiae Brandenburgensis.

Reverende vir et carissime frater. Gratitudinem vobis debeo, quod meis filiabus non defuistis, et oro, ut vestris precibus Ecclesiam et nostras domesticas Ecclesias commendetis. Mitto tibi articulos Bavaricae inquisitionis, qui ostendunt, quanta sit coecitas adversariorum adversus quos nos oportebat esse coniunctissimos. Nunc publice trado responsiones ad singulos articulos, quas edere cogito propter Ecclesias vicinas illis locis, ubi tyrannis iam exercetur ante inusitata. Bene vale, et ad me scribito. Die 15. Octob. [1559.]*)

Philippus.

No. 6618. 16. Oct.

E. Roggio.

Epist. lib. VI. p. 307 sq.

Everhardo Roggio, Dantiscano, Consuli Culmensi.

Cariss. frater. Sum Pater, nec ferreus, nec *ἄστοργος*, et magno dolore adficior in filiorum et filiarum calamitatibus. Ideo te quoque magno in dolore esse propter tuas credo. Nam quo melior est in homine natura, eo sunt expressiores *στοργαὶ*. Oro autem Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut tibi et leniat dolores, et mitiget adversa, et te et tuam domesticam Ecclesiam servet. Tu quoque tibi ipsi ex fontibus doctrinae divinitus traditae ea proponito, quae ad erigendas mentes tradita sunt. Vult Deus Ecclesiam cruci subiectam esse, sed non vult nos dolore opprimi, verum exuscitari ad invocationem, ut in ipso acquiescamus et laetemur. Meministi dictum apud Esaiam: *Tua castigatio facit, ut clament ad te cum gemitu*, quod Graeci paulo aliter reddiderunt

*) Annum uncis inclusi; nam scripta est, ut argumentum docet, anno 1558. — Paulo ante nuptiae filiarum Sabini fuerant.

his verbis, Ἐν θλίψει μικρᾷ ἡ παιδεία σου ἡμῖν. Ait brevem esse afflictionem, quia huius Vitae omnia laeta et tristia aliquando desitura sunt. Intueamur igitur aeternam consuetudinem, quae erit cum Deo, et nos ad eam praeparemus. Scriberem plura si tempus concederetur.

Mitto Bavaricae Inquisitionis seu tyrannidis potius articulos, de quibus iam in praelectionibus trado responsiones. Bene vale, die 16. Octobris, qua Demosthenes mortuus est ante annos 1881, quem dolendum est tantam vim ingenii in rebus inutilibus consumpsisse et fuisse *σκεῦος ὀργῆς*. Nos Deo gratias agamus laeti, quod ad meliora negotia vocati sumus, et petamus ut gubernemur a Filio Dei, ut simus *σκευὴ ἐλέους*.

Ph. M. frat. tuus, senex, qui a climacterico anno 63. non procul abest.

No. 6619. 18. Oct.

Ge. Agricolae.

Episl. lib. II. p. 570. (ed. Lond. lib. II. ep. 592.). — Hic ex autographo in cod. Goth. 400.

Georgiae Agricolae, gubernanti studia doctrinae Ambergae.

S. D. Doctissime vir et charissime frater. Velim te mihi scribere περὶ τῆς ἐξετάσεως, quae in vicinia vestra instituta est, de qua mitto vobis pagellas additas huic Epistolae. Institui autem responsiones de singulis articulis, quas spero piis profuturas esse. Utinam vero ut in adversariis rabies crescit, ita crescat *) in nobis pietas, et studium concordiae, praesertim cum tam multi hostes undique Ecclesias nostras oppugnent. Sed oro Filium Dei, ut nos gubernet. Ducis *Bavarici Alberti* vicem doleo, qui ornatus a Deo, non solum pulcherrima regione, sed etiam ingenio et sapientia, his donis non utitur ad ornandum gloriam Dei, et suis Ecclesiis, quae debebant esse decus patriae, non lenit moestitiam. Adolescens *Staudacherus* nobis curae erit, ac decrevi *Noricos* nostros convocare omnes, ut eorum studia inspiciam, desidero enim in quibusdam diligentiam. Bene et feliciter vale. Die Lucae 1558.

Philippus Melanthon.

*) Peuc. *cresceret*.

No. 6620. 18. Oct.

Testimon. G. Schmidio datum.

† Ex autographo Melanth. in cod. Landshut. p. 7. mihi descriptum a S. V. *Schulzio*. — (Simile carmen habetur in Mel. Consil. lat. T. II. p. 398.)

Precatio.

Aeterno genitore nate Christe
Oratorque tui sinu parentis
Vocem Evangelii ferens docendam,
Quam nos discere tu iubes severe
Et qua mentibus inseris piorum
Vitam, iusticiamque sempiternam,
Tu sol iusticiae doceto nostras
Mentes, et radiis tuis repleto
Ac in cordibus excitato flammas,
Quales lex tua nos habere iussit
Has accendito Spiritus vigore,
Quem de pectore das tuo, petenti,
Non est, te nisi dante, fausta virtus,
Sed nos auxilio iuvas petentes.

Ego *Philippus Melanthon* testor hunc *Georgium Schmid*, Gorlicensem initiatum esse studiis honestae doctrinae Anno 1558. die Lucae, et oro filium dei dominum nostrum Iesum Christum, ut totum vitae huius *Georgii* cursum gubernet.

No. 6621. 24. Oct.

Abd. Praetorio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54*.

Abdiae Praetorio, Lectori in Academia Francofordiana.

S. D. Clariss. vir et carissime frater. Scis illud Demetrii Phalerensis, qui dixit, Aristotelem in epistolis interrogatum de longioribus disputationibus solitum respondere: *ταῦτα οὐκ ἔστιν ἐπιστολικά*. Idem ego saepe usurpo. Libenter ad te integra volumina de nostris disputationibus mitterem; sed scis, mihi tempus deesse. Omnino autem decrevi, coram tecum de multis rebus colloqui. Deus *καρδιογνώστης* testis est, me non *φιλονεικίᾳ* aut *δοξομανίᾳ*, sed simplici studio quaesivisse explicationes controversiarum, quae extant. Et semper volui iudices esse pios et doctos. Sed haec coram. Mitto pagellas Bavaricas,

et iam institui responsiones ad singulos articulos, in quibus necesse erit, et *βλακικὰ* quaedam attingere. Sed *Staphylum* referire durius oportet. Bene vale. Die 24. Octobr. Quaeso ut huic meo nuncio des aliquid literarum.

Philippus.

No. 6622. 25. Oct.

Io. Matthesio.

Epist. lib. II. p. 36. (ed. Lond. lib. II. ep. 19.):

D. Iohanni Matthesio

S. D. Reverende vir et charissime frater, Cum pii omnes magnis doloribus excrucientur propter publica et insanabilia mala, erat pietas privatos dolores, quantum fieri possit, bonis lenire. Ideo non raro sum deprecator pro aliis, sed doleo in amici tui causa nos non impetrasse mitigationem, et existimo, rem arte impeditam esse, cum aegrotaret is, ad quem scripsi, ut intelliges ex Epistola, quam huic inclusi. Potest peti deprecatio in *Augustano* conventu, praesertim cum eo et *Georgius Cracovius* accessurus sit. Mitto tibi pagellam de *Bavaricis* articulis, ac iam publice trado responsiones ad singulos articulos. Utinam adversus hos communes hostes coniunctionem nostri inter se tuerentur, sed vides qui divellere nostrum exercitum studeant. Oro autem Filium Dei, ut nos gubernet, et faciat ut quam plurimi unum simus in ipso. Quaeso ut Dominum *Maiorem* amanter complectaris et ornare studeas. Bene vale. 25. Octobris.

No. 6623. 29. Oct.

T. Heshusio.

† Ex autographo Melanthonis in biblioth. Nobil. a Schrader Guelpherbert. descripta a *N. N.*

Reverendo viro eruditione et virtute praestanti, Tilemanno Heshusio, Doctori Theologiae in inclyta Academia [*Witebergensi*] *), *fratri suo carissimo,*

S. D. Reverende vir et carissime frater. Mitto tibi pagellam de *Bavaricis articulis*, de quibus et responsiones ad singulos institui, quas publice in praelectionibus trado et brevi edam, quia prodesse piis existimo, videre quomodo *εὐστίχως* ad singulos respondendum sit, cum insidiae et *γοητεῖαι* retegendae sint. Utinam nostri contra communes hostes defensionem nostrarum Ecclesiarum susciperent, non quaererent divulsiones! Sed filium Dei oro, ut nos gubernet, quem spero nobis adfuturum esse. Te oro, ut de vestris Ecclesiis mihi scribas, ac nominatim peto, ut significes an in Phorcensi *) congressu deliberationes *περὶ διδασκαλίας* institutae sint. Quaeso, ut per hunc Pomeranicum nuntium respondeas. Bene vale. Die Octobris 29. Philippus Melanthon.

*) *Witebergensi?* imo *Heidelbergensi.*

* De eo vid. ep. d. 18. Sptb.

No. 6624. 2. Nov.

Andr. Iunio.

Epist. lib. II. p. 275. (ed. Lond. lib. II. ep. 276.).

D. Andreae Iunio

S. D. Necessaria est et grata Deo diligentia, quaerere descriptiones personarum divinarum pias et eruditas, ut scriptum est: *Haec est vita aeterna, ut agnoscant te verum Deum, et quem misisti Iesum esse Christum.* Ad hanc aeternam sapientiam, his initiis, de quibus quaeritis, opus est. Mihi bene placet, addi in descriptione aeterni Patris, qui, *qualis sit in lege declaravit, et misit Filium, ut esset Redemptor et Salvator.* Idque intelligi volo, quia mox addo Filii descriptionem, ubi commodius de duarum naturarum unione dicitur, quam in priore definitione. Praeterea in definitione Dei addo, *sicut se patefecit divinitas, ibi comprehendo totam patefactionem.* Fateor meas descriptiones tenuiores esse, et me velim moneri, quia in tot seculorum scriptoribus paucissimae reperiuntur definitiones; malo igitur aliquas utcunque delineari. Et hic [1]) iam *περὶ λόγου* magnam quaestionem et necessariam explicavi. Oro autem ipsum Filium Dei *λόγον*, ut nos doceat et regat. De *Heniochena* Ecclesia, tunc cum redibit pastor *Christophorus*, deliberare poteris [2]). Sed si voles *Sleusingen* proficisci, non

1) i. e. Torgae.

2) Iunius postea praefuit Ecclesiae in Senftenberg. Vid. ep. d. 17. Mart. 1558.

deerit tibi meum officium, quanquam ea de re etiam certius statues, cum redierit pastor Ecclesiae *Heniochenae*. Principes *Hennebergici* rursus, postquam hinc abiisti, ad me scripserunt, et petunt pastorem mitti in pagum, ubi reditus sunt sexaginta aureorum. Si quis istic vult ad eam Ecclesiam proficisci, ad me veniat. Bene vale. Die 2. Novemb.

No. 6625. 4. Nov.

U. Mordeisen.

Edita ex autographo (olim in bibliotheca Adami Christophori Iacobi, Consiliarii Elect. *Sax.*) Dresdae descripta a *Christiano Iunckero* et ab eo edita in libro: *Iunckeri* vita Martini Lutheri nummis atque iconibus illustrata (1699. 8.) p. 125

Ulrico Mordisin (Consiliario Ducis Sax. Elect.)

Clarissime vir et Patrone colende. Mitto et *Landgravii* litteras et meam responsionem, de qua poteris mihi significare, an praeter haec ad eum aliquid scribere velitis. In his pagellis, quarum vidit initium D. *Laurentius* vir clarissimus, narrationes quorundam actorum Wormatiensium recito, quod scire vos necesse est. Adversarii nostri non expetunt colloquium, sed tamen ostendi potest, nos, praesertim si aliquid serium ageretur, non defuturos esse communi tranquillitati. Libenter et ab illis Papistarum fucosis actionibus et sycophantia *Flaciana* discedam quandocunque me Deus discedere volet vel morientem vel exulantem. Moriens accedam ad scholam filii Dei et coelestes Ecclesias, exulans inveniam Deo iuvante hospitium apud meliores *Flacio*, qui minatur, se perfecturum, ut tota Germania expellar. Oro Deum, ut nos regat atque tegat. Bene valete, die 4. Novembr. 1558.

Philippus Melanthon.

No. 6626. 4. Nov.

Eidem.

Epist. lib. V. p. 165 sq.

Ulrico Mordisin.

S. D. Clarissime vir, et charissime Patrone. Hodie misi ad vos *Landgravii* literas ad me scriptas, et meam responsionem, ac spero *Thomam* Argentoratensem, cui tradidi, fideliter redditurum esse. Nunc scribo de viro honesto et erudito Doctore, *Nicolao Reinholt*, Cygneo, qui hic privatim Institutiones Iuris interpretatur, et auditores utiliter docet. Petit autem locum inter caeteros, qui scribunt sententias. Non sumo mihi iudicium de aliena professione, sed opto florere omnium doctrinarum studia, et sum hortator iunioribus, ut ament et venerentur leges et Iurisconsultos, et fontes discant, multorum etiam barbariem et refutavi et repressi, qui legum autoritatem labefactari conati sunt. Quare, ut mihi petenti pro Doctore *Nicolao* non arrogantiam aut temeritatem tribuatis, oro. Sed cum eius diligentiam in docendo laudari audiverim, et sciam, virum modestum esse, et sperem, assiduum fore, oro, ut eum adiuvetis. Precor autem Deum, ut harum regionum Ecclesias et Politias gubernet et protegat. Bene valete. Die 4. Novembris 1558.

Philippus Melanthon.

No. 6627. 5. Nov.

Iohanni Alberto D. M.

Ex autogr. in tabul. Suerin. edita in Monumentis ineditis rerum Germanicarum praecipue Cimbricarum et Megapol. studio E. Io. de Westphalen. T. IV. (descripta nobis a Clariss. *Foerstemanno*). — Contuli apogr. in cod. Paris. D. L. 54 [3].

Ioanni Alberto, Duci Megapolitano.

S. D. Illustrissime et clementissime princeps. Scio, Celsitudini vestrae notum esse veterem versum: Principis est virtus maxime nosse suos; quem versum tamen *Stigelius* recte emendat hoc modo: Principis est virtus maxima nosse deum [1]). Postea non male additur [2]): Principis est virtus altera nosse suos. Est autem in Academia nostra *Simon Pauli*, natus in oppido Suerino ex honestis parentibus, qui multos hic utiliter docet, et cum [3]) initia [4]) philosophiae tum vero [5]) Ecclesiae doctrinam recte tradit. Hic Simon cum intellexis-

---

1) Westph. *demum.*
2) *postea non male additur*] sic cod. Par. Sed Westph. tantum: *adde.*
3) *cum*] Westph. non habet.
4) *initia*] Westph. mendose: *publice.*
5) *vero*] Westph. *et.*

set, Celsitudinem V. flagitare, ut aliquis istuc mittatur ad docendum idoneus, mihi exposuit, se in hac tanta confusione nusquam vivere malle quam in patria et sub tali [6]) principe, in quo excellens sapientia cum iustitia et pietate coniuncta est, sed tamen optare se, ut in Academia sibi locus docendi tribuatur [7]), sicut vir doctissimus *David* significavit, quaeri non concionatorem aulicum, sed qui Rostochii in templo et in Academia doceat. Non dubito, C. V. huius Simonis eruditionem et iudicium, ubi eum audierit, probaturam esse. Ideo C. V. reverenter oro, ut eum, cum et subditus sit et doctrina instructus et modestus, clementer ornet.

† Mitto C. V. pagellas de inquisitione Bavarica, quas non sine gemitu leget, et tamen utile est, pios considerare, quanta sit in adversariis rabies, ut, cum vident manifesta idola stabiliri, magis ament nostras Ecclesias, et piam coniunctionem tueantur. Bene et feliciter valeat Celsitudo V. Datae die quinto Novembris, qui est Ebraeis mensis Kisleu, celebratus in Zacharia et in Maccabaeis. Est autem vera etymologia vocabuli Kisleu quasi dicas Ὠριωνειος. Ita sapiens vetustas nomina mensibus tribuit et sideribus. Anno 1558." [8])

Celsit. vest.

servus

Philippus Mel.

No. 6628. 5. Nov.

Petitio eleemosynae.

In Manlii farr. p. 368., in Scriptis public. III. p. 212 sq. et apograph. in cod. Mehn. No. 4. p. 9 b.

Lecturis has literas.

(In scriptis inscribitur: *Eleemosynae alia petitio Pastori in Berkitz data.* Priorem vid. d. 20. Aug. h. a.)

S. D. In Argonautico carmine describitur immanitas τῶν Μοσυνοίκων, quos esse *Moscovios* consentaneum est, et in Psalmo 120. querela est Ecclesiae, quod exulet inter *Mesech*, quod etiam Moscovios interpretor. Poterant enim noti esse vicinis Phoenicibus, quia tunc ea loca tenuerunt, quae postea Galatae et Cappadoces occuparunt. At nunc quidem crudelitatis exempla Muscovii ostendunt in *Livonia*, ubi magnam multitudinem in Tartaricam servitutem abducunt, et honestis matronis ac virginibus, tutantibus pudicitiam, ubera praecidunt. Sed ut Psalmus dicit, semper aliquos habet Ecclesia hostes, illorum similes, ut nunc in multis regionibus saevitia exercetur. Recens etiam in *Bavaria* exasperata [1]) est [2]). Ut autem Deus protegat has regiones, in quibus hospitia Ecclesiae tranquilliora praebuit [3]), crescat in nobis pietas, et simus officiosi erga miseros Pastores. Ideo cum nuper in incendio *Berkitz* conflagraverint et pastoris domus et horreum et fruges hoc anno natae, oro, ut egenti Pastori opem feratis, et in hoc officio exerceatis precationem ad Deum, et fidem et spem, petatis [4]), ut Deus nobis et Ecclesiae poenas leniat, et vos et Ecclesiam protegat, et haec beneficia a Deo expectetis propter filium intercessorem. Et hac spe erecti, mementote etiam gratitudinem erga Deum declarandam esse his eleemosynis, sicut scriptum est: *Date, et dabitur vobis.* Et ad Corinthios scriptum est: *qui suppeditat semen seminanti, praebeat et panem ad cibum, et augeat sementem vestram.* Datae Nonis Novembris, anno 1558.

Philipp. Melanthon

manu propria.

No. 6629. (fere hoc m.)

Ge. Cracovio.

Epist. lib. II. p. 374. (ed. Lond. lib. II. ep. 388.).

D. Georgio Cracovio

S. D. In historia *Pauli Aemylii* est, velle se accipere gubernationem, sed hoc se iam praedicere, nolle se milites fabulosa serere καὶ παραστρατηγεῖν. Ita malueram et ego nostros amicos

---

6) *tali*] Westph. *eo.*

7) Vid. ep. d. 7. Dec. h. a.

8) *Mitto C. V. pagellas — anno* 1558.] Westph. non edidit.

1) Cod. Mehn. *experta.*

2) Pro *illorum similes* etc. Manl. edidit: *qui eam persequuntur; et similis crudelitas nunc in multis regionibus exercetur.*

3) Manl. *tribuit.*

4) Pro *petatis*, quod est in cod. et Script. publ. habet Manl. *pietatis.*

praesertim in publica concione de illo optimo Principis consilio tacuisse. Sed feramus et tegamus tales ineptias, praesertim cum alia maiora impendeant. Heri audivi rursus his diebus ἐν τῇ μεθώνῃ τὸν βλάκιον et *Sarcerium* fuisse, et cudi παρασκευὴν ad *Augustana* certamina. Commendemus nos Filio Dei. Amicitiam *Iacobi* magnifacio, et retinere cupio etiam propter Ecclesiam, sed mihi has curas leviores facit, veniens annus climactericus, qui si me ad sodalitium coeleste abducet, liberabor ab hac γιγαντομαχίᾳ. Vere adfirmo, me quae lenii in disputationibus Theologorum, leniisse studio veritatis et perspicuitatis, et ut prodessent discentibus. Tuam orationem *) velim nobis mitti, ut dem Typographo. Bene vale.

*) Haud dubie orationem de Ludovico Bav. quam habuit Cracovius Cal. Decbr. 1558.

No. 6630. 10. Nov.

Friderico Duci Sil.

Epist. lib. III. p. 60. (ed. Lond. lib. III. ep. 27.). Conf. de eadem re epist. d. d. 1. Oct. h. a.

Friderico Duci Silesiae in Lignicia, Briga et Goltberg etc.

S. D. Illustrissime et Clementissime Princeps, Nihil dubium est ordinem politicum et imperia, Dei et opus et beneficia esse, et praeficere Deum gubernatores generi humano, ut curent populos recte doceri de ipsius invocatione, et sint custodes disciplinae et pacis. Ac in familia vestra aliquot seculis multi Principes fuerunt, qui patriam doctrina, legibus et iudiciis ornarunt. Praecipua vero laus est optimi Principis Patris Celsitudinis vestrae, qui emendavit Ecclesias; Curavit recte erudiri iuventutem: et Scholam *Goltpergensem* constituit, quae plurimum profuit, et adhuc prodest Ecclesiis. Nec dubium est hanc pietatem in Patre Deo gratam fuisse. Erit et grata Deo pietas Celsitudinis Vestrae in servandis Ecclesiis et Scholis, quas eo magis tueri Celsitudinem Vestram decet, quia doctrina et literis praeclare instructa est.

Cum autem ad Scholae gubernationem nostro consilio accersitus sit vir excellens eruditione et virtute *Henricus Paxmannus*, Doctor artis Medicae, reverenter eum Celsitudini Vestrae commendo. Mores sunt casti et pii, Eruditio eius in lingua *Latina* et *Graeca*, et in omnibus Philosophiae partibus eximia est. Ac spero, Deo iuvante, fidem, consilium in docendo, et eruditionem eius iuventuti plurimum profutura esse. Morum exempla etiam ornamento Ecclesiae erunt; Et quidem in tuenda concordia et Ecclesiae et Scholae prudentem et gravem fore non dubito.

Oro igitur Celsitudinem Vestram, ut clementer eum excipiat, et Scholae gubernationem ei commendet, ac Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, custodem Ecclesiae oro, ut Celsitudinem Vestram, et Celsitudinis Vestrae Filium, et Ecclesias et Scholas et earum hospitia in *Silesia* servet et gubernet. Bene valeat Celsitudo Vestra. Anno 1558. Die 10. Novembris, quo die natus est Lutherus.

No. 6631. 10. Nov.

Iac. Bordingo.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54 [3].

Iacobo Bordingo, Ἀρχιάτρῳ inclyti Regis Daniae.

S. D. Clariss vir et cariss. frater. Mitto tibi pagellas de Bavarica inquisitione, quas non sine gemitu leges, nec tantum hostium deplorabis furores, sed etiam . . . *) nostrorum perversitatem, qui dissidia accendunt in nostris Ecclesiis et stabiliunt idola pontificia tetra καὶ βδελυκτά. Utinam coniungeremus nostras copiolas adversus communes hostes, et omitteremus μωρίας φιλονεικείων inter nos, ut nominat Thucydides. Trado iam responsiones ad singulos articulos. Oro autem filium Dei, ut nos gubernet. In his regionibus adhuc sunt halcyonia Dei beneficio: sed formidatur reditus equitum ex Gallia, qui iam Episcopis ad Menum minitati sunt. Noster tabellarius adfert literas de pecunia, quam debet *Osio* vir nobilis, eques Danicus *Hacken:* quaeso ut adiuves Osii petitionem iustam. Bene vale et rescribe.

*) Apogr. habet *oro*, quod mendum est. Legendum est vel *eorum*, vel *quorundam*.

Deum oro, ut inclytum Regem, et te et tuos servet. Datae die natali Lutheri.

No. 6632. 14. Nov.

D. Chytraeo.

(Ex David. Chytraei epistolis p. 1217.)

Dav. Chytraeo.

Clarissime vir et carissime frater. De tua querela primum respondeo: nec sciente, nec volente me edi ea scripta, de quibus questus es [1]). Sed cum finem nullum faciat *παφλάζειν Flacius*, irritavit tandem hos, qui illa edunt, qui aliquanto sunt vehementiores quam ego sum, et quam velim eos esse. Sed virulentia Flaciana illos etiam incendit. Nunc movet Quaestionem de *Trunco.* Nec putes me abiecturum esse eam causam. Optimi viri, *Snepius* et *Victorinus* noluerunt esse *σύμμαχοι τοῦ ὑπερηφάνου.* Sed haec alias. Doleo, ex hac militia *Snepium* [2]) abductum esse. Sed ipse beatus, iam fruitur dulci consuetudine caelestis Ecclesiae. Mitto tibi edictum de funere eius propositum. *Petrum* nostrum [3]) commendaveram Duci Pomeraniae petenti indicari lectorem theologicum. Sed postea cum nihil responderent, animadverti Pomeranorum animos mutatos esse. Quod ego eo fero aequiore animo, quia conscientiam optimae voluntatis erga Ecclesiam et ipsos habeo. Nunc *Petrum* commendo Duci Prussiae et spero Ecclesiae profuturam esse *Iohanni Aurifabri* et *Petri* coniunctionem. Bene vale et rescribe. Die 14. Novembris.

Philippus.

No. 6633. 14. Nov.

Io. Aurifabro.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54 [3].

1) Scripta satyrica contra Flacium et Chytraeum edita a studiosis Viteb. Vid. Salig's Hist. der Aug. Confess. P. III. p. 410.

2) Mortuus est d. 1. Nov. 1558.

3) *Petrum Sickium.*

Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Ioanni Aurifabro, Doctori Theologiae (in Academia Regiomontana) fratri suo γνησίῳ et carissimo.

S. D. Reverende vir et carissime frater. Memini praestantem virum *Pirkamerum*, *ὃς πολλὰ παλαιά τε ᾔδη* *), praedicere eruptionem gentium Scythicarum in mediam Europam: quod quidem de Turcis tunc intelligebamus, qui fortassis et Tartaros adducerent. Sed ille praeter Turcica bella etiam aliarum gentium migrationes futuras esse existimabat. Si Mosynoi [?], qui a nostris Moscovii nominantur, Livoniam occupabunt, in totum littus Arctoum illa barbaries influet. Etsi autem haec paucis curae sunt, tamen ego optarim, nostros bellatores potius illam barbariem reprimere, quam stipendia Gallica et Belgica appetere. Sed haec Deo commendemus, et speremus, Ecclesiae reliquias inter has gentium confusiones servaturum esse, et petamus, ut nostras familias in Ecclesia servet et protegat, cum quidem sciamus, hanc senectam mundi non leves tumultus habituram esse. Haec ad eam partem tuae epistolae, in qua mentionem facis Livonici belli, respondere volui, ut scias, me accepisse literas traditas nuncio *Erasmi* Salveldensis. De caeteris negotiis alias respondebo.

Nunc tibi commendo hunc Magistrum *Petrum Sickium*, virum honestum, eruditum et pacis amantem, ac recte sentientem de tota Ecclesiae doctrina, de quo et ad Principem scripsi. Nam in literis, quas Illustrissimus Princeps ad *Ionam* sua manu scripsit petitum est, ut indicarem virum idoneum ad lectionem theologicam in Academia vestra. Eram indicaturus *Erhardum Sneppium*; sed mors nobis eum eripuit. Postea de hoc *Petro* cogitavi, cuius modestiam statim cognosces ex aliquot dierum consuetudine: et recte eum sentire de tota Ecclesiae doctrina iudico. Hic enim et theologica docuit et philosophica. Adfirmavit hoc quoque, se non discessurum esse a tuis sententiis, quod Principi scripsi. Nunc te oro, ut eum et Illustrissimo Principi commendes, et tuo suffragio adiuves, cum propter ipsius virtutem, tum vero propter meam amicitiam, quae mihi tecum est sincera, et quam volo mihi tecum esse aeternam, qua et dulcius fruemur in coelesti

*) Sunt verba Homeri Odyss. II, 188.: *παλαιά τε πολλά τε εἰδώς.*

consuetudine, quam hic frui possumus. Sed tamen donec in hac militia sumus, declaremus mutuam benevolentiam officiis, quae praestari possunt, in quibus etiam Ecclesiae prodesse studeamus. Bene vale carissime frater. Die 14. Novembris, qui est Ebraeis Kisleu, id est ὠρίωνος. 1558.

Philippus Mel.

No. 6634. 14. Nov.

A. Hardenbergio.

Epp. ad Hardenberg. ep. 22.

D. Alberto Hardebergio.

S. D. Reverende vir et carissime frater. Accepi et eas literas, quas seni vestro tradidisti, et alteras, quas *Vitus* Iurisconsultus, Medici filius, attulit, et tibi gratiam habeo de assiduitate, quam in scribendo praestas. Sed velim te in optima causa, tranquilliore animo esse. Ego hactenus nec distractiones maiores, nec dissipationes mea fuga facere volui. Sed avide et tranquillo animo expecto exilia, sicut et ad Principes scripsi. Dixerunt adversarii, se perfecturos esse, ut non sim habiturus vestigium, ubi pedem collocare possim in Germania. Utinam hoc cito perficiant, ut filius Dei ad Iudam dicit. Erit mihi vel in coelo vestigium morienti: vel si utinam in hoc corpore apud honestos et doctos viros, vel in Germania vel alibi. Ac stultitiam inimicorum miror, qui sese Dominos Germaniae esse existimant, et me his minis terreri. Te quoque oro, ut sinas illos triumphare, nec a moderatione tua discedas. Deus dabit occasionem explicandae controversiae. In congressu *Phorcensi* *) nihil actum est praeter ea, quae in pagellis recitantur, quas mitto. De conventu *Augustano* tunc deliberabimus, cum res poscet. Nec arbitreris Principes huius controversiae mentionem admissuros esse. Et optarim ea de re doctos audiri. Denique te oro, ut tranquillo animo expectas ea, quae Deus nos et agere et sustinere volet. Commendemus Deo viam, in quam nos vocavit, et precemur eum, et ipse faciet. Bene vale. Die 14. Novemb. qui est mensis Kasleu, id est ὠρίωνειον. Ita sapiens vetustas mensibus nomina tribuit a sideribus 1558.

Phil. Melanthon.

*) Vid. ep. d. 18. Sept. h. a.

No. 6635. 15. Nov. (h. a.?)

W. Kilmanno.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[4].

Venerabili viro, eruditione et pietate eximia praedito, Domino Wenceslao Kilmann, Pastori Ecclesiae Custrinensis, fideli amico suo

S. D. Heri tuo nuntio literas dedi ac de quaestione respondi, de qua certamina moveri a quibusdam significasti. Nunc ut ad te scribam necessaria quadam officii ratione etiam moveor. Est hic adolescens optima indole praeditus, qui elegans carmen scribit et in caeteris disciplinis honestis, quae sunt utiles reipublicae, praeclare profecit, *Valentinus Suscenbrot*, Cotbusianus, qui intellexit, stipendium ab illustrissimo principe Marchione *Iohanne* impetrari posse, si pro eo sint petituri amici aut alii, quorum testimonio princeps credit. Adfirmo autem hunc *Valentinum* optimis moribus et excellenti ingenio praeditum esse. Quare et ad illustrissimum principem ipse scripsi, et te oro, ut tua commendatione nos adiuves. Recte collocabitur in hoc adolescente beneficium, ac spero eum patriae usui et ornamento fore. Aequum etiam esset, nostras commendationes et intercessiones aliis prodesse, cum etiam serviamus reipublicae, et profecto labores non exiguos sustineamus. Oro te, incumbe in hanc causam, ut adolescentem, florentem ingenio et virtute adiuvemus. Bene et feliciter vale. Die 15. Novembr.

Philippus Melanthon.

No. 6636. 15 Nov.

Ioach. Mollero.

Epist. lib. II. p. 525. (ed. Lond. lib. II. ep. 550.).

D. Ioachimo Mollero

S. D. Clarissime vir, et charissime frater, Scis Deum utrumque miranda sapientia et ordinassé et

praecepisse, ut et doleamus orbatis parentibus aut natis, et tamen dolorem moderemur, cogitantes et obediendum esse voluntati Dei, et in Deo acquiescendum esse. Non sumus ii, qui haec casu fieri putant, et non restare aliam dulciorem consuetudinem existimant. Quare etsi doles naturali *στοργῇ*, qui patre viro optimo, et qui te et fratres optima discere voluit, orbatus es: tamen iis causis moestitiam lenito, quas ex doctrina Filii Dei didicisti. Postea accedunt et aliae vulgares causae, quae etiam desiderium minuunt. Qualis nunc est Respublica? cui seni sapienti non adferat vitae taedium confusio et Ecclesiarum et Imperiorum, de qua scriptum est, *Iustus abducitur, ne videat futura mala?* Nec vero dubito quin his cogitationibus nunc et soceri moestitiam et tuam lenias, quibus ego quidem me ad migrationem ex hoc carcere quotidie praeparo. Ac saepe vocem repeto *Georgii Rhaw*, viri honesti et sapientis, quem cum interrogarem, quid ageret, *Quotidie*, inquit, *disco mori.* Sed nolo in hac commemoratione prolixior esse. Fratres tibi commendarem, nisi scirem tibi et naturali *στοργῇ*, et iudicio charissimos esse. Ego quidem propter eruditionem et virtutem *Henricum* ita diligo, ut velim eum maxime ornatum esse virtutis praemiis. Spero etiam in his tantis Ecclesiae ruinis, fore eum aliquando inter eos, qui fulcient ruinas, et reliquias tuebuntur. Oro autem Filium Dei, ut et ipsum et nos omnes gubernet. Nostrae Academiae studia et labores nostros narrabit ipse. Audies etiam ex eo historiam de *Turcis* recens trucidatis et captis. Bene vale, et rescribe. Die 15. Novembris, qui est *Ebraeis* Kisleu, id est, *ὡριώνειος.*

Socero tuo viro clarissimo et vobis omnibus salutem ex animo opto.

No. 6637. (fere h. t.)

Io. Stigelio.

Danz. Epp. ad Stigel. ep. 95. Cod. Goth. 188. ep 167.

Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Ioanni Stigelio, τῷ Θεῷ, καὶ ταῖς Μούσαις φιλτάτῳ, fratri suo cariss. S. D.

Clariss. vir et carissime frater. Etsi nihil sum, et nihil accedere laudibus praestantium Principum ex meis sermonibus potest, tamen semper et publice, et privatim, de ipso ordine, et de nostris principibus honorifice locutus sum, ut multi norunt. Ideo libenter etiam tibi gratificatus essem in illa sylvula, de qua scribis, praesertim cum sciam, fuisse virum honestum, et multis egregiis virtutibus ornatum, si mihi aliquanto ante tuum consilium indicasses. Sum miser, et oneratus ita multis negotiis, ut quae maxime volo, non possim scribere. Nec omitterem hanc scriptionem ullo metu. Audivi ipse, laudari integritatem optimi Principis, Ducis *Ioannis Friderici*, ab iis principibus, qui in castris Caroli fuerunt, et nominare multos possem. Inter eius facta potes recitare, quod eius diligentia et labore saepe pax Germaniae conservata sit. Cum pater et *Landgravius*, moti scripto *Othonis Pack*, arma sumpturi erant, ipse flexit ad pacem, deprehensa vanitate scripti, et tanta celeritate fecit iter ad *Landgravium*, ut postea in morbum inciderit. Nemo ante Ducem *Ioa. Fridericum* voluit conferre pecuniam, aut mittere exercitum contra *Monasterienses*; cum ipse primus dixisset sententiam, ceteri secuti sunt eius auctoritatem. De postremo bello, fuit iusta defensio, et Deus clementer exitum gubernavit, et fulsit ibi eius constantia in confessione. Possem multa recitare, sed fuisset mihi tempore opus ad haec ordinanda. Profecto non deest mihi voluntas haec scribendi, et scio, me etiam aulae nostrae gr tum facere, commemorandis laudibus Ducis I. Friderici. Bene vale *).

Philippus Melanthon.

No. 6638. 16. Nov.

Hier. Baumgartnero.

† Ex autographo Melanthonis in cod. Monac. I. p. 261. Scriptura prodit senilem Mel. aetatem.

Clariss. viro etc. — Dom. Hieron. Bomgartnero, Senatori urbis Noribergae, amico cariss.

S. D. Scio te bonitate naturae eximia et doctrina sapientiaque conformata, veteres commilitiones et meminisse et libenter complecti. Ac nos quidem senes adfici senum miseriis decet, ut ille inquit, *γέρων γέροντα χειραγωγήσω σ᾽ ἐγώ.* Meministi

---

*) Cod. Goth. addit: 1558.

civem vestrum *Pecesteinerum*, qui fuit ἀκόλουθος, ut olim loquebantur, *Lutheri*, et multarum peregrinationum comes. Is nunc confectus aetate et laboribus, fideliter enim docuit Ecclesias Silesiacas, nunc senex desiderio patriae maiore adficitur, et petit, ut, cum patrimonium mediocre monasterio tradiderit, etsi fatetur sibi benignitate senatus antea aliquid datum esse, istuc nidulus sibi tribuatur, et Ecclesiis vestris se serviturum pollicetur, quantum in hac imbecillitate virium poterit. Quaeso ne ei desis. Bene et feliciter vale. Die 16. Novembr.

Philippus Melanthon.

No. 6639. 23. Nov.

Ge. Cracovio.

Epist. lib. II. p. 370. (ed. Lond. lib. II. ep. 383.).

D. Georgio Cracovio

S. D. Clarissime vir et charissime frater, Scis narrationem *Xenophonteam*, in qua *Socrates* deridetur ab *Hippia*: τὰ αὐτὰ διὰ τῶν αὐτῶν repetens. Ego in hac ingenii imbecillitate et infantia, nec aliud scio περὶ τῶν νόμων dicere, nisi quae saepe dixi, nec possum τὰ κοινὰ καινῶς explicare. Pecco igitur cum tibi, qui et ingenio, et doctrina, et facundia longe me superas, aliquid scribo. Sed in hoc genere interdum promitto operam amicis, ne morosus videar. Tecum vero hac de re deliberabo, et optarim te saepius ad nos venire. Habemus absinthites, quod tibi utile est, et Mustum *Litmyricense*, medentur autem *Myricae* spleni. Et meus gener attulit narrationes tam mirandas, quam sunt *Ulysseae* apud *Alcinoum*. Bene vale. Anno 1558. Die 23. Novembris.

Haec scripseram cum gener meus afferret literas *Vratislavienses* de interfecta regina in *Transylvania*, et capto filio ducendo ad regem *Ferdinandum*. Hae tragoediae et monent de ira Dei, et attrahent *Turcos*. Oro Filium Dei ut nos protegat. Iterum vale.

No. 6640. (m. Nov.)

Laur. Mollero.

Epist. lib. V. p. 459 sq.

Laurentio Mollero, docenti Evangel. in oppido Hildesheim.

S. D. Clarissime vir, et charissime frater. ἡδύ γε φίλου λόγος ἐστὶ τοῖς λυπουμένοις. Levationem igitur aliquam mihi dolorum tuae literae adferunt, tibique gratiam habeo, quod saepe ad me scribis. Ac optarim, nos copiose etiam de iis controversiis colloqui posse, quas nunc movent. Institui responsiones ad Articulos Bavaricos, quos an videris, nescio. Mitto igitur pagellas de *Bavarica inquisitione*. Adversus tam tetram εἰδωλομανίαν coniungere nostras copiolas in nostris Ecclesiis omnes debebamus. Sed qui divellant, manifestum est. Oro autem Filium Dei, ut nobis opem ferat, et spero, mansuram esse Dei Ecclesiam, et nos in ea Filium Dei servaturum esse, qui dixit: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis. Hac me consolatione sustento. Rursus mitto exemplum orationis de nostro Pastore, amico tuo. Bene vale. Mense Novembri, qui est Ebraeis Kisleu, i. e. ὠριώνειος. Ita sapiens vetustas tribuit mensibus nomina a stellis 1558.

Philippus Melanthon.

No. 6641. 5. Dec.

Iac. Ferinario.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54³.

Venerando viro, eruditione et virtute praestanti, D. Iacobo Ferinario, Pastori Ecclesiae Dei in oppido Silesiae Novoforo, fratri suo carissimo.

S. D. Venerande vir et cariss. frater. Numeri sunt graeci poëtae, sed sententia divinitus tradita est: generi rectorum benedicetur, εὐσεβέων παίδεσσι τὰ λῷα, δυσσεβέων δ' οὔ. Cum igitur pie servias Deo in docenda Ecclesia, erit et familia tua Deo curae, qui filium tuum multis egregiis dotibus ornavit. Ac Deum oro, ut nostras familias gubernet ac protegat, et eis det Ecclesias recte constitutas et honesta hospitia. Ubi potero bene-

facere filio tuo, non deerunt ei mea officia. Tibi quoque hunc amicum nostrum, virum optimum et recte iudicantem *Abelum* commendo, quem spero et in ministerio Evangelico fidelem fore et in tuenda Ecclesiae nostrae concordia firmum. Scripsissem et ad Senatum oppidi vestri, si tempus concessum esset. Bene et feliciter vale. Die Decembris quinto, 1558.

Philippus Melanthon.

No. 6642. 7. Dec.

Iohanni Alberto D. M.

Edita in *Io. Westphalii* monument. inedit. rerum Germanic. T. IV. p. 1272. (descripta mihi a Cl. *Foerstemanno.*)

(*Iohanni Alberto, Duci Megalburgensi.*)

Illustrissime et clementissime Princeps. Non interpono meum iudicium Celsitudinis Vestrae iudicio, quod scio rectissimum et gravissimum esse. Formam igitur doctrinae *Simonis Pauli* Cels. Vestra considerabit. Mores mihi propter familiaritatem ita noti sunt, ut adfirmare possim, honestos et pios esse; aetas et studia et vere discendi cupiditas magis congruunt academiae quam aulae. Ideo quod antea petivit *) adhuc reverenter petit, ut in academia, ubi suas cogitationes de doctrinis conferre cum aliorum eruditorum et seniorum sententiis possit, locus sibi tribuatur. Et profecto posteritatis causa haec cura necessaria est, ut in academiis collocentur vere pii et recte eruditi, qui non rixas, sed perspicuitatem in docendo amant.

Haec ad Cels. Vestram simplicissimo studio scribo, ac oro, ut meas literas boni consulat. Bene et feliciter valeat Celsit. Vestra. Celsitudinis Vestrae servus Melanchthon. A. 1558. 7. Dec.

No. 6643. die brumae.

Io. Stigelio.

Danz. Epp. ad Stigel. ep. 96. Cod. Goth. 188. ep. 165.

*) Vid. epist. exeunte Oct. scriptam ad Io. Albertum Ducem.

Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Ioanni Stigelio, τῷ Θεῷ, καὶ ταῖς Μούσαις, φιλτάτῳ, fratri suo cariss. S. D.

Clariss. vir et carissime frater. Scio, te iam anni metam intuentem multa cogitare, et de pulcherrimo ordine, quem Deus mira arte condidit, et de horum annorum historiis, et hominum periculis, et eorum causis, et Deum, anni conditorem, et custodem Ecclesiae suae, precari, ut tribuat nobis faustum et felicem annum. Eadem tecum et cogito, et precor, et Deo gratias ago, quod et condidit haec pulcherrima opera, et de sese testimonia ostendit. Erit autem mihi hic veniens annus κλιμακτηρικὸς, qui mihi eo terribilior est, quia initio accedit oppositio Saturni et Martis, quae non solum morbos, sed etiam certamina mihi denunciat. Verum et Ecclesiam, et vitam meam filio Dei commendo. Si me κλιμακτηρικαὶ μοῖραι ex hac γιγαντομαχίᾳ abducent, ducente filio Dei laetus accedam ad scholam illam divinam, cuius rivulos et studiose quaesivi, et gustavi, et aliis gustandos praebui, nec misceri Stoicos succos volui. Mitto xenium initio novi anni, meo more, teque oro, ut sis memor veteris versiculi, quem saepe recito:

ἅπαν τὸ χρηστὸν τὴν ἴσην ἔχει φύσιν.

Bene vale, et *Vito* aliquid ad me literarum dato. Die Brumae, 1558.

Philippus Melanthon.

No. 6644. d. brumae.

Hier. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 239 sq. — Hic ex autographo in cod. Monac. I. p. 239., cui Baumgartnerus adscripsit: „vigilia nativitatis Christi per Enderle."

Hieron. Bomgartnero, Senatori inclytae urbis Noribergae.

S. D. Scio te quoque initio venientis anni cogitare de multis magnis rebus, de sapientia Dei, qui hunc pulcherrimum ordinem et temporum vices et siderum metas condidit, de superiorum annorum exemplis, de venturis periculis et his cogitationibus miscere gemitus et vota, ac petere, ut filius Dei et universam Ecclesiam et tuam domesticam servet et gubernet. Idem et nos tecum precamur. In his regionibus adhuc Dei beneficio

sunt Halcyonia, quae ut sint diuturna, faciat Filius Dei. De exercitu equitum Germanicorum, qui in Castris Gallicis fuerunt, vidi exempla literarum quas Rex *Philippus* et dux Allobrogum scripserunt ad Electores quosdam, in quibus narratur palam minitari equites illos Germaniae. Etsi existimabam ad vos etiam exempla illa missa esse et multo plura vos scire, tamen haec scripsi ut ad nos quoque pervenisse illas literas sciretis.

In *Livonia* nondum belli finis est. Et antiquum foedus urbium in Arctoo litore dissolutum est. Impendet ingens mutatio omnibus Regnis, in qua ut Deus clementer servet Ecclesias et earum hospitia, toto eum pectore oro. Bene et foeliciter vale. Die Brumae. 1558.

Philippus Melanthon.

No. 6645. d. brumae.

Iohanni Alberto D. Meg.

Epist. lib. III. p. 49. (ed. Lond. lib. III. ep. 21.); item in *Backmeisteri* Actis Philippicis p. 83. Conf. ep. ad Chytraeum d. d. 14. Nov.

Illustrissimo Principi, Iohanni Alberto Duci Megaloburgensi

S. D. Illustrissime et Clementissime Princeps, Cum *Petrus Vincentius* vir doctus et integer ad Celsitudinem Tuam profecturus, literas a me peteret, non tam ipsius causa, quam mea dandas censui. Nam ipsius quidem extant monumenta, virtutum tuarum laudibus conspersa. In iis scriptis, cum splendor orationis, ingenium ipsius, et eruditionem ostendat, non dubito eum a te diligi, quia verissimum est illud Musarum carmen, ὅττι καλὸν φίλον ἐστιν. Adfert igitur commendationem praecipuam, ingenii sui ornamenta.

Mihi vero ipsius apud Cels. Tuam Oratione opus est, qua spero leniturum esse quaedam, quae fortassis asperius istic de me narrantur, de quibus disputationem nunc non instituo. Tantum reverenter oro, ut si labores mei aliquorum studiis Deo iuvante profuerunt, Celsitudo Tua non sinat extingui suam erga me benevolentiam. Quaedam consulto minus horride disputavi: Evolvi quaedam ex magnis labyrinthis; Coniunctionem nostrarum Ecclesiarum retineri volui, et domestica quaedam vulnera tegi. Nunc si opprimar, rectae voluntatis conscientia me sustentabo, etiamsi alicubi, vel errore consiliorum vel imbecillitate, ab eo quod rectius erat, deflexi. Scio enim me non esse ἀναμάρτητον, et assiduis gemitibus Filium Dei oro, ut Ecclesiam suam servet, et me in ea gubernet.

Maxime etiam opto, ut in vera Synodo deliberatio inter pios et eruditos instituatur, in qua multarum magnarum rerum explicatio utilis posteritati, Deo iuvante fieri possit, qua de re et *Petrus* ostendet a multis Principibus flagitari Synodum. Hanc meam Epistolam ut Cels. T. boni consulat reverenter oro. Oro etiam Filium Dei ut Cels. T. servet incolumem et gubernet. Datae die Brumae. Anno 1558.

No. 6646. 13. Dec.

Peucerus ad Baumgartn.

Edita ex autogr. Peuceri in *Strobelii* Miscell. IV. p. 81.

Caspar Peucerus Hieronymo Baumgartnero.

S. D. Clarissime vir, patrone reverenter colende. Scio te virum excellentem sapientia et prospicere pericula, quae impendent Germaniae extrema, et cogitatione eorum exerceri et affici gravius, quam quenquam alium. Idcirco querelas apud te aut repetere veteres, aut effundere novas desinam, ne confirmatos dolores tuos aliqua novi luctus causa exacerbem. Et deum oro, ut crescentibus malis, quae ita omnem respuunt medicinam humanam, ut haec magis magisque irritentur et exasperentur, medeatur ipse.

Socer inde usque ab aequinoctio autumnali coepit indies habere deterius. Metuo ne anni proximi κλιμακτῆρα, quem ad decimum sextum Februarii inchoabit, experiatur adversum et difficilem. Videtur ipse sibi attenuati corporis et languefactarum virium sensu nescio quid sinistri ominari. Quem praesentem ferre non potuimus, eum fortasse sublatum requiremus.

Carolum V. Imp. 20. die Septembris febre tertiana extinctum accepimus in monasterio quodam S. Iusti, quod non longo abest intervallo a valle Doleti, quod oppidum Pintiam veterum fuisse coniiciunt. Et fratrem 10. die Octobris

sequutam esse *Mariam* sororem. Sed haec vobis fortasse notiora sunt. Me tibi reverenter commendo. 13. Debr.

No. 6647. 15. Decb.

Cph. Libio.

Manlii farrag. p. 412.

Reverendo viro D. (*Lybio*, adscripsit Buchholtzer) *Pastori Ecclesiae Dei in veteri arce Brenni, fratri suo.*

S. D. Reverende vir, et charissime frater. Sapienter feramus istos novos Laconicos Harmostas, qui passim summam potentiam appetunt, leges et dogmata condunt: et iugulant sine cognitione, quos volunt, usitata sunt haec in Ecclesia. Nostri vicini *βλακικοὶ* convocaturi sunt synodum, ut decreta sua exasperent: fortassis attrahent et eum qui iam est *Bremae*, et alios, ut habeant maiorem exercitum. Etsi doleo Ecclesiae causa: tamen scio hanc *πολυπραγμοσύνην* non perfecturam esse, quod conatur. Et Filium Dei precor, ut nos gubernet et protegat. Quicquid *ἀξιόλογον* audiero, tibi significabo: quia iustum est, esse *κοινὰ φίλων ἄχη*: ac multo iustius, *κοινὰς τῶν εὐσεβῶν γερόντων εὐχάς*. Bene vale, charissime frater. Salutem D. *Kittelio* et aliis amicis opto. Die 15. decembris. 1558.

Philippus Melanthon.

No. 6648. 21. Decb.

Ioach. Mollero.

Epist. lib. II. p. 526. (ed. Lond. lib. II. ep. 551.).

D. Ioachimo Mollero

S. D. Clarissime vir et charissime frater, Et iustissimum et dulcissimum est, communes esse amicorum amicos. Quare, etsi non dubito et clarissimo viro tuo socero, et tibi gratam fore familiaritatem huius integerrimi viri *Victoris Ottingi* propter ipsius virtutem: tamen, ut mea causa etiam familiarius eum amplecti velis, valde te oro. Spero usui futurum esse Reipublicae, propter industriam et fidem. Quae in reditu ex Gallia Centauri Francici tentarint, scire vos existimo. Mitto vobis recentes pagellas, missurus post paucos dies responsiones de *Bavaricis* articulis, quarum lectionem spero iucundiorem fore. Nam ibi et de *Flacii Trunco* dixi, et illustravi *Nazianzeni* dictum: *πᾶν τὸ κατορθούμενον παρὰ θεοῦ ἐστι, δέδοται δὲ τοῖς καλουμένοις καὶ οὕτω νεύεσι.* quod pie et verecunde dictum est. Bene vale. Faustum et felicem annum Ecclesiae publicae universae et vestris domesticis Ecclesiis opto. Die 21. Decembris. Anno 1558.

No. 6649. 30. Decb.

P. Vincentio.

† Ex apogr. in Cod. Paris. D. L. 54[a].

Petro Vincentio.

S. D. Clarissime vir et cariss. frater. Etsi dubitabamus, an ad te perventurae essent hae literae, scripsimus tamen. Sed tabellarius properans cogit me breviorem esse. Dei beneficio et tua coniunx recte valet, et in Academia et in oppido mediocris tranquillitas est. Centaurorum reditus ex Gallia nobis terrorem incusserat, sed honestiores equites discesserunt a *Grumpachio*, qui patriae minitatus est. Et Francici principes non sunt sine praesidiis. Post tuum iter rursus missus fuit ab *Electore Palatino* legatus *πρεσβεύων περὶ συνόδου.* Electoribus visum est *ἄκαιρον*, cum Imperator Augustae esset, Electores et alios principes alibi quasi *ἀντισύνοδον συγκροτῆσαι* *). Te avide expectamus, et filium Dei precamur, ut te et nos protegat. Bene vale. Die Decembris penultimo. Vitebergae.

Philippus.

No. 6650. (fere ex Decb.)

M. Meienburgio iun.

Epist. lib. V. p. 734.

---

*) Loquitur de conventu qui d. 20. Ian. 1559. Fuldae habendus erat, sed propter comitia Augustana mense Ianuario 1559. non processit.

Mich. Meienburgio iuniori.

Hodie cum Patre suo Domino Sabino coniunx tua Catharina, filia mea charissima, ad Salinas profecta est. Deus et ipsam et te et nos omnes protegat et gubernet. Monui, et velim in medicationibus considerari, quid faciendum sit, si est gravida, ut spero, magno in dolore sum, propter hanc ipsam filiae calamitatem. Sed oro Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum et resuscitatum sedentem ad dextram aeterni Patris, ut ipsi coniugi tuae opem ferat, et nobis omnibus adsit. Vale.

Philippus.

No. 6651. (m. Dec.)

M. Besoldo.

Epist. lib. V. p. 215 sq.

Hieronymo Besoldo, docenti Evang. Noribergae.

S. D. Reverende vir, et charissime frater. Mitto vobis pagellas, in quibus pars est responsionis de *Bavarica inquisitione*. In quaestione de humana voluntate et de operibus respondeo etiam nostris censoribus. Nec dubito, me recta et utilia piis dicere. Quaestiones horridiores non oppugno, sed sepono, maximeque opto, vestras sententias congruere cum hac simplici explicatione mea, sed tamen amanter me abs te moneri volo, si quid displicet. Etiam Christi auditoribus, quorum colloquium hodie Ecclesia proponit, profuit collatio sententiarum. Sic nos pie sine acerbitate conferre sententias decet. Bene vale. *Laurentium* tibi commendo. 1558.

No. 6652. (h. a.)

G. Cracovio.

† Ex apographo in Cod. Monac. 89. No. VI. p. 138.

Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Georgio Cracovio, Doctori Iuris, fratri suo cariss.

S. D. Clarissime d. Doctor et carissime frater. Rector Academiae *Baro a Starenberg* *) petit argumenta. Oro ut aliqua ipsius personae congruentia scribas, quod tibi iam in his cogitationibus totius causae amplitudinem comprehendenti facile est. Ego hodie dedi argumenta Comiti *Adolpho*, in quibus est disputatio popularis, an Lamniti uxor dotem amittat, cum vir sit Dominus, ut propositio vestra dicit. Historia est in lege penultima in π′ soluto matrimonio de Gracchio et Licinia uxore. Bene vale.

Philippus M.

*) Fuit Rector Academiae Viteb. inde a 13. Oct. 1558. usque ad 1. Maii 1559.

No. 6653. hoc anno.

Casp. Aquilae.

† Ex apographo in cod. Paris. D. L. 54[3].

Casparo Aquilae, Pastori Ecclesiae Dei in oppido Salveldia.

S. D. Reverende vir et cariss. frater. Socratis dictum esse scribitur: ut in frigore tegumentis opus est, ita in senecta tranquillitate. Quod igitur Deus tibi tranquillam senectam tribuit, hoc Dei beneficium tibi gratulor, et eum oro, ut tibi vires animi et corporis confirmet. Mihi in senecta hoc accidit, quod in Homero scribitur: *ὦ γέρον, ὡς*[1]) *μάλα δή σε νέοι τείρουσι μαχηταί.* Sed oro Deum, ne in senecta deficiat virtus mea. Bene vale et sis memor veteris nostrae amicitiae, qua dulcius aliquanto post in coelesti consuetudine fruemur, quam in his tumultibus in hac vita frui possumus. Iterum vale. Hunc civem nostrum tibi commendo, cum quidem sit orphanus, et mens eius sit pia, et mores sint honesti, et eruditione ornatus sit, et Deo iuvante Ecclesiae usui futurus sit. 1558.

Philippus.

No. 6654. (hoc fortasse anno.)

G. Cracovio.

Epist. lib. II. p. 360. (ed. Lond. lib. II. ep. 368.).

1) ὡς] in libris nunc legitur ἤ. Locus est Iliad. Θ′. 102. Veram esse sententiam, videlicet seniores a iuvenibus pugnatoribus subigi et macerari, expertus est Melanthon potissimum in Flacio, Gallo, Staphylo.

D. Georgio Cracovio

S. D. Etsi ad convivia propter imbecillitatem meam non libenter accedo: tamen quia sermonum communicatio grata est, quocunque tempore ea frui possum, libenter ad te venio, quia scio te talem esse, qualem describit *Ennius* in carmine:

Hocce locutum vocat, qui cum bene saepe libenter,
Mensam sermonesque suos rerumque suarum
Comiter impertit.

Et deinde:

Ingenium cui nulla malum sententia suadet.
Multa tenens antiqua sepulta et clara vetustas
Quae facit, et mores, legesque bonorum.

No. 6655. hoc anno.

P. Eisenberg.

Praefatio praemissa libro: „Propositiones theol. Lutheri et Melanchthonis — scriptae et disput. Witeb. ab anno 1516. cum praefat. Melanth. Witeb. 1558. 8." — Etiam in opp. Melanth. Witeb. T. IV. p. 462.

Honestissimo viro, Petro Eisenberg, Senatori in Salinis Saxonicis Philippus Melanthon S. D.

Commonefactio est apud Pindarum, quae saepe repetitur ad leniendam moestitiam in bonis mentibus, quae dolent, in mutationibus, quamquam iustis et necessariis, tamen multa tristia incidere, quae sapienter ferenda sunt, ne principale bonum amittatur, et ne Deo repugnemus. Quid fuit melius eductione Israelitarum ex Aegyptiaca tyrannide, cuius tanta crudelitas fuit annos circiter octoginta, ut recens nata soboles interficeretur: et tamen illam dulcissimam liberationem quantae calamitates comitatae sunt? Verba Pindari [1]) haec sunt:

Ἓν παρ' ἐσλὸν, πήματα σύνδυο δαίονται βροτοῖς
ἀθάνατοι. τὰ μὲν οὖν [2])
οὐ δύνανται νήπιοι κόσμῳ φέρειν,
ἀλλὰ [3]) *ἀγαθοὶ τὰ καλὰ τρέψαντες ἔξω.*

Cum credamus, esse Dei Ecclesiam, et hanc voci divinae obedire debere, iuxta dictum: Hunc audite; et idola fugienda esse: necesse est fateri, fuisse et esse necessariam emendationem errorum, quos Pontificii et Monachi in Ecclesiam ante multa secula sparserunt. Necesse fuit etiam agnitae veritati nos adsentiri, quia scriptum est: Si quis blasphemiam dixerit, non remittitur ei, etc. Hac nos consolatione confirmemus, qui veram doctrinam amplexi sumus, nec frangamur animis propterea, quod mutationem multa incommoda secuta sunt, exorta dissidia et alia mala, quae nunc multi nobis obiiciunt, ut veritatem obruant. Nulla dissensio civilis est sine magnis incommodis. Multa sunt etiam prava ingenia, quae privatas cupiditates caussis publicis miscent, ut dicitur: *Εν δε διχοστασιη και παγκακος εμμορε τιμης.* Quae extat litera *Staphyli* de doctrina? Tantum sycophantica scripta edit, reprehendit nostra, et nullum doctrinae corpus ipse proponit, ac ne potest quidem. Sed avaritiam ducem sequitur, et linguam et stylum pretio vendit in Aulis, quae nostrae Ecclesiae inimicae sunt. His ut gratum faciat, gnaviter sequitur praeceptum Thessalicum: Calumniare audacter, semper aliquid haeret; sine fronte manifesta mendacia contra nos fingit. Oro autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, ut Ecclesias nostras adversus Tyrannos et Sycophantas semper protegat, flectat etiam mentes Principum et Doctorum, ut omnibus officiis fovere has Ecclesias studeant, quas non dubium est, esse Dei Ecclesiam, etiamsi et infirmae et aerumnosae sunt, et mixti sunt multi dissimiles. Nos etiam cogitemus, sapienter ferendas esse nostras miserias, et leniendas candore et *ἐπιεικεια*, si qua leniri possunt. Prodesse autem et ante viginti annos iudicavi, et nunc iudico, legi initia emendationis doctrinae, quae quidem gratiora sunt iis, qui considerant, quantae tenebrae sint in doctrina Monachorum, quae adhuc extat, quam pii conferentes ad hanc emendationem, Deo gratias agunt pro hoc tanto beneficio, quod puriorem doctrinam ostendit. Bene vale. 1558.

No. 6656. hoc anno.

Cph. a Carlowitz.

Praemissa libro: „Pindari Thebani Lyricorum veterum Principis, Olympia, Pythia, Nemea, Isthmia, per Phil. Melanthonem conversa in latinum sermonem. Vitebergae excudebat Io. Crato. 1563. 8." ex qua editione nos prae-

1) Pythic. 3. 81.
2) Boeck. ὦν.
3) Boeck. ἀλλ'.

fat. descripsimus. Prodiit liber primum a. 1558. — Scripta quidem nomine Casp. *Peuceri*, sed Mylius in chronologia libror. Melanth. ad ann. 1558. hanc ad Carlowitzium dedicationem tribuit ipsi Melanthoni, quem etiam facile quisque agnoscit auctorem.

Magnifico viro, nobilitate generis, sapientia et virtute praestanti, Dom. Christophoro a Carlowitz, Consiliario Sacrae Caes. Maiestatis et inclyti Regis Ro. Hungariae et Boiemiae etc. patrono suo colendo

Caspar Peucerus Budissinus S. D.

Necesse est discernere genera doctrinarum: sapientiae politicae, quae ex lege, id est, noticiis, quae divinitus insitae sunt universo generi humano, oritur: et sapientiae, quae est Evangelii propria, et Ecclesiam Dei a caeteris gentibus distinguit. De hoc discrimine, ut iuventus commonefiat, saepe et libenter recito *Angeli Politiani* sermonem de Pindaro et Davide*), prophanum quidem, sed communem valde multis, omnibus temporibus, qui Ecclesiam Dei non norunt. Cum enim interrogaretur *Politianus*, quid de Davidis Psalmis iudicaret? ego vero, inquit, illa antiqua poëmata plena sapientiae esse video. Sunt ibi omnium virtutum praecepta, sunt commonefactiones de providentia, comminationes de sceleratorum poenis, et promissiones de iustorum praemiis et protectione. Insertae sunt et veteres historiae illius gentis, et ut traderetur memoria vetustatis posteris, et simul poenarum et defensionis exempla in conspectu essent. Hanc sapientiam magni facio, inquit, utilem vitae et moribus: et figuras in sua lingua concinnas esse existimo. Et olim harmoniae additae sunt, ad ciendos animorum motus accommodatae. Sed in Pindaro, inquit, res eaedem dulcius narrantur, et exemplis splendidius illustrantur. Haec *Politianus*.

Etsi autem in Pindaro, ut postea dicam, sententiae sunt de moribus et de poenis sceleratorum cum lege divina congruentes, quia legis notitia nobiscum nascitur, et similes quaedam sunt in Psalmis: tamen longe alia est Psalmorum sapientia. In hac deducimur ad verum Deum, non ad commentitia numina: et reperitur promissio de filio Dei, domino nostro Iesu Christo, et de reconciliatione.

*) Vid. de eadem praefat. de 1. Sept. 1554.

Hoc discrimen Psalmorum et Pindari initio considerandum est; postea cogitetur, ad quid prosit Pindari lectio. Ut multi alii poëtae et scriptores historici extra Ecclesiam narrant alii alias historias et intexunt sententias et admonitiones vitae utiles, ut Homerus, Herodotus et alii: ita Pindarus magnam partem veteris graecae historiae recitat, Pelopidas, Argonautas, Aeacidas, quorum memoria praecipue delectatur. Nam ordine Aeacum, deinde Pelea, Telamonem, Achillem et Aiacem praedicat. Laudat et urbes et quarundam initia commemorat, ut Cyrenes et Thebarum. Athenas cum prae caeteris laudasset, irati Thebani mulctam ei indixerunt, quam Athenienses, cum nollent ei officium, quod ipsis tribuerat, damno esse, solverunt.

Legatur ergo Pindarus propter veterem historiam: praesertim cum multa narret, quae nusquam alibi extant. Quaedam interdum fabulis involvit, ut cum ait, Tantalum punitum esse, quod adhibitus ad Deorum Ambrosium furatus sit: quo involucro significat aliquam religionis violationem. Bellerophontem, inquit, cum Pegaso vectus saepe vicisset magnos hostium exercitus, tantis elatum successibus, Pegaso voluisse intra coelum vehi, sed excussum in terram delapsum esse ac crus fregisse, ac postea moerore extinctum esse; qua pictura significat, infelices esse conatus omnium hominum, qui erumpentes extra metas sui loci altiora concupiscunt: ut exempla ostendunt omnibus aetatibus. *Antonius* non contentus dimidia Imperii Romani parte, cum solus regnare vellet prorsus opprimitur. Et constat, hanc salutarem admonitionem etiam divina autoritate traditam esse. Iubet enim Paulus, eo nos excellere, videlicet studio quietis et propria faciendi; significans, ambitiosas naturas excellentiam quaerere contrario modo, scilicet studio turbandi ordinem gubernationis et erumpendi extra metas proprii officii.

Historiis vero intexit ubique gravissima praecepta, ac praecipue de iustitia et de modestia, de poenis iniuste rapientium aliena: et eorum, qui stulta ambitione moti non necessaria bella movent. Gravissime inquit, ἔα πόλεμον, ἔα μαχὰν χωρὶς θεοῦ. Ac saepe monet, eas poenas non casu accidere, sed divina providentia regi, et ordine divinitus sancito scelerum comites esse.

Talis fuit vetus sapientia, narrationi historiarum addere praecepta, ut vitae regulas cum il-

lustribus exemplis coniungerent, et homines perterrefactos mirandis ruinis potentium Regum et Principum ad iustitiam et modestiam flecterent.

Virgilius, paucis verbis mutatis, sumsit a Pindaro sententiam, quae est velut argumentum universae mundi historiae:

Discite iustitiam moniti, et non temnere divos.

Hanc vocem ait Pindarus assiduo clamore repetere cruentum Ixionem in rota iacentem, ut exemplo suae poenae discant homines, esse providentiam vindicem ac punientem scelera; nec laxent frena caecis et errantibus cupiditatibus, sed semper intueantur lucentem in mentibus noticiam divinitus accensam, quae discernit iusta et iniusta, et severissime praecipit iusta et prohibet contraria.

Aliquid in naturis non monstrosis conducunt ad regendos mores crebra cogitatio de virtute, lectio et consideratio exemplorum et diligentia excitata lectione et voce sapientum, adsuefaciens animos ad curam frenandi immoderatos impetus. Et magis penetrant in animos talia scripta, in quibus dulcissime mixta sunt historiis praecepta: quod cum in Pindaricis carminibus splendidissime et suavissime fiat, nihil dubium est, eorum lectionem bonis naturis valde prodesse.

Multa Dircaeum levat aura cygnum,
Tendit Antoni quoties in altos
Nubium tractus:

inquit Horatius, quod verissimum esse, lectores animadvertent, cum videbunt Pindarum sumta occasione ex urbis aut familiae alicuius origine, relicto humili argumento, velut evolantem in sublimem aetheream regionem, laetissimo cantu veteres historias celebrare.

Saepe igitur iuventus hunc cygnum audiat. Saepe legat eius dulcissima carmina, quae omnibus temporibus gratissima sapientibus fuerunt. Alexander Macedo vulneratus agnovit militem Thebanum esse, qui procul magno clamore quasi consolaturus regem pronunciavit versum Pindari, *ῥέζοντα τὶ καὶ παθεῖν ἔοικεν.* Nec arbitror tantum sono motum esse Alexandrum, qui Boeotiis communis erat, sed versum insignem agnovisse. Nec vetuisset Pindari domum destrui in excidio Thebarum, nisi dulcissimis eius scriptis delectatus esset.

Nota sint igitur et nostrae iuventuti. Ac ut a pluribus legi et intelligi graeca possint, latinam interpretationem edidi, quae utcunque sententias reddit, omissis interdum epithetis, quae obscuritatem in latina lectione allatura erant.

Etsi autem hae tenues pagellae non sunt munus conveniens tanta viro, cui propter sapientiam et virtutem partem gubernationis Reges et Principes tribuunt: tamen, cum scirem, te et inter caeteras res vitae necessarias, tuendas gubernatori, etiam complecti curam conservandi literas et doctrinas, quae sunt nervi legum, religionis, disciplinae et multarum artium, quae vitae necessariae sunt: speravi tibi non ingratum fore, si tui nominis mentio in hac editione fieret, praesertim cum eruditae antiquitatis et veterum historiarum cognitione maxime delecteris. Teque rogo, ut hanc significationem mei erga te studii boni consulas. Id si non merentur hae pagellae, tamen Pindari nomini tribuito, quem iuniores avidius legent, cogitantes hunc veterem scriptorem a te quoque magni fieri. Bene vale.

No. 6658. (hoc anno.)

Picus Mirandola ad Melanth.

Select. epist. p. 200 sq. Epist. lib. I. p. 480 sq. (ed. Lond. lib. I. ep. 155.).

Epistolae contrariae: una Pici pro barbaris Philosophis, altera pro Hermolao Barbaro, scripta a Philippo Melanthone, quae respondet Pico.

A.

Iohannes Picus Mirandula Hermolao Barbaro suo, S. D.

Ego quidem, mi *Hermolaë*, nec possum aut tacere quae de te sentio, aut non sentire ea quae de illo debeant, in quo omnia veluti singula summa reperiantur. Sed utinam esset is meae mentis captus, ut pro meritis tuis de te sentirem; utinam ea dicendi vis, ut exprimere aliquando possem quod semper sentio, scio quae de te concepi, infinitum subsidere infra fastigia doctrinae tuae, scias et tu quaecunque loquimur, minora esse iis quae concipimus, tam deesse scias animo verba, quam rebus animus deest. Et tamen ita me audere credis, ut sperem posse imitari tua, quorum nec magnitudinem aestimare possum. Admirari te possunt omnes, imitari tam pauci possunt,

quam nemo reprehendere. Et utinam ea mihi felicitas, ut quae scribam, *Hermolaum* meum aliqua ex parte imaginentur. Ipse enim (ut taceam caetera) stylus tuus, cui tu adeo male faves, mirum quantum me afficiat atque delectet, ita est doctus, gravis, compositus, eruditus, excussus, ingeniosus, in quo nihil expositum, nihil vulgatum, nihil sit triviale, seu verba, seu sententias spectes. Legimus saepe ego et noster *Politianus*, quascunque habemus tuas, aut ad alios, aut ad nos Epistolas, ita semper prioribus certant sequentia, et novae fertiliter inter legendum efflorescunt *Veneres*, ut perpetua quadam acclamatione interspirandi locum non habeamus. Sed mirum dictu, quam persuadeas, et legentis animum, quocunque velis impellas. Expertus sum ego, cum semper alias, tum hac proxima tua ad me Epistola, in qua dum barbaros istos Philosophos insectaris, quos dicis haberi vulgo sordidos, rudes, incultos, quos nec vixisse viventes, nedum extincti vivant, et si nunc vivant, vivere in poenam et contumeliam; ita *Hercules* sum commotus, ita me puduit, piguitque studiorum meorum, (iam enim sexennium apud illos versor) ut nihil minus me fecisse velim, quam in tam nihili facienda re, tam laboriose contendisse. Perdiderim ego, inquam, apud *Thomam, Ioannem Scotum*, apud *Albertum*, apud *Averroem* meliores annos, tantas vigilias, quibus potuerim in bonis literis fortassis nonnihil esse. Cogitabam mecum, ut me consolarer, si qui ex illis nunc reviviscant, habituri ne quicquam sint, quo suam causam argumentosi alioqui homines ratione aliqua tueantur. Demum succurrit ex ipsis quempiam paulo facundiorem, suam barbariem, quam poterit minime barbare, hunc in modum fortasse defensurum. Viximus celebres, o *Hermolaë*, et post vivemus, non in scholis Grammaticorum, et paedagogiis, sed in Philosophorum coronis, in conventibus sapientum, ubi non de matre *Andromaches*, non de *Niobes* filiis, atque id genus levibus nugis, sed de humanarum divinarumque rerum rationibus agitur et disputatur; in quibus meditandis, inquirendis et enodandis, ita subtiles, acuti acresque fuimus, ut anxii quandoque nimium et morosi fuisse forte videamur, si modo esse morosus quisquam aut curiosus nimio plus in indaganda veritate potest. Atque in his quidem si quis nos arguat hebetudinis et tarditatis, age amabo quicunque is est, pedem conferat, experietur habuisse barbaros, non in lingua, sed in pectore *Mercurium*, non defuisse illis sapientiam, si defuit eloquentia, quam cum sapientia non coniunxisse, tantum fortasse abest a culpa, ut coniunxisse sit nefas. Quis enim cincinnos, quis fucum in proba virgine non damnet? Quis in Vestali non detestetur? Tanta est inter Oratoris munus et Philosophi pugnantia, ut pugnare magis invicem non possint. Nam quod aliud Rhetoris officium quam mentiri, decipere, circumvenire, praestigiari? Est enim vestrum, ut dicitis, posse pro arbitrio in candida nigrum vertere, in nigra candidum, posse quaecunque vultis tollere, abiicere, amplificare, extenuare dicendo, demum res ipsas magicis quasi, quod vos iactatis, viribus eloquentiae, in quam libuerit faciem, habitumque transformare, ut non qualia sunt suopte ingenio, sed qualia volueritis non fiant quidem, sed cum non sint, esse tamen audientibus appareat. Hoc totum est nequicquam aliud, quam merum mendacium, mera impostura, merum praestigium, cum a natura rei semper vel augendo excedat, vel minuendo deficiat, et fallacem verborum concentum, veluti larvas et simulacra praetendens, auditorum animos blandiendo ludificet. Erit ne huic cum Philosopho affinitas, cuius studium omne in cognoscenda et demonstranda caeteris veritate versatur? Adde quod nobis nulla erit fides, lautitias vocum, et *Veneres* affectantibus, quasi rebus parum fidentes, nec vero nixi trahere in sententiam his lenociniis homines quaeramus. Est ob hanc causam legere res sacras rustice potius, quam eleganter scriptas, quod nihil sit magis dedecens, et noxium in omni materia, in qua de vero cognoscendo agitur, quam universum illud dicendi genus elaboratum. Hoc forensium est quaestionum, non naturalium atque coelestium. Non est eorum qui in Academia, sed qui Repub. illa versantur, in qua quae fiunt quaeque dicuntur populari trutina examinentur, apud quem flores fructibus longe praeponderant. Non nescis illud? non omnibus omnia pari filo conveniunt? Est elegans res, fatemur hoc, facundia, plena illecebrae, et voluptatis; sed Philosophis nec decora nec grata. Quis mollem incessum, argutas manus, ludibundos oculos in histrione et saltatore non probet? In cive, in Philosopho, quis non improbet, arguat, abominetur? Si puellam viderimus moribus lepidam, atque dicaculam, laudabimus, exosculabimur. Haec in matrona

damnabimus et persequemur. Non ergo nos, sed illi inepti, qui ad pedes Vestae agunt Bacchanalia, qui gravitatem Philosophicarum rerum, et castitatem ludicris veluti, et calamistris dehonestant. Profecto quod *Synesius* de adolescente, de oratione dici commode potest, *comatam orationem semper cinaedam.* Quare nos nostram malumus hirtam, globosam, inexpeditam, quam cum impuritatis, vel nota, vel suspicione belle comatam. Alioqui *Palladis* peplum non revelaret, sed a sacris uti profana repelleretur. Et ut nihil sint reliqua, hoc est verissimum, nihil esse diversum magis ab instituto Philosophi, quacunque in re, quam quod luxum, aut fastum aliqua ex parte sapit. *Sicyonios* calceos habiles, aptosque ad pedem dicebat *Socrates*, sed *Socrati* non convenire. Omnino non eadem ratio civilis habitus et Philosophici, sicut neque mensae neque sermonis. Utitur his Philosophus duntaxat ad necessitatem, utitur civilis homo etiam ad gratiam, quam et hic si neglexerit, non civilis, et ille affectaverit, non erit Philosophus. Si posset *Pythagoras* vivere sine cibo, oleribus etiam parceret, si sua sensa aspectu, aut demum minore, quam sermonis opera explicare, omnino non loqueretur, tantum abest, ut linguam poliat, et exornet. Quod vel ob id cavendum nobis, ne illectus cute medicata, lectorem demoretur ad eam: ad medullam, et sanguinem non pervadat, quem subesse saepe cerussato ori infectum vidimus. Vidimus inquam in hisce omnibus, quibus propterea usu venit, cum nihil sit intus non inane et vanum, detinere lectorem in prima facie modulatu vario atque concentu. Quod si fecerit Philosophus, clamabit *Musonius*, *Non Philosophum loqui, sed tibicinem canere.* Non ergo nobis vitio detur id non fecisse, quod fecisse vitium erat; Quaerimus non quidnam scribamus, non quaerimus quomodo, imo quomodo quaerimus, ut scilicet sine pompa, et flore ullo orationis, quam nolumus ut delectabilis, venusta et faceta sit, sed ut utilis, gravis, et reverenda, et maiestatem potius ex horrore, quam gratiam ex mollitudine consequatur. Non expectamus theatri plausum, quod aures demulserit aequabilis clausula, vel numerosa, quod hoc sit salsum, illud sit lepidum: Sed expectamus paucorum potius prae admiratione silentium, introspicientium penitus aliquid, aut de naturae adytis erutum, aut de *Iovis* aula ad homines adductum, tum vel aliquid ita argutum ut defendendi, ita defensum ut arguendi non sit locus. Admirentur praeterea nos sagaces in inquirendo, circumspectos in explorando, subtiles in contemplando, in iudicando graves, implicitos in vinciendo, faciles in enodando. Admirentur in nobis brevitatem styli, foetam rerum multarum atque magnarum, sub expositis verbis remotissimas sententias, plenas quaestionum, plenas solutionum, quam apti sumus, quam bene instructi ambiguitates tollere, scrupos diluere, involuta evolvere, flexanimis syllogismis et infirmare falsa, et vera confirmare. His titulis, o *Hermolaë*, vindicavimus huc usque, et vindicaturos posthac ab oblivione memoriam nostram non dubitamus. Quod si vulgo (ut dicis) habemur sordidi, rudes, inculti, hoc nobis ad gloriam est, non ad contumeliam. Vulgo non scripsimus, sed tibi, et tui similibus. Nec aliter quam prisci suis aenigmatibus et fabularum involucris, arcebant idiotas homines a mysteriis, et nos consuevimus absterrere illos a nostris dapibus, quas non polluere non possent amariori paululum cortice verborum. Solent et qui Thesauros occultare volunt, si non datur seponere, quisquiliis integere, vel ruderibus, ut praetereuntes non deprehendant, nisi quos ipsi dignos eo munere indicaverint. Simile Philosophorum studium celare res suas populum, a quo cum non probari modo, sed nec intelligi illos deceat, non potest non dedecere, habere aliquid, quae ipsi scribunt, theatrale, plausibile, populare, quod demum multitudinis iudicio accommodare se videatur. Sed vis, effingam Ideam sermonis nostri, ea est ipsissima, quae *Silenorum* nostri *Alcibiadis.* Erant enim horum simulacra hispido ore, tetro et aspernabili, sed intus plena gemmarum, supellectilis rarae et preciosae; ita extrinsecus si aspexeris, feram videas, si introspexeris numen agnoscas. At inquies, non ferunt aures nunc asperam, nunc hiulcam, semper inconsonam texturam: Non ferunt barbara nomina, ipso etiam pene timenda sono. O delicate, cum accedis choraulos et citharoedos, pone te in auribus: cum vero Philosophos, avoca a sensibus, redeas ad teipsum in animi penetralia, mentisque secessus. Assume illas *Tyanei* aures, quibus, cum omnino non erat in corpore, non terrestrem *Marsyam*, sed *Apollinem* coelestem, divina cithara universum melos ineffabilibus temperantem modis exaudiebat. His auribus Philosophorum verba si delibaveris, mellea tibi ad

Nestoris invidiam esse videbuntur. Sed haec sinamus nimio plus assurgentia: profecto fastidire in Philosopho subtilissime disputante minus concinnam elocutionem, non tam delicati stomachi est, quam insolentis. Neque est aliter, ac si quem in *Socrate* de moribus docente offendat, aut laxus calceus, aut toga dissidens, et sectum prave stomachetur ob unguem. Non desiderat *Tullius* Eloquentiam in Philosopho, sed ut rebus et doctrina satisfaciat. Sciebat tam prudens quam eruditus homo, nostrum esse componere mentem potius, quam dictionem: curare ne quid aberret ratio non oratio, attinere ad nos ἐν διαθέσει λόγον, non attinere τὸν ἐν προφορᾷ. Laudabile in nobis habere Musas in animo, et non in labris, ne quid in illo vel per iram sonent, vel per libidinem enervatius. Denique, ne qua sit discors a genuina ipsa qua temperatus est modulabiliter harmonia, quam *Plato* cum intelligeret Theatrali ista et Poëtarum saepe corrumpi, a Republica sua Poëtas omnes eliminavit, gubernandam autem Philosophis reliquit, mox certe si per lasciviam disserendi Poëtas fuerint imitati, exilio condemnandis. At instabit *Lucretius*, etsi non egeant per se Philosophiae commendationes amoenitate dicendi, per eius tamen adhibitionem dissimulandam esse ipsarum rerum austeritatem. Sicut absynthia per se pellunt morbos, melle tamen illinuntur, ut puerorum aetas improvida ludificetur: hoc forte tibi faciendum erit, o *Lucreti*, si pueris scribebas tua, sic vulgo faciendum, utique tibi, qui non absynthia modo, sed meracissima toxica propinares. Sed longe alia nobis habenda ratio, qui vulgus, ut ante diximus, non allectare quaerimus, sed absterrere, nec tetra Absynthia, sed Nectar propinamus. Sed contendet *Lactantius*, satis constare in auditorum animos vel seniorum influere potentius veritatem, et vi sua instructam, et luce orationis ornatam. Si fuisses, o *Firmiane*, tam frequens in sacris literis, quam in fictis litibus fuisti, et hoc non dixisses, et nostra non minus bene fortasse confirmasses, quam destruxeras aliena. Dic quaeso quid movet fortius et persuadet, quam sacrarum lectio literarum? Non movent, non persuadent, sed cogunt, agitant, vim inferunt legis rudia verba et agrestia, sed viva, sed animata, flammea, aculeata, ad imum spiritum penetrantia, hominem totum potestate mirabili transformantia. *Periclis* orationibus elaboratis, et luculentis nihil se commoveri inquit *Alcibiades*, sed *Socratis* verbis nudis et simplicibus addit, etiamsi sint inepta, rapi in furorem, extra se poni, et velit nolit faciendum ei, quod ille praeceperat. Sed quid perdo verba in re confessa, si non desipit auditor, a fucato sermone, quid sperat aliud, quam insidias? Tribus maxime persuadetur, vita dicentis, veritate rei, sobrietate orationis. Haec sunt, Lactant, quae Philosopho fidem conciliant, si bonus fuerit, si veridicus, si id genus dicendi appetens, quod non ex amoenis Musarum sylvis, sed ex horrendo fluxerit antro, in quo dixit *Heraclitus* latitare veritatem. At dicet quispiam, Age amice, examinemus haec deposita contentione. Reverendum quoddam, et per se divinum est sapientia, nec exotico quoquam eget ornatu: sed quae invidia et hunc accedere? Quis negat, quae per se decent, si adornentur fieri decentiora? Ego amice hoc in plerisque nego, adeo multa sunt, quorum splendorem, si quid adiunxeris, elumines et non illustres. Ita sunt scilicet sua natura in optimo statu, ut demutari ab illo nisi in peius non possint. Marmorea domus picturam non recipit, nisi opus albarium superinduxeris, demas de dignitate, de pulchritudine. Non aliter et sapientia et quae tractantur a Philosophis tectorio non clarescunt, sed offuscantur. Quid plura? Nonne vulgatum est, Bonas formas cerussa devenustari? In universum quicquid pulchri semper imponas, celat quod invenit, quod affert secum illud ostentat. Quare si quod prius fuerat adventitio praestat, iacturam fecerit illud quicquid est, non lucrum. Ob eam causam nudam se praebet Philosophia, undique conspicuam, tota sub oculos, sub iudicium venire gestit, scit se habere, unde tota undique placeat. Quantum de ea velis, tantum de laude minuas, sinceram et inpermistam se haberi vult, quicquid admisceas infeceris, adulteraveris, aliam feceris, stat puncto insectili, et individuo. Quapropter nec ludendum tropis, nec verbis aut nimiis luxuriandum, aut translatis lasciviendum, aut factitiis audendum, in re tam seria, tanti discriminis, in qua demere, addere, demutare sit flagitium. At inquies, Age, damus hoc vobis, ut non sit vestrum ornate loqui, sed vestrum est certe, quod nec praestatis, ut *Latine* saltem, ut si non floridis, suis tamen verbis res explicetis. Non exigo a vobis orationem comptam, sed nolo sordidam, nolo unguentatam, sed nec hircosam. Non sit lecta, sed nec neglecta. Non

quaerimus ut delectet, sed querimur quod offendit. Bene habet, iam scilicet ad nos deficis. Sed amabo cognoscamus, quae istaec sit *Latinitas*, quam solam dicitis debere Philosophos, et non persolvere, si dicendo incurrat. Exempli causa, a sole hominem produci, causari hominem nostrates dicunt. Clamabis actutum, *Hoc non est Latinum*; huc usque vere: *Non est Romane dictum*, hoc vero verius, *igitur non recte.* Peccat argumentum. Dicet *Arabs* eandem rem, dicet *Aegyptius*, non dicent *Latine*, sed tamen recte: Aut enim nomina rerum arbitrio constant, aut natura, si fortuito positu, ut scilicet communione hominum in eandem sententiam conveniente, quo sanxerit unumquodque nomine appellari, ita apud eos recte appelletur, quid prohibet hosce Philosophos, quos nuncupatis barbaros, conspirasse in unam dicendi normam, apud eos non secus sanctam, ac habeatur apud vos *Romana?* Illam cur rectam non appelletis, appelletis vestram nulla est ratio, si haec compositio nominum tota est arbitraria. Quod si dignari illam *Romana* nominis appellatione non vultis. *Gallicam* vocetis, *Britannicam*, *Hispanam*, vel quod vulgares dicere solent, *Parisiensem.* Cum ad nos loquentur continget eos pleraque rideri, pleraque non intelligi. Idem accidet vobis apud eos loquentibus, *Ἀνάχαρσις παρ' ἀθηναίοις σολοικίζει, ἀθηναῖοι δὲ παρὰ σκύθαις*, Id est, *Anacharsis apud Athenienses soloecismum facit, Athenienses apud Scythas.* Quod si nominum rectitudo pendet ex natura rerum, debemus ne Rhetores, an Philosophos, qui rerum omnium naturam, soli perspectam habent et exploratam, de hac rectitudine consulere? Forteque aures respuunt utpote asperula, acceptat ratio utpote rebus cognatiora. Sed quid oportuit novare eos linguam, et si nati erant inter *Latinos*, non *Latine* loqui? Non poterant illi, o *Hermolaë*, dum legebant in coelo fatorum leges, eventorum notas, ordinem universi, legebant in elementis nascendi vices, et obeundi, simplicium vires, mistorum temperaturas: non poterant, inquam, eodem tempore in *Cicerone*, in *Plinio*, in *Apuleio*, *Romanae* linguae proprietates, leges, observantias annotare. Quaerebant quid abhorrens, quid receptum in natura, quid a *Romanis* interea, non curabant. Verum enimvero iam te loco meliore statuo. Do tibi eloquentiam, et sapientiam mutuo nexu invicem conspirasse. Abiunxerunt Philosophi sapientiam ab eloquentia, abiunxerunt Historici, Rhetores, Poëtae, quod deflet *Philostratus*, eloquentiam a sapientia. Hos tu victuros, celebri fama minime dubitas: illos non nisi in poenam et contumeliam; vide quid agas, indisertam mavult *Cicero* prudentiam, quam stultam loquacitatem. Non quaerimus in pecunia, qua moneta percussa sit, sed qua materia constet. Nec est qui purum aurum non malit habere sub nota *Teutonum*, quam sub *Romano* symbolo factitium. Peccant qui dissidium cordis et linguae faciunt, sed quid excordes tota sunt lingua, nonne sunt mera (ut ait *Cato*) mortuaria, glossaria? Vivere sine lingua possumus, forte non commode, sed sine corde nullo modo possumus. Non est humanus qui sit insolens politioris literaturae, Non est homo qui sit expers Philosophiae. Prodesse potest infantissima sapientia. Insipiens eloquentia, ut gladius in furentis manu, non obesse maxime non potest. Ergo inquies, et statuae non a figura, sed e materia commendantur. Etsi *Choerilus* eadem quae *Homerus*, et de iisdem *Mevius*, ac *Virgilius* cecinissent, futurum erat, ut aeque illi atque isti inter Poëtas reciperentur. Nonne vides disparilitatem similitudinis? Illud et nos asseveramus, a specie rem aestima, non ex subiecto. Est enim a specie res id quod est. Sed alia specie quisquam inter Philosophos, alia inter Poëtas recipiendus. Scribat *Lucretius* de Natura, de Deo, de Providentia, scribat de eisdem ex nostris quisquam, scribat *Ioannes Scotus*, et quidem carmine, ut sit ineptior. Dicet *Lucretius* rerum principia, Atomos et vacuum, Deum corporeum rerum nostrarum inscium, temere omnia fortuito occursu corpusculorum ferri: sed haec *Latine* dicet et eleganter. Dicet *Ioannes*, quae natura constant, sua materia specieque constitui, esse Deum separatam mentem, cognoscentem omnia, omnibus consulentem, nec propterea, quod universa etiam infima videat, ac moderetur e sua pace nimium dimoveri, sed quod dici solet *κατίοντα μὴ κατιέναι.* At dicet insulse, ruditer, non *Latinis* verbis. Quaeso quis in dubium revocet tam rectius *Scotum* philosophari, quam ille loquitur ornatius? Sed vide quid differant, huic os insipidum, illi mens insipiens; hic Grammaticorum, ne Poëtarum dicam decreta nescit, ille Dei atque naturae; hic infantissimus dicendo sentit ea, quae laudari dicendo satis non possunt, ille fando eloquentissimus loquitur nefanda.

Haec illi fortasse afferent, *Hermolaë*, chariss. in defensionem suae barbariae, aut qua sunt subtilitate, multo fortasse meliora, quorum sententiae nec ego plane accedo, nec ingenuo cuiquam et liberali accedendum puto. Sed exercui me libenter in hac materia, tanquam infami, ut qui quartanum laudant, cum ut ingenium periclitarer, tum hoc consilio, ut veluti *Glauco* ille apud *Platonem* iniustitiam laudat, non serio, sed ut ad laudes iustitiae *Socratem* extimulet. Ita ego ut eloquentiae causam a te agi audiam, in eam licentius repugnante paulisper sensu, atque natura invectus sum, quam si vel negligendam a Barbaris existimarem, non ab illis ad eam, quod nuper feci, ad *Graecas* literas, ad tuum nunquam satis laudatum *Themistium* pene totus defecissem. Quamvis dicam libere, quod sentio, movent mihi stomachum Grammatistae quidam, qui cum duas tenuerint vocabulorum origines, ita se ostentant, ita venditant, ita circumferunt iactabundi, ut prae se ipsis pro nihilo habendos Philosophos arbitrentur. Nolumus, inquiunt, hasce vestras Philosophias. Et quid mirum, nec *Falernum* canes: sed nos hoc fine Epistolam claudamus: si decus aliquod, nomenque sibi promeruerunt Barbari illi, sola rerum cognitione, non esse facile dictu, quem locum, quid laudum tu tibi vendices, qui sis intra Philosophos eloquentissimus, inter eloquentes, ut dicam *Graece*, *φιλοσοφώτατος*. *Florentiae.* tertio Nonas Iunias. M. CCCC. LXXXV.

No. 6658. — —

Respons. ad Picum Mirand.

Ibidem, et in ed. Lond. lib. I. ep. 136.

B.

Responsio Philippi Melanth. pro Hermolao.

Cum viderem te incredibili quodam studio omnium optimarum artium flagrantem, ad usitatam doctrinam tua sponte veterem Philosophiam atque eloquentiam adiungere, scripsi nuper ad te, barbaros Philosophos vituperans, vel ut te ad meliora studia incitarem *σπεύδοντα*, ut dici solet, vel ut gratularer ad optima tendenti. Itaque cum tuum mihi de studiis iudicium non sit ignotum, etsi literae quas modo ad me dedisti, a mea sententia dissidere videntur, tamen adeo mihi non fuerunt ingratae, ut magnae etiam voluptati fuerint, eo quod non obscuram tuae erga me benevolentiae significationem habent. Non enim dubito quin singulari erga me amore adductus, hoc certamen institueris, non ut inscitiae quorundam patrocinareris, sed ut me ad hanc rationem, quam probo, magis ornandam accenderes. Utinam vero, *Pice*, tam facile id possim, quam facile erat *Socrati Glauconis* orationem, qui iustitiam vituperaverat, refellere; Sed hoc nostrum certamen inique comparatum est. Etenim cum Eloquentia summis eloquentiae viribus abs te accusetur, patronus ei facundior dandus erat. Ego autem et copia et ornamentis orationis omnibus abs te longe superor. Quare optarim te hanc tuam vim atque ubertatem in altera parte experiri maluisse. Nam mihi (ut scis) bellum est alioqui *ἄσπονδον* cum hostibus rectorum studiorum, qui etsi hoc armorum genere, quo tu uteris, non sunt instructi, tamen acerrime pugnant odio, pertinacia, et malis artibus omnis generis. Hos non velim vel autoritate nominis tui armari, vel armis tuis adversus praestantissimas artes instrui. Quod si tuas copias nobiscum coniunxeris, confirmare ausim nos brevi te velut *Camillo* duce, rem *Romanam*, depulsis Barbaris recepturos, ac suum artibus decus redditurosesse. Ego tamen ne modo, aut tuae voluntati, aut causae publicae desim, breviter ad ea quae scribis respondebo. Nam si tantam causam complecti totam vellem, multis voluminibus res agenda esset: Quae enim materia locupletior existere potest, quam dicere de dignitate atque utilitate Eloquentiae? quantum in religionibus ac reliquis artibus errorum hac una ex re extiterit, quod dicendi exercitationes neglectae atque intermissae sunt? Deinde quod fuerit argumentum uberius, quam si collatio institueretur veteris Philosophiae et huius nuper natae Sycophanticae, quam Barbari isti pro Philosophia profitentur? Atque haec, si quando rursus ocium mihi Respubl. concedet, instituere decrevi. Nunc diluam quaedam praecipua argumenta tuae Epistolae, non tanquam cum adversario dimicans, sed *ἄνευ παθῶν*, velut tecum confabulans. Cum autem in oratione tua duo sint loci praecipui, nam et absolutam rerum scientiam Barbaris tribuis, et contendis iure eos Eloquentiam aspernatos esse,

Sequar tuum ordinem, ac de Eloquentia dicam antea, quam eo dicis in Philosophis non esse requirendam, quia tantum Sapientiae et Elequentiae dissidium est, ut coniungi utranque nefas sit. Quis non videt te in materia nova atque absurda ludere voluisse? Nam cum hae duae virtutes hominis propriae sint ac summae, mente res bonas perspicere ac videre, easque dicendo explicare et ostendere aliis posse, paradoxum affers initio orationis tuae, quod cum ipsa natura pugnat, nefas esse Sapientiae Eloquentiam addere. Nam usus sapientiae plane nullus fuerit, nisi sapienter deliberata atque cogitata communicare aliis possimus, quod cum sine magna quadam copia et varietate orationis fieri non queat, virtutes, *Pice*, quas natura maximarum utilitatum causa copulavit, distrahis. Atque sapientissimus Poëta *Homerus* utriusque virtutis laudem ei viro tribuit, in quo sapientissimi Principis exemplum pingebat. Inquit enim de *Ulysse*,

Σοὶ δ' ἔνι μὲν μορφὴ ἐπέων, ἔνι δὲ φρένες ἐσθλαί·

Atque idem Poëta *Nestori* tribuit orationem melle dulciorem, cuius in dicenda sententia sapientiam ita praedicat *Agamemnon*, ut magnopere plures sibi consiliarios istius similes optet. Quod si nefas est, ut tu defendis, coniungere haec, qui dicis eloquentes omnes sine mente, sine pectore esse, stultos fuisse omnes, quorum Eloquentia laudatur, *Ulyssem*, *Nestorem*: deinde Principes illos Rerumpublicarum, qui suo consilio, autoritate, oratione, maximas res gubernarunt, *Solonem*, *Periclem*, *Demaden*, *Demosthenem*, *Ciceronem*, *Caesarem*, *Octavium*, et innumerabiles alios, quos, si nulla societas est Sapientiae cum Eloquentia, condemnas stultiae omnes. Constat enim hos fuisse eloquentissimos. Quid de Philosophis veteribus iudicandum erit? Dicemusne hos fuisse indoctos, quia non sunt confuse, sordide, atque inquinate loquuti? *Platonis* tanta est Eloquentia, ut *Graeci* dixerint, *Iovem*, si velit de rebus divinis disserere, usurum esse *Platonis* oratione. Tanta est enim copia, tanta gravitas, tantus splendor verborum et sententiarum, ut verius divina quam humana vox aestimari debeat. *Aristotelis* oratio etsi brevior est, tamen et propria et pura est, et ita abundat quibusdam suis luminibus, ut *Cicero* eam dixerit similem esse flumini aurum vehenti; et interdum adeo dulcis est, nihil ut possit cogitari dulcius. Vide autem, quam sit iniustam adimere sapientiam summis illis Principibus et Rerumpubl. et doctrinae. Per me liberum est tibi, et amare et mirari ingenia Barbarorum. Sed si hoc tibi concedi postulas, ut praeferamus istos summorum hominum ingeniis, nullam aliam ob causam, nisi quia spurce locuti sunt, etiam atque etiam videndum tibi erit, ut sententiam non solum absurdam, sed pene crudelem auditu verecunde tueri possis. Ac fortassis aliquam excusationem res haberet, si sine contumelia Eloquentiae Barbaros defenderes, ac tribueres eis suam quandam laudem diligentiae, ac prudentiae, in rebus inquirendis ac iudicandis, et fatereris defuisse aliquid vel ipsis vel temporibus. Quid enim mirum est, desiderari aliquid in hominibus, cum paucissimi sint artifices boni omnibus aetatibus, etiam in levioribus artibus, tantum abest ut in hoc summo genere pariter excellere possint omnes. Sed tu ita defendis istos, ut Eloquentiam ipsam insecteris, et plane indignam bonis ac sapientibus viris esse contendas. Itaque etsi postea ostendam non solum dicendi rationem Barbaris defuisse, sed etiam alia, quae tu tribuis, tamen nunc nihil de isto genere scriptorum dicam, ipsius Eloquentiae patrocinium suscipiam. Tota enim oratio tua, non tam defensio est Barbarorum, quam Eloquentiae vituperatio. Disputas enim Eloquentiam esse accersitum ornatum et fucum, qui adhiberi soleat aut voluptatis causa, aut etiam ad fallendos homines. Rhetorum dicis esse mentiri, circumvenire, et nescio quibus praestigiis animos decipere. Si non intelligunt isti tui scriptores, aliud esse Eloquentiam, quam huiusmodi fucum, plane iam detrahenda erit eis Philosophiae cognitio, quam praecipue sibi arrogant. Non enim perspiciunt, Eloquentiam peculiarem vim ac virtutem esse, utilitatis alicuius causa datam hominibus; deinde non recte definiunt, quod Dialecticis, quales se esse profitentur isti, turpissimum sst. Nam Eloquentia, non est, ut isti somniant. accersitus cultus, sed est facultas proprie ac dilucide explicandi animorum sensa ac cogitationes, qua in re etiam dignitati et veritati serviendum est, ut apta et recta dicantur, et ut amplificentur res magnae, et eleventur ea quae abiici prodest. Itaque ut Pictoris finis est, vere ac proprie imitari corpora, quod quam difficile sit consequi, non est obscurum experienti, neque ars tantum, sed etiam magna colorum varietas atque distinctio ad id requiritur: Ita Rhetoris, sive ita vocari mavis, Eloquentiae finis est, ipsas animi cogitationes,

quasi pingere et repraesentare proprio et perspicuo sermonis genere, qua in re cum elaboravit, magna ei varietate quasi colorum, verborum, sententiarum et figurarum, denique etiam arte quadam opus erit, ut ego quidem statuo, multo maiore, quam consummati et perfecti Pictoris ars potest esse ulla. Tota igitur nobis de definitione controversia est, quid sit Eloquentia, aut certe de fine, quem ad usum hominibus Eloquentia concessa sit. Hac de re, ut omittam ea quae sunt apud Rhetores, communem sensum consulito, aut certe Philosophorum Principes, *Platonem* et *Aristotelem*, quorum alter in *Phaedro* sapienter et copiose disputat, et quid sit Eloquentia, et quam necessaria sit ad divinas et humanas res explicandas. Quanquam haud scio, an Barbari isti ne locum quidem dent *Platoni* inter Philosophos: Sed *Aristoteles* in *Rhetoricis* eadem scribit. Definiunt igitur Eloquentiam hi Philosophorum Principes, vim esse divinitus hominum generi concessam, ut de magnis et necessariis rebus, de religionibus, de rerum coelestium atque aliarum natura, de iure ac iustitia, de omni virtutis officio, proprie ac perspicue docere alii alios possint. Nec sine causa dictum est homines ante dispersos ac vagabundos in agris Eloquentia congregatos esse, civitates conditas, Iura, religiones legitimas nuptias, et caetera societatis humanae vincula constituta esse. Haec enim profecto tenentur oratione in civitatibus. Hanc vim divinam, tam necessariam humano generi, nihil putemus esse, nisi ludum ac praestigias, quemadmodum scribis? Ego vero non dubito ingratitudinis atque impietatis accusare omnes, qui Eloquentiae beneficia non agnoscunt. Atque illi ipsi Philosophi, quorum sequor autoritatem, admonent in obscuris et gravibus causis explicandis opus esse, non solum prudentia magna, quae res bonas praevidet, sed etiam via quadam et ratione docendi, et genere sermonis, quod res, de quibus dicimus, plane exponere et subiicere oculis hominum possit. Itaque duas artes constituerunt inter se cognatas, *Dialecticen* et *Rhetoricen*, quarum altera docendi viam monstret, altera doceat, quo verborum genere res exponendae sint. Quis autem non videt haec inter se natura coniuncta esse? Quaeso enim si de religionibus docendi sunt homines, si in iudiciis res obscurae et intricatae iudici demonstrandae, num haec fieri, primum sine via docendi, deinde sine magna copia, varietate ac luminibus orationis existimas? Erras si doceri posse homines credis hoc genere disputandi, quo isti Barbari in scholis utuntur, quod non solum populus, sed ne ipsi quidem initiati, ut ita dicam, inter sese intelligunt. Etenim non solum genus verborum novum est, et ignotum populo, sed ita confusa sunt omnia, ut velut in labyrintho neque initia neque exitus rerum deprehendi possint. Et subinde fingunt nova ac prodigiosa somnia et verborum portenta, quibus cum res nullae subsint, intelligi nihil potest. Falsum enim est, ut Philosophi dicunt ἀκατάληπτον. Itaque saepe cum inter se rixantur, videre licet ipsissimam imaginem illius iudicii, de quo est proverbium: δυσκώφῳ δύσκωφος ἐκρίνετο. Et quoniam quaedam picturae, atque Eloquentiae similitudo est (ut enim pictura imitatur corpus, ita oratio pingit ac reddit animi sententias) libenter ab illa arte mutuamur exempla. Quaeso te num eiusmodi picturam probare possis, in qua formae confusae ac monstrosae nihil certi significant aut ostendunt spectatori? Talem tabulam quis posset aequo animo aspicere? Similimum autem est huic picturae, genus dicendi in Barbaris. Sed ut illius monstrosae picturae nullus est usus, ita haec obscura oratio, quam habet utilitatem in Republica? in docendis hominibus? in regendis et explicandis religionibus? in iudiciis exercendis? denique in hac tota vita publice ac privatim gubernanda? Quare constituamus id quod res est, elocutionem non esse inanem cultum, sed necessarium ad causas omnis generis vere ac proprie explicandas. Ac Rhetoris esse, non ut tu dicis, ludere ac mentiri, sed de maximis rebus vere docere homines, qui etsi interdum in difficilibus causis, figura aliqua utitur, et ut tuo utar verbo, decipit auditores, id non minus ad officium eius viri pertinet, qui domi Respublicas gubernat, quam ad Imperatorem pertinet arte hostes circumvenire. Hunc enim virum, qui de bonis ac necessariis rebus recte, dilucide, et cum dignitate quadam docet homines, Oratorem nos vocamus: quem tu Philosophum velis vocari, nondum satis intelligo. Equidem Philosophum voco eum virum, qui cum res bonas atque utiles humano generi didicit ac tenet, doctrinam ex schola atque umbra ad usum et Rempublicam transfert, docet homines aut de natura rerum, aut de religionibus, aut de regendis civitatibus. Deinde, ut maxime Oratorem tantum reiicias in forum, tamen eas Philosophiae partes

illi, quas tu defendis, susceperunt, quae sine Eloquentia lumen habere nullum possunt. Primum enim etsi non est una orationis forma, tamen si animorum nostrorum cogitationes aliis communicare voluerimus, utendum erit certo quodam genere sermonis, quod verbis notis et recte iunctis, integre atque ordine res de quibus dicimus, exponat. Id commune esse debet in omni orationis forma. Nam etiam illae artes, quae propemodum videri mutae possunt, *Arithmetica* et *Geometria*, tamen non possunt percipi nisi propriis verbis et via ac ratione quadam tradantur. Caeterae vero partes, *Physicae*, *Ethicae*, et *Theologiae* materiae, erui atque illustrari sine Eloquentia, et sine iis artibus, quas Eloquentia continet, nullo modo possunt. Porro tui illi magistri *Thomas*, ac *Scotus*, promittunt nobis perfectiss. doctrinam de religione, deque omnibus vitae officiis; quid praestent, postea dicam, nunc tantum de genere Orationis disputo. Quid autem potest fingi stultius, quam quod sine Eloquentia Ecclesiarum doctores ac vitae duces perhiberi volunt: ac ne quidem quid sentiant ostendere possunt? In singulis artibus quaedam propria sunt artificum vocabula. Quare Philosophis ac Theologis etiam sua quaedam vocabula, ut Architectis ac Pictoribus, concedi aequum est. Sed interim reliquus sermo constare usitatis ac notis verbis debet, oportet et in iungendis verbis imitari consuetudinem. Haec non fiunt apud istos. Deinde non solum habent errata Grammatica, sed neque sententias absolvunt, neque iudicium, neque ordinem in explicando adhibent. Postea amissa loquendi diligentia, rerum etiam iudicium amiserunt. Finxerunt enim una cum monstrosis vocabulis inexplicabilia somnia, quibus universam Philosophiam ac Theologiam obruerunt, ita in istorum doctrina vere sunt, ut *Graeci* dicunt, *πάντα μία κόνις*. Quare non solum populus, sed ne ipsi quidem, quod est vel maxime ridiculum, suas disputationes intelligunt, ac soloecissant, non ut *Anacharsis Athenis*, ut tu dicis, sed in suis scholis. Venio nunc ad acervum similitudinum tuarum, quae detrahunt Philosophiae, non ut tu ratiocinaris Eloquentiam, hoc est, verum colorem orationis, sed ineptum ornatum. Virginem non decet fucus: nec monstrosa facies decet. Quid autem montrosius est Barbarorum oratione? Nam ea oratio quae est optima, nativus sententiae color est. Aliena, confusa et perturbata oratio deformat et corrumpit sententias, ac ne effingit quidem, quod debeat esse orationis officium proprium. Sed *sermonem*, inquis, *non aspernor, ornatum non requiro, ut in matrona simplicem cultum probamus.* Nec *Cicero* quidem plus requirit a Philosophis, quam purum sermonem apte ac dilucide res explicantem. Sed haec facultas hoc modo dicendi, et praecipua Eloquentiae pars est, et ab arte plurimum sumit. Requirit enim summam prudentiam in rebus investigandis, atque collocandis, copiam verborum amplissimam, iudicium acerrimum in delectu. Nam cum duae sint propemodum Orationis formae tenuior altera, altera grandior, non ita multum posterior dissimilis est priori, nisi quod figuras et amplificationes crebrius adhibet. Itaque priorem formam, quae verecundior est, disputationibus putant accommodatiorem esse, etsi in tanta rerum varietate, multa in Philosophia incidunt, de quibus etiam grandiore quodam sono dicendum est, ut propius aspici rerum magnitudo possit. Itaque etsi *Aristoteles* et *Cicero* in disputationibus priore genere utantur, tamen interdum assumunt etiam alteram formam, qua quidem *Plato* ubique propemodum utitur. Porro, si Philosophiae etiam priorem illam formam detrahes, plane mutam reddideris. Quid enim explicare poterit, si ne proprio quidem et perspicuo genere orationis utetur? Neque vero quisquam sine optima doctrina, sine acerrimo studio, sine longa exercitatione, illud ipsum genus, quod indocti omnibus in manu esse putant, consequi potest. Pictorem memini nostrae aetatis *Apellen*, cum mihi cupide audienti commemoraret, et adolescentiae studia, et quem sibi postea scopum artis proposuisset, quo quasi directam manum haberet, dicere, se adolescentem in pictura mirificam quandam ac pene prodigiosam varietatem amasse gestuum atque ornamentorum omnis generis: Nunc senescentem se consulere naturam, in hanc intueri, ut eam proxime et propriissime exprimeret, neque se quod cuperet, assequi: quia hac proprietate nihil difficilius sit. Neque vero facilius est negotia verbis propriis, quam naturam coloribus pingere. Itaque *Horatius* significat, quantum haec res habeat difficultatis, cum ita iubet scribere, ut sibi quivis,

Speret idem, sudet multum, frustraque laboret.
Ausus idem, tantum series iuncturaque pollet.
Tantum de medio sumptis accedit honoris.

At ego ita statuo, magnos Oratores qui Respubl. gubernaverunt, quos accepimus praemetientes dicendi pericula, incredibili quodam metu ad dicendum accessisse, non de caeteris ornamentis, sed de hac propria rerum explicatione solicitos fuisse, quam experiebantur esse difficillimam. *Periclem* aiunt, cuius tanta fuit Eloquentia, ut tonare ac fulminare dictus sit, cum ascendit in concionem, precari solitum, ne quod sibi verbum excideret, quod causae obesset. Saepe etiam *Cicero* significat, se cum timore summo ad dicendum accedere, cuius rei vel hoc argumentum esse potest, quod aliquando ita laetatus est, iudicii die prorogato, quo ei de causa intricata dicendum erat, ut servum id renunciantem libertate donaverit. Vidi ipse homines eloquentissimos natu grandes, cum dicere iussi essent, toto corpore perhorrescere. At qua de re angi putemus homines peritissimos, num de flosculis orationis, aut accersito cultu, ut tu iudicas? imo vero de propria rerum explicatione soliciti sunt, ne quid excidat quod dici non refert, ne quid alieno loco dicatur, ne incurrant in verba quae officiunt aut causae aut ipsorum existimationi. Denique innumerabilia pericula sunt. Hoc minimi negotii est hominibus copiosis atque exercitatis, insignes aliquas figuras addere. Praecipuus ornatus est ipsa rerum propria explicatio, ut in picturis iusta corporum lineamenta. Et tamen saepe magnitudo rerum postulat, aliquid vel attolli vel abiici, quod etiam facere natura cogit tuos illos Barbaros. Vides enim in illorum scriptis et sermone, crebras amplificationes, sed, dii boni, quam insulsas! Quanto veriora et aptiora dicerent, si studium hoc non essent aspernati? Demus igitur Philosophis verecundam orationis formam, modo ut res dilucide, verbis notis, recte iunctis, ordine distributis, integre explicet. Bene olere mulierem, ait *Plautus*, quae nihil olet. Talis oratio etiam delectat sana ingenia. Nec solum in scholis ac disputationibus laudem habet, sed etiam in foro multi hac una forma contenti fuerunt.

Et talem nobis Oratorem *Homerus Menelaum* describit, quem ait solitum dicere,

Παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως, ἐπεὶ ὀυ πολύμυθος
Ὀυδ᾽ ἀφαμαρτοεπής· — — —

Tribuit enim ei et proprietatem et suavitatem. Has virtutes consequi Philosophum, si velit intelligi, oportet. Quantum autem absunt ab illo *Homerico Menelao* vestri Barbari, qui cum ea de re, quam suscipiunt, vix unquam quicquam dicant, quod faciat *πρὸς ἔπος*, tamen plerunque extra causam sunt loquacissimi, ineptiarum pleni. At *Cicero* expressit nobis formam illius proprii Oratoris ac *λιγέως* dicentis in libellis *De natura Deorum* et aliis Philosophicis disputationibus. Expressit et eam multis in locis *Aristoteles*. *Verum non est*, inquis, *Philosophi servire voluptati.* Utinam, *Pice*, adeo contemnerent Theologi tui voluptates caeteras, ut orationis munditiem aspernentur. Quanquam autem nulla voluptas homine liberaliter instituto dignior est quam haec: Nulla est enim harmonia dulcior, ac naturae hominis convenientior, quam oratio rerum bonarum plena et compositione concinna; tamen hic non disputo ornatum voluptatis, sed necessitatis causa adhibendum esse. Non enim doceri de magnis rebus homines possunt, nisi et genus sermonis purum, et via quaedam, et ratio explicandi, et caetera quae in artibus traduntur, adhibeantur. Quod vero addis, *Bacchanalia in Vestae sacris agere Philosophos Eloquentiae studiosos*, dicam simpliciter quod sentio, Stomachum mihi movit. Quae enim voluptas est contumelia afficere cum ipsam Eloquentiam, tum vero Philosophiae Principes? Num *Plato*, *Aristoteles*, *Cicero*, videntur tibi *Bacchanalia agere*, idque in *sacris Vestae?* Num videntur tibicines, quia non sunt spurce locuti? Et quidem *Plato* longe omnes vincit tum *Graecos* tum *Latinos* Oratores, copia et splendore Orationis. *Scytha* quidam cum apud *Graecos* Musicum audiret suavissime canentem, inquit, Malle se audire hinnientem equum. Satis hic quidem *Scythice*, sed bis *Scythicum* fuerit nihil affici suavitate orationis summorum autorum, qui Philosophiam nobis pepererunt. Tu vero etiam furere eos dicis. Non satis attendis, *Pice*, quam sustineas personam. Cum enim profitearis te Philosophiae ac veritati patrocinari, minime ea fide ac simplicitate causam agis tuam, quam Philosophis tribui postulas. Quorsum enim pertinent tam multae similitudines tuae undique collectae? quae non solum extenuant Eloquentiae dignitatem, sed plane iubent velut pestem fugere, nisi ut fucum lectori faciant, ne Eloquentiae dignitatem aspicere possit? Quaeso te utrum haec Rhetorica sunt an Sophistica? Certe a viro Philosophico non apte dicuntur. Quid enim facies Theologis facundioribus, *Paulo*, *Basilio*, *Hieronymo?* Num hi

quoque *Bacchanalia* agunt? Sed desino has similitudines tuas excutere, in quibus hoc commune erratum est, quod elocutionem iudicas esse delicias quasdam, non ad utilitatem ac necessitatem comparatas, nos contra ornatum praecipuum esse propriam rerum expositionem. Et tamen in tanta rerum varietate multa esse, quibus ut conspici eorum magnitudo possit, nitor quidam adhibendus sit, in quo etiam necessitatem sequimur. Servimus enim dignitati et magnitudini rerum. Neque ego cum ornatum laudo, illa orationis flagitia probo, quae tu commemoras, cum de affectatis lenociniis declamitas, qualia deprehenduntur in *Apuleio*, qui nihil proprie dicit, sed habet perpetuas Periphrases et Metaphoras. Idque peccat Philosophus. Nec multo secus Barbari vestri rhetoricantur. Quanto prudentius Rhetores? in quibus tu orationis delicias in crimen vocas, cum nulli magis aspernentur ambitiosum et inanem cultum, nulli dicant castius quam hi, qui ad recte dicendum his exercitationibus assuefacti sunt. Ac velut in rosis candor, ita in oratione Philosophi simplicitas quaedam insit nativa. Et ut purpureae rosae *Veneris* sanguine conspersae dicuntur, ita ornamenta sint non prodigiosa, sed venusta ac suavia, qualia sunt in *Ciceronis* disputationibus, saepe etiam in *Aristotelicis*, ut vere possis dicere, *Ambrosia* conspersas esse. Sed magnis exemplis barbariem tueris. *Cultus deest*, inquis, *in sacris literis.* Verum longe dissimilis est oratio in tuis Barbaris, qui plane novum sermonis genus condiderunt. Prophetae in sua lingua non loquuntur vitiose, et voluerunt intelligi, quidam etiam satis ornati sunt. *Davidis* enim carmen ut in ista lingua vere *Atticum* est. Apostoli verbis bonis utuntur. *Paulus* vero etiam adhibet in disputando artem, et quaedam ornamenta. Deinde cur divinitus additum est Evangelio donum linguarum, si Eloquentia inutilis est ad res sacras et magnas exponendas? Quid enim aliud est donum linguarum quam Eloquentia, hoc est, facultas plane et copiose res obscuras explicandi? Atque hic accusandi erant tui magistri, quod coeleste donum non conservarunt, quod linguarum studia, quae antea in Ecclesia colebantur, novo doctrinae genere oppresserunt. *Pythagoram* etiam allegas, qui mysteria texerit involucris. Fortassis illi expediebat tegere quasdam sententias, quas docebat contra publicas persuasiones. Nos vero non loquimur de arcanis, quae pro tempore occultanda sunt, sed de illis, quae efferri atque extare oportet, quae pars multo maxima est in Doctrinis. Deinde et Symbola et Apologos conditos interpretor, non hoc consilio ut praecepta tegerent, sed ut essent veluti morum picturae, utiles ad excitandos animos ad admirationem. Natura enim et amamus et admiramur picturas. Sed praedicat *Aristoteles* sua scripta, etsi extarent, tamen non extare. Ille vero non hoc sensit, se de industria tenebras offudisse lectoribus. Nam plerique libri valde perspicui sunt. Duas enim res adhibet, quae perspicuitatem inprimis efficiunt, methodum videlicet, et genus orationis proprium. Nec vero methodum tanta diligentia secuturus erat, si de industria res obscurare voluisset. Verum vidit sua scripta non esse intellecturos, nisi qui liberaliter instituti essent. Eius iudicii multae sunt causae. Deterrebat igitur a suis scriptis homines ineptos, qui imparati ad ea irrumpebant, quo in genere non leviter etiam peccaverunt Barbari tui, qui nulla instructi liberali doctrina, profitentur se *Aristotelis* interpretes esse. Postremo, etiamsi *Aristoteles* interdum oneri cedens, ut fit, non satis commoratur in aliqua re explicanda, non semper quid quisque artifex effecerit, sed quid requiratur spectandum est. Quis autem est lector, qui non optet ubique summam esse perspicuitatem? Postremo etiam philosophari incipis, *Vocabula non natura constant*, ais, *sed hominum arbitrio*, *licuit igitur eis condere novum sermonis genus.* Quid audio? Si hoc semper licet, quomodo contrahent inter se homines? quomodo docere alii alios poterunt? Sed omitto haec quae leviora sunt quam ut diluere opus sit. Venio ad alteram partem tuae disputationis, in qua arrogas Barbaris rerum scientiam, et quidem eloquentibus detrahis. Cum autem de Eloquentia responderim, non quantum magnitudo rei postulat, sed quantum vel potui, vel Epistolae modus patiebatur, de altero etiam brevius dicam, etsi haec disputatio multo maior ac difficilior est de toto genere doctrinae in istis tuis autoribus. Atque initio *Lucretium* in *Scotum* committis. Est autem iniquum, cum de genere dicendi controversia sit, materias conferre. Neque enim adeo amens sum, ut inanem loquacitatem pluris faciam, quam sapientiam. Verum hoc defendo, Eloquentiam ad res magnas patefaciendas necessariam esse. Deinde cur non opponis *Scoto* Theologum aliquem, videlicet *Hieronymum?* Uter de Ecclesia melius

meritus videtur? Istene cuius Eloquentia lumen attulit sacris libris, pleraque dogmata diligenter explicavit? an vero *Scotus*, qui, cum nullum dogma illustravit, nugacissimas disputationes in Ecclesiam invexit? Deinde facis inciviliter, *Pice*, quod Barbaris ita arrogas rerum scientiam, ut praestantissimis ingeniis *Graecis* et *Latinis* detrahas, qua in re cum modestiam desidero dignam Philosopho, tum vero etiam prudentiam. Vituperas quicquid est disertorum, Poëtas, Oratores et Historicos. Hos dicis omnes amplexos esse Eloquentiam sine Sapientia, cum quidem hoc ad causam tuam nihil pertineret. Poteras enim tuis rerum scientiam, sine horum contumelia tribuere. Sed sic solent rhetoricari, qui Eloquentiae studia vituperant. Obsecro te, nihil putas esse sapientiae in *Homero*, *Virgilio*, in *Demosthene*, *Cicerone*, in *Herodoto*, *Livio*, et caeteris, qui hos in scribendo imitati sunt? An non videntur hi tibi verius philosophari, cum vel naturam rerum sapientissime describunt, vel summo consilio pingunt imagines omnium rerum, quae vel in privata, vel in publica vita accidere possunt, cum praecepta et exempla vitae ac morum utilissima proponunt, quam Barbari tui, cum rixantur, *utrum partes simul sumtae distinguantur realiter a toto*, et hoc genus infinita? non enim libet recitare. Quid? quod Oratores maximum usum rerum afferunt ad scribendum, qui iudicia exercet atque acuit. Quare Philosophiam apte ad usum et ad communem vitam transferunt. Tui Philosophi in umbra ne quidem vim praeceptorum, de quibus rixantur, intelligunt. Sed longum esset de laudibus eloquentium scriptorum dicere, et non est necessarium. Facile enim iudicari potest, abundare eos rebus optimis et ad vitam necessariis, ac sumptis ex media Philosophia. Redeo igitur ad Barbaros, quibus equidem non detraho in universum rerum cognitionem. Ac minime vituperandos censeo Medicos, quorum ars exerceri sine magna Eloquentia potest, tametsi doceri a disertis felicius queat. Deinde fontes sunt apud *Graecos*, nec opinor a posterioribus vinci *Hippocratem* et *Galenum*, aut acumine in inveniendo, aut diligentia in inquirendo, aut ratione aut proprietate in explicando. Sed non disputas proprie de Medicis. *Aristotelicos* et Theologos defendis, hos habes in deliciis, horum sapientiam admiraris. Neque ego eos in totum doctrinae laude spolio, studium etiam et voluntatem laudandam censeo: Videntur enim Philosophiae studia, quae multis seculis conticuerant, rursus excitare voluisse. Sed si ita complecteris eos, ut inchoata studia absolvisse existimes, longe falleris. Mihi vero magna ex parte Philosophiam corrupisse videntur, idque ob hanc causam praecipue, quod has dicendi exercitationes neglexerunt. Itaque non solum genus sermonis, et universae doctrinae formam (est enim confusissima) reprehendo, sed etiam magna ex parte res desidero meliores. Nam cum et genus sermonis non intelligerent, et artes non transferrent ad usum aliquem, iudicio lapsi, multas absurdas opiniones genuerunt, quibus fere universam *Aristotelis* Philosophiam penitus obruerunt. Idque testantur moles commentariorum, qui magna ex parte consumuntur in illis somniis, de natura communi, de hecceitatibus, de distinctionibus, et de primis et secundis intentionibus, de instantibus, et similibus deliramentis. Vetus versiculus est, τὰ μηδὲν ὠφελοῦντα μὴ πόνει μάτην. Sed haec cum fere sint commentitia, non solum nihil afferunt utilitatis, sed nocent etiam, non solum, quia in his discendis temporis iactura facienda est, sed etiam, quia iudicia depravantur. Quanto satius erat praecepta simpliciter proponere et ostendere, quem vel in iudicandi natura, vel in negotiis, vel in moribus, et communi vita usum habeant, quomodo ea transtulerint ad usum magni artifices, quid hinc Poëtae, quid Oratores, quid alii magni viri sumpserint? Quantum flagitii est, quod illae nugae etiam studia *Mathematum* extinxerunt? Nosti enim scholarum morem. Praeterea vix umbra *Mathematum* est in Barbarorum scriptis. Omnia enim planiora atque illustriora sunt apud *Graecos*. Itaque excellentes nostra aetate *Mathematici Graece* discendum putaverunt, ut germanam *Ptolemaei* sententiam, deinde ut *Graecos* interpretes in hoc genere consulere possent. Praeclare inquit *Plato* de *Mathematum* doctoribus, facile eas artes percipi posse, si doctor contingat idoneus: ἀλλ' οὐδ' ἄν διδάξοιεν, εἰ μὴ θεὸς ὑφηγοῖτο. Negat quenquam idoneum fore ad discendum, nisi Deum aliquem ducem habeat, hoc est, nisi et singulari ingenii dexteritate praeditus sit, et expeditam ac perspicuam docendi rationem teneat. Sed in Barbarorum scriptis ita perturbata et confusa sunt omnia, ut hunc ducem eis defuisse appareat. Quare gratulamur nostrae aetati, qua quidem et *Graecis* literis et Eloquentia instructi, cum reli-

quam Philosophiam, tum etiam hanc partem repurgare atque instaurare coeperunt. Miror autem, cur Theologis tuis tantam Philosophiae scientiam tribuas, cum a *Mathematicis*, quae est haud dubie praecipua Philosophiae pars, valde nudi atque inopes sint, quos quidem tu mihi producis, homines religiosos, satis *Thrasonice* de se praedicantes. Viximus celebres, et vivemus non in scholis Grammaticorum, ubi de *Niobes* filiis disputant, sed in coronis Philosophorum, ubi humanarum et divinarum rerum oratores quaeruntur. Vixerint sane celebres. Non enim invideo. Illud autem optarim, de *Niobes* filiis eos nugatos esse potius, quam isto modo lusisse in Ecclesiastica doctrina, qui cum sacrarum literarum sermonem non intelligerent, cum nullam haberent antiquitatis notitiam, cum iudicii inopia veteres controversias ac sententias non recte acciperent, multas sparserunt in Ecclesia impias et perniciosas opiniones. Quam sunt inepti cum interpretantur Prophetas et *Paulum?* Qua in re inprimis ridiculum est homines *Dialecticos*, quique in una illa arte consenuissent, nusquam videre, id quod erat *Dialectici*, quid proponat *David* aut *Paulus*, quae sint initia argumentorum, qui exitus. Tales interpretes in sacris literis vere sunt ὄνοι ἐν μύρῳ, ut vulgo dicunt. Itaque cum sermonem non assequerentur, novam quandam Theologiam architectati sunt. Centones scripserunt, quorum magna pars consuta est ex disputationibus puerilibus, quae agitantur in ipsorum *Dialectica.* Tanta vis est consuetudinis, ut puerile studium ne senes quidem deponere possint. Deinde assuunt pauca quaedam dogmata Ecclesiastica, quae non reprehendo. Sed quaedam de maximis rebus sceleste corrumpunt ipsi, in quibus nec scripturae, nec Synodorum verba intelligunt, ac serunt impias et fanaticas opiniones. Reliqua est pars, quae habet infinitas quaestiones, de humanis traditionibus, ut vocant, de qua ὀυδὲν ὑγιὲς dicunt. Ac de toto hoc genere coram tutius erit disputare, ubi cum evolvero tuos magistros, res ostendet eos verius esse πιθήκους ἐν πορφύραις, quam ut tu putas, *Alcibiadis Silenos.* Quod autem eis etiam immortalitatem polliceris, ac victuros esse confirmas, melius ominari te velim, et *Christianae* doctrinae, et aliis honestis artibus. Eo vanitatis processisse disputatricem Theologiam omnes sani fatentur, ut revocari ad fontes doctrinam *Christianam* necesse sit. Eam ad rem profutura sunt Eloquentiae studia, quae si quando colere nostri homines incipient, spero *Herculem* aliquem exoriturum esse, qui monstris illis orbem terrarum liberet, quique Philosophiae et *Christianae* doctrinae nativum decus restituat. Atque adeo ad hanc laudem expetendam, excitare te, *Pice*, non desinam, quem et ingenio excellere, et doctrinae varietate praeditum esse, et ardere incredibili quodam studio veritatis investigandae, et Eloquentia ad res tantas illustrandas instructum esse video. Nam si est hominis Philosophi, ut certe est, in eruenda atque patefacienda veritate bene mereri de toto genere humano, te verae Philosophiae deditum in hanc curam maxime incumbere omni studio decet, ut collapsas artes instaures. Neque vero meritum ullum maius aut gloriosius ducendum est inter homines, cum veritate nihil sit melius: ἀλήθεια γὰρ πάντων μὴν ἀγαθῶν θεοῖς ἡγεῖται, πάντων δ᾽ ἀνθρώποις, ut gravissime dixit *Plato.* Ac iam quia specimen quoddam praebuisti tuorum studiorum, in quo significas, pleraque tibi in veteribus congerronibus tuis, non probari, ac novam quandam rationem, tum ad Philosophiam, tum ad Theologiam tractandam adhibes, magnam in spem eruditos omnes erexisti. Reliquum est ut bene precemur tibi. Haec tibi rescribenda esse duxi, non quod arbitrarer de his studiis aliud esse tuum, quam meum iudicium, sed quod statuebam gratum tibi officium meum fore, quoniam me ad scribendum provocasses. Quanquam, ut tu dicis stomachum tibi movere quosdam Grammatistas, qui leviter degustatis primis artibus, prae se Philosophos contemnunt, ita ego multo iustius succenseo morosis quibusdam, qui cum verae Philosophiae infestissimi hostes sint, tamen Philosophiae titulo regnant, ac mirabili conspiratione, et odiis pertinacissimis obsistunt, quo minus reflorescere meliora studia possint. Scripsi igitur quaedam hic asperius, ne isti me patrocinium nostrarum literarum abiecisse existimarent; quae cum leges, boni consulito. Fui enim vehementior alicubi, istos animo intuens, cum scirem mihi hac de re verius cum ipsis, quam tecum certamen esse. Ut autem *Stesichorum* ferunt, cum *Helenae* formam vituperasset, erroris poenam coecitate dedisse, posteaque, cum palinodiam caneret, oculos recepisse: ita te quoque Deo gratum facturum statues, si Eloquentiam coelo donatam hominibus maximarum utilitatum causa, cuius dignitatem prior

epistola extenuat, rursus ornes ac laudes. Id argumentum tua et persona et facultate copiaque dignum fuerit. Vale.

No. 6659. h. a.

Quaestio.

Consil. Melanth. lat. P. II. p. 323.

An Romanus Pontifex ius habeat transferendae dignitatis Romani Imperatoris, et Principum Electorum? Anno 1558.

Scio disputationem de re tanta magis pertinere ad summorum Principum consilia, quam ad scholarum declamationes. Sed cum his diebus Germaniae Principes ad deliberationem de re maxima conveniant, iustum est, nos omnes ardentibus votis Deum precari, ut consilia Principum gubernet, et patriae nostrae pacem et salutarem gubernationem tribuat. Id ut faciat, toto pectore eum oro. In hac cogitatione non est intempestivum, simul de mutatione veteris imperii, et de veterum Germanorum virtute, et de horum recentium Pontificum audacia cogitare, qui non nunc primum, sed antea quoque conati sunt Germaniam turbare, mutata forma gubernationis.

Manifestum est, verissimum esse dictum Xenophontis, *πᾶσαι μεταβολαὶ πολιτειῶν θανατηφόροι.* Magnae igitur caedes et vastationes secutae sunt, quoties tentata est mutatio. Saepe autem inde usque a quadringentis annis tentata est. Et Pontifices armaverunt se decretis, iubent, ut articulum fidei omnes amplecti hanc sententiam, Romanos Pontifices habere utrumque gladium, hoc est, ius transferendi regna. Ideo Henricos, Fridericos, Ludovicum Bavarum, non solum removere a gubernatione, sed etiam ex Ecclesia eiicere conati sunt. Inde longa bella, multorum Principum caedes et vastationes ortae sunt, quae etiam posteritati nocuerunt, ut dicitur: *Alta sedent civilis vulnera dextra.* Sic autem argumentantur.

Summus sacerdos in lege Mosaica potestatem habuit constituendi et removendi Reges, ut Samuel, Ioiada, et alii. Nunc Romanus Pontifex est summus sacerdos. Sit igitur similis potestas.

Constat etiam, hanc imperii Germanici formam ab Othone tertio et Romano Pontifice institutam esse. Potest igitur a Romano Pontifice mutari aut aboleri, praesertim si Principes ab ipso dissentiant, aut non defendant Pontificum potentiam. Haec splendide exaggerari possunt. Et Ludovici Bavari tempore de hac quaestione terribiles disputationes editae sunt. Est autem plausibilis oratio, quae coniungit, tanquam divino foedere summum sacerdotem, et summum Regem, quia profecto pius utriusque potestatis consensus ingens bonum est. Ideo contraria sententia, quae sacerdotem quasi avellit a Rege, minus splendida est. Ut veritas saepe speciosa opinione, quanquam falsa obscuratur, ut dicitur: *δόξα βιάζεται τὴν ἀλήθειαν.*

Circumdat autem Evangelium certas metas Episcopis. Affirmat non pertinere ad eos constituere imperia, ut dictum est, *Reges gentium dominantur, vos autem non sic.* Non igitur habet Pontifex ius dandi aut eripiendi regna suo arbitrio. Carolus Magnus Italiam usque ad Neapolin tenebat, quia rebellantes Longobardos necesse fuit eum reprimere. Hoc iure cum teneret illam Italiae oram, tribuit ei titulum Imperatoris Pontifex, quo titulo tamen non est usus, nisi concedentibus Graecis.

Explicatio praecedentis quaestionis uberior.

Etsi deliberationes de imperiis sunt propriae Principum: Tamen solicitudo et vota debent esse communia omnium. Sicut et praeceptum est: *Orate pro Regibus.* Ac profecto nunc pericula magna sunt, et deliberatio de re magna instituitur. Haec eo cogitanda sunt, ut pectora ad precationem accendantur. Si qui non afficiuntur cura publicae salutis, et tantum suas voluptates quaerunt, horum vita similis est seu pecudum vitae, seu orgiis Bacchanalium. Non igitur reprehendendi sunt, qui modeste et pio studio, seu veteres mutationes in hoc imperio seu praesentia pericula commemorant. Est omnino pulcrum *ἀξίωμα* Senatus, Principum, Electorum in Germania. Nec consilium in genere humano sublimius est, et iam annos quingentos saepe profuit toti Europae, quod quidem Romani Pontifices saepe evertere conati sunt. Ac ut bella adversus Henricos et alios accensa omittam, recens nervum electionis hac arte incidere conatus est Pontifex Aeneas Sylvius. Episcopum Moguntinum Ise-

bergensem confirmare noluit, nisi promitteret, nunquam Episcopum Moguntinum convocaturum esse Electores, nisi interrogato et assentiente Romano Pontifice. Hoc si obtinuisset Romanus Pontifex, Electorum autoritas prorsus extincta fuisset. Repugnat igitur constanter Isebergius, qui cum fulmine pontificio ictus pelleretur, suscepit eius defensionem in caussa iusta, et ad Electorum dignitatem, es Germaniae salutem pertinente, Fridericus Palatinus. Cumque bellum inde ortum esset, vicit tandem caussa iustior. Senescit autem haec forma Germanici imperii, et iam periodus communis imperiis fatalis, videlicet quingenti anni a tertio Othone, praeteriit. Ideo non levia pericula impendent. Cum autem verissimum sit, imperia et constitui et conservari a Deo, sicut Daniel inquit, *Deus est, qui transfert et stabilit regna*, oro Deum conditorem generis humani, et custodem politicae societatis, ut tribuat Germaniae pacem, et salutarem gubernationem.

De argumentis, quae obiiciuntur, breviter respondeo. Est omnino speciosa oratio, quae copulat summum sacerdotem, et Regem. Sed tamen falsa sunt pontificia decreta, quae Petro utrumque gladium tribuerunt. Falsus et ille versus est, qui fuit inscriptus coronae *Rodolphi*, qui in vicina urbe Mersburg sepultus est:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho.

Caussae autem bellorum, quales fuerint, longum esset recitare. Crevit pontificia potentia suo quodam fato, et nunc stabilitur illorum dissidiis, qui eam oppugnant. Fiet tamen, quod in Sibyllae versu praedictum est.

ῥώμη μὴν ῥύμη ἔσεται, καὶ δῆλος ἄδηλος.

Oro autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, ut Ecclesiam suam, et nos in ea servet et gubernet.

No. 6660.

(*Inscriptio.*)

Unschuld. Nachr. Jahrg. 1731. p. 350.

Philippus anno 1558. inscripsit libro: Die tröstliche und fröhliche Lobgesänge: Ein Kindelein so löbelich etc. Item: Christ ist. erstanden etc. geprediget durch Iacob. Eysenberg. Wittb. 1558. 8. (quod asservatum dicitur in biblioth. ducali Leucopetrensi) sequentia propria manu:

Paulus zu den Colossern. *)

Die Rede des Herrn Christi soll in euch reichlich wohnen, in aller Weisheit, und ihr sollt euch unter einander lehren und erinnern.

Merk, daß er spricht, wohnen, das ist, Gottes Wort soll uns nicht unbekannt bleiben, sondern wohl bekannt werden, wie diese, die bei uns täglich wohnen, mit welchen wir täglich reden müssen. Also sollen [wir] täglich mit dem Herrn Christo reden, und ist gewißlich wahr, wo im Herzen Gottes [Wort] wohnet, das ist, wo es betrachtet und mit Glauben angenommen wird, in selbigen wohnet [Gott] selbst wesentlich und kräftiglich, giebet Trost und ewige Freud.

No. 6661.

Annales.

Ex annalibus Melanthonis, editis in eiusdem christlichen Berathschlagungen und Bedenken p. 753. (Vid. quae de his annalibus diximus ad annum 1552. exeuntem.)

(*Annales Ph. Melanthonis ad annum* 1558. *spectantes.*)

Im Jahr nach der Geburt unsers Herrn und Heilandes Jesu Christi 1558 hat sich denselben Winter dies fürnehmlich zugetragen.

Kaiser Carl, so das Jahr zuvor in Hispanien gezogen, als er Schwachheit halben die große Mühe und Arbeit der Regierung nicht länger ertragen konnt, wurde er mit ihm selber eins, daß er den Titel und Dignität des Kaiserthums niederlegen wollte. Und obwohl König Ferdinandus, sein Bruder, oft und viel bei ihm anhielte, er wollte doch weil er lebte diese Hochheit nicht fahren lassen: jedoch weil Kaiser Carl von seiner Meinung nicht zu bringen war, kamen den 1. Martii im Jahr 1558. zu Frankfurt am Mayn zu Hauff König Ferdinandus und alle Churfürsten, der Bischof von Maynz Daniel, geborner vom Adel, und einer von Brendel, Bischof von Cölln, geborner Graf in Schaumburg, Bischof von Trier Johannes, geborner vom Adel, und einer von der Lay, Pfalzgraf beim Rhein Otthenricus, Herzog von Bayern, Ruperti, Pfalzgrafen und Herzog von Bayern, Sohn, Augustus, Herzog zu Sachsen,

*) Idem dictum inscripsit anno 1553. exemplo locor. theolog. Vid. supra ann. 1555.

Landgraf in Düringen und Marggraf in Meißen, Herzog Heinrichs Sohn, Joachimus dies Namens der andere, Marggraf zu Brandenburg, Joachimi dies Namens des ersten, Sohn. Es kamen auch gen Frankfurt Kaiser Carls Legaten, Graf Wilhelm von Nassau, Graf Wilhelms Sohn, und Georgius Sigismundus Seldius von Augsburg. Diese überantworteten des Kaisers Schreiben, darinnen er den Churfürsten ausdrücklich den Titel und Dignität des Kaiserthums wiederum überreichet, und vermahnet sie, sie wollen die Wahl seines Bruders Ferdinandi nicht ändern, noch eine Zwiespalt oder Uneinigkeit in Deutschland anzünden, sondern wollten Ferdinandum vor ihren Kaiser erkennen, und demselben wegen gemeiner Wohlfahrt treulichen gehorsamen.

Als diese Oration verlesen, waren die Churfürsten alle einig, und gaben des Kaisers Gesandten diese Antwort, daß sie dem Kaiser wünschten gute Gesundheit und langes Leben, und wollten viel lieber, er hätte das Kaiserthum nicht abgelegt: aber weil er von seiner Meinung nicht zu bringen, dankten sie ihm vor den stets währenden guten und geneigten Willen gegen Deutschland, und vor die große Mühe und Arbeit, so er über dreißig Jahr wegen des gemeinen Nutz getragen. Darnach werden die Churfürsten allesampt eins, und machen ein Decret, darinnen sie König Ferdinandum vor erwählten Kaiser erkennen, und ihm schuldigen Gehorsam verheißen und zusagen. Schließen auch, daß ein Reichstag angesetzt, dahin alle Churfürsten deutscher Nation kommen und dem neuen Kaiser hulden, und vom Kammergericht und andern nothwendigen Sachen, so zu Nutz ganzem Deutschland gereicheten, mit einander sich unterredeten. Diese Einigkeit der Churfürsten über so einer großen, wichtigen Sachen, ist allen frommen Leuten durch ganz Deutschland lieb und angenehm gewesen.

Kaiser Ferdinandus saget den Churfürsten wiederum zu, daß er den Abschied, zu Augsburg gemacht, darinnen den Kirchen, Augsburgischer Confession zugethan, Friede zugesagt ist, nicht ändern wollte.

Darum als Ferdinandus beim Papst zu Rom *Paulo IV.*, Carapha von Neapolis, um die Confirmation ansuchen ließ, wollt der Papst des Kaisers Oration nicht hören, allein der Ursachen halben, daß er unsern Kirchen Frieden zugesagt hatte.

Den 20. Aprilis starb der Ehrwirdige Herr Johann Bugenhagen von Julin aus Pommern, der heiligen Schrift Doctor und Pfarrherr der Kirchen zu Wittenberg, welcher dieser unsrer Kirchen in die 36 Jahr treulich vorgestanden, und viel andre Kirchen anderswo nach der Lehr, in der Augsburgischen Confession begriffen, angerichtet; als zu Braunschweig, Hamburg und Lübeck, in Sachsem, item in Pommern und Dennemark, welche noch allzumal mit einhelligem Consens beständig die Lehr der Augsburgischen Confession behalten.

Darnach ward einhellig von beiden Theilen, als von der Universität und dem Rath, (denn die Wahl eines Pfarrherrs allhier beiden zustehet) zum Pfarrherr erwählet der Ehrwirdige Paulus Eberus von Kitzingen aus Franken, welcher, daß er möge in seinem Ampt friedlich und nützlich dienen, das gebe der ewige Sohn Gottes, der da sitzt zur Rechten seines himmlischen Vaters, und theilet Gaben aus den Menschen, Pastores und Diaconos.

Im Jahr nach der Geburt Christi 1558. den 12. Augusti ist ein Comet gesehen, welcher recht stund unter der Coma Berenices, und unsers Achtens nach, von der Sonne im Löwen angezündet war. Man sah ihn aber bald nach der Sonnen Untergang bis in den September. Sein Gang war von Abend gegen Morgen, nicht schnell, und lenket sich gar wenig nach dem Mittag gegen der Waag. Der Schwanz stund nach Hispanien, und ob er wohl vielleicht viel Ding gedeutet, doch hat man bald darnach gemeiniglich dafür gehalten, er habe Kaiser Carls Tod gedeutet, der bald darauf erfolget.

Denn den 20. September in diesem 58. Jahr ist Carolus V., Römischer Kaiser und König in Hispanien, Herzog in Oesterreich und Burgundien, nachdem er viel große Ding ausgerichtet, seliglich entschlafen in Hispanien im Kloster, darein er Ruhe halben entwichen, und fast 2 Jahr mit Beten und Lesen zugebracht hat; wie er denn sonderlich im Bernhardo gerne gelesen hat.

Im Jahr 1519. ist er erstlich zum Kaiser erwählet, im Jahr 1558. im Märzen hat er das Kaiserthum wieder abgelegt. Den siebenden Monat hernach hat er aus diesem sterblichen Leben seinen Abschied genommen. Seine Historien, was er gethan und ausgerichtet, ist weitläuftig von andern beschrieben. Ich will aber allein hie erzählen, was sein Gemüth und Willen gegen die Kirchen und Regiment gewesen, wie ich das von glaubwürdigen Leuten berichtet worden bin.

Im Jahr 1521, als Kaiser Carl zu Ach gekrönet, fordert er die deutschen Fürsten gen Wormbs, und da war auch des Herzogen von Sachsen und Churfürst Friedrich Canzler Gregorius Pontanus, zu dem sagt Mercurinus, Kaiser Carls Canzler, ein weiser und vortrefflicher Mann: die deutschen Fürsten ha-

ben wohl daran gethan, daß sie Carolum zum Kaiser gemacht haben, denn es wird ein weiser und frommer Herr werden. Daß aber diese, eines solchen Mannes, Wort nicht aus Heuchelei, sondern aus der Wahrheit und wohlbedachtem Gemüth hergeflossen sind, hat der Ausgang bezeuget. Denn als Kaiser Carl den König aus Frankreich und darnach den Papst zu Rom gefangen hatte, ob sie wohl große und schwere Krieg wider ihn angerichtet, ließ er sich doch den Zorn gar nicht einnehmen, daß er ihm etwas zu viel gethan hätte, sondern den König in Frankreich ließ er wieder heim in sein Königreich ziehen, und gab ihm seine Schwester zur Ehe, und macht also durch diese Schwägerschaft ein neu Verbündniß zwischen ihm und dem König. Darnach, obwohl wiederum Kriege zwischen ihnen entstunden, jedoch hielt je und allezeit einer viel von dem andern. Und als hernachmals in den neuen angehenden Kriegen die Hispanischen Fürsten offentlich tadelten und straften, daß man den Franzosen losgelassen hätte, und die Schuld auf den Mercurinum legten, antwortet ihnen Carolus gar mit einer schönen Rede, und sagte, sie thäten dem Mercurino Unrecht, der vielmehr gerathen, man sollte den König nicht loslassen, sondern er hätte es selbst aus seinem eignen Rath und Bedenken gethan, und hätte zwo großer wichtiger Ursachen, warum er solches gethan. Denn erstlich, sagte er, hätte er bedacht den gemeinen Frieden in der Christenheit; darnach aber hätte er auch gesehen auf den Königlichen Stand, denn auch vorhin andre große gewaltige Könige andre gefangene Könige in ihren Stand und Königreich wiederum eingesetzt. Weil er denn ein König wäre, wollte er nicht haben, daß ihme die Fürsten fürschreiben oder rathen sollten, daß er etwas schärfer als einem König gebühret, wider einen andern König fürnehmen sollte, und weil er zuvor nichts hartes oder unfreundliches an einem Fürsten gethan hätte, warum sollte ers denn an einem König thun? Daß es aber nicht gerathen, müsse man den Ausgang Gott befehlen, der Lust habe an Gelindigkeit, und dem wolle er diesen Krieg befehlen, und nicht zweifeln, er würde ihm wiederum seine Gelindigkeit belohnen. Da die Fürsten vernahmen, daß der Kaiser das meiste, das er that, aus seinem Rath thäte, hatten sie eine größere Scheu für ihm, und fingen an, ihn je länger je lieber zu haben.

Also setzet er den Papst zu Rom auch wiederum ein, und an seiner Gewalt und Macht entzog er ihm gar nichts. Diese Handlungen, darinnen sich der Kaiser gar bescheiden gehalten, zeigen genugsam an, daß er ein weiser, glimpflicher und gutthätiger Herr gewesen.

Was nun ferner folget, zeiget an, wie er gegen die Kirchen gesinnet.

Im Jahr 1530, ehe er auf den Tag zu Augsburg zog *), befahl er, daß man ihm etliche Vorschläge schriftlich aufzeichnete, wie man in der christlichen Kirchen Fried und Einigkeit wieder anrichten möchte. Da schlugen etliche dem Rath für, es wäre keines Synodi vonnöthen, sondern man sollt die Lehrer, so Aenderung in der Lehr und Kirchengebräuchen gemacht, beim Kopf nehmen, den gemeinen Frieden in Kirchen mit einem Ernst und gewapneter Hand schützen und erhalten, und keinem forthin nachlassen, daß er sich von der ordentlichen Gewalt absonderte; denn ein Synodus nicht viel dienen könnte, die Zwiespaltung in der Lehr aufzuheben, sondern würde dadurch viel mehr unruhigen Köpfen Ursach gegeben werden, daß sie mehr Uneinigkeit und Spaltung in der Kirchen anrichteten. Etliche aber schlugen einen lindern Sentenz für, als nämlich, man müßte einen Synodum anstellen, damit viel Irrthums und Aberglaubens abgeschaffet würde, dieweil es am Tage wäre, daß zum Theil durch Unverstand der Lehrer, zum Theil durch Geiz der Mönchen viel Mißbräuche in die Kirchen eingeschoben wären, welche man müßte abschaffen, und wo dieselben nicht durch eine allgemeine Berathschlagung abgeschaffet und aufgehoben würden, wäre zu befahren, daß viele einzelne Zertrennung und Absonderung ohne alles Aufhören geschehen würden, dieweil einer an dem Ort, dort ein andrer an einem andern Ort allerlei in der Lehr strafen und tadeln würden. Wäre derhalben besser, daß eine allgemeine Deliberation oder Berathschlagung angestellet würde, und daß darnach Könige und Fürsten über den Decreten, so auf dem Synodo gemacht, fest und mit einem Ernst hielten.

Als nun diese beide Sentenz und Rathschläge schriftlich gestellet, las sie Kaiser Carl selbst, und befahl seinen fürnehmen Räthen, daß sie sie mit Fleiß lesen, und als in einer hohen, wichtigen Sache wohl erwägen und bedenken sollten, auf daß sie ihn berichten könnten, welche Meinung die beste wäre, von welcher er nachmals nicht zu weichen gedächte. Endlich lassen der Kaiser und seine Räthe ihnen die andre Meinung, als die gelinder wäre, gefallen, und schlossen dahin, daß man einen Synodum anstellen sollte.

Auf dieser Meinung blieb Kaiser Carl, da ern in Italien zog, und nachdem er vom Papst Clemens gekrönet, im Jahr 1530, stellte man eine Deliberation

*) Haec quae nunc incipit narratio uberius exposita est a Melanthone in „Oratione de congressu Bononiensi Caroli Imperatoris et Clementis Pontificis" d. 12. Febr. 1559. quam etiam excerpsit Pezelius in Mel. Consil. lat. P. II. p. 346.

an, von den fürnehmsten Sachen, daran allen Landen, so weit die Christenheit auf Erden gehen, hoch gelegen. Wie nun Papst Clemens und Kaiser Carl, und mit denselben viel Cardinäl und andere Fürsten sich gesetzt hatten, fähet Mercurinus in des Kaisers Namen an zu reden, und zeiget erstlichen an, wie der ganzen Christenheit hoch vonnöthen, daß ein Synodus möchte angestellet werden, nicht allein der Ursachen halben, damit die Spaltung in Religionssachen, in Deutschland entstanden, aufgehoben, sondern vielmehr, daß in allen Landen viel Aberglaubens und Abgötterei abgeschaffet, und eine bessere Disciplin und Zucht unter dem Volk und der Priesterschaft wiederum bestellet und angerichtet würde. Derhalben begehre der Kaiser einen Synodum, und hab gänzlich beschlossen, sich von dieser Meinung nicht abwenden zu lassen.

Papst Clemens hatte sich darauf geschicket, und wie er sonst verständig und beredt war, fähet er selbst an, auf diese Weise zu reden.

Ich glaub wohl, Kaiser Carole, daß du aus eigenem Rath und Andacht einen Synodum begehrest, und daß dich auch dazu anreizen und bewegen vieler anderer löblicher Fürsten Exempel. Aber in solcher Sachen, daran der Kirchen gelegen, und daraus groß Gefahr und Unglück entstehen möchte, ist billig, daß man mein Bedenken erstlich höre, und mir hierinnen fürnehmlich folge. Denn daß ich gar nicht subtil oder genau disputire von meinem Recht, so ist dies auf dem Nicänischen Synodo also verordnet, daß alle die Irrthum und Zwiespalt, so sich in den abendländischen Kirchen zutragen möchten, von dem römischen Bischof sollten verhört und vertragen werden, und daß es bei dem Stuhl zu Rom stehe, einen Synodum auszuschreiben oder nicht. Darum ich vor der Zeit oftmals mit mir selbst und mit dem Genutio zu entgegen (?) und Farnesio und andern Herrn Rathschlag gehalten, wie doch der Kirchen zu rathen, und wie man Fried und Einigkeit in denselben wieder anrichten möchte. Ob man erstlich von den streitigen Sachen in offenem Concilio disputiren, oder aber ob die weltliche Obrigkeit mit gewappneter Hand denjenigen steuern sollte, so von den alten Decreten und unsern Opinionen abgewichen. Weil ich aber endlich bei mir beschlossen, daß es gar nicht zu rathen sey, daß man einen Synodum anstellen sollte, [so] ist erstlich meine Bitte, du wollest nicht dafür halten, als fürchte ich mich meinethalben vor dem Synodo, oder daß ich mich befahret, es möchte dem römischen Stuhl an Einkommen etwas entzogen werden, wie man sagt vom Papst Johannes, dies Namens dem 23., den es soll gereuet haben, daß er ein Concilium zu Kostnitz angestellet hätte, da er seines Papstthums ist entsetzt worden. Denn was erstlich mich belanget, habe ich aus mancherlei Unglück, so ich ausgestanden, und sonderlich in meinem nähesten Gefängniß erfahren und gelernet, daß nicht allein Ehr und Gewalt, sondern auch dies unser Leben auf Erden nichts anders sey denn nur ein vergänglicher Schatten, und bin bereitet, von dieser Hoheit, darein ich jetzo gesetzet, abzutreten, wenn mich Gott abfordern, oder sonst ein Unglück [mich] abtreiben wird. Darnach, was des Römischen Stuhls Güter und Einkommen belanget, habe ich auch nicht Ursach mich zu bekümmern. Denn wir dieselben mit einem guten Titel an uns bracht, nachdem Ludovicus, Caroli Sohn, uns dieselben geschenkt und verordnet, auf daß wir nothwendige Unkosten in unsrer Regierung tragen, und wider allerlei Anlauf desto sicherer seyn könnten, und ich wollte für meine Person wünschen, daß ein Römischer Papst dieser Beschwerung benommen wäre, wenn wir allezeit solche Kaiser haben möchten, wie wir Gottlob an dir haben. Derhalben mich diese närrische Gedanken gar nicht anfechten, darum ich zum Synodo nicht stimmen kann. So beweget mich auch nichts das Argument, das die Juristen hoch halten, die da sagen, daß man bei dem, was einmal beschlossen ist, bleiben soll, und nicht gestatten, daß ein jeder durch neue Disputationen wiederum zweifelhaftig mache, was zuvor beschlossen ist. Denn so dieser Synodus zur Einigkeit dienen, und unsern Nachkömmlingen nütz seyn sollte, wollte ich ihn nicht hindern; denn alle meine Anschläge dahin gerichtet, wie gemeiner Friede und Einigkeit in der Kirchen möchte erhalten und unsern Nachkömmlingen möchte gerathen werden. Aber ich will etliche Ursachen meines Bedenkens anzeigen, warum ich zum Synodo nicht rathen kann, und will dieselbigen Ursachen nehmen aus dem Unterschied der mancherlei Lehren, so ich in drei Ordnung theile, davon man auf dem Synodo handeln würde.

Denn erstlich sind etliche Lehren nicht allein falsch und irrig, sondern auch, wie es offentlich am Tage ist, ganz und gar ungereimt und ungeschickt, als da ist der Wiedertäufer Lehre, die da fürgeben, man müsse alle Güter in gemein haben; item, daß Obrigkeit, Gerichte, ordentliche Strafen, Regiment und dergleichen Dinge Sünde sey und von Gott verworfen. Item, daß alle Ding nothwendig geschehen, auch Laster und Schanden, und daß der Mensch gar keinen freien Willen habe. Item, daß die Menschen wiedergeboren werden ohne das Gehör göttlichs Worts, allein durch himmlische Eingießung oder Eingeben, dadurch auch der widerspänstige Will gezwungen werde. So seynd über das

auch neulicher Zeit wiederum erregt worden die Samosatenischen Irrthum von dem Sohn Gottes, dadurch die Lehr der christlichen Kirchen in die Mahometische Gotteslästerung verwandelt wird. Wie es nun einem jeden frommen ehrlichen Mann zustehet, daß er zulauf und lösche, wenn ein Feuer aufgeht: also sollten alle fromme Obrigkeiten zulaufen und dazu thun, damit diese erregten Disputationen möchten unterdrücket werden; denn es uns eine böse Einführung machen wird, so wir von dergleichen Fragen [zu] disputiren gestatten sollen. Kaiser Constantius saß selbst mit im Synodo, und konnte dem geschwinden Sophisten Acacio, dem Arianer, zuhören, daß er seine Gotteslästerung ausschüttet: pater est ἀσεβής, filius est εὐσεβής; ergo sunt dissimiles; das ist: der Vater ehret niemand, aber der Sohn ehret den Vater, darum sind sie nicht einer Substanz und Wesens. Was ist das für eine ungöttliche Leichtfertigkeit, dabei sitzen und solche Gotteslästerung mit anhören? Sollte ich das von dir gedenken, o Carole, daß du so träg oder närrisch wie Kaiser Constantius seyn solltest, und mit im Synodo sitzen, und daß du solche Sophisterei ohne sonderlichen Schmerzen und Ungeduld anhören könntest?

In die andere Ordnung gehören die Lehren, die gar verwirret und unauflöslich sind, also, daß es viel besser ist, weil der Streit von denselben Materien durch Disputation nicht aufgehoben werden mag, man sey mit denselben zufrieden und rege sie gar nicht. Dahin gehören die Fragen von der Anrufung*) des gesegneten Brods, von der Aufopferung von der Messen 2c. In die dritte Ordnung gehören die Ding, darin der Papst aus sonderlicher Macht und Gewalt dispensiren kann, als da sind Gelübniß auflösen, vergünnen ehelich zu werden, etliche abergläubische Wahn abschaffen, im Essen und Kleidung, und dergleichen Lapperey. Was nun die letzte Ordnung belanget, dieweil die Sache an ihr selbst klar ist, was darfs eines Synodi? So nun die König und Fürsten hierin eine Aenderung begehren, so kann der römische Stuhl mit einem einigen Edict in den Dingen allen wohl ein Mittel und Aenderung treffen. Denn ich selbst wollt gerne, daß etliche Mißbräuch und Gebrechen, so durch närrische Satzung nur gehäuft werden, abgeschafft würden; aber ich wollte nicht gerne, daß eine Unordnung daraus erfolgete, da keiner auf den andern mehr gebe. Darum so suche man diese Aenderung bei dem römischen Stuhl, und entziehe demselben nicht die Authorität, so ihm von der alten Kirchen aus wohlbedachtem Rath gegeben ist.

*) Anbetung? fortasse: Anrufung der Heiligen, Anbetung des gesegn. Brots 2c.

Aus diesen dreien unterschiedenen Ordnungen der Lehre ist leicht zu sehen, was für Ursach sey, darum nicht zu rathen, daß ein Synodus ausgeschrieben werde. Ist derhalben das Beste, daß du, Kaiser Carl, mit gewapneter Hand Einigkeit wiederum aufrichtest. Denn weil nun Welschland bezwungen und gestillet, und dem König in Frankreich, der nicht um die ungereimete oder abergläubische Träume der Mönchen, sondern ums Kaiserthum mit dir kämpfte, auch gesteuert: wie schwer kann dir das werden, daß du ein klein Theil in Deutschland bezwingest, darinnen denn du auch die Nachkommen bedenken solltest? Denn sollte des Römischen Stuhls Authorität fallen und verlöschen, so würde eine schändliche Unordnung darauf erfolgen, die alle gute Disciplin und Zucht auflösen, und dargegen ein grob, wild, wüstes, rohes Leben einführen würde. Item, fürwitzige Köpfe würden ohne End und Aufhören allerlei Neuerung in der Lehr herfür bringen. Darum wolltest du dazu thun und bedenken, daß der Verzug in diesem angezündeten Feuer sehr schädlich sey.

Als nun der Papst solche seine Rede vollendet, befahl Kaiser Carl dem Mercurino, daß er dem Papst antwortet, und ihm seine Argument widerlegte. Denn er, der Kaiser, bei sich beschlossen hatte, von seiner Meinung nicht abzutreten. Da nun Mercurinus anfing zu reden, fället ihm der Papst in die Rede, und lässet seine päpstische Tyranney sehen mit einem zornigen Gesicht und harter Rede, schilt den Mercurinum, und spricht: was darfst du dich unterstehen, daß du dich wider mich auflegst und deinen Herrn wider mich anhetzest? Da stehet Kaiser Carl selbst auf zu reden. Die Fürsten wundern sich, was der Kaiser als ein junger Herr sagen würde, und hören gar fleißig zu. Es ist aber dies der Inhalt gewesen seiner vernünftigen und stattlichen Oration.

Ich weiß, daß ich wohl jung bin, und bekenne, daß ich des Mercurini da zu entgegen, und andrer verständiger Leut Rath brauchen muß, achte es auch dafür, daß mirs gebühre, daß ich verständige Leut zu Rath nehme und denselben folge. Und eben in dieser Deliberation, die ich weiß, daß sie zu Gottes Ehre und zu Wohlfahrt des menschlichen Geschlechts gereichen soll, hab ich mit vielen weisen, verständigen, frommen Leuten gerathschlagt, die alle sagen, daß ein Synodus hoch vonnöthen sey. So weißt du, Papst, auch selbst wohl, was aller Verständiger und Frommer Will und Begehr ist durch ganz Europam, die täglich nach einem solchen Synodo wünschen und seufzen, darin es recht

möchte zugehen. Derhalben weil ich nach länger Erwägung dieser ganzen [Sache] und fleißiger Betrachtung aller der Argument und Einwurf, so du mir entgegen haltest, endlich bei mir beschlossen, einen Synodum anzustellen, so wisse, daß Mercurinus nicht mehr geredt, denn ich ihm befohlen, und daß ich von der Meinung, so ich ihm zu reden befohlen, nicht abstehen will, weil ich lebe. Dein Vorschlag hat wohl einen feinen Schein, und mag dem rohen Haufen angenehm und wohlgefällig seyn; aber mein Rath ist recht und der christlichen Kirchen besser, und wo ihr mich nicht hindert, hoffe ich, es soll dem ganzen menschlichen Geschlecht zu gut kommen. Und schrecket mich diese deine harte Rede von meiner Meinung gar nicht ab, als daß man von ungereimten, unauflöslichen oder unerforschlichen Dingen in der Lehr nicht soll disputiren hören. Denn nicht alles, was jetzo streitig, ungereimt Ding ist. So ist auch keine Frage unerforschlich in der christlichen Kirchen, so zur Seligkeit zu wissen vonnöthen. So habe ich auch wohl gehöret, was der weise Mann Plato saget, da er spricht: gleichwie man der Aeltern Fehle, also muß man auch in Regimenten und Religionen etliche Mängel dulden und verheelen. Aber es muß gleichwohl ein Maß seyn der Dinge in Kirchen und Regimenten. Denn in der Kirchen muß der Grund der Lehre recht seyn, und in Kirchen und Regimenten müssen für und für zu ewigen Zeiten bleiben die Gesetz, dadurch Abgötterei und Unzucht verboten und abgeschafft werden. Es seynd aber neben andern Mißbräuchen in der christlichen Kirchen mit eingerissen etliche Anrufung, die zu Gottes Unehr gereichen. So ist vor Augen die gräuliche Unzucht, die jetzo im Schwange gehet. Und ist nicht allein derhalben zu thun, daß man diesen Unrath durch einen offentlichen Synodum ändere und abschaffe, sondern man muß auch ein vollkommlich corpus fassen der ganzen christlichen Lehre, die in allen Landen und Kirchen einhellig geführet und gepredigt werde. Denn wie du selbst wohl weißt, so seynd in deinem selbst eigenem Lager von vielen hohen wichtigen Dingen gar ungleiche Geschrey. Und weil zu unsern Zeiten etlich ungereimet Ding in der Lehr auf die Bahn bracht ist, so ist gut, daß durch einen Synodum denselben Irrthumen helle gewisse Zeugniß entgegen gesetzt werden, auf daß zu diesen unsern Zeiten und bei unsern Nachkommen die Leut etwas gewiß haben, daran sie sich halten, und weniger verführet werden mögen. Der Rede aber hätte ich mich zum Papst nicht versehen, daß du sagen darfst, daß in der christlichen Kirchen etliche Lehren verwirret, und unerforschlich seyn. Gott der allmächtige hat sich aus unermessener Barmherzigkeit dem menschlichen Geschlecht selbst geoffenbaret, und hat uns geben sein Wort, daran wir uns halten sollen. Wenn nun dasselbe Wort ungewiß oder zweifelhaftig seyn sollte, was wäre es anders denn ein vergebenes Getöne. Wie viel besser ist Kaisers Theodosii Rath, den ich mir auch gefallen lasse, der im Synodo ließ aufsuchen und herfürbringen der alten reinen Kirchen Zeugniß; denn ich traun gerne höre die christliche Kirche, als die rechte Lehrerin, wie auch Samson sagt: wenn ihr nicht hättet mit meinem Kalbe gepflüget, ihr hättet mein Räthsel nicht troffen. Was aber belanget die Dispensation, darzu du dich erbeutest, kann solches viel besser geschehen in einem offentlichen Synodo, und wird größere Einigkeit seyn in allen Landen, wenn sie alle zugleich zu einer solchen Linderung stimmen und dieselbe annehmen. Und hat mir der alte Spruch allezeit wohlgefallen: in communi periculo sit communis deliberatio; in gemeiner Gefahr sey gemeiner Rath. Ich wills auch an mir nicht mangeln lassen, wenn die Sachen werden erörtert seyn. Damit man aber zu solcher Erörterung ordentlich komme, will ich, der alten löblichen Kaiser Exempel nach, dem Synodo selbst beiwohnen, und, so viel an mir ist, verschaffen, daß man über dem alten Gesetz halte: utraque pars pariter audiatur, das ist, daß man beide Theile zugleich höre, und spreche darnach den Sentenz, nicht tyrannischer Weise, wie es einem jeden gut däucht, sondern nach der rechten Richtschnur, nämlich nach der Lehr, die Gott selbst offenbaret und gegeben hat. Daß du aber rathest, daß ich ohne Unterscheid und unverhörter Sachen böß und gut zugleich vertilgen und ausrotten soll, das will ich mit nichten thun. Denn ich will nicht in der Christenheit ordentliche Kirchengericht aufheben und dagegen eine Tyranney anrichten. Was meine Person belanget, so habe ich meine Reverenz und Ehrerbietung gegen der Kirchen und dem römischen Stuhl, und insonderheit gegen dir im nächsten Krieg genugsam erzeiget, und wills ferner zu jeder Zeit erzeigen.

Da der Papst und die andern Fürsten diese Oration vernommen, wunderten sie sich über des Kaisers hohen Verstand und großem Muth; und damit der Kaiser nicht mehr entbrännte, gab ihm der Papst gar eine gelinde Antwort: er wollte sich mit seinen Cardinälen weiter berathen. Aus dieser Handlung, zu Bononien gehalten, ist genugsam zu spüren, daß Kaiser Carl gern einen Synodum angestellet, und daß er der Kirchen gern gerathen gesehen hätte. Und weil seine Anschläge alle dahin gerichtet, befahl er, ihm auf dem Tag zu Augsburg Anno 1530. die Confessien der Unsern zu überantworten, und bezeuget ausdrücklich, daß

er in der Sache keinen Krieg anfahen wollte bis sie im Synodo verhöret und erörtert worden wäre.

Aber der Mangel ist an beiden Theilen gewesen. Papst Clemens wollte gar nicht dazu stimmen, daß er einen Synodum angestellet hätte. Papst Paulus der III., Farnesius, stellet endlich einen Synodum an zu Trient, aber gar listiger Weise. Denn sie spielten mit den Dingen, und zogen die disputationes lang auf, bis er endlich seine Disputatores von Trient gen Bononien abfordert, da er sie doch aufs Kaisers Begehren wieder gen Trient schicken mußte. Aus den Lutherischen kam niemand auf den Synodum denn allein Brentius und seine Mitgesellen, so vom Herzog von Wirtenberg gesandt worden, und nicht lang darnach zerging der Synodus. Derhalben ließ Carolus endlich sein Fürnehmen auch liegen, und legt das Kaiserthum gar ab. Aber kurz vor seinem Tod, da er sich im Kloster verborgen hielt, hat er zum Bischof von Tolet gesagt, daß der Lutherischen Meinung vom Artikel der Rechtfertigung recht sey. Denn der Artikel von der Rechtfertigung, wie er von [den] beiderseits verordneten im Colloquio zu Regensburg gestellet, hat ihm je und allezeit wohlgefallen.

Dies hab ich an dem Ort vom Kaiser Carl anzeigen wollen, dieweil es in andern Historien ausgelassen ist. Es sind viel herrlicher großer Tugenden in ihme gewesen. Denn für sich selbst war er ein eingezogener mäßiger Herr. Im Regiment aber seynd viel Anzeigung einer hohen, großen Weisheit; und daß er in der Regierung Gerechtigkeit und Gelindigkeit lieb gehabt und gebraucht, weiset seine ganze Historien aus; als, daß er so viel gefangener Fürsten hat wieder los gelassen, nämlich Franciscum König in Frankreich, Papst Clemens, Herzog Johann Friedrich Churfürst zu Sachsen, und Philipp Landgraf in Hessen. Aber von diesen allen kann man sich in weitläuftigen Historien erkunden.

Diesen Sommer nahm der Moscowiter in Liefland zwo Städte ein, Nervam und Derptam. Nerva, achte ich, habe den Namen von den Nervis, welcher gedacht wird beim Herodoto lib. 4. mit diesen Worten: Bei den Nervis werden die Leut zu gewisser Zeit im Jahr zu Wölfen, und dann werden sie wiederum zu Menschen. Dergleichen hat sich das vergangene Jahr vor dem Krieg in Liefland mit einem zugetragen, wie ers darnach, als er wiederum zum Menschen worden, viel glaubwürdigen Leuten selbst gesagt hat. Den Bischof von Derpten schickte der Moscoviter gefangen zu der Tartar König, als der damit triumphiret, daß er einen deutschen Fürsten gefangen hätte.

Darüber ward auch fast eine große Menge deutsches Volks hinein in Reussen geführet, da sie beschwerlicher Dienstbarkeit unterworfen, und lieber todt denn lebendig seyn sollten. Und des Kriegs war noch kein Ende dazumal, da wir dieses aufzeichneten.

So hat der Krieg zwischen dem König in Frankreich Henrico und dem König in Hispanien Philippo, Kaiser Carls Sohn, auch noch kein End. Und hatten beide Könige einen stattlichen reisigen Zeug diesen Sommer aus dem Deutschland aufbracht.

Herzog Johann Wilhelm, Herzog Johann Friedrichs des ersten Sohn, führet bei drei tausend Pferde zum König in Frankreich. So haben andre mehr nicht viel weniger Pferde hineingeführet. König Philippus hatte auch zu Hauf bracht bei fünf tausend Pferde aus Sachsen, Westphalen und Cleven. Und weil beide Könige zugleich stark waren, hielten sie keine Schlacht mit einander, sondern ließen das Volk wieder ziehen im November, und machten mit einander einen Anstand.

In Deutschland war Gottlob Friede. In Zips, nicht weit von Kascha, wurden bei drei tausend Türken erschlagen.

Nach dem Cometen folget der tödtliche Abgang Christiani Königs in Dennemark, und des alten Christierni, so weiland König gewesen. Item, des Churfürsten Otthenrichs, Pfalzgrafen bei Rhein, und der Königin in Engelland, König Philipps aus Hispanien ehelichen Gemahl.

1559.

No. 6662. 1. Ian.

Conr. Heresbachio.

Epist. lib. II. p. 400. (ed. Lond. lib. II. ep. 413.).

D. Conrado Heresbacchio

S. D. Clarissime vir et charissime frater, Delector veteri versu, quem aiunt esse *Sophoclis*, etsi non est in his Tragoediis quae reliquae sunt: *ἅπαν τὸ χρηστὸν τὴν ἴσην ἔχει φύσιν.* Effigies est hic versus animi tui et morum tuorum. Ut enim in caeteris virtutibus constantiam praestas: ita in amicitia, cum quidem in hac temporum confusione multi mutentur, erga veteres amicos, quos iudicio complexus es, manes idem. Et spero nos in coelesti consuetudine dulcissime et assidue aliquanto post, non de Regum et Theologorum furoribus, sed de doctrina collocuturos esse, cuius elementa in hac vita didicimus. Te autem oro ut saepe ad nos scribas. In his regionibus ad *Albim*, Dei beneficio, adhuc tranquillitas est, et doctrinarum studia sunt mediocria. Consensus est etiam Academiarum, tametsi ad *Salam βλακικαὶ λοιδορίαι* nobis molestae sunt. Sed ibi etiam doctorum et bonorum virorum gemitus improbant illas *συκοφαντίας*. De *Anglicis* rebus, quaeso ut nobis scribas. Salutem tibi optant *Camerarius* et *Peucerus*. Haec cum scriberemus, literas ex *Silesia* acceperamus, quae narrant *Turcicum* Imperatorem duxisse exercitum ad *Adrianopolin*, processurum in *Pannoniam*, sed filiorum discordia revocatum esse *Byzantium*. Bene vale. Salutem optamus Doctori *Echthio* viro optimo et doctissimo. Calend. Ianuarii, Anno 1559.

No. 6663. 1. Ian.

H. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 241 sq. Hic ex autographo in cod. Mon. I. p. 241.

Hieronymo Bomgartnero, Senatori inclytae urbis Noribergae.

S. D. Clariss. vir et Patrone cariss. Scio te quoque saepe cogitare dictum de orphanis; multis enim opitulatur vestra civitas, publice et privatim: *γίνου ὀρφάνῳ ὡς πατὴρ καὶ ἔσῃ ὡς υἱὸς ὑψίστου, καὶ ἀγαπήσει σε μᾶλλον ἢ μήτηρ σου.* Quid potest promitti maius amore Dei tanto, qui vincat *στοργὴν* maternam, quae est ardentissima? Existimo etiam civitati vestrae et multis piis familiis, lenire multas aerumnas, quia orphanis bene facitis. Oro igitur ne huic *Petro Alpheo* desis, cuius mores sunt pii et modesti. De ingenio et studiis iudicare potes ex ipsius carmine. Spero eum usui fore Ecclesiae Dei. Quare ut eius ingenium foveatis, praesertim cum sit orphanus, valde vos oro. Cogitemus nos omnes esse orphanos et tantum defendi a Deo, quem toto pectore oro, ut et te et Ecclesiam vestram publicam et tuam domesticam protegat. Bene vale. Cal. Ianuarii. 1559.

Philippus Melanthon.

No. 6664. 1. Ian.

Eidem.

Epist. lib. VI. p. 240 sq. — Hic ex autographo in cod. Monac. I. p. 240.

Hieron. Bomgartnero, *Senatori incl. urbis Noribergae.*

S. D.

Ipse Deus sapiens verbo qui cuncta creavit
Et certis annum legibus ire iubet,
Efficiat nobis veniens sit faustus ut Annus
Et clemens dextra nos tegat ipse sua.
Et quoniam gnatum misit, qui colligat agmen,
Cuius sit doctor, vita, caputque, λόγος.
Hic λόγος aeterno natus patre, semper adesse,
Et custos nobis et caput esse velit.
Viribus humanis non est Ecclesia tuta,
Regum praesidiis orphana et illa caret.
Sed nostram indueris cum miro foedere massam
Gnate Dei, semper nos tua membra regas.
Et facias tecum nos unum ut simus in aevum,
Vera laude tuus quo celebretur honos.

Haec vota initio Anni cum Ecclesia vestra publica et tua domestica facio, et mitto carmen de *Iohanne* Evangelista. Peto autem ut *Georgium Cracovium* generum Doctoris Pomerani proficiscentem Augustam, et complectaris ipse et commendes Legatis vestris, qui erunt in conventu. Scis enim consiliorum collationem interdum necessariam esse, ad quam adferre mutuam benevolentiam utile est. Bene et foeliciter vale. Cal. Ianuarii Anno 1559.

Philippus Melanthon.

No. 6665. 1. Ian.

B. Hencelio.

Epist. lib. II. p. 319. (ed. Lond. lib. II. ep. 325.).

D. Iohanni Baptistae Hencelio

S. D.

Ipse Deus sapiens verbo qui cuncta creavit,
Et certis annum legibus ire iubet:
Efficiat nobis veniens sit faustus ut annus,
Et clemens dextra nos tegat ipse sua.
Et quoniam gnatum misit qui colligat agmen,
Cuius sit Doctor, vita, caputque, λόγος.
Hic λόγος aeterno natus Patre, semper adesse,
Et custos nobis et caput esse velit.
Viribus humanis non est Ecclesia tuta,
Regum praesidiis orphana et illa caret.
Sed nostram indueris cum miro foedere massam,
Gnate Dei, semper nos tua membra regas.
Et facies tecum nos unum ut simus in aevum,
Vera laude tuus quo celebretur honos.

Haec vota initio anni vobiscum facio, quae non sunt irrita. Mitto et carmen de *Iohanne* Evangelista. Dedi autem hanc Epistolam legato Ducis *Saxoniae* Electoris *Georgio Cracovio* Doctori Iuris, genero Doctoris *Pomerani*, cupidissimo et amicitiae et familiaritatis tuae. Quare te oro, ut eum complectaris. Scio utrique et amicitiam et familiaritatem vestram iucundam fore. Quid enim dulcius est bonis, doctis, recte iudicantibus similium colloquiis? In *Argonautico* carmine *Triton* officia sua hospitibus offert, qui quidem dicit, multa esse de quibus peregrini monendi sint. Tecum igitur et hic noster amicus interdum deliberabit. Bene et feliciter vale. Cal. Ianuarii, Anno 1559.

No. 6666. 1. Ian.

Cph. Libio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Christophoro Libio, *Pastori Ecclesiae Brandenburgensis.*

S. D. Reverende vir et cariss. frater. Saepe Deus singulari modo decreta asperiora, facta contra pios, subito leniit, ut scis historiam Basilii Episcopi. Me quoque accusatum a vestro inimico ducturi erant quidam in vincula, sed *Pontani* vox fuit hortatrix ad mitiorem sententiam. Commendemus nos filio Dei, qui ostendet hospitium, si erit migrandum. Nec tibi nostra officia deerunt, iamque cum amicis de loco quodam colloquutus sum. Mitto tibi carmen graecum de *Iohanne Evangelista*, quem etiam scis exulem fuisse et quidem tunc vixisse, cum tota Iudaea horribiliter vastaretur. Ubicunque sumus, animi parati sint ad ferendam rabiem sycophantarum et alia, quae moliuntur contra Ecclesiam illi, qui et literas oderunt et literarum studiosos. Bene et feliciter vale. Calend. Ianuarii, 1559. Hic annus ut Ecclesiae et tibi et nobis omnibus faustus et felix sit, faciat filius Dei, Amen.

Philippus.

No. 6667. (hoc t.)

G. Cracovio.

Epist. lib. II. p. 377. (ed. Lond. lib. II. ep. 392 a.).

D. Georgio Cracovio

S. D. Clarissime vir et charissime frater, Oro Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, λόγον καὶ εἰκόνα ἀΐδιον ἀϊδίου πατρὸς, certo colligentem aeternam Ecclesiam, ut Principum mentes flectat ad publicam et suam salutem, et sit βραβευτὴς tuorum consiliorum, et te servet incolumem. Sedent in talibus conventibus pii monitores, ut *Daniel* inter leones; vidisti exemplum in urbe *Vangionum*. Haec *Augustana* λεοντομαχία multo erit terribilior. Sed Filius Dei custos *Danielis* te quoque servet, qui dixit se nobis affuturum esse cum ducemur in tales congressus. Bene vale. Cras Deo iuvante veniemus ad te. Sed oro ut ante iter ad nos quoque venias.

No. 6668. (fere d. 4. Ian. Lips.)

Hier. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 242 sq. Hic ex autographo in cod. Monac. I. p. 242., cui Baumgartnerus adscripsit: „1559., 14. Ianuarii per Pangrat. Vorchemium". — De Placotomi libro vid. ep. ad Baumgartn. d. 1. Maii 1558.

Hieron. Bomgartnero, Senatori urbis inclytae Noribergae.

S. D. Lipsiae accepi et *Placatomi* *) φαρμακοποιΐαν, et missos autori duodecim Ioachimicos. Haec **) *Placotomo* per homines fide dignos mittam ad veterem Getarum et Danorum coloniam, quae ab utraque gente nomen habet Gedani. Ibi *Placotomus* cum duobus bellum gessit, Ὀσιάνδρῳ καὶ Ὀσίῳ. Alterum certamen mors Antagonistae diremit. Alter rediit iam ex urbe lectus in Senatum Purpuratorum patrum, spero autem fore ἀμνηστίαν priorum offensionum. Non enim facile invenias maiorem artificem simulandae comitatis, quam est Ὅσιος ἀνόσιος. Me blande salutat, quanquam in publicis scriptis rabiose convitiatur. Doleo in homine nato in vicinia meae patriae, tantum esse fraudum. Huius artificiis existimo nunc et Polonica comitia impediri, in quibus magnae de Ecclesiasticis controversiis contentiones futurae putabantur. Nunc arte res extrahitur. Sed certiora brevi sciemus. Bene et foeliciter vale. Lipsiae. Domi Calendis Ianuarii dedi literas ad te *Georgio Cracovio* *).

Philippus Melanthon.

*) Vid. epist. ad Baumgartn. d. 1. Maii 1558.

**) Spanhem. suo arbitrio edidit: *Hos.*

*) Alia manus adscripsit: 1559.

No. 6669. 6. Ian.

Io. Matthesio.

Epist. lib. II. p. 71. (ed. Lond. lib. II. ep. 55.).

D. Iohanni Matthesio

S. D. Reverende vir et charissime frater, *Lipsiae* et chartas et lychnos accepi, ac vobis gratiam et debeo et habeo, cum pro benevolentia erga me vestra, tum vero et pro hoc munere. Vicissim autem vobis et faustum annum opto, et mitto pagellas, quarum lectionem vobis non insuavem fore arbitror. Iam enim editur responsio de articulis *Bavaricis*, in qua et de *FlacianoTrunco* respondeo. Non hoc volo, manendum esse in dubitatione et fremitu adversus Deum donec veniant raptus *Enthusiastici*, quibus cogatur voluntas; Memini ipsum *Lutherum* consolantem eos, qui de electione angebantur, deducere ad promissionem universalem, et iubere ut verbum intueantur, non quaerant ea quae Deus non vult quaeri. De hac disputatione velim te aliquid ad me scribere. Bene vale. In *Epiphaniis.* Mitto tibi duo exempla orationis *Ioachimi.*

No. 6670. 9. Ian.

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camer. p. 746 sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 896.).

Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo cariss.

S. D. Mitto istuc duas Epistolas ex urbe *Amberga* huc missas, quas cum legeris, exhiberi volo

Doctori *Mordisio*, et Doctori *Francisco*. Prodest enim aulam scire, et quid factio nobis inimica moliatur, et qualia sint de illis iudicia modestiorum hominum. Mea pericula non magnifacio, cum puer didicerim Palamedis et Socratis historias, ut iam non dicam de exemplis gravioribus, quae doctrina Ecclesiae proponit. Sed ingenti dolore afficior cogitans de posteritate. Oro autem filium Dei sedentem ad dextram aeterni patris, et agmen aeternum sibi colligentem, ut nos gubernet, et servet Ecclesias nostras publicas et domesticas. Oro etiam, ut honestiss. coniugi tuae vires corporis restituat, et mentem veris consolationibus erigat. Quaeso significes et domestica, et si quid post iter nostrum audivistis de valetudine *τοῦ αὐτοκράτορος*. Heri etiam audivimus *Islebium* dimitti ab Electore Marchione. Sed fabellae *μαγγιτικαὶ* saepe sunt inanes. Bene et feliciter vale, V. Idus Ianuarii.

Philippus.

No. 6671. 9. Ian.

(*Edictum Senatus Acad.*)

Editum in Scriptis publicis Acad. Witeb. T. III. p. 237. — Hanc intimationem, ut vocant, a Melanthone esse conscriptam docet versio germanica, quae prodiit sic inscripta: „Offentliche Intimatio, darinnen aus heiliger Schrift, gründliche und wahrhaftige Ursache des gar gemeinen, Teuffelischen lasters, des Todtschlags, woher er komme, das einer den andern umb eines ungefährlichen Worts willen, jämmerlich ermördet. Vom hochgelehrten Herrn Philippo Melanchthone beschrieben, allen Menschen, jetzt in dieser argen Welt, mit großem ernst nützlich zu betrachten. M.D.LIX. 4. (sine indice loci.)

Rector Academiae Witebergensis Henricus Baro a Starenberg, etc.

Manifesta est utilitas legis: *non occides.* Non enim conservari genus humanum posset, si nec legibus nec metu poenarum frenarentur iniusti hominum impetus. Etsi autem vult Deus, nos utilitatem intueri, quae ingens Dei beneficium est, tamen et alias priores causas vult nos considerare, videlicet, autorem ipsum Deum et consilia Dei. Memineris Deum et ferre hanc legem, et executorem esse poenae, sicut scriptum est: omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt. Et congruit cum hoc dicto experientia omnium temporum in toto genere humano. Lata est igitur haec lex et ob hanc causam, ut executio illustre testimonium sit de providentia et praesentia Dei inter homines. Lata est item, ut sit commonefactio ostendens, Deum talem esse, qui ipse velit conservari homines, sicut scriptum est: non delectaris perditione nostri. Et iurat ipse: vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Sed omnium causarum summa est *): qui vult hanc legem non esse, vult, sibi permitti, ut filium Dei interficiat. Vult autem aeternus pater, filium, quem immenso amore diligit, vivere. Sancit igitur hanc legem, non occides, severissime et voce et poenarum exemplis, ut cogitemus, horribiliter irasci aeternum patrem interfectoribus filii et membrorum eius. Quisquis es, qui alium interficere conaris, nihil esse vis legem: non occides. Idem deleta hac lege vis tibi permitti, ut filium Dei et eius membra trucides. Num hunc horrendum furorem existimas negligi a Deo?

Haec de legis causis, de ira Dei et certa executione poenae omnes homines saepe cogitare prodest, et excitare mentem, ut ardenter petat propter filium regi cor et manus Spiritu sancto, ne impellantur ad faciendam iniustam caedem.

Antithesis etiam adspiciatur. Diaboli, qui sunt hostes Dei, odio ipsius sunt et homicidae, delectantur non solum aliorum hominum pernicie, sed, si possent, filium Dei et aeternum Patrem vellent in nihilum redigere. Hi cum incitant homines ad iniustas caedes, volitant in eorum corporibus, et adflant cerebro et cordi tales impetus, sicut scriptum est: Satanas intravit in eum. Cogitet igitur latro, se iam, imagine Dei corrupta Diabolorum similem et eorum domicilium esse, hostem Dei et perniciem hominum. Tales fuerunt Phalaris, Nero, Bassianus et alii Tyranni innumerabiles. At sapiens vetustas tales nominavit *καθάρματα* et *περιψήματα*, quod tolli eos necesse sit, ne totae gentes conflagrent ira Dei accensa adversus homicidas et caeteros, qui eorum consuetudine polluuntur. Et quidem Deus praecipit magistratui, qui armatus est gladio, ut homicidas interficiat. Ac addit vox divina Deut. 19.: non parcas ei, sed auferas malum de medio vestri, ut caeteri audientes timeant etc. Nos vero, qui non sumus armati gladio, exemplo Ecclesiae sontes excludimus ex coetu nostro, notatos infamia.

---

*) *Sed omnium — est*] in versione germanica sic redduntur: Hieraus schleußt sichs nun unwidersprechlich.

Cum igitur *Wenceslaus Richter*, Sensftenbergensis, lethale vulnus sine iusta causa fecerit honesto et erudito adolescenti *Ioachimo Dobbin* Lubecensi, filio viri honesti *Henrici Dobbin*, civis Lubecensis, et quidem hero suo famulus contumax et crudelis, nos, re cognita in iudicio, reum *Wenceslaum Richter* Sensftenbergensem ex coetu nostro exclusimus, et ex oppido discedere iussimus, ac pronunciamus semper alienum a coetu nostro, et infamem habendum esse. Ac Deo quidem gratias agimus, quod singulari beneficio et miraculo vitam *Ioachimo* servavit, tamen vulnus lethale factum fuit in collo, ubi ferrum infixum pene tracheam arteriam et pulmonem attigisset. Sed tamen sceleris magnitudo poenam meretur.

Haec publice significamus, ut et sententia nostra omnibus nota sit, et ut alii commonefacti maiore cura mores regant, et Diabolorum insidias vitent. Extare etiam testimonium de nostra sententia voluimus propter honestissimam civitatem Lubecensem, quae et Ecclesiae hospitium est, et in gubernatione politica severe iusticiam tuetur, et merito laudata est a Carolo IV. Imperatore, qui dixit, se laetari pulcherrimam urbem esse in hac extrema ora Romani Imperii *Lubecam*. Est autem non solum aedificiis sed etiam forma Ecclesiarum et gubernationis Dei beneficio pulchra et splendida. Ac recte nomen convenit. Significat enim Lubeca coronam. Oramus autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, ut clementer regat ac protegat et eam urbem et caeteras, quae sunt verae Ecclesiae hospitia. Datae die nono mensis Ianuarii Anno 1559.

No. 6672. 11. Ian.

U. Mordeisen.

Epist. lib. V. p. 166 sq.

Ulrico Mordisin, Consiliario Ducis Sax. Elect.

S. D. Clarissime vir, et Patrone colende. Ut Principum deliberationes *) ipsis et Patriae salutares sint, faciat Filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, custos Ecclesiae suae. Nos post reditum ex Lipsia accepimus literas, in quibus scribitur, Ducem *Othenricum*, *Palatinum* Electorem, periculose aegrotare *), eamque ob caussam ad eum profectum esse Ducem *Wolfgangum*.

Ex Hungaria scribitur certo, mortuum esse Regem Persicum, Patrem, cum quo erant induciae. Nunc Filium pactas inducias nolle comprobare, et rursus moliri bellum. Ideo sperant, magnos exercitus Turcicos hoc anno in Pannoniam non venturos esse. Haec si vera sunt, differt Deus Germaniae poenas. Sed utinam non ipsi Germani Patriam vastarent. Oro autem Deum, ut nobis adsit, et nos protegat. Bene valete. Die undecimo Ianuarii.

Philippus.

*) Augustae Vindel.

*) Mortuus est d. 12. Febr. 1559.

No. 6673. 12. Ian.

Alberto, Duci Pruss.

Ex autographo edita a *Fabro* in epp. p. 221. ep. 65.

Alberto, Duci Borussiae

S. D. Illustrissime et Clementissime Princeps. Ut veniens annus Celsitudini vestrae et Ecclesiae sit faustus et foelix, faciat filius dei, dominus noster Iesus Christus, crucifixus pro nobis et resuscitatus, sedens ad dextram aeterni Patris ac colligens aeternam Ecclesiam voce Evangelii, quem etiam oro ut Celsitudini vestrae vires animae et corporis confirmet. *Ionam* Celsitudini vestrae reverenter commendo, quem deus eximiis ingenii et facundiae bonis instruxit ac spero usui futurum esse, in Republica. De Conventu Augustano, cum *Ionas* iter in Prussiam ingrederetur, tantum haec audieram, Imperatorem *Ferdinandum* ex Ratispona pervenisse Ingolstadium. Nondum igitur scimus initia conventus, quem ut filius dei gubernet, ut prosit Germaniae, opto. Principes quidam voluerunt convocari Synodum ex nostris Ecclesiis ad oppidum *Fuldam*. Sed alii dissuaserunt. Haec copiosius exponere *Ionas* poterit. Bene et foeliciter valeat Celsitudo vestra. Die Ianuarii duodecimo. Anno 1559.

Celsitudinis vestrae

Servus

Philippus Melanthon.

No. 6674. 14. Ian.

Cph. Libio.

† Ex autogr. Mel. in cod. Dresd. collect. Seidel. n. 40a. descripta a Cl. *Gersdorfio.*

Reverendo eruditione et virtute praestanti viro Christophoro Libio Pastori Ecclesiae Dei in arce Brenni fratri suo carissimo.

S. D. Reverende vir et carissime frater. Saepe recito versus eruditissime et pie scriptos a Nazianzeno: ....[1]) *οἶδας ὄφλων, καὶ πρόχρησαι .... τὸ πρᾶον, οἴκτῳ γὰρ οἶκτος τῷ θεῷ σταθμίζεται.* Laudanda est igitur clementia seu placabilitas, praesertim in principe. Sed utinam alter bonitate domini non abuteretur. Verum commendamus nos filio. Cum huc veneris, tempus enim indicabo cum sciam, audies multa de *Fuldensi Synodo*, quam volebant quidam convocari, ut esset *Ἀντισύνοδος* Francofordanae consensionis retractatrix [2]). Sed haec coram. Bene vale. die 14. Ianuarii [3]).

Philippus.

No. 6675. 15. Ian.

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camer. p. 747 sq. (ed. Lond. lib. IV. ep. 897.).

1) Avulsa est particula chartae.

2) De hoc conventu scribit Io. Aurifaber d. 23. Ian. 1559. ad Regem Danie (Schumacher gelehrter Männer Briefe an die Könige v. Dänemark, 1. Th. S. 325.): „Zu Fulda ist ein „Tag angesetzt gewesen, dohin den 20. Tag Januarii haben an„kommen sollen der Churfürst Pfalzgraff, der Churfürst zu „Sachsen, auch der Churfürst von Brandenburgk, Pfalzgraff „Friedrich und Pfalzgraff Wolfgang, der Herzog von Wirten„berg, der Landgraf von Hessen, meine gnädige Fürsten und „Herren zu Sachsen, die Fürsten von Pommern, Meckelnburg, „Markgraf Hans, und andere, in eigner Person haben an„kommen sollen, und allda berathschlagen, wie die Spaltung „der Theologen aufzuheben sey, und Friede und Einigkeit an„zurichten, auf daß (dieweil die Kais. Majest. ernstliche Hand„lung der Religion halben abermals fürnehmen will, und wie„der ein neu Colloquium anzurichten gedenket) man auf dem „Reichstage zu Augsburg wieder zusammentreten, und für einen „Mann stehen könnte. — — Der Tag ist aber von dem Chur„fürsten zu Sachsen abgeschrieben worden, mit dem Fürwen„den, daß Ihre Chf. G. auf den Reichstag ziehen müßten."

3) Adscriptus est aliena manu annus 1554., sed scripta est anno 1559. Vid. epist. ad Hardenb. d. 26. Ian. et ad Albertum Duc. Pr. d. 12. Ian. h. a.

Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo cariss.

S. D. Iudicem te potius de doctrinis esse volo, quam de vino. Sed tamen quia et *τὸ γνήσιον τῆς γεύσεώς σου* probo, et scio te libenter meis gratificari, hoc etiam officium abs te peto, ut nobis tuo iudicio emas seu Rhetici vini Lagenam, si quod tibi placebit, seu duas Amphoras *κιῤῥοῦ οἴνου,* cui ab Anserini pedis colore nomen nostri tribuunt [1]). Duodecim Ioachimicos vectori dedi, precium pro vino, ac iussi ipsum addere, si plus numerandum est. Quaeso ut has meas ineptias, pro tua sapientia nostrae amicitiae condones. Hanc rem aliis mandare nolui, *τὰς γεύσεις* aliorum metuens.

Heri amicus gustum nobis misit [2]) Marchicarum disputationum quas tibi mitto. Sed tu vinum purius mittito. Spero Deum nos protecturum esse, ut Iuventutis studia ad simplicem veritatem a talibus praestigiis Sophismatum abducamus, et eum toto pectore oro, ut nos gubernet et protegat. Bene vale, XVIII. Cal. Feb.

Philippus.

No. 6676. 17. Ian.

Ioachimo Pr. Anhalt.

Edita in *Becmanni* Accession. Hist. Anhalt. p. 121.

Ioachimo, principi Anhaltino.

Illustrissime et Clementissime Princeps. Et debeo perpetuam gratitudinem Celsitudini vestrae, et memoriae optimorum Principum fratrum vestrorum, et ago gratias pro benevolentia, et pro omnibus beneficiis, et pro frumento nunc misso. Et filium Dei dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis et resuscitatum, colligentem aeternam Ecclesiam, voce Evangelii oro, ut semper in his regionibus colligat Ecclesiam, et protegat eius hospitia, et Celsitud. vestrae confirmet vires animae et corporis. De publicis negotiis tantum hoc habebamus. Imperatorem *Ferdinandum* venisse Augustam, salvum et recte valentem: Deus sit gubernator conventus. Iter Ducis

1) Gansefüsse.

2) Ge. Buchholzer C. W. Sed fortasse Lybius, vid. ep. d. 14. Ian.

Saxoniae *Augusti* Electoris differtur, sed audio Doctorem *Mordisium* missum esse. Pragae tragoediam spectavit *Ferdinandus* Imp. in qua Lutherani producti sunt. Cum his disputarunt personae contrariae, quae tandem fuerunt victrices, et Lutheranos arreptos abiecerunt in terram et conculcarunt. Postea addita est adhortatio ad Imperatorem, ut ipse hoc modo agat cum Lutheranis. Carolus frater talium ludorum spectator non fuisset. Commendemus autem filio Dei, et Ecclesiam, et nos in ea. Bene valeat C. V. Die 17. Ianuarii 1559.

No. 6677. 23. Ian.

Ioachimo Pr. Anhalt.

Edita in *Becmanni* Access. historiae Anhalt. p. 122.

An Fürst Joachim zu Anhalt.

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Sohn Jesum Christum unsern Heiland und wahrhafftigen Helffer zuvor. Durchleuchtiger, Hochgeborner, Gnädiger Fürst und Herr, E. F. G. Antwort auf die gesuchten und gifftigen Calumnien, die *Illyricus* wider den Hochlöblichen Christlichen Fürsten, Fürst Georgen, E. F. G. Herrn Bruder, der ohne Zweiffel jetzund zu ewiger Freud, bei Gott und dem Herrn Christo, und gantzer Himmlischer Kirchen lebet, ausgegossen hat, hab ich gantz durchlesen, und befinde, daß die Calumnien zum Theil vorhin gnugsam verantwortet, zum Theil so offentliche Lügen sind, daß alle Ehrliebende sie selbst verstehen können, und ein Betrübniß darob haben, daß ein solcher Hochlöblicher Fürst, der von Gott mit so vielen Tugenden geziert ist, von einem solchen Landläuffer also ausgehabt (?) wird.

Nu will ich E. F. G. nicht bergen, gedachter Calumniator fähet neue Sachen an, die grösser sind, denn die Adiaphora, und wird sich mit der Zeit noch mehr am Tag geben, hat auch practicirt, doch Heertzog Johann Friederich, der mittlerweile ein besondere Confession hat drücken lassen, sampt der Condemnation, daß also die Sachen dahin lauffen, daß grösser Uneinigkeit und Unruhe volgen wird, und werden etlich Universitäten sämtlich müssen antworten; der allmächtige Sohn Gottes wolle uns gnädiglich regieren und helffen.

Darumb ist mein unterthänig Bedenken, daß E. F. G. jetzund die Antwort, hochgedachten Hertzog Johan Friederichen nicht zu senden, sondern daß man erwarte der Confession und Condemnation, die ausgehen wird; Ich bitt in Unterthänigkeit, E. F. G. wollen an David gedenken, der auf des Simei Lästerung nicht antwortet, darnach fiel Simei in der Strasse aus eigener Verachtung, spricht der Psalm: Illi maledicebant; Ego autem orabam. Ich habe gantz keinen Zweiffel, der gesuchte Frevel *Illyrici* werd mit der Zeit den grossen Triumph, den er bey vielen hat, auch verliehren. Es haben sich andre mehr unterstanden diese arme Universität zu dämpfen, Osiander, Stenckefeld, *Staphylus*. Gott hat dennoch noch gnädiglich uns erhalten, der aller Menschen Hertzen sihet, den bitte ich, er wolle gnädiglich allezeit uns regieren, daß wir rechte Lehre, die der Kirchen nöttig ist und zu Besserung dienet, pflantzen; Wir suchen ja nicht Zanck und unnötige Disputationes und Verwirrung, wie alle verständige Christen richten können, welcher Urtheil wir auch begehren und leiden wollen, davon muß ich mit der Zeit weiter schreiben, dieweil neue und großwichtige Sachen erregt werden; Der allmächtige Gott Vater unsers Heilandes Jesu Christi wolle E. F. G. an Seel und Leib sterken, Datum 23. Ianuarii, 1559.

E. F. G.

armer Diener

Philippus Melanthon.

No. 6678. 25. Ian.

Ge. Cracovio.

Epist. lib. II. p. 374. (ed. Lond. lib. II. ep. 389.).

D. Georgio Cracovio (*tum Augustae versanti.*)

S. D. Dei beneficio recte valent coniunx tua honestissima, et dulcissima filia *Catharina*, et charissimus filius, sed febricula tertiana filiae *Mariae* molesta est. Oro autem Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, custodem Ecclesiae suae, ut te et tuos servet incolumes, et gubernet tuam mentem in vestris deliberationibus. Hic nihil novi post tuum iter audivimus, nisi Regis *Danici* patris mortem, quem narrant diem mortis praedixisse, et dulcissime collocutum esse paulo ante mortem cum Regina et aliis, inchoasse etiam cantilenas quibus se consolari solitus est. Respon-

siones de *Bavaricis* articulis brevi Deo iuvante vobis mittam. Salutem opto *Hencelio* et aliis qui istic tibi familiares sunt. Bene et feliciter vale. Die Conversionis *Pauli.* Anno 1559.

No. 6679. 25. Ian.

Til. Hesshusio.

† Ex autographo Mel. in bibl. Guelpherb. [*O.*]

Reverendo viro eruditione et virtute praestanti, D. Tilemanno Heshusio, doct. Theolog. in inclyta Academia Heidelbergensi, fratri suo carissimo,

S. D. Reverende vir et carissime frater. Scribo ad te saepius et propter nostram amicitiam, et propter amorem patriae, in qua Ecclesias et Academias opto florentissimas esse; teque oro, ut mihi saepius scribas. Pertexo responsiones de bavarica inquisitione. In his consolationes oppono stoico dogmati *περὶ ἀνάγκης,* quod renovant *οἱ βλακικοί.* Mittam cum absolvero. Nunc pagellas has distribuito amicis. Audio etiam *Augustae* lectos esse. Bene vale et rescribe. Die conversionis Pauli.

Salutem vobis omnibus opto.

Philippus.

No. 6680. 26. Ian.

A. Hardenbergio.

Epp. ad Hardenberg. ep. 3.

D. Alberto Hardebergio.

S. D. Reverende vir, et carissime frater. Cum sententiae tibi meae de rebus maximis notae sint, literarum brevitatem velim te boni consulere, cum quidem occupationes meas noris. Tecum invoco verum Deum, sicut se patefecit in scriptis propheticis, et apostolicis, et in Symbolis. Etsi autem optarim, me posse tecum quotidie colloqui, tamen cum ne fieri quidem possit, ut omnes in una urbe simus; Sciamus unam esse Ecclesiam omnium, qui recte sentiunt et simul Deum invocant, ubicunque sumus. Postulaverant Principes Rhenani, ut Synodus convocaretur ad oppidum *Fuldam.* Non potuit fieri. Qualis enim haec species fuisset? Eodem tempore *Ferdinandum* Imperatorem *Augustae* conventum inchoare, et hos accedere ad conventum *Fuldensem.* Et Synodus docentium, nisi adessent aliqui Principes, erat futura pugna, qualis inter Cadmeos fratres fuisse scribitur. Et si quando erit Synodus, te et alios doctos viros timentes Deum adesse volo. Quodsi haec Synodus inchoata fuisset, misissem ad te peculiarem nuncium. Nunc expectamus deliberationes Augustanas, quas ut Deus gubernet, toto cum pectore oro. Hic narratur, Regem *Danicum* patrem ex hac mortali vita decessisse [1]). Qua de re, cum poteris ad me scribas. In Angliam redeunt multi exules. Sed quo inclinatura sit gubernatio, nondum audimus. Brevi editurus sum responsiones ad *articulos Bavaricae inquisitionis*, quos vidisse te opinor. Hi mihi praebent occasionem repetendi praecipuas controversias: et respondeo ibi *περὶ βλακικῶν φλυαρίων* de *Trunco.* Mitto tibi pagellas, quae ostendunt utcunque, eadem esse Academiae studia, quae vidisti. De *Lascio* voluisti me tibi scribere. Crebras ipsius accipio literas. Recte valet, et non procul a Cracovia est apud amicos. Iamque in conventu *Petrocoviensi* Nobilitas Polonica petitura erat deliberationem de Ecclesiis. Sed arte, initio conventus, oppidum incensum est, ut discederetur, nullo negotio constituto. Plura nunc scribere non potui. Bene et feliciter vale. Die Polycarpi. Comiti Christophoro des exemplum orationis de *Ludovico* Bavaro. Salutem opto amicis omnibus, *Danieli*, *Medmanno*, et aliis tuis amicis, quos iudico omnes et meos amicos esse [2]).

Philippus Melanthon.

No. 6681. 5. Febr.

U. Mordeisen.

Epist. lib. V. p. 172 sq.

Ulrico Mordisin, Consiliario Ducis Sax. Elect.

S. D. Clarissime vir, et Patrone colende. Hac hora mihi indicavit vir honestus *Planckenfelt*,

1) Christianus rex Daniae mortuus est d. 25. Ian. 1559. et Christiernus eius antecessor d. 16. Febr. 1559.

2) Erravit Salig Hist. d. Augsb. Confess. P. III. p. 411., quum putaret, hanc epist. scriptam esse anno 155°.

se Dresdam proficisci, ac mox se iter ingressurum esse. Scripsi igitur subito, ut aureos *Iohannis Hungarici* mitterem, ut illustrissimus Princeps petivit. Plures nunc habere non potui, quam quatuor. Hos quatuor mitto Illustrissimo Principi, et vos oro, ut exhibeatis. Plura nunc scribere non potui, tametsi plurima argumenta habebam. Bene valete, et oro mihi significari, an hanc epistolam et aureos quatuor acceperitis. Die 5. Februarii.

Philippus.

No. 6682. 6. Febr.

A. Hardenbergio.

Epp. ad Hardenberg. ep. 67.

D. Alberto Hardebergio.

S. D. Reverende vir et carissime frater. Haud dubie cito pervagabitur Germaniam liber editus titulo Ducis Saxoniae *Ioannis Friderici**), quem ceu Gorgonem et Pallidis Aegidem applausores ipsius multis opponent. Audio adhibitos esse, Architectos τὸν βλάκιον, τὸν ῥαπτῆρα, [id est *Sarcerium*]**) et *Morlinum*. Ubi legeris, quaeso aliquid mihi de tuo dolore significes. Tigurinos responsuros esse arbitror. Polonici conventus acta nondum scimus, de quo tibi scribam, quidquid ἀξιόλογον habebimus. Duobus incendiis audio impeditos esse congressus in eo oppido, ad quod nobilitas convocata fuit. Oro F. D. ut nos gubernet. Bene vale. Die 6. Feb. 1559.

No. 6683. 7. Febr.

U. Mordeisen.

Epist. lib. V. p. 197 sq.

Ulrico Mordisin, Consiliario Ducis Sax. Elect.

S. D. Clarissime vir, et chariss. Patrone. Adfert hic Doctor *Iacobus*, vir Gallicus, a Rege suo literas, quarum audio argumentum esse, Regem Gallicum nullius consilia iuvare velle, qui moliatur bellum in Germania. Fuit nobis consuetudo dierum aliquot cum hoc Doct. *Iacobo* Wormatiae. Nec tantum ex ea consuetudine, sed etiam ex testimoniis aliorum doctorum et honestorum virorum, quibus cum eo familiaritas fuit multorum annorum, iudico, esse virum integrum hunc Doctorem *Iacobum*, quod eo volui significare, ut familiarius cum eo loqui vos posse sciretis. Nec petit aliud, nisi ut literis Illustrissimi Principis, Ducis Saxoniae Electoris testari possit, Regias literas redditas esse. Et existimo, Illustrissimum Principem Regi responsurum esse vel literis vel oratione perferenda ab hoc Doctore *Iacobo*. Bene et feliciter valete. Die septimo Februarii 1559.

Philippus Melanthon.

No. 6684. 8. Febr.

G. Buchholzero.

† Ex autographo Melanth. in cod. Landshut. Vol. I. fol. 185. descripta a S. V. *Schulzio*,

Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Georgio Buchholzero, Pastori Ecclesiae Dei in inclyta urbe Arctoa, fratri suo carissimo

S. D. Reverende vir et cariss. frater. Scripsit ad me Illustrissimus Princeps *Palatinus* Elector, petitque sibi mitti librum editum de doctrina et ritibus Ecclesiarum Vestrarum consilio Illustrissimi Principis Marchionis Electoris, ut, collatione talium formarum adhibita, melius deliberare de suis Ecclesiis possit. Non ....[1]) autem peti vestram formam ....[2]) pia voluntate, et scio, Illustrissimum Principem Marchionem Electorem libenter opitulari Ecclesiis multarum regionum. Et nos decet, hortari pios, ut se collatione utilium scriptorum confirment. Ideo te oro, ut has

---

*) Das „Weimarische Confutationsbuch", ut vulgo appellatur, vid. infra epist. Philippi Landgr. d. d. 7. Mart.

**) Videtur hic Melanthon explicare quem vocaverit ῥαπτῆρα, videlicet Sarcerium; suspicor autem, verba *id est Sarcerium* non profecta esse a Melanthone, sed ab editore. Non enim memini, Melanthonem unquam per *id est* eiusmodi nomen amicis suis exponere. Imo videtur nisi prorsus fallor in animo habuisse Io. Agricolam Berolinensem, cui proprie nomen *Schneider*.

1) Lacuna est in autogr. Fortasse: *puto*.

2) Iterum lacuna; fortasse: *nisi*.

meas literas Illustrissimo Principi Marchioni Electori ostendas, et petas, tibi concedi, ut exemplar mihi mittas, teque valde oro, ut huic meo nuncio, civi Witebergensi, tradas librum de forma doctrinae et ritibus Ecclesiarum vestrarum. Ego precium etiam libenter mittam. Ex conventibus Augustano et Polonico [3]) scio vos habere certiora, quam ego habeo. Sed ex Vienna literas accepi, in quibus scribitur Turcicum tyrannum regressum esse Byzantium propter discordiam filiorum, cum pervenisset Adrianopolin, ducturus exercitum in Pannoniam. Bene vale. Die 8. Februarii.

Philippus Melanthon.

No. 6685. 9. Febr.

Abd. Praetorio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Abdiae Praetorio, Lectori in Academia Francofordiana.

S. D. Clarissime vir et cariss. frater. Gratulor vobis halcyonia vestra, et opto, ut sint diuturna. Sed exorti sunt venti in nostra vicinia, qui novas tempestates halcyonum nidulis minitantur. Titulo ducis Saxoniae editus est liber, quem multi nobis ceu Gorgonem opponent. Mea causa non valde doleo, sed in Ecclesia stabiliri mendacia et idola valde doleo, et agnosco huius ultimae senectae mundi morbos. Fient subinde maiores dilacerationes. Nec existimo defuturos Antagonistas illius Gorgonis architectis. Oro autem filium Dei, ut nostra vulnera sanet et quam plurimorum pectora copulet Spiritu suo sancto, ut unum in ipso simus. Credo Ecclesiae et nunc et ad posteritatem profuturam coniunctionem, quae adhuc in Academiis mediocris est. Nec profecto istos Agyrtas *), qui nobis et veritati inimici sunt, metuo. Bene vale et rescribe. Die 9. Februarii, 1559.

3) Petrocoviense.

*) *Agyrtas*] i. e. parricidas. Vid. Ovid. Metam. V. 148.

No. 6686. 11 Febr.

Matth. Luthero.

Epist. lib. V. p. 727 sq.

Matthaeo Luthero, Syndico Northusano.

Ipse Deus sapiens verbo qui cuncta creavit,
  Et certis annum legibus ire iubet.
Efficiat, nobis veniens sit faustus ut annus,
  Et clemens dextra nos tegat ipse sua,
Et quoniam Gnatum misit, qui colligat agmen,
  Cuius sit Doctor, Vita, Caputque, λόγος.
Hic λόγος aeterno natus Patre, semper adesse,
  Et Custos nobis, et Caput esse velit.
Viribus humanis non est Ecclesia tuta:
  Regum praesidiis orphana ubique caret.
Sed nostram indueris cum miro foedere massam
  Gnate Dei, semper nos, tua membra, regas.
Et facias tecum, nos unum ut simus in aevum,
  Vera laude tuus quo celebretur honos.

Hodie *Bartholomaeum* audivimus, quem nobis commendastis, cumque bene responderit, admisimus eum ad gradum Magisterii accipiendum, etsi post aliorum examina advenit. Sed cum sit modestus, et mediocriter eruditus, noluimus ei deesse, ac familiae ipsius, et vestrae commendationis et virtutum ipsius rationem habuimus.

Mitto vobis pagellam de stultis ludis, quos his diebus vulgus instituit [1]). Fuit autem hic, Dei beneficio, mediocris tranquillitas. De Regis Danici morte, et alia scribam proxime. Nondum absolvi responsionem de Bavaricis articulis, mittam, cum absolvero. † In his etiam respondeo de quibusdam membris libri Wimariensis" [2]). Iam est apud me nuncius *Heidelbergensis*, cui responsiones scribo, De forma iudicii Ecclesiastici. Moliuntur quidam novas seditiones in Germania, sed, spero, Deum consilia eorum dissipaturum esse, et ut det salutem, et piam tranquillitatem, ipsum oro vobiscum, et cum omnibus piis. Bene valete. Die undecimo Februarii 1559.

Philippus.

1) Vid. d. 5. Febr. 1559.

2) Addit A. D.

No. 6687. 12. Febr.

Io. Stigelio.

Danz. Epp. ad Stigel. ep. 92. Cod. Goth. 188. ep. 161.

Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Ioanni Stigelio, fratri suo cariss. S. D.

Clariss. vir et cariss. frater. Duas a te epistolas recens accepi, non solum amanter, sed etiam pie et sapienter scriptas. Existimo, ex silentio meo intelligi posse, me pacis cupidum esse. Nec mihi deesset honesta oratio, si augere certamina et dissidia vellem. Nec Synodi iudicium defugiam, si qua erit; ut et tu iudicas, oportere σύλλογον συγκροτεῖσθαι, et valde pugnant aliquot principes, ut id fiat. Servivi meo loco mediocri sedulitate studiis multorum. Nunc ille Sycophanta meas pagellas, propter quas multi mihi gratias agunt, nominat *vocabularium Ex Quo.* Sic vero sentio: si meae pagellae sunt onomasticon, ostendens nativas significationes vocum aliquot in Ecclesia, praesertim earum, quae longo tempore ad peregrinam significationem detortae sunt, videor meliorem operam navasse, quam si Pyramides Aegyptiarum similes exstruxissem. Laudat viduam Christus, quae δύο λεπτὰ templo tribuit. Isti cur non tradunt doctrinae corpus melius explicatum? Sed nunc non vacabat prolixius scribere. Te oro, ut nostrae amicitiae memor sis. Bene vale. 12. Februarii *).

Philippus.

*) Addit cod. Goth. ann. 1558. Sed puto Melanthonem scripsisse haec anno 1559., et ea quae satis obscure dixit de criminationibus adversariorum referenda esse ad acerbam Wimariensium censurum Articulorum Francofordianorum.

No. 6688. 12. Febr.

Petitio eleemosynae.

Scripta publ. III. p. 249. et apographon in cod. Mehnert. No. 4. p. 8. ubi tribuitur Melanthoni.

Rector Academiae Wittebergensis, Henricus Baro a Starenbergk. (inscr. in Scriptis.)

Certo statuamus veram esse regulam: nisi Deus custodiat civitatem, humana defensio inanis est. Et hac fide petamus et expectemus a Deo protectionem. Postulat autem Deus, ut misericordia afficiamur erga calamitosos, eisque leniamus mala, quantum possumus; et pro his beneficiis vicissim sua promittit bona, ut inquit: *beati misericordes, quia misericordiam consequentur.* Perierunt autem in Academiae pago *Copnick* aliquot domus incendio [1]); ibi egentibus familiis Academia publice aliquid largita est. Nunc oramus, ut privatim quoque fiat collatio, et largiantur aliquid auditores, qui recte docentium labores non contemnunt. Semper in Ecclesia fuit collectio eleemosynae. Inde nomina sunt missae et ἀγάπης, nec sine mutuis auxiliis coetus hominum esse potest. Quanquam autem [2]) nobis privatim nihil petimus, tamen ut benevolentiam erga nos declaretis [3]) in iis iuvandis, qui et ipsi conferunt, ut Academia conservetur, pium est. Oramus autem filium Dei, ut nos omnes clementer gubernet et protegat. Datae die 12. Februarii 1559.

Philippus Melanthon [4]).

No. 6689. 12. Febr.

Academicis.

Scripta publ. Acad. Witeb. T. III. p. 248. — Melanthon pagellae auctor est. Vid. ep. ad Matthesium d. 21. Martii h. a.

Decanus Collegii Philosophici Magister Paulus Dumerich Hallensis.

In narratione Evangelii proxime lecta de *Sycamino* dulcis allegoria est: ut videat Christum Zacheus, ascendit in arborem Sycaminum, id est, audit eum populum, cui scripta Prophetica tradita sunt. Cum enim Sycaminus arbor fuerit propria Palestinae terrae, significat eam gentem. Est autem similis moro, sed gignit fructum, qui foris refert ficum, intus est liquor mori similis. Ac luserunt Graeci in Etymologia Mori, quasi αἱμόῤῥοα dici. Ter in una aestate parit ea arbor. Cum tam sit foecunda, in difficultate annonae admodum prodest populo. Fructu vescuntur et familiae et pecudes. Nec recte maturescit fructus, nisi scalpatur et ungatur oleo. Ita, ut fruerentur familiae, labor etiam accessit. Significatum est autem,

1) *incendio*] desideratur in cod. Mehn.
2) *autem*] abest a cod. Mehn.
3) Scripta mendose: *declarent.*
4) Haec non leguntur in Scriptis.

hunc populum ubicunque est ministerium docendi, scalpi, id est, argui oportere voce Legis, et ungi Evangelio, et haec non fieri sine labore.

Haec imago est piae scholae, ut Christum videas, sis in coetu discentium doctrinam Propheticam et Apostolicam. Voce Legis et coherceantur membra, et cor arguatur et foveatur Evangelio, ut in agnitione et fiducia Mediatoris Deum recte invoces. Haec non fiunt sine magno labore. Huius allegoriae autorem habemus Amos, qui ait 7. cap. se vellicare Sycomora, בולס שקמים *), id est, scalpere fructus illos, sicut usitatum erat, id est, se arguere populum et rursus consolari. Cum igitur commendet nobis doctrinae studia haec imago Sycamini, legentes eius nomen in sacris libris, hanc dulcem allegoriam cogitemus. Simul etiam cogitemus, Deum pinxisse varias imagines in rebus nascentibus, et testimonia de providentia ostendere. Te ipsum adspice: notitiae Legis in mente tua, et vindex dolor in corde sunt illustria testimonia de Deo. Meminerint studiosi et Theophrasti verba de hoc fructu libro 5. de causis plantarum: *οὐ πεπαίνει δὲ καλῶς μὴ ἐπικνισθέντων καὶ περιαλειφθέντων ἐλαίῳ.*

Athenaeus scalpi inquit, et deinde flatu Zephyri molliora et matura Sycamina fieri, quod ipsum quoque concinnum est ad allegoriam: dulcissimis Zephyris spiritus sancti corda foveri. Ait et uncta oleo cum stomacho imponuntur, tollere febres. Sunt et aliae utilitates in medicatione, glutinant vulnera, medentur auribus et spleni. Sed legantur alibi.

Cum autem sciamus necessaria esse studia doctrinae in Ecclesia, faveamus eorum exercitiis, ad quae pertinent examina gradibus addita. Nunc igitur facta exploratione doctrinae horum, quorum nomina adscripta sunt, Deo iuvante decernemus eis gradum Magisterii Philosophici decimo sexto Februarii. Ad eam renunciationem ut conveniant Doctores, Magistri et auditores, petimus, quia et renunciationem testimonii decet esse publicam, et preces nos coniungere iubet filius Dei, ut ipse gubernet studia et protegat nos, sicut inquit: ubicunque duo aut tres convenerint in meo nomine, in medio eorum sum. Et scit ipse, qui est *καρδιογνώστης*, nos quaerere veritatem. Datae die 12. Februarii, 1559.

*) In Scriptis שקמים בלם, mendose. Est locus Amos. 7, 14.

No. 6690. 13. Febr.

Til. Hesshusio.

Edita ex autographo in *Henkii* Magazin für Religionsphilosophie ꝛc. Vol. V. p. 437.

Reverendo viro eruditione et virtute praestanti D. Tilemanno Heshusio, Doctori theologiae in inclyta Academia Heidelbergensi, fratri suo carissimo.

S. D. Reverende vir et cariss. frater. Et literas tuas et exemplar concionum tuarum accepi ac probo conciones, et oro filium Dei sedentem ad dextram aeterni Patris, ut nos gubernet et efficiat, ut semper UNUM in ipso simus.

De iudiciis [1]) certamen vestrum magis miror, quam Romanam contentionem, quae iudicia ad Equites transferebat. Ibi enim potentia quaerebatur. Quam potentiam quaerere in nostris Consistoriis possumus? Abesse mallemus. Sed iudico recte hic constitutum esse, ut sint [2]) adiuncti iurisconsultis theologi: quod ipsum ita voluit fieri *Lutherus*, quia manifestum est, Ethnicas et Pontificias leges ex doctrina a Deo tradita corrigendas esse. Pontificiae nulla divortia faciunt, nisi nomine tantum; Ethnicae nimis multa. Ac profecto de casu Seviciae doctos colloqui prodesset, de quo ipso et sententiam nuper scripsimus, ut miserae mulieris vitae et animae consuleremus.

In litibus de pecunia leges Ethnicae non errant. At in legibus Ethnicis et Pontificiis de coniugiis sunt errata. Et theologos monere oportet, ubi sententia Ethnica et Pontificia personam peccato oneret. Scribam hac de re copiosius, si petes. Saepe accidit, ut iurisconsulti dubitantes deferant controversias ad theologos. Sint igitur adiuncti in Consistorio. De synodis nihil scribam, nisi quod saepe dixi, suadere me, ut vestri vicini consensum tueantur, et cum erit occasio, deliberationem inter sese instituant, omissis iis, qui manifestam veritatem sophismatum praestigiis et *γοητείαις* sine fine obruunt. Qualis insania est dicere, lapsum debere expectare, donec rursus vi coactus convertatur! Interea in dubitatione manendum esse. Haec scribit *Flacius*, qui vult videri bellum genere cum *Swenkfeldio*, cum haec prorsus sint enthusiastica.

1) Videl. *ecclesiasticis.* Vid. ep. d. 11. Febr.

2) Editum est *fiat*, ex mendo, quod mutavi: *sint.*

Colossenses nostros tibi mitto, et peto ut mihi saepe scribas. Bene vale. die 13. Febr. [3]) 1559.
Philippus Melanthon.

No. 6691. 13. Febr.

Cph. Libio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54 [3].

Christophoro Libio, Pastori Ecclesiae Brandenburgensis.

S. D. Reverende vir et cariss. frater. Post iter vestrum eodem die et literas ex Berlino et ex Academia Heidelbergensi accepi. *Palatinus* quadraginta adolescentes in Academia vult assidue erudiri, et singulis triginta aureos in annum constituit Dei beneficio. Scribitur in Ecclesiis et scholis constituendis beneficentia eius eximia esse. Et mediocris ibi Ecclesiarum tranquillitas est, *καὶ αἱ βλακώδεις συκοφαντίαι* displicent honestis et doctis viris. Mitto tibi *Georgii Cracovii* literas ex Augusta missas, quas heri accepi. Oro, ut meo nomine reverenter gratias agas Senatui vestro pro vino misso. Bene vale. Anno 1559. die 13. Febr. quo die antequam ex virgine Christus natus est anno 160. *) Nicanor magno praelio victus est, quo exemplo ostendit filius Dei, Ecclesiam se in summis periculis defendere. Iterum vale. Salutem vobis omnibus opto, et nominatim D. *Kitelio.*
Philippus.

No. 6692. 16. Febr.

G. Cracovio.

Epist. lib. II. p. 376. (ed. Lond. lib. II. ep. 391.).

D. Georgio Cracovio (tum commoranti Augustae Vindelic.)

S. D. Clarissime vir et charissime frater, Et debeo et habeo tibi gratiam, et pro perpetua erga nos benevolentia tua, et de assiduitate in scribendo. Hic Dei beneficio tranquillitas est. Tuae filiae adhuc febris molesta est, sed ut spero sine periculo. Elector *Saxonicus* mandata nobis dedit, ut scribamus nostrum iudicium de libro scripto et *Vinariae* et in vino. Lego illas sophismatum praestigias non sine magno dolore. Respondebo Principi candide, et petam, si magis placet illa venenata sophistica, ut me clementer dimittat. Legatum *Prussiacum Assuerum* tibi commendo. Mitto tibi pagellas, quas viro clarissimo *Hencelio* donari volo. Bene vale. Die meo natali, quo ingredior annum climactericum sexagesimum tertium, quo ut nos omnes clementer gubernet et protegat Filius Dei toto eum pectore oro.

No. 6693. 16. Febr.

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camer. p. 749. (ed. Lond. lib. IV. ep. 899.)

Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camer. fratri suo cariss.

S. D. Quid scribam, nisi vota, nihil habeo. Oro filium Dei, ut et communem Ecclesiam, et domesticam Ecclesiam tuam servet, et honestiss. coniugi tuae et tibi vires corporis et animae confirmet. Aula misit nobis mandata de scripto doctoris *Tetragoni* *). Necesse erit igitur nos respondere. Heri Coloniense *στηλιτευτικὸν* accepi, et audio *Staphylum* simile scriptum edere. Interea iste *δὶς δύο* **), *ἢ μετὰ δυοῖν πολλαπλασιαζόμενος*, pulchrum esse ducit, maiores dilacerationes facere. Scribam aulae, ut me dimittant, ut in alio loco respondeam. Omnino fluctibus cymba nostra concutitur, ut illa in narratione Evangelica, sed clamemus *κύριε σῶσον ἡμᾶς*. Bene et feliciter vale, die natali, quo climactericum annum, qui utinam sit faustus, ingredior.
Philippus.

3) Fortasse d. 23. Febr. quum praefatio in Colossenses data sit d. 16. Febr.

*) In numero manifestus error est.

*) Vid. d. 21. Febr. et d. 6. Febr.

**) Io. Fridericus et frater. C. W.

No. 6694. 16. Febr.

Herlufo Troll.

Praefatio in librum Melanthonis: Enarratio epist. Pauli ad Colossenses, Viteb. 1559. 8. Vid. *Strobel.* biblioth. Mel. No. 516. — Descripsi ex Tom. IV. opp. Mel. Viteb. p, 324.

Nobilitate generis, sapientia et virtute praestanti, viro clarissimo, Domino H e r l u f o T r o l l, Domino in Hildruscholm, Capitaneo in Roschild, in Selandia etc.

Manifesta de Deo testimonia impressa sunt universae naturae mundi, suntque maxime illustria noticiae immutabiles, discernentes honesta et turpia in mentibus hominum, et vindices in corde ingentes dolores, qui delicta comitantur. Haec testimonia saepe aspicere et considerare plurimum ad confirmandam adsensionem de Deo et de providentia, et ad modestiam conducit: estque bonae mentis Deo hanc gratitudinem praestare, ut eius vestigia quaeramus, et celebremus conditorem.

Suus autem locus est huic sapientiae, et suo ordine dulcis eius usus est. Sed cum Deus immensa bonitate, quasi prodiens ex arca sede sua, certis et illustribus testimoniis se patefecerit, et legem et promissionem gratiae saepe repetiverit, et filium, Dominum nostrum Iesum Christum miserit, et certissima testimonia doctrinae addiderit, grati eas patefactiones intueamur et doctrinam discamus, qua aeterna Ecclesia colligitur, et sciamus, omnibus in toto genere humano severissime praecipi, ut Filium Dei audiant; sicut aeternus Pater inquit: Hunc audite; et in Psalmo dicitur: Osculamini filium. Statuamus hac doctrina et non aliter colligi Deo aeternam Ecclesiam, nec esse cives Ecclesiae Dei, nec heredes dulcissimae et aeternae consuetudinis cum Deo hostes huius doctrinae; sicut inquit Filius Dei: Oves meae vocem meam audiunt.

Intueamur autem et utriusque exercitus speciem. Exiguus coetus est vera Ecclesia, quem oppugnat ingens multitudo ex diversis gentibus et dissimili genere armorum instructa concurrens, multi palam athei, multi defensores idolorum, multi fanatici serentes falsa dogmata. Ut olim exiguas Apostolorum catervas delere conabantur Ethnici, Iudaei, Haeretici, et horum quasi cohortes dissimiles erant: ita nunc arma gerunt contra Filium Dei et eius agmen parvum et aerumnosum totius Mohometici Regni in Europa, Asia et Africa moles, impii Iudaei et alii athei, totius Pontificii regni socii, defensores Idolorum suorum, et aulici κόλακες innumerabiles, qui linguas venales habent, ut arte pingant Idola, et mendacia Sophisticis praestigiis confirment, *Staphilus*, *Canisius*, et multi horum similes, multiplex item colluvies fanaticorum hominum, *Anabaptistae*, *Stenckfeldiani*, et furiae, quae seditionum tubae sunt falso praetextu religionis.

Quamquam igitur tanta est impia multitudo, quae quidem ardet odio et crudelitate: tamen, ut in Symbolo dicimus: Credo esse Ecclesiam catholicam, certo statuamus esse aliquam Dei Ecclesiam, et hanc vere esse hoc agmen, quod incorruptam Evangelii vocem amplectitur, et iuxta eam Deum invocat fiducia mediatoris: etsi in hoc agmine etiam multi sunt et imbecilles, et aegroti, sed tamen ad Filium Dei confugientes, et qui nec Idola pertinaciter defendunt, nec saevitiam in membra Christi exercent.

Cum igitur discerni pius exercitus et impius non obscuris signis possint, et vexilla nota sint (piorum vexillum est unicum doctrina incorrupta, aliorum vexilla sunt dissimilia, dogmata Turcica, Pontificia, fanatica): primum quisque cogitet, qui et ubi sint verae Ecclesiae cives, deinde sese sententia, voluntate, invocatione et confessione cum illis coniungat.

Extant autem scripta et mea, et aliorum piorum in nostra Ecclesia, quae cum congruant cum voce Ecclesiarum vestrarum, ostendunt coniunctionem et sententiae et invocationis, et apud candidos iudices testimonium de nobis dicunt contra venenatas calumnias, quae iniusto odio nostri sparguntur a diversis hostibus. Hunc igitur libellum istuc mitto ceu testem nostrae vocis et laborum, et te rogo, ut inspicias. Semper iudiciis Ecclesiarum me subieci, nec discedo ab hac sententia, maximeque optarim, pios et doctos viros de quibusdam vulneribus posse colloqui.

Etsi enim norma iudicii certa est, videlicet, sermo Propheticus et Apostolicus, qui non est ambiguus, ut vociferantur Pontificii, et mens confirmata testimoniis, quae extant in scriptis Propheticis et Apostolicis, non quassatur fluctibus dubitationum: tamen fateamur, nos homines esse, inter quos multi sunt infirmi. Et interdum in bonis fit hoc, quod est in querela Simonidis: δόξα

βιάζεται τὴν ἀλήθειαν. Nec tollenda sunt ex Ecclesia iudicia.

Oro autem Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, vere colligentem aeternam Ecclesiam voce Evangelii, qui inquit: Ego sum vitis, vos palmites, ut nos faciat sibi palmites foecundos, et semper nos gubernet. Amen. Die 16. Febru. quo Deo iuvante ingredior annum climactericum, sexagesimum tertium.

Philippus Melanthon.

No. 6695. 21. Febr.

Io. Stigelio.

Danz. Epp. ad Stigel. ep. 97. Cod. Goth. 188. ep. 168.

Clarissimo viro, ingenio, eruditione et virtute excellenti, D. Ioanni Stigelio, τῷ Θεῷ, καὶ ταῖς Μούσαις, φιλτάτῳ, fratri suo cariss. S. D.

Diese Rede ist wahr und recht, und mag von keinem Teufel vertilgt werden: neuer Gehorsam ist nöthig, nova obedientia est necessaria. Item: nova obedientia est debitum. Und sind diese Reden zu erhalten wider die Antinomer, welche unsinniglich schreien: es bleib der Neugeborne heilig, wenn er gleich in Sünden wider Gewissen, in Ehebruch oder Todtschlag[94]) fället. Dagegen stehen diese Worte klar, 1 Cor. 6.: ihr sollt euch nicht verführen lassen; scortatores, adulteri, non possidebunt regnum Dei. 1 Ioh. 3.: qui non diligit, manet in morte. Rom. 8.: debitores sumus. Luc. 17.: quod debuimus, fecimus. 1 Ioh. 4.: debemus nos mutuo diligere. 1 Tim. 1.: milita bonam militiam, retinens fidem et bonam

75) Cod. Goth. 213. et c. Goth. 94: *sed opem.*
76) Cod. Goth. 213. Trostbrief.
77) Cod Goth. 213. et cod. Guelf. geben.
78) Pez. Noch dergl. Trostschrift ist.
79) Pez. welche noch.
80) nicht ausschließen] cod. Goth. 94. einschließen.
81) sie wüßten nicht] cod. Goth. 94. non habet.
82) Pez. zuvor. In cod. Goth. 94. et cod. Monac. non legitur.
83) Cod. Goth. 94. et cod. Guelf. addunt: u. ohne Kampf.
84) alle] cod. Goth. 94. andre.
85) Cod. Goth. 213. *volentes.*
86) Gnade] Pez. et cod. Goth. 94. non habent.
87) Defin. *iust.*, die] cod. Goth. 94. *iustitia*, so.
88) Cod. Goth. 213. et cod. Guelf. offenbarlich.
89) Cod. Goth. 213. *imputata iam propter filium Dei iustitia.*
90) Cod. Goth. 213. Unrichtigkeit.
91) ehrlich] cod. Goth. 213. werth.
92) darum] in cod. Goth. 213. non legitur. Cod. Guelf. habet gar.
93) Cod. Goth. 213. hic addit subscriptionem: *Ph. M.*, baud dubie ex errore describentis, opinati, se ad scripti finem iam pervenisse.
94) Cod. Goth. 213. Ehebruch, Todtschlag oder dergleichen; cod. Guelf. in Mord u. Ehebruch.

conscientiam. Diese und dergleichen Sprüche bezeugen klar, daß diese propositiones recht und wahr sind: nova obedientia est debitum[95]), et nova obedientia est necessaria[96]). Daraus folget nicht, daß es meritum sey ewiger Seligkeit; es folget auch nicht die grobe Eselsdeutung, necessarium oder debitum werde verstanden extortum metu seu coactione: sondern necessarium oder debitum heißt göttliche unwandelbare Ordnung, daß die vernünftige Creatur Gott unterworfen sey. Auch ist diese grobe Eselsdeutung ernstlich zu strafen, daß etliche allein äußerlich Werk verstehen, so man spricht: gute Werke sind nöthig; und schreien: der bekehrte[97]) Mörder am Kreuz habe[98]) keine guten Werke. Nun haben die Weimarischen Dichter dieses auch[99]) nicht ausgedruckt, daß diese propositiones recht und wahr sind: nova obedientia est debitum, nova obedientia est necessaria; sondern sie fechten sie an mit Listen und Sophistereien. Daß sie aber diesen Anhang strafen: necessaria *ad salutem*, wissen sie wohl, daß wir diesen Anhang nicht gebrauchen. Denn wir wissen, daß man diese Folge machet: necessaria ad salutem, ergo est meritum; sondern wir sprechen: nova obedientia est necessaria oder debitum eo ipso, quia[100]) ordo divinus immutabilis est, ut creatura rationalis sit subiecta Deo[1]), und ist eine grausame Sünde, die Gott strafen wird, daß Menschen also kühn sind, und dürfen sprechen: diese propositiones sind nicht wahr: nova obedientia est necessaria; item, nova obedientia est debitum. Nun hat zwar der großen Clamanten einer, Gallus zu Regensburg, diese Proposition[2]) ausdrücklich verworfen; dagegen berufen wir uns auf alle verständige gottfürchtige Christen, welcher Urtheil wir leiden mögen, und sollen die Weimarischen Condemnationes nicht allein gehört werden. Nova obedientia est necessaria, quia est debitum. Denn der Herr spricht: quod debuimus fecimus. Sie ist auch nöthig von wegen der Folge[3]) causae et effectus. Qui ducuntur spiritu Dei, hi sunt filii Dei. Der heilige Geist bleibt nicht in diesen, die wider ihr Gewissen dem Teufel und bösen Neigungen folgen, davon Johannes spricht: wer Sünde thut, der ist aus dem Teufel. Man soll auch durch diese Worte: nova obedientia oder bona opera nicht allein äußerliche Werke verstehen, sondern guten Fürsatz, herzlich anrufen, Stärkung des Glaubens durch Betrachtung göttlicher Verheißung und Exempel, Freude an Gott im Leiden und Trübsal, festen Willen zu verhüten Ehebruch, Todtschlag. Und hat auch Paulus die Summa dieses Gehorsams, der in den Heiligen in diesem Leben ist, in die zwei Worte gefasset: habens[4]) fidem et bonam conscientiam. Wer nun diese Lehre[5]) Pauli austilgen will, der wird seinen Richter finden. Und sind wir unerschrocken, daß uns solche Clamanten zuwider sind. Wir wollen mit Gottes Hülf und Gnade bei dieser Lehre Pauli, die gewißlich göttliche, unwandelbare Wahrheit ist, bleiben, und, so viel uns möglich, die Gegensophisterei strafen. Und ist in dem Weimarischen Gedicht wohl zu merken, daß es ein groß Geschrei machet von diesem Wort: erhalten. Man soll nicht sprechen: die guten Werke dienen[6]) zu Erhaltung des Glaubens, denn Gott sey der Erhalter. Das ist wahr; Gott erhält aber den Glauben in diesen, welche ihn nicht[7]) durch Sünde wider Gewissen ausstoßen, sondern die streiten und Gottes Hülf begehren[8]). Also redet auch Petrus: thuet Fleiß, euern Beruf und Erwählung fest zu machen. Wenn unser einer also redete, wie ein grausames Geschrei würden sie anrichten! Nun ist nicht dieser Verstand in diesen Reden, daß man Gott ausschließe, sondern daß wir nicht die göttliche Gabe[9]) ausstoßen Denn der menschliche Wille ist nicht ein Block[10]). David hat nicht müssen den Ehebruch und Todtschlag thun, sondern hätte mit Gottes Hülf widerstreben können. 1 Timoth. 5. spricht Paulus: du sollst dich bewahren keusch zu leben. Hier ist Gottes Werk und Hülf nicht ausgeschlossen, sondern alles zusammengefaßt: Gottes Hülf, guter Vorsatz, Gebet, Streit, Fleiß und Fürsichtigkeit böse Anreizung zu meiden. So spricht er auch 1 Timoth. 6.: halt das ewige Leben fest. Item Röm. 6.: ergebet eure Gliedmaßen zu dienen der Gerechtigkeit. In diesen und viel dergleichen Sprüchen weiß man wohl, daß Gottes Werk, Gnade und Hülfe nicht ausgeschlossen ist, und

95) Cod. Goth. 213. *necessaria.*
96) Cod. Goth. 213. *debitum.*
97) Cod. Goth. 213. die unbekehrten.
98) Cod. Goth. 213. haben.
99) auch] non habent Pez. et cod. Goth. 94.
100) *quia*] cod. Goth. 94. *et.*
1) Cod. Goth. 213. *creatori Deo.*
2) sind nicht wahr, *nova* — — Proposition] in cod. Goth. 213. culpa describentis praetermissa sunt.
3) Cod. Guelf. der folgend.

4) Cod. Goth. 213. *habere.*
5) Cod. Goth. 94. et cod. Guelf. Rede.
6) Cod. Goth. 94. dienen nicht.
7) Cod. Goth. 94. nicht wieder.
8) Cod. Goth. 94. bedürfen und begehren.
9) Cod. Goth. 213. göttlichen Gaben.
10) Pez. Pflock; cod. Goth. 213. Bloch.

ist eitel muthwillige Sophisterei, so man solche Rede anders deutet[11]), oder ist der[12]) Antinomer Säu Theologia, so sie dichten, es gelte alles gleich, was man thut; wie einer vor etlichen Jahren mir antwortete: Deus non curat opera. Und wäre viel zu reden, was hinter ihrer Sophisterei mehr stecket[13]), das aber mit der Zeit besser an das Licht kommen wird. Und was[14]) unsre Lehre ist vom neuen Gehorsam und guten Werken[15]), das wissen viele verständige Christen in allen[16]) Landen, auf welche wir uns in diesen und andern Artikeln berufen, und mögen sehr wohl christliche Richter leiden.

10. Von den Adiaphoris.

Ich hab erstlich[17]) gerathen und gebeten, man wollte ganz keine Aenderung fürnehmen, denn es würde gar[18]) groß Gezänk daraus folgen. Als aber dieses mein Rathen und Bitten nicht geacht worden, hat man uns heftig fürgehalten, wir machten Conspirationes mit den Prädicanten in andern Landen; welche Rede uns betrüblich gewesen. Als nun hernach uns weiter fürgehalten, wir streiten unnöthige Ding von Kleidern und dergleichen, item, es müßte dennoch eine Ordnung seyn, und sollte nicht zugelassen werden, daß ein jeder eine besondere Weise aus eigenem Trotz machen wollte; darauf wir geantwortet, daß wir nicht unnöthige Sachen streiten wollten, es wäre auch nicht unser Gemüth, daß einem jeden zugelassen[19]), ein besonderes zu machen: sondern wir haben klar und ausdrücklich gesagt, daß wir bei der Confession in allen Artikeln bleiben wollten, welches auch für und für von uns gehalten ist und noch gehalten wird. Da man aber von etlichen Ceremonien, Ordnung der Fest, Kirchenkleidern und dergleichen geredet hat, dieweil uns die Lehr nicht geändert würde, haben wir davon nicht hart[20]) streiten wollen. Und ist wahr, daß der Durchleuchtigste, hochgeborne Fürst und Herr, Herzog Moritz, Churfürst, hochlöblicher und seliger Gedächtniß, diese Rede in eigner Person zu Grimme zu uns sämmtlich gethan: seine churfürstl. Gnade begehrten nicht, daß man etwas in der Lehre ändern[21]) sollte, oder sonst etwas unrechts thun, seine Ch. F. G. wollte aber gern Gleichheit in äußerlicher Kirchenordnung haben; darauf durch den hochgebornen Fürsten und Herrn, Herrn Georgen, Fürsten zu Anhalt eine Danksagung geschehen[22]), und dieses Erbieten, man wollte von solchen äußerlichen Mitteldingen nicht Gezänk anrichten. Dieses ist im Grund die Summa der ganzen[23]) Handlung, und bekenne ich, Philippus, daß ich den Pastoren unter Marggraf Albrecht gerathen habe, daß sie um des Chorrocks willen die Kirchen nicht verlassen sollten[24]), so sie die Lehr und Sacramenta laut der[25]) Confession behalten möchten. Und bin zu diesem Rath verursacht erstlich von wegen der Kirchen Nothdurft, denn ich gesehen, daß viel Kirchen in etlichen Landen ohne Noth verlassen worden, als in der Herrschaft Nassau und sonst; zum Andern hat mich beweget der armen Priester und[26]) ihrer Weiber und Kinder Elend. Daß nun die großen Helden ihre Großmüthigkeit sehr rühmen, daß sie den Chorrock nicht angezogen haben, und sagen, wir haben solches dem Teufel zu Gefallen[27]) gethan: diesen gebe ich diese Antwort, daß ich zu Erhaltung derselbigen Kirchen und aus Mitleiden der[28]) Pastoren solches gethan[29]) habe, und nicht dem Teufel zu Gefallen, und will mit Gottes Hülf diesen giftigen Deutern und calumniatoribus mit der Zeit anzeigen, was sie arges gethan haben und noch thun mit Lügen, Anrichtung unnöthiger Zwietracht und geschwinden Heucheln[30]) bei Fürsten und Herrn und gemeinem Mann, und mit Stärkung großer Irrthum. Und in Summa: dies ist ja offentlich, daß man aus Mitteldingen, als Chorrock, und Ordnung der Feste und dergleichen, auf keiner Seiten nöthig Ding machen soll, so die Lehr recht bleibet; und ist von uns allezeit diese Condition angehängt, daß die Lehr in allen Artikeln rein bleiben soll. Dadurch ist das Scandalum abgewandt, davon etliche

11) Pez. deuten will.
12) Pez. in der.
13) was hinter etc.] cod. Goth. 213. was solche Sophistereien für Schaden bringen.
14) Und was] cod. Goth. 213. Was aber.
15) vom neuen Geh. u. gut. Werken] cod. Goth. 213. et cod. Guelf. non habent.
16) Cod. Goth. 213. in diesen und andern.
17) Pez. et cod. Guelf. ernstlich.
18) Pez. et cod. Guelf. gar non habent.
19) Cod. Goth. 213. sollte zugelassen werden; cod. Goth. 94. zugelassen würde.
20) hart] cod. Goth. 94. heftig.
21) Pez. wandeln.
22) geschehen] Pez. gethan.
23) ganzen] Pez. non habet.
24) sollten] cod. Goth. 94. wollten; cod. Guelf. sollten oder wollten.
25) Cod. Goth. 213. et cod. Goth. 94. der Augsburgischen.
26) und] cod. Goth. 213. et cod. Guelf. non habent.
27) Pez. Wohlgefallen.
28) Pez. den.
29) Pez. et cod. Guelf. gerathen.
30) Heucheln] cod. Goth. 213. Händeln; sed reliqui habent Heucheln.

reden. Es haben auch Herzog Johann Friedrich und sein Bruder[31]), und ihrer Landschaft Adel und Pastores zur selbigen Zeit dergleichen von Mitteldingen beschlossen, wie die acta ausweisen; und ist diese jetzige Condemnation ihren vorigen Beschlüssen[32]) nicht weniger zuwider denn uns.

Dieses sey davon kurz geantwortet, und berufen [wir] uns in allen streitigen Artikeln auf alle verständige Christen, und insonderheit auf alle Universitäten, unsrer Confession verwandt. Anno Christi 1559[33]).

(Apographon huius scripti Melanthonis a Philippo Landgravio Hassiae missum est ad Ioannem Fridericum Ducem Saxoniae, qui Landgravio inter alia haec rescripsit in epist. data: Grimmenstein d. 27. April. a. 1559. et edita e Tabular. Cassell. in Neudecker's neuen Beiträgen zur Geschichte der Reform. 1. B. (Leipz. 1841.) p 195.: „Wie wir „aber genannte Philippi Melanthons Schreiben, so er an „unsern Vettern, den Churfürsten zu Sachsen auf das Buch „unsrer Confutation, welches wir unter unsern Namen haben „lassen ausgehen, geschrieben, in einer Eil gelesen: so befin„den wir daraus, daß er in der Opinion und Gedanken ste„het, als ob er darin von uns angegriffen und angezogen. „Nun bitten wir freundlich, Ew. Liebden wolle solche unsre „Confutation mit Fleiß auch lesen, so werden E. L. daraus „so viel vernehmen, daß er zu solchem die wenigste Ursache „gehabt, und die Gelegenheit oder Meinung gar nicht hat, „daß wir ihn oder auch unsern Vettern, den Churfürsten zu „Sachsen, in den wenigsten angegriffen. — — Denn was „unsre Confutation der eingeschlichenen Sectuarier, Corrupte„len und dergleichen Irrthum halben vorleibt [?], das haben „wir unserm fürstlichen Amt nach um unsrer Unterthanen „willen, daß sie sich vor denselbigen zu hüten, und also Got„tes allein seligmachendes Wort in unsern und unsrer lieben „Brudern Landen und deren Kirchen lauter und rein — er„halten werden, und solche hochschädliche Secten und Ver„fälschung nicht einschleichen, sondern gemeldte unsre Unter„thane vor denselbigen, der Nothdurft nach, gewarnt seyn „mögen, nicht umgehen können. Daß sich aber Philippus „deren annimmt, müssen wir dafür halten, daß ihme eben „also, wie man dem Sprüchwort nach zu sagen pflegt, ge„schehen seyn wird: wer getroffen wird, daß derselbige schreiet. — „So wird auch von Philippo unserm verstorbenen Hofprediger „Mag. Stoltzen, und Mag. Illyrico aus lauter mensch„licher Affection und Ungrund aufgelegt, daß sie in ihrer Lehr „nicht rein, sondern Stenckfeldisch seyn sollten. — — Dar„um wollen Ew. L. des Illyrici ausgegangene Schriften, „auch unser Buch, welches Illyricus nicht gestellet, „mit Fleiß lesen, so werden E. L. lidentlich [?] sich daraus „bescheiden, daß dasselbige aus dem rechten Grund der heil. „Schrift hervorgehet, — auch keine philosophischen Gedanken „und Meinungen seyn, wie dessen etliche andere Wittenber„gische Theologen mit ihren ausgegangenen Büchern zu über„zeugen seyn".)

31) Pez. seine Brüder.

32) Pez. ihrem vorigen Beschluß.

33) Pez. et cod. Guelf. annum non addunt. Cod. 94. habet: *Datum Wittenb. anno* 1560.

No. 6706. 10. Mart.

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camer. p. 750. (ed. Lond. lib. IV. ep. 900.).

Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioach. Camerario fratri suo cariss.

S. D. Oro filium Dei, ut nos omnes gubernet, et tuae coniugi vires corporis et animi confirmet. Deo iuvante adducam Esromum et eius filiam, propter vos. Meus gener[1]) Dresdam accersitus est, non opinor medicationis caussa, *μηχανᾶσθαι τινας ἄλλα οἴομαι.* Sed commendemus Ecclesiam et nos Deo. Affert aulicis nostram responsionem *περὶ στηλιτευτικῶν κεφαλαίων γεγραμμαμένων ἐν οἰνώνῃ καὶ ἐν οἴνῳ*[2]). Hodie accepi litteras ex Academia meae patriae de rixis, quas ibi[3]) multae furiae accendunt, quos in mentem tibi venire puto. Novo Principi cives obedienter iurarunt. Bene vale, die decimo Martii.

Philippus Mel.

No. 6707. 18. Mart. (h. a.?)

Io. Cratoni.

† Ex apographo in cod. Paris. D. L. 54[a].

D. Iohanni Cratoni, Doctori artis Medicae in inclyta Vratislavia,

S. D. Clarissime vir et cariss. frater. Quotidie te commonefaciunt artis medicae exempla, quam multa in aegro corpore toleranda ac movenda sint, ac interea, si qua leniri possunt, lenienda esse, ut Pindarus ait, *μαλακῇ χειρί.* Est autem Ecclesiae corpus saucium et multipliciter languidum. Multa igitur feramus *τροποφοροῦντες*, ut loquuntur libri sacri, et, si qua possumus, leniamus. De causa *Musei* prorsus nihil pronunciavi. Nam nec novi eam, nec inquiro, nec velim *πόλεμον εὕδοντα ἀνεγείρειν*, ut Solonis verbis utar. Ubi

1) Peucer.

2) Scriptum Vinariense.

3) „Hesshusius et plures, Electore Friderico Palatino, qui Ottoni Henrico d. 12. Febr. 1559 successit; e quibus rixis de ratione istarum turbarum sedandarum consulendi, et Philippo iudicium suum de re Sacramentaria scribendi." C. W.

potero ei prodesse, nequaquam ei deerunt mea officia, idque ei scripsi. Bene et feliciter vale. die 18. Martii.

Philippus.

No. 6708. 19. Mart.

B. Hencelio.

Epist. lib. II. p. 316. (ed. Lond. lib. II. ep. 322.).

D. Iohanni Baptistae Hencelio

S. D. Clarissime vir et patrone colende, Saepe repeto dulcissimam sententiam scriptam in *Syracide*, *Esto pater orphano, tunc Deus te magis diliget, quam diligit te mater tua.* Nec vero dubito, saepe et te eam mente intueri in gubernatione, ac admirari promissionis amplitudinem. Quid enim maius promitti potest amore Dei erga nos tanto, qui superet maternam *στοργὴν*? Commendo igitur tibi causam huius orphani, civis vestri, viri honesti, eruditi et recte iudicantis ac abhorrentis a monstrosis opinionibus. Habet tutorem seu durum, seu iniquum, de quo fortassis et consilium a te petet, et implorabit magistratus auxilium. Audio tutorem alieniorem esse a studiis doctrinarum propter contagia *Stenckfeldiana*, sicut usitatum est efferari animos deliriis opinionum. Mitto tibi orationem de morte Regis *Danici*, quam iudicabis exempli causa dignam esse quae a multis legatur. Scriptor, ut in luctu, non adhibuit splendorem, quem tamen adhibere poterat, cum talis sit *ᾧ ἐνὶ μὲν μορφὴ ἐπέων, ἐνὶ δὲ φρένες ἐσθλαί.* Bene vale. 19. Martii, Anno 1559.

No. 6709. 19. Mart.

Ioachimo Pr. Anhalt.

Edita in *Beemanni* Access. hist. Anhalt. p. 122. (Danz.)

Ioachimo, principi Anhaltino.

Illustrissime et Clementissime Princeps. Sicut in ingressu Filii Dei in urbem Ierosolymam, cuius recordatio hoc die celebratur, ipse filius Dei dixit: *Ex ore infantium et lactantium perfecisti virtutem*, ita deinceps servabit Filius Dei Ecclesiam suam, etiamsi erit imbecillis, et ut semper Ecclesiam sibi colligat in his regionibus, assiduis eum gemitibus oro. Disputationes movit Romanus Pontifex contra Imperatorem *Ferdinandum* valde periculosas, de quibus mittet scripta vir optimus Doctor *Milichius*. C. V. gratias ago, quod *Michaeli Macario* Meideburgensi faveat; spero utiliter serviturum esse Ecclesiae Dei, quia scio eruditum esse, et scripsit orationem de optimo Principe *Georgio* fratre C. V. Gratias etiam C. V. ago pro perpetua benevolentia, et pro Esoce misso. Deus aeternus Pater Domini nostri Iesu Christi, creator generis humani, confirmet C. V. vires animae et corporis. Datum die Palmarum [1559] *).

No. 6710. 20. Mart.

Philippo Landgr. Hass.

Edita in Mel. christl. Berathschlag. und Bedenk. a Pezelio, p. 619. Apographon in cod. Goth. 213. — Etiam impressa in Wunderer's Bedenken, ob die Augsburg. Confessionsverwandten, so dem Bergischen Concordienbuch nicht beipflichteten, bei gemeinem Religionsfrieden ruhig gelassen werden können. Hanau 1604. pag. 92.

Epistola Phil. Melant. scripta Philippo Landgravio Hassiae.

Gottes Gnade durch seinen eingebornen Sohn Jesum Christum unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer zuvor. Durchleuchtiger, hochgeborner gnädiger Fürst und Herr. Ew. Fürstl. Gnaden danke ich in Unterthänigkeit, daß sie mir ihre christliche Antwort und Erinnerung auf das Weimarische Buch zugesendet haben, und sende hiemit E. F. G. meine Antwort, die ich an den Durchleuchtigsten, hochgebornen Fürsten und Herrn, C. M. G. H.[1]) geschrieben habe. Dabei sende ich auch E. F. G. einen[2]) Theil der Antwort auf die bayersche

---

*) Proclamatus est Ferdinandus Imperator in comitiis Francofordensibus ineunte Martio anni 1558. Huic antea Papa XXI conditiones scripserat antequam Imperator coronaretur, utique periculosas, quas vide in *Goldasti* „Reichshändeln" Part. V. p. 166. Non igitur anno 1559, sed anno 1558. scripta est epistola, si ad has conditiones Verba Mel. sunt referenda. Quum autem etiam anno 1559. de auctoritate Pontificis in eligendis Imperatoribus disputatum sit, ut ex epistola ad Camerar. d. 22. Mart. 1559. satis perspicitur, nolui epistolam literis anno 1558. scriptis inserere.

1) Pez. edidit: *etc.* meinen gnädigsten Herrn.

2) einen] Wund. den.

Inquisition, und ist in dieser meiner lateinischen Schrift auch vom libero arbitrio und bonis operibus auf die Weimarische Sophisterei geantwortet; doch nicht zänkischer Weise, sondern zu Bericht und Trost der Gottfürchtigen, und bei denselben Uneinigkeit zu stillen, wie ich hoffe, E. F. G. als ein hochlöblicher, christlicher und weiser Fürst, werde in diesen Artikeln damit zufrieden seyn. Dergleichen hoffe ich, es werden andre Gottfürchtige auch Trost daraus [3]) empfahen, und werde eine gotteseinträchtige Kirche bleiben, obgleich etliche unruhige Leute auf allen Seiten [4]) Gewirre und Zerrüttung anrichten [5]). Ich kann auch Richter leiden alle christliche Fürsten und Universitäten; erschrecke derwegen nicht, obgleich Stoltzius, Illyricus und ihr Anhang mich condemniren, ohne gebührlich Erkenntniß, sondern befehl die Sache Gott, und tröste mich des Spruchs: *illi maledicent, tu benedices* [6]).

Daß aber E. F. G. vom Synodo schreiben, ist wahr, daß hochnöthig wäre gewesen, daß wir einen christlichen Synodum von [7]) der Augsburgischen Confession gehalten hätten, darin ordentlich und gründlich von allen Artikeln geredt wäre worden, wie E. F. G. gern gesehen, daß zu Marburg anno 1529. dieses Werk [8]) recht vorgenommen [worden] wäre. Nun wäre noch [9]) diese Zeit hochnöthig daß ein christlich Synodus gehalten würde, und wird doch endlich solches geschehen müssen. Wie es aber möglich sey, kann ich nicht sehen. Zu Hamburg stehet einer, genannt *Westphalus*, auf dem Predigtstuhl, und schreiet: die gottfürchtige und gelehrte Männer in Anglia, die Abgötterei in Anbetung des Brodes gestraft haben, sind des Teufels martyres [10]). Und sind zu Bremen dergleichen Schreier, die durch andere mehr gestärkt werden. Es hat auch vor diesem Jahr ein Prädicant zu Weimar bei dem hochlöbl. christlichen [11]) Churfürsten, Herzog Otto Heinrichen angesucht, dem Rath zu Bremen zu schreiben zu Stärkung solcher Schreier, und wäre viel davon zu schreiben. Solle nun ein Synodus werden, und solle nicht mit einer großen [12]) Autorität regiert werden, wie viel großer Zwietracht würde folgen! Der Kaiser Constantin hat den Synodum Nicaenam mit großer Arbeit und Majestät zusammenbracht, und hat nicht nachgelassen [13]), bis endlich unter den fürnehmsten Personen eine christliche Einigkeit beschlossen ist; und hat derselbige Synodus Nicaena drei Jahre gewähret, und sind dennoch viele Personen widerwärtig geblieben, und ist hernach der Riß größer worden. Wer will unsern Synodum regieren, da der Sachen viel sind, und große Verbitterung der Fürsten und Prädicanten ist. Darum bitte ich Gott, der ihm gewißlich um des Herrn Christi Willen eine ewige Kirche sammelt, er wolle allezeit ein Häuflein erhalten, das ihn recht anrufe, und eine [14]) rechte Kirche sey, und repetire rechte Lehre bei der Jugend mit Auslassung vieler, unnöthigen und unnützlichen [15]) Disputation. Und sind durch Gottes Gnade noch viele gottfürchtige, gelehrte Männer in Kirchen und Schulen, die dergleichen lehren und pflanzen. Damit bin ich zufrieden, und bin durch Gottes Gnade bereit, Verfolgung zu leiden. Der allmächtige Sohn Gottes, der vom ewigen Vater gesandt ist, eine ewige Kirche zu sammeln, wolle seiner Kirche und mir gnädig helfen! Was ich mehr thun kann, weiß ich nicht, sondern diene in meinem Beruf als ein armer Schulmeister, so lange Gott will. Wenn mich die grausamen Thiere, päpstliche und Illyrische [16]), zerreißen, das muß ich leiden. Gott helfe mir gnädiglich! Ich vermag nicht, einen Synodum zusammen zu bringen; kann auch nicht gedenken, daß zu dieser Zeit solches einem Könige oder Fürsten fruchtbarlich auszurichten möglich sey. So wissen E. F. G., daß alles Vornehmen Kaiser Caroli erstlich dahin gerichtet gewesen, einen Synodum zusammen zu bringen, und ist ihm auf keinen Theil möglich gewesen, † achte auch, dieses Betrübniß sey Ursach gewesen" seiner [17]) großen Schwachheit. So aber Pfaltz, Wirtenberg u. E. F. G. wollten einen Synodum halten, und dazu gottfürchtige, gelehrte Männer aus mehr Nationen erfordern, habe ich mich vor dieser Zeit, so mir Gott das Leben giebt, zu erscheinen erboten. Dieses habe ich vor diesem Jahr an den Durchleuchtigen Hochgebornen Fürsten und Herrn, Herzogen zu Wirtenberg geschrieben, und wünsche mit Herzen, daß Gott zu solchem Werke Gnade gebe. Denn obgleich nicht alle Personen

3) Cod. Goth. 213. darinnen.
4) auf allen Seiten] Pez. aufstunden.
5) Pez. anzurichten.
6) Pez. *benedicis*.
7) Pez. vor.
8) Werk] Pez. non habet.
9) noch] cod. Goth. 213. doch.
10) Pez. Marterer.
11) christlichen] Pez. non habet.
12) großen] non habet cod. Goth. 213.

13) und hat nicht nachgelassen] in cod. Goth. 213. praetermissa.
14) eine] Pez. non habet.
15) und unnützlichen] cod. Goth. 213. non habet.
16) Pez. die grausame päpstische u. Illyrische Thier.
17) Pez. (qui antecedentia non habet): in seiner.

einträchtig davon wegziehen würden, wie auch nach den Synodis apostolorum und Nicaena viel Widerwärtige in ihrer unrechten Meinung verharret haben; so wäre dennoch jetzund und den Nachkommen sehr gut, daß vieler Gottfürchtiger und Gelehrter einträchtig Zeugniß in solchem Synodo gefasset würde, und würden doch etliche Lande Einträchtigkeit auf die Nachkommen erben. Davon bitte ich in Unterthänigkeit, wollen E. F. G. mit Pfaltz und Wirtenberg bedenken, was vorzunehmen sey. Der allmächtige Gott, Erschaffer aller Creaturen und Vater unsers Heilandes Jesu Christi und Erhalter der Kirche und ehrlicher Regimente, wolle zu [18]) diesen Sachen Gnade geben, und E. F. G. an Leib und Seele stärken. Datum, den 20. Martii anno salutis 1559.

E. F. G.

armer Diener

Philippus Melanthon.

No. 6711. 20. Mart.

Proceribus Polonicis.

Epist. lib. III. p. 65. (ed. Lond. lib. III. ep. 30. et in Melanth. Consil. lat. P. II. p. 355.) — Caeterum conf. ep. ad Matthesium d. d. 23. Mart.

Quibusdam proceribus in regno Poloniae, etc.

S. D. Illustres et magnifici Domini Comites, Semper veneratus sum Regnum *Poloniae*, eo quod magis utilitatis publicae causa contra *Tartaros* et *Turcas* arma gessit, quam caetera *Europae* regna, quae inter sese ambitione et aliis cupiditatibus bella inutilia gesserunt, ut constat. Maxime igitur opto bene meritae genti, ut etiam illucescat ei lux Evangelii, et deleantur ibi cultus impii, et idola, et flectantur plurimorum corda ad veri Dei invocationem, et colligatur aeterna Ecclesia Filio Dei. Quia manifestissimum est, in doctrina Papae et Monachorum, multos tetros errores esse. Corrupta est ab iis doctrina de Poenitentia et Remissione peccatorum. Consolatio de Iustitia fidei deleta fuit: traditiones Episcoporum fuerunt et carnificina, et impii cultus. Ficta oblatio in Missa Papistica, et adplicatio pro vivis et mortuis, invocatio hominum mortuorum, manifesta idola sunt. Quantum turpitudinis est in coelibatu impuro?

Quod igitur de emendatione Ecclesiarum deliberatis, pie facitis, sicut mandatum est: *Et nunc Reges intelligite*: Ac Filium Dei oro, ut consilia vestra gubernet. Necesse est autem in emendatiooe hanc circumspectionem adhibere, ut doctrina tradita in scriptis Propheticis et Apostolicis, et expressa in Symbolis, constanter retineatur, nec misceantur corruptelae. Nam solius Evangelii voce certo colligit Filius Dei aeternam Ecclesiam, non aliis doctrinis.

Sint certis locis iudicia Ecclesiae de doctrina et moribus, ut sit censura Ecclesiastica, et contumaces puniantur severa excommunicatione, sed rebus ordine iudicatis. Scholae literarum quoque constituendae sunt, ut adolescentia discat summam verae doctrinae de Deo, et linguas, et artes Ecclesiae utiles. Optarim etiam pios et prudentes viros de ceremoniis cogitare, et eligere non deformes, non ridiculas, et perficere, ne magna sit in una regione dissimilitudo. Ac de earum usu populus recte doceatur, nec addatur opinio cultus aut necessitatis. Quare extet in Ecclesiis vestris pia confessio, de toto Corpore verae doctrinae *Christianae*, quae quomodo in nostris Ecclesiis recitata sit, cognoscere ex his libellis, quos mittimus, poteritis, a quibus non discedimus. Et concordiae causa prodest, eandem veram confessionem, iisdem verbis recitatam, Ecclesias amplecti. Curabitis etiam pium examen, et publicum ritum Ordinationis ministrorum Evangelii institui. Denique de praecipuis materiis, nostras sententias, et consuetudinem, ex his libellis cognoscere poteritis, quos mittimus. Et exponet vir nobilis *Eustathius* fideliter nostri Colloquii summam.

Oro etiam Filium Dei, Dominum nostrum *Iesum Christum*, crucifixum pro nobis et resuscitatum, custodem Ecclesiae suae, ut clementer servet et gubernet Celsitudinem Vestram. Datae Anno 1559. Die XX. Martii, quo die ante Annos 1523 *) Filius Dei, tanquam Triumphans, ingressus est in Urbem *Ierosolymam*, exceptus palmis et oleis, et voce canentium, de quibus dicit Dominus: *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem.* In eo numero, ut nos quoque, quanquam infantuli et infirmi simus, recte celebrantes Filium Dei, faciat ipse Deus aeternus Pater propter Filium, Amen.

---

18) zu] cod. Goth. 213. in.

*) 1525. scribendum est, si ep. anno 1559. scripta est.

No. 6712. 20. Mart.

Cph. Stathmioni.

Epist. lib. II. p. 429. (ed. Lond. lib. II. ep. 449.).

D. Christophoro Stathmioni

S. D. Apud Homerum fortissimus bellator optat concordiam his verbis: *ὡς ἔρις ἔκτε θεῶν, ἔκτ' ἀνθρώπων ἀπόλοιτο,* Quanto magis me senem et infirmum optare pacem consentaneum est? Ante annos XXX non studio contentionis, sed propter gloriam Dei, et propter disciplinam reprehendi *Stoica* paradoxa de Necessitate, quia et contra Deum contumeliosa sunt, et nocent moribus. Nunc mihi bellum inferunt *Stoicorum* phalanges, sed in qua sententia possint acquiescere mentes anxiae, rursus moderate exposui in responsione, quam *Bavaricae* inquisitioni opposui. Tuum scriptum *περὶ προαιρέσεως* legi, et scribam de eo alias. Nunc enim aliis molestissimis negotiis oneratus sum. Honestissimae coniugi tuae mitto Angelum. Opto autem ut verus Angelus Filius Dei te et tuos et nos protegat, de quo scriptum est: *Circumvallat Angelus Domini timentes eum.* Bene vale. Die 20. Martii, Anno 1559.

No. 6713. 20. Mart.

A. Hardenbergio.

Epist. ad Hardenberg. ep. 69.

D. Alberto Hardebergio.

S. D. Reverende vir, et cariss. frater. Nondum scimus, quid de Gorgone vicinorum Principes responderint. Solius *Macedonis* responsionem vidi, quae non est timide scripta. Ostendit sibi non placere, confirmari *τὴν ἀρτολατρείαν* et supplicia piorum. Sed quidquid resciscam, tibi significabo. Nunc pagellas mitto de *Bavaricis articulis*, in quibus est et quaestio de humana voluntate. ubi non volui labyrinthos inextricabiles construere, sed piis ostendi praesidia contra saevas tentationes. Hanc verecundam et piam commemorationem inimici mei atrociter reprehendunt. Sed tuum iudicium, ut mihi significes, te valde oro. Vides, quales Sophistae adhibiti sint ad illam vicinorum Gorgonam scribendam. Sed precemur F. D. ut opem ferat suae veritati. Existimo non defuturos esse, qui falsa refutent. Comiti *Christophoro* et *Medmanno* salutem opto et mitto pagellas. Bene vale et rescribe. Die 20. Martii. 1559.

Philippus Melanthon.

No. 6714. 21. Mart.

Io. Cratoni.

Primum edita in *Peuceri* tractat. hist. p. 47. Etiam in *Hospiniani* hist. sacram. II. p. 341., et ex parte a *Pezelio* in Mel. Consil. lat. P. II. p. 384. — Iterum sed perquam mendose in libro: A. F. Büsching Untersuchung, wenn und durch wen der freien evang. luth. Kirche die symb. Bücher zuerst aufgelegt worden, (Berl. 1789. 8.) p. 34. — Pars epist. inde a verbis „Memini me Luthero" etc. descripta est in cod. Galli II. p. 237 b, sic inscripta: „*epistola haeretica ac maledica Phil. Mel. apostatae.*" — Apographon integrum in cod. Gall. II. p. 240. et in cod. Paris. D. L. 54[3]. — Sequutus sum textum Peuceri; ex multis mendis Büsch. aliqua tantum notavi.

Iohanni Cratoni, Doct. Medic. Vratislav.

Clarissime vir et carissime frater. Et debeo et habeo tibi gratiam pro perpetua tua benevolentia et pro multis [1]) beneficiis [2]), in quibus numero etiam eruditissimas [3]) disputationes, quas interdum mittis. Caeterum de Sycomoro [4]) et Sycamino moveor et nomine et descriptione, quam propheta Amos recitat, ut eandem arborem existimem, et quidem eam, quae Dioscoridi est ficus Aegyptia [5]). Fortassis aliis locis degener non satis agnita est a scriptoribus. Delector allegoria, quod scalpi et ungi fructum oportuit *).

Sed de tua quaestione disseramus, de qua primum omnium oro, ut eruditam antiquitatem consideres, et ex dubitatione mentem evolvas. Scio carnificinam non solum saevam [6]), sed etiam periculosam [7]) esse dubitationem. Ideo Paulus iubet caveri, ne adducantur [8]) animi in docendo *εἰς διακρίσεις* [9]) *διαλογισμῶν*. Existimo autem ad confirmandas mentes consensum vetustatis plu-

1) Büsch. et cod. Gall. *mutuis*; cod. Par. *omnibus.*
2) Cod. Par. *officiis.*
3) Sic Büsch. et cod. Par. et cod. Gall. Sed Peucerus: *in quo numero sunt etiam eruditissimae.*
4) Peuc. *Sycomorea.*
5) Büsch. et cod. Par. *Aegyptiaca.*
*) Vid. Scripta publ. Acad. Wit. T. III. p. 248. et supra d. 12. Febr. 1559.
6) *solum saevam*] Büsch. *modo gravem.*
7) Cod. Gall. *perniciosam.*
8) Peuc. *abducantur.*
9) Büsch. et cod. Par. *διάκρισιν.*

rimum conducere. Memini me *Luthero* ante annos 20 in itinere cum et placidior et hilarior [10]) esset, recitare veterum Graecorum et Latinorum dicta, quae expresse dicunt, panem et vinum *συμβολά*, item *ἀντίτυπα* esse [11]); item *signum*; item *figuram* [12]). Cumque adderem, recentem errorem esse, ponere *τοῦ ἄρτου μεταβολὴν καὶ* [13]) *μεταστοιχείωσιν*, (sic enim recentiores loquuntur) ibi ille haec verba subiecit: „mirum esset [14]) in Ecclesia recenti potuisse tantum errorem tam diu haerere, et tam late recipe." Repressi me ac [15]) mirabar, eum tempore in hac re moveri, cum in aliis non moveretur. Augustinus contra [16]) Adamantum expresse inquit [17]): non dubitavit dominus dicere: hoc est corpus meum, cum daret signum corporis [18]). Tertullianus expresse inquit: hoc est corpus meum, id est figura corporis [19]). Id *Lutherus* interpretatur figuram geometricam. Vidi legentes cum gemitu viros eruditos et recte [20]) invocantes Deum. *Origenes* expresse inquit: *προσφέρει δὲ ἡ ἐκκλησία τὰ τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος σύμβολα.* Canon vetus apud Graecos nominat *ἀντίτυπα σώματα* [21]). Nazianzenus etiam hac voce utitur; nominat panem *ἀντίτυπον σῶμα* [22]). In recenti postea Canone plura verba addita sunt *περὶ μεταβολῆς*. In Theophylacto *Oecolampadius* bona fide reddidit verba *περὶ μεταστοιχειώσεως*, quae invenit in suo codice. Tota illa sententia deest in nostro codice. Ita veteribus libris insertae sunt corruptelae [23]). Narravit mihi *Aventinus*, se in codice *Bedae*, qui est in Bibliotheca Passaviensi, legisse enarrationem verborum perspicuam, quae tota desit [24]) in libris editis. Reperi ego manuscriptum Bedam in Matthaeum [25]) in monasterio Waldsassensi [26]) non dissentientem ab Augustino. Mittam cum [27]) primum potero multorum veterum dicta. Fuit enim mihi curae, ut, quantum possem, antiquitatem et inquirerem et considerarem [28]), cuius enarratio non est aspernanda cum disseritur *περὶ ῥητοῦ καὶ διανοίας.* Nec iam instituo disputationem; tantum velim te antiquitatem considerare [29]). Quod noster amicus de communicatione idiomatum disputat, miror, eum intelligere communicationem idiomatum confusionem physicam naturarum. Interea tamen verum est, filium Dei adesse ministerio, et in eo efficacem esse, *καὶ τὸν ἄρτον κοινωνίαν εἶναι τοῦ σώματος,* ut [30]) Paulus diserte loquutus est. Scio enim te, virum doctum, recte iudicare [31]), quid *κοινωνία* significet. Haec nunc breviter scripsi, nec volo spargi in populum, etsi tantum veterum dicta recito, non pugno. Oro autem filium Dei, ut ipse opem ferat veritati suae et Ecclesiae [32]), et nos gubernet. Bene et feliciter vale. Datae 21. Martii anno 1559. [33])

Phil. Mel.

10) Büsch. *hilarior et placatior.*
11) Büsch. et cod. Gall. et cod. Par. *τοῦ σώματος.*
12) *it. sign. it. fig.*] cod. Par. et Büsch. non habent.
13) *καὶ*] cod. Par. *ἢ*.
14) Büsch. et cod. Gall. *esse.*
15) *ac*] Büsch. et cod. Par. *et.*
16) *contra*] Büsch. *ad*; cod. Gall. *quidem ad.*
17) Cod. Par. *dicit.*
18) *sui*] add. Büsch. et cod. Par.
19) *mei*] addunt Büsch. et cod. Par.
20) *recte*] Peuc. *vere.*
21) Büsch. *ἀντίτυπον σῶμα.* Cod. Par. *ἀντίτυπα σώματος.*
22) *Nazianz. — — σῶμα*] Büsch. non habet.
23) *Tota illa sententia — — — corruptelae*] Büsch. non habet.
24) Büsch. et cod. Par. *deest.*
25) *in Matthaeum*] Büsch. *qui est.*
26) *Waldsass.*] Büsch. *Bul ac sensi.*
27) Büsch. et cod. Par. *quam.*

No. 6715. 21. Mart.

Io. Matthesio.

Epist. lib. II. p. 95. (ed. Lond. lib. II. ep. 80.).

D. Iohanni Matthesio

S. D. Reverende vir et charissime frater, In puniendo desertore politicus Magistratus exemplum statuere debet. Quare iustitia et constantia Senatus in illo oppido, de quo scribis laude digna est. Atque utinam ubique maior esset severitas Magistratuum in disciplina regenda. Sed haec delira mundi senecta languidior est in omnibus necessariis officiis, ac precemur Filium Dei, ne Ecclesiae virtus in senecta deficiat, ut verbis *Psalmi* utar, quae saepe ex mea coniuge audio *).

28) Büsch. *consulerem.*
29) *Tantum velim — considerare*] Büsch. non habet.
30) *ut*] abest a cod. Par. et Büsch.
31) Cod. Par. *cogitaturum.*
32) Büsch. *veritati et suae Ecclesiae.* Cod. Par. *veritati et Ecclesiae suae.*
33) Büsch. et codd. habent *ann.* 1560.
*) Ex ep. ad Matth. d. 23. Mart. 1559. intelligitur, hanc ep. post mortem coniugis Mel. scriptam esse. Quare pro *audio* fortasse in autographo fuit *audivi*. Vid. ep. ad Buchh. d. 1. Maii 1559.

Mitto tibi Sycaminum *); nam et nos sumus qualescunque pastores Sycaminum scalpentes, ut de sese inquit *Amos*, cap. 7. alludens ad Ficum *Aegyptiam*, ut nominant, quam ut maturescat, scalpi oportet. Oremus Filium Dei ut ipse nobis adsit. Bene vale et rescribe. Deus confirmet animi et corporis vires tibi et *Rheso*. Die 21. Martii.

No. 6716. 22. Mart.

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camer. p. 755. (ed. Lond. lib. IV. ep. 907.). Non anno 1560., ut editori visum est, sed a. 1559. scripta est.

Clarissimo viro eruditione sapientia et virtute praestanti Ioach. Cam. fratri suo cariss.

S. D. Texit Deum filias nostras in itinere sicut scriptum est, Angeli eorum vident faciem patris celestis, cui eo magis agamus gratias, quia passim multa tristia spectacula cernuntur. Cum ad *Plasticen* venissemus, audiebamus pridie pagum vicinum *Udenhusen* [1]) incendio periisse, et ruinis oppressam esse mulierem cum quatuor pueris. Tam tristem casum ne nunc quidem sine magno dolore cogitare possum. Significationes etiam metuo. Sed oro filium Dei ut poenas mitiget.

Caspar, meus gener, ex aula attulit *ζητήματα περὶ ἐξουσίας τοῦ ἀρχιερέως ἐν ἀρχαιρεσίᾳ τοῦ αὐτοκράτορος*. Mittit enim ipse Imp. ad Principes, et sciscitatur sententias. Quam tetra est huius delirae senectae mundi confusio. Sapientia Pontificum lenire publica mala debebat. Horum furiae magis etiam augent.

Misit nobis *Macedo* responsionem de libro scripto *ἐν οἰνώνῃ καὶ ἐν οἴνῳ* [2]). Et censura est satis libera, quam meus gener vobis mittit, nunc enim retinetur filii morbo. Varii me labores reversum exceperunt. Ideo scribo brevius, et filium Dei oro, ut honestiss. coniugi tuae vires animae et corporis confirmet, et Ecclesias nostras publicas et domesticas protegat. Bene vale. die XXII. Martii. [Anno M. D. LX.] [3]).

Philippus Melan.

*) i. e. carmen de sycamino. Vid. d. 23. Mart.

1) Pagus inter oppidula Kemberg et Graefenhaynichen. Vid. 12. Oct. 1559.

2) Wimariae.

3) 1559. scripta est.

No. 6717. 23. Mart.

Io. Matthesio.

Epist. lib. II. p. 95. (ed. Lond. lib. II. ep. 81.).

D. Iohanni Matthesio

S. D. Reverende vir et charissime frater, Etsi heri ad te scripsi, et carmen de Sycamino misi: tamen hanc epistolam hodie adieci. In *Polonia* cum regiae deliberationes differantur, de Ecclesiarum emendatione quidam praecipuae autoritatis viris in suis ditionibus instituunt emendationem. Etsi autem in parte Poloniae *Calvini* libros multi sequuntur: tamen alii malunt institui Ecclesias iuxta normam confessionis nostrae, et a nobis exempla petiverunt. His ut responderem hoc triduo valde occupatus fui *). Libenter tibi exempla responsionum mitterem, si describi potuissent. Profecto in tantis distractionibus coniunctionem nostrarum Ecclesiarum maiore cura tueri debebamus, et minus amare *φιλονεικείας*. Sed oro Filium Dei, ut nos gubernet. Bene et feliciter vale, charissime frater. Die 23. Martii.

No. 6718. 24. Mart.

Ioachimo Pr. Anhalt.

Edita in Becmanni access. hist. Anhalt. p. 124.

Ioachimo, principi Anhaltino.

Illustrissime et clementissime Princeps. Hanc Epistolam scribo Die 24. Martii, quo Filius Dei ante annos 1524 egressus est ad montem Oliveti et ibi sanguinem sudans ingentes dolores propter nos sustinuit et postea calumniis et horribilibus probris tota nocte exagitatus est, postridie pendens in cruce etiam convicia audivit. Haec cum tulerit ipse filius Dei, qui mortuos resuscitaverat, feramus et nos iniurias, et iudicium Deo commendemus. Sic et Senaeium tulit David. Et de talibus iniuriis vere inquit Cyprianus: *Non is, cui maledicitur, miser est, sed qui maledicit.* Igitur oro C. V. ut moderetur dolorem, cuius causa est petulantia et iniusta rabies hominis maledici. Nemo in hac misera vita satis intentus

*) Vid. ep. d. 20. Mart.

esse potest, ut omnes calumnias vitet *). Deum scio aequiorem nobis esse, quam sunt isti censores. Si potero, veniam brevi ad C. V. cui Filius Dei confirmet corporis vires et animae. d. 24. Martii.

No. 6719. 25. Mart.

Ge. Buchholzero.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[1].

Georgio Buchholtzero, Pastori Ecclesiae Dei in urbe Arctoa.

S. D. Reverende vir et cariss. frater. Non dixi, mihi oblatam esse speciem, quae mihi praedixerit mortem, sed de alio quodam cive nostro locutus sum, qui ante annos aliquot mortuus est. Fuit hic vir honestus et doctus, et non impius, *Mulpfort*, qui aliquot diebus ante mortem, cum quidem mens alioqui integra ei esset dixit, speciem mihi similem, sibi oblatam esse, quae eum in morbo consolata sit et diem praedixerit, qui finis morbi et vitae futurus esset. Ac respondet eventus. Meam vitam Deo commendo, ac libentius ad dulcissimam consuetudinem Dei, Christi et Ecclesiae coelestis accedam, ubi non exercentur praestigia sophismatum, ut nunc in hac vita multi putant decus ingenii esse, sophismata fingere. *Carolostadius* anno proximo ante *Lutheri* mortem extinctus est in peste Basileensi. Heri literas accepimus, in quibus scribitur periculose aegrotare ducem Iuliacensem. Libellos vobis mitto, inter quos sunt duo exempla orationis de doctore *Pomerano*, et tria exempla orationis de congressu Bononiensi **), quorum unum dabitis Illustrissimo Principi Electori, et unum clarissimo viro *Thomae Matthiae*. Oro etiam, ut Illustrissimo Principi Electori reverenter gratias agatis meo nomine pro dono, quod tribuit viduae *Lutheri*, qui fuit filius patris Lutheri doctoris. Bene valete. Properabat nuncius; ideo plura scribere non potui. Hoc adiicio: Esaiae 53., ubi noster textus legit: tradidit animam suam in mortem, Ebraeus legit: effudit animam suam in mortem. Multo expressius ita significatur mors quam verbo: tradidit. Die 25. Martii, quo die scribitur creatos esse Adam et Hevam ante annos 5521.

Philippus Melanthon.

*) Vid. ep. d. 23. Ian. h. a.

**) Utramque orationem dabimus in Melanthonis Declamationibus, ubi leguntur. Pars orationis de congressu Bononiensi inserta est Melanth. Consil. lat. P. II. p. 346., quam etiam germanice habes supra in Mel. Annalibus ad annum 1558. spectantibus.

No. 6720. 25. Mart.

U. Mordeisen.

Epist. lib. V. p. 198. Hic ex autographo, quod Lipsiae asservatur descripta a Clariss. *Gersdorfio*.

Clarissimo viro sapientia et eruditione, et virtute praestanti D. Ulrico Mordisin Doctori Iuris Consiliario Inclyti Ducis Saxoniae Electoris etc. Patrono suo caro.

S. D. Clarissime vir et patrone carissime. Scribam et de iis articulis quos meus gener mihi reverso ex Lipsico examine exhibuit, et de fontibus causae, ea quae recta et vera esse intelligo, plane et perspicue deo iuvante. Sed si potest differri iter usque ad mercatum Lipsicum, ubi ad vos accedere malim, differri oro. Nam ad hanc scriptionem etiam horum dierum spacio uterer, qui alioqui mihi in itinere perirent. Fui .n. [enim] et post reditum et Lipsia occupatus responsionibus scribendis ad Landgravium qui nobis misit scripti exemplum, quo respondit Duci Iohanni Friderico. Id exemplum nunc et vobis mitto. Sin autem proficisci me Dresdam ante mercatum Lipsicum Illustrissimus Princeps Elector voluerit, obtemperabo, si id mihi significaveritis. Oro autem filium dei dominum Iesum Christum crucifixum pro nobis et resuscitatum, sedentem ad dextram aeterni patris ac dona dantem hominibus, ut Illustriss. principem Electorem et nos omnes gubernet et protegat. Mitto pagellam de Livonicis rebus. Accepimus etiam literas in quibus scribitur Ducem Iuliacensem periculose aegrotare. Victorinum Dux Brussiae vocat in suam Academiam, sed is mallet nobiscum esse. Bene et foeliciter valete. die 25. Martii quo die ante Annos 5521 Adam et Hevam creatos esse scribitur.

Philippus Melanthon.

No. 6721. 26. Mart.

Testimonium.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[4].

S. D. omnibus lecturis has literas.

Apud Marcellinum legitur, Valentinianum imperatorem repressis Alemannis imposuisse arces montibus vicinis Nicro. Non sunt autem vetustiora monumenta in ullis montibus Nicro vicinis quam Heidelbergae, nec ad collocanda praesidia situs alibi magis idoneus est quam duo illi vertices in utraque Nicri ripa inter se oppositi. Et legi ante annos LI in templo, quod ibi in arduo monte situm est, fragmenta vetusta latinorum versuum. Ideo existimo, fuisse ibi laudati illius imperatoris arces, ac Heidelberga delector non solum quia patria est, sed etiam quia ibi vetustae virtutis monumenta et vestigia sunt. Habet autem et nunc vera ornamenta: domicilium est principum Electorum, verae Ecclesiae et Academiae, in qua omnium doctrinarum studia sunt. Natus est autem hic M. V. H. in Heidelbergae vicinia in Nusloch, et cum natura sit doctrinarum capax in Academia patriae et nostra recte didicit linguam latinam et graecam et initia philosophiae, in quibus etiam doctrinam de motibus coelestibus, quae illustria testimonia de Deo ostendit, inchoavit. Ad haec studia adiunxit Ecclesiae doctrinam, de qua constanter amplectitur consensum catholicae Ecclesiae Dei, quem et nostra confessio et illustrissimorum principum Electorum Ducis *Otthenrici* et Ducis *Friderici* confessio recitant. Ac pietatem animi vera invocatione Dei et honesta morum gubernatione declarat. Quare eum omnibus honestis viris commendo, ac nominatim inclytae Academiae Heidelbergensis Lectoribus, et maxime opto, omnium Academiarum in nostris Ecclesiis semper esse pium consensum, easque semper in Deo unum esse. Scio omnibus bonis viris gratissimam esse sententiam, quam ex veteri poëmate Plato citat: *οὐ χρυσὸς ἀγλαὸς, οὐδὲ ἀδάμας οὕτως ἀστράπτει πρὸς ὄψιν, ὥσπερ ἀγαθῶν ἀνδρῶν ὁμοφράδμων νόησις.* Data anno 1559. in Pascate, quod est ab exitu Israelitarum pasca 3068. Tot annis continuis cum servarit Ecclesiam filius Dei, servabit etiam in hac vita deinceps, et post hanc vitam aeterna gloria eam ornabit, cum Deus erit omnia in omnibus beatis. M. [?] Melanthon.

manu propria.

No. 6722. 27. Mart.

Hier. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 243. Hic ex autographo in cod. Monac. I. p. 243., cui Baumgartnerus inscripsit: „1559. ad d. 7. Apr. per Laurent. Durrenhofer."

Hieron. Bomgartnero, Senatori inclytae urbis Noribergae.

S. D. Oro filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis et resuscitatum, sedentem ad dextram aeterni patris, ac dona largientem hominibus, ut te et totam Ecclesiam tuam domesticam et Ecclesiam vestram publicam gubernet et protegat, et tibi vires corporis et animi confirmet teque gestet etiam in senecta. Saepe cogito precationem meae coniugis, quam in multis doloribus repetere solebat: *Non deficiat virtus mea in senecta!* Idem petamus nos quoque. Et spero Filium Dei qui est caput Ecclesiae omnia in omnibus perficiens, nobis adfuturum esse, nec dubito eum cernere nostra pectora et gemitus nostros. Commendo tibi *Laurentium*, quem spero concordiae studiosum fore. Bene vale. Die 27. Martii *).

Philippus Melanthon.

No. 6723. 31. Mart.

V. Strigelio.

Epist. lib. III. p. 255. (ed. Lond. lib. III. ep. 171.).

D. Victorino Strigelio

S. D. Clarissime vir et charissime frater, Hoc die, videlicet ultimo Martii, *Hieronymus Stridonensis* anno suae aetatis nonagesimo primo mortuus est, anno post nativitatem Christi ex Virgine 420., anno post captam a *Gotthico* Rege *Alarico* Romam, sexto. Fugit ille ex *Europa* in solitudinem Palaestinae, et Sycophantas, et bella *Gotthica*. Nos quo possumus fugere? Minitantur Germaniae *Turci* et *Galli:* Et in omnibus locis multum est periculorum ab inquietis ingeniis. Sed tamen Deus servabit reliquias suae Ecclesiae, cuius cives et te et nos esse non dubito.

*) Alia manus adscripsit: 1559.

De *Borussiaco* negotio intellexi tuam recusationem. Volo autem inter nos aeternam amicitiam esse, et si mihi dabit vitae spacia longiora Deus, declarabo etiam benevolentiam si quibus officiis potero. Bene et feliciter vale, charissime frater.

No. 6724. 1. Apr.

U. Mordeisen.

Epist. lib. V. p. 200 sq.

Ulrico Mordisin, Consiliario Ducis Sax. Elect.

S. D. Clarissime vir, et Patrone charissime. Summam disputationis initio complector, et in tria membra distribui. An iure divino habeat autoritatem Papa constituendi Reges? Quid autoritatis habuerit humano iure ante formulam Othonis? Quid postquam *Othonis* formula facta est? Nec sine dolore intueor petulantiam Pontificum, qui saepe accenderunt bella inter Germanicos Principes. Idem nunc fit et Pontificum et Sycophantarum furiis."

Amsdorfius edidit libellum, in quo defendit Propositionem: Die guten Werck sind schädlich zur Seligkeit: contendit recte et proprie sic dici. †Audimus, captivos ex *Iena* abductos esse *Victorinum* et *Andream*, pastorem Ecclesiae. Sic ostendunt voluntates suas isti censores nostri, non tantum erga nos, sed etiam erga alios"[1]).

Oro autem Filium Dei, ut nos gubernet, et has regiones protegat. Mittam hac septimana eam summam disputationis, quam nunc scribo [2]). Deinde ad singulos articulos addam breves responsiones. Bene valete. Calend. Aprilis 1559.

Philippus Melanth.

No. 6725. 1. Apr.

Friderico Regi Dan.

Epistola praemissa libro: *Hieron. Osii* historia Regum Israelitarum Saulis et Davidi (1559?). — Nec Strobelius nec Rotermundus hanc epist. cognoverunt. Descriptam eam inveni in *Ballenstedt.* Collect. Vol. II. No. 5.

1) Addit A. D.

2) Vid. d. 9. Apr.

Inclyto et Serenissimo Regi Friderico II., Regi Danorum, Norwegiae, Gothorum et Henetorum, Duci Slesvicensi et Holsatiae, Principi Ditmarsiae etc., Comiti in Oldenburg, Domino suo Clementissimo.

Vult Deus sciri initia mundi, ut agnoscamus ab ipso genus humanum conditum esse, et cogitemus, quale sit conditum, et ad quos usus: deinde ut sciamus, quomodo haec praestans natura discesserit a Deo, et oppressa sit peccato et morte, et unde sit ingens et terribilis moles calamitatum, qua genus humanum horribiliter premitur. Maxime vero sciri vult primam consolationem, qua se patefecit Deus conditor post nostrum lapsum, et promissionem de filio edidit, redditurо iustitiam et vitam aeternam, et ex hac misera massa nostra rursus colligere Ecclesiam aeternam coepit. Deinde sciri vult continuam temporum seriem, ut aspiciamus ordine patefactiones divinas et testimonia, quae statim ab initio Deus de sese ostendit et discernamus doctrinas, quae a patefactionibus divinis dissentiunt. Propter has tantas causas in Ecclesia servavit Deus monumenta primae historiae. Hoc beneficium Dei saepe cogitemus et grati celebremus, et simul voluntatem Dei agnoscamus.

Politia Israelitarum ideo et constituta et defensa est, ut esset velut bibliotheca divinae historiae, et ostendit Deus de sese manifesta testimonia in constitutione et assidua propugnatione eius politiae, ut certum sit, doctrinam in ea gente traditam Dei vocem esse. Haec testimonia saepe legantur et sint in conspectu ad nos confirmandos. Deinde consideretur discrimen huius divinae historiae et ethnicae de imperiorum successione, cuius cognitio etiam valde utilis est. Sed prophetica ostendit patefactiones divinas, testimonia de Deo, tradit Evangelium et legem, et haec genera doctrinarum discernit, ostendit exempla non irae tantum sed etiam gratiae. Ethnica ostendit sceleratorum poenas et sonat hanc vocem: *Discite iustitiam moniti et non temnere divos.*

Cum igitur omnibus hominibus maxime necessaria sit cognitio divinae historiae, laudandum est studium omnium, qui, praesertim adhibita cura illustrandarum narrationum, invitant homines ad eam lectionem, aut etiam legentes adiuvant. Et excitanda est industria eruditorum benignitate bonorum gubernatorum. Scio autem, Regiam Maiestatem tuam et amare lectionem divi-

nae historiae et humanarum, et causas intelligere, cur legendae sint. Notum est, familiarissimam fuisse Alexandro lectionem Homeri, Scipioni lectionem Xenophontis de primo Persarum rege, Cyro, cuius fuit excellens iustitia et fortitudo. Rectius laudandus est pater tuus Rex *Christianus*, qui assidua lectione historiae divinae fidem et invocationem in pectore suo confirmabat, et in multis gravissimis deliberationibus consilium ex illis libris petebat. Nec dubito, te idem et honestissimo Patris exemplo et tuo iudicio facere. Placebit igitur Regiae Mai. Tuae consilium et opus *Hieronymi Osii*, excellentis eruditione et virtute, cuius quae sit ingenii facultas, ostendit vel una descriptio proelii Davidis adolescentuli, quo vincit Cyclopem Goliath, de quo inquit:

Corruit in faciem, ceu quondam maxima pinus,
Vis quam vellit humo venti, cum turbine saevit,
Mugituque ferit montes et territa castra.

Quantus autem labor sit, exponere res Ebraeas mediocri carmine latino iudicare possunt hi, qui vel in brevibus argumentis id experti sunt. Eo igitur magis laudanda est voluntas *Osii*, quod in re difficili studium ornandae Ecclesiae ostendit. Accessit etiam hic labor, quod Ebraei fontes inspiciendi fuerunt, a quibus interdum interpretatio latina dissentit, etiam in dictis, quorum singularis est emphasis, ut in primo *παραλειπομένων* Capite XVII., ubi Latinus legit: *fecisti me spectabilem* etc.; in Ebraea lectione vaticinium est de copulatione divinae et humanae naturae: *adspexisti me in forma hominis, qui in excelsis est Dominus Deus.* Hic Graeca lectio propior est fontibus: ἐπεῖδες με ὡς ὅρασις ἀνθρώπου. Quid dulcius est hac sententia, quae adfirmat, Deum se ostensurum esse adsumta humana natura et quidem adspicientem nos et clementissime sanantem nos miseros. Nec enim tantum Davidem sic loqui existimes: *adspexissime in forma hominis*; sed eadem voce singuli nos erigamus, sciamus filium Dei ad nos mitti, et induere massam naturae nostrae, ut nos aspiciat et sanet, et ipsi saepe nobiscum repetamus hanc dulcissimam vocem: *adspicis me clementer Deus assumta humana natura.* Tales sententias ex ipsis fontibus sumptas perspicue reddere in carmine, magnum decus est. Hoc igitur opus, Clementissime Rex *Friderice*, ut ita accipias rogo, ut hos labores tibi placere ostendas, et studia eorum accendas, qui et Ecclesiam scriptis ornant et vera invocatione iuvant, ut *Osius* utrumque facit, qui precatur filium Dei, dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, sedentem ad dextram aeterni patris, ac dona dantem hominibus, ut clementer te servet incolumem, et tribuat tibi felicem gubernationem regni ab optimo patre iuste accepti. Bene vale. Calend. April. anno 1559.

No. 6726. 6. Apr.

Ge. Agricolae.

Epist. lib. II. p. 571. (ed. Lond. lib. II. ep. 593.). — Hic ex autographo in cod. Goth. 400.

Georgio Agricolae, gubernanti studia doctrinae Ambergae,

S. D. Clarissime vir et charissime frater, Scis in scriptis Philosophorum multa disputari de optimo statu politico, sed unicus *Psalmi* versus tanta de te nos rectissime docet, inquiens: *Ut conveniant Reges et populi ut serviant Deo.* Sint concordes, Reges, Doctores, et populus, sit eadem vox doctrinae et Invocationis, et sit talis tranquillitas, ut congressus honesti Ecclesiae, scholarum, et iudiciorum esse possint. Talem statum in *Psalmo* descriptum opto patriae nostrae, et Deum custodem Ecclesiae et politici status oro, ut Ducem *Fridericum* et Ducem *Wolfgangum* Principes *Palatinos* a veteri *Caroli* stirpe ortos, gubernet. Mitto vobis pagellas, in quibus etiam complexus sum ea quae recte dici iudico, *περὶ προαιρέσεως, καὶ περὶ ἀγαθῶν ἔργων.* Nec volo illa terribilia dogmata proponere piis, quae dubitationem afferunt, quae *Gallus* ad *Istrum* propugnat. Vestra tamen iudicia libenter audiam. *Schallingo* salutem opto. Bene vale. Die VI. Aprilis *).

Philippus Melanthon.

No. 6727. (h. t.)

Quaestio.

Mel. Consil. lat. P. II. p. 359 sqq. — Vid. ep. ad Agricol. d. 6. Apr.

*) Peuc. addit: *anno* 1559.

Quaestio.
An bona opera sint necessario facienda?
Anno 1559.

Dulce est libertatis nomen, et verum est illud Lucani:

Libertatis amor, cur tum decipis orbem?

Quod rectius sic diceretur:

Libertatis amor, cur stultum decipis orbem?

Avide igitur accipiuntur illae tribunitiae conciones, quae libertatem amplificant, et frenos cupiditatibus laxant. Qualis haec est concio Cynicorum potius, quam Christianorum, quae vociferatur, hanc propositionem falsam esse: *Bona opera sunt necessaria.* Mirabitur posteritas, fuisse seculum tam furiosum, in quo talis insania applausores habuerit. Sed videre impudentiam, ut stabiliant hoc tetrum mendacium, assuunt manifeste depravata Pauli dicta, quorum nativam sententiam omnes nosse utilissimum est, non solum ut horum praestigiatorum iudicare possint imposturas, sed etiam, quia alioqui gravissimam doctrinam in iis dictis Paulus tradidit. Alterum citatur ex posteriori epistola ad Corinthios scripta: *οὐ κατ᾽ ἐπιταγὴν λέγω.* Ibi Paulus de modo eleëmosynarum concionatur. Et universam Ecclesiam praemunit contra Anabaptisticos furores de Platonica communicatione. Non impero, ut facultates in commune conferatis, nec praecipio, quantum quisque conferre debeat, ut Principes in tributis modum praecipiunt. Non talia sunt imperia Apostoli, aut Pastoris in Ecclesia. Sed suum quisque teneat, et suo arbitrio modum eleëmosynae constituat. Haec est nativa sententia Pauli, in qua videtis discerni non praecepta a praeceptis. Nec valet haec consequentia a non praeceptis ad praecepta. Nam de praeceptis dicitur ad Titum: *Haec dicito cum omni imperio μετὰ πάσης ἐπιταγῆς.* De praecepto, *Non moechaberis*, nequaquam diceret Paulus: *οὐ κατ᾽ ἐπιταγὴν λέγω.*

Alterum citatur ex epistola ad Philemonem, ubi Paulus ait, se noluisse retinere servum fugitivum sine domini consensu. *Nolui*, inquit, *tibi invito adimere servum. Sed retinuissem, si tua voluntas accessisset.* Hic de voluntate in contractu inter patres loquitur, ut si de conducendo equo ageretur, utar tuo equo, si mihi volens utendum dabis.

Hic de forma contractus loquitur inter partes, non de obligatione, qua Deo debemus obedientiam in praeceptis. Et quidem rursus docet nos de distinctione dominiorum. Non vult praetextu religionis servum eripi domino nolenti. Vult in contractibus servari legum vocem. Prohibet quidquam eripi dominis invitis, seu furto, seu aliis modis, qui cum legibus pugnant. Hanc doctrinam vitae utilem isti scurrae in alienissimam sententiam transformant. Haec eo commemoro, ut et sophistica consideretur, et magis amentur studia doctrinae, quod cum fiet, clare agnoscetur, quam severe Deus nobis et legum reverentiam, et disciplinam praeceperit.

Notitiae naturales, quae verissime sunt radii sapientiae ex mente divina in nos transfusi, quae sunt Decalogi doctrina, sunt propositiones necessariae et immotae magis, quam haec propositio: *Bis quatuor sunt octo.* Manifesta igitur insania est, et Cyclopum, et Cynicorum furor, dicere, obedientiam, quam leges divinae praecipiunt, non esse necessariam. Ac Magistratuum severitate coërcendi erant, qui tales opiniones defendunt contumeliosas contra Deum et perniciosas moribus. Quid interest inter pecudes et homines remota Dei, et legum notitia?

No. 6728. 9. Apr.

D. Voigtio.

† Ex apogr. in Cod. Paris. D. L. 54[3].

Davidi Voit. (*Ienae.*)

S. D. Silentium nostrum ostendit, nos et pacis et concordiae publicae cupidos esse, etsi indoctos clamores inimicorum non probamus. Interea tamen Ecclesia, videlicet pii et eruditi iudicant, quae sint vere sententiae, et quae sint Erynnies, quae dissidia incendunt. Ac Deo me commendo. *Francofordianus* Senatus ad me scripsit de mittendo concionatore *). Ea de re scribes mihi, nisi ipse Lipsiam in mercatu venies. Bene vale. Die 9. Aprilis.

Philippus.

*) Vid. ep. d. 21. Maii 1559. ad Voigtium.

No. 6729. 9. Apr.

U. Mordeisen.

Epist. lib. V. p. 201.

Ulrico Mordisin, Consiliario Ducis Sax. Elect.

S. D. Clarissime vir, et Patrone charissime. Mitto partem disputationis, quam opto a vobis legi, antequam de ea colloquemur Lipsiae. Credo, fundamenta recte constituta esse, possunt haec multo prolixius illustrari, sed modum esse oportet, et scitis, multa praesertim circa tempus mercatus incidere, quae interrumpunt alias operas. Bene et fel. val. Die 9. April. 1559.

Phil. Mel.

No. 6730. 9. Apr.

Abd. Praetorio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Abdiae Praetorio, Lectori in Academia Francofordiana.

S. D. Ea nocte, quae secuta est laetissimam ἑορτὴν paschatos ...[1]) capti sunt Ienae *Andreas*, Pastor Ecclesiae senex, et *Victorinus*[2]), ac abducti sunt in arcem vicinam Leuchtenberg, ubi carcer est latronum. Constat pietatem et modestiam in his duobus viris eximiam esse. Sed ardet odio nostri *Flacius*. Id ostendit in his honestis viris cruciandis, quibus etsi nihil nobiscum negotii est, tamen asperitas, quae in nos exercetur, non placet. Precor filium Dei, ut nos gubernet et protegat. Nunc sum occupatus labore colligendae disputationis de Romano Pontifice, qui conatur adimere Germanis τὸ ἀξίωμα τοῦ αὐτοκράτορος. Commendo tibi hunc doctorem Iuris, virum integerrimum et amantem concordiae publicae. Te quaeso, ut eum complectaris. Bene vale. Die nono Aprilis, 1559.

Philippus.

---

1) Scriptam est vel *h.*, vel *ni*, vel *ní*. Incertus sum, quid hae literae sibi velint. Fortasse compendium est scribendi pro *huius*.

2) Andreas Hugel, Pastor Ienensis, et Victorinus Strigelius, Professor Academiae.

No. 6731. (h. t)

(*Quaestio.*)

Mel. Consil. lat. P. II. p. 361. — Idem argumentum tractavit breviter in Declamatt. T. V. p. 62. et uberius in scripto, quod infra ex. Iulio habes.

De Quaestione.

Quo iure Carolus Magnus habuerit imperium Occidentis, et titulum Imperatoris? Anno 1559.

Respondeo: Francici Reges iustis bellis potiti sunt Germania et Gallia. Et Iustinianus Imperator fecit foedus cum Rege Francico, et expresse testatus est, se concedere, ut Galliam Francici Reges teneant, et auxilium ab eis petiit contra Gottos, quod Ariani essent. Fuit autem Carolus legitimus haeres regni Francici. Hic deinde iusto bello occupavit regnum Longobardorum, qui bellum contra pacta aliquoties moverant, et trucidaverant praefectos Caroli. Transferri autem dominia iustis bellis non dubium est. Ac iustum bellum est legitima defensio contra latrocinia, quae fit per Magistratum, seu legitima poena, qua Magistratus eos, qui atrociter deliquerunt, punit, ut doctrina Pauli ad Rom. 13. ostendit.

Nec tamen Carolus titulum Imperatoris accepit, nisi facta transactione cum Constantinopolitanis, de titulo, et de parte Italiae, ab Alpibus usque ad Neapolim tenendam. Et sancitum est, ut urbs Veneta libera esset, neutris subdita, inchoata Attilae tempore. Anno Christi 476. cum haec pax fieret anno 801.

Habuit igitur iuste Carolus et terras, et titulum Imperatoris Occidentalis, iure belli et transactione. Et magna admiratione et laude digna est sapientia et iustitia Caroli, quod titulo uti noluit ante transactionem.

Haec responsio vera, perspicua, et firma est. Quare alias obscuriores et ambiguas responsiones omitto.

Nunc addo refutationem falsarum opinionum, quas pontificii sparserunt, qui finxerunt, Romanum Pontificem habere ius autoritate divina, seu iure divino, seu mandato Evangelii imperia et regna transferendi, unde et versus in corona Rodolphi scriptus fuit.

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho.

Et hoc praetextu Pontifices iniusta et perniciosa bella Henricorum, Fridericorum, et Ludo-

vici Bavari tempore accenderunt, quae magnas vastationes in Italia et Germania fecerunt, et caussae fuerunt ingentium praeliorum, in quibus multi Principes, pater Lotharii Imperatoris, et alii multi interfecti sunt.

Tantas res nosse prodest, ut simus cautiores, cum Pontifices malis exemplis priorum, tubae belli in Germania esse conantur.

Omnibus autem in Ecclesia haec doctrina necessaria est, scire discrimen ministri Evangelii et Magistratus politici: Suntque verae definitiones tenendae, ex quibus postea multa iudicari possunt.

Minister Evangelicus est persona immediate, vel mediate a Deo ordinata ad docendum Evangelium, et ad Sacramenta administranda, habens mandatum puniendi contumaces verbo, non vi corporali. Testimonia nota sunt: *Reges gentium dominantur, vos autem non sic.* Iohan. 20. *Sicut misit me pater, sic et ego mitto vos.* Ioh. 18. *Regnum meum non est de hoc mundo.* 2 Corinth. 10. *Arma militiae nostrae non carnalia sunt.* Roman. 12. *Non vindicantes vosmetipsos.* Et Matthaei 5. *Ne resistatis malo.*

Haec dicta ostendunt, missos esse Apostolos ad docendum Evangelium, sine potestate cogendi homines gladio, seu vi corporali.

Certissimum est igitur, Episcopos et Pastores in Ecclesia non habere iure divino autoritatem constituendi Imperatores, aut Reges, et regna transferendi.

Quid mirabilius cogitari potest? quam Paulo Romae docente, tamen Neronem, qui fuit cloaca multarum legionum diabolorum, dominatum esse?

Magistratus politicus est persona a Deo immediate, vel mediate ordinata, ut sit custos disciplinae externae, iuxta legem Dei, et pacis, habens mandatum coërcendi et puniendi contumaces vi corporali.

Quanquam autem Deus in Israël interdum constituit Reges et Prophetas, ut Saulem, et Davidem, tamen plurimi Reges apud Ethnicos facti sunt sine voce Prophetarum. Sed Dominus puniens scelera hominum, dedit victorias insignes aliquibus ductoribus, reprimentibus latrocinia, propter quas victorias deinde iure belli summa horum fuit autoritas, ut Alexandri, Iulii, et aliorum. Ita Nimrod in Babylone caepit regnare anno 132. post diluvium, sine suffragatione Noë, qui procul ab eo aberat. Varie igitur iure belli, sine expressa voce Prophetarum, regna translata sunt, DEO adiuvante victorias.

Haec consideranda sunt, ut discernantur imperia a ministerio Apostolorum, et Episcoporum. Non igitur habuit Romanus Episcopus iure divino autoritatem transferendi Italiam, vel Imperatoris titulum ad Carolum. Ut autem in publica desponsatione sponsi et sponsae Pastor Ecclesiae, non dat novum ius sponso, aut sponsae, sed antea consensu parentum, et filii, et filiae, corpora legitima desponsatione translata sunt, de qua Paulus loquitur 1 Corinthiorum 7. *Uxor proprii corporis potestatem non habet, sed maritus. Et maritus proprii corporis potestatem non habet, sed uxor.* Pastor autem Ecclesiae, ut publica persona, publice hoc renunciat, id est, testis est factae illius desponsationis, ne corpora alio transferantur: Est et testis, non esse incestam coniunctionem: Ita Episcopus Romanus publice dicens, Carolum esse Imperatorem, non dat ei imperium, sed publice exponit, tribui ei imperium a nobilitate Italica, et hanc personam non esse reiiciendam, quia non sit contaminata haereticis opinionibus, et non sit tyrannica.

Cicero Consul non dat consulatum Murenae successori, sed Senatus et populus ordinaria suffragatione tribuunt consulatum: Cicero tantum testis est de suffragatione. Ita post Carolum Magnum, donec Electores constituti sunt, patres Imperatores tribuebant filiis imperium: ut Carolus Magnus, et deinde Ludovicus Pius, cum haberent plures filios: tamen uni tribuerunt Italiae possessionem, et fastigium imperii.

Constituto autem Senatu Electorum ius et potestas dandi hoc ἀξίωμα, quod est Imperatoris Occidentalis proprium, ut sit Italiae et Germaniae Dominus, et defensor prae caeteris Regibus, est penes Electores. Nec Pontifex dat hanc potestatem, sed post electionem testis est, hanc personam rite electam esse, et non reiiciendam esse, idque publice renunciat. Probandum est et exemplum Patriarchae Constantinopolitani, qui formulam confessionis ab Anastasio Imperatore petivit ante coronationem, si tamen petatur confessio VERAE DOCTRINAE.

No. 6732. 10. Apr.

Io. Stigelio.

Danz. Epp. ad Stigel. ep. 69. Cod. Goth. 188. ep. 135.

Clarissimo viro, ingenio, eruditione et virtute praestannti, D. Ioanni Stigelio, τῷ Θεῷ, καὶ ταῖς Μούσαις, φιλτάτῳ, fratri suo carissimo, S. D.

Cariss. frater. In tua praefatione, et argumento delectatus sum, et sumta ex Philosophiae fontibus Tetragoni interpretatione, tibique pro tuo munere, et debeo et habeo gratiam. Cum autem tuam illam Panegyricam Orationem *) legerem, recordatus sum dulcissimi versiculi Sophoclei:

ἅπαν τὸ χρηστὸν τὸν ἴσην ἔχει φύσιν.

Hunc versum hic adscripsi, et quia tibi voluptati fore sciebam, et quia tuorum morum pictura est. Praestas enim constantiam in tuenda iustitia, et omnium virtutum officiis. Egoque praecipue candorem, integritatem et constantiam tuam in hac meorum temporum varietate cognovi. Memini me olim, cum de Principibus loqueremur, recitare viro clarissimo D. *Pontano* dictum Dionis de M. Antonio:

ὅμοιος διὰ πάντων ἐγένετο καὶ ἐν οὐδενὶ ἠλλοιώθη,
ἀγαθὸς δ' ἦν, καὶ οὐδὲν προςποίητον εἶχε.

Haec apud Suidam leguntur, et te delectari talibus descriptionibus et virtutum imaginibus scio. Commendo tibi hunc tuarum Musarum admiratorem et cultorem, *Vratislaviensem Seckervicium*, cuius vidisti, opinor, epistolas Iacob et Esau nomine scriptas. Bene et feliciter vale. die 10. April. **)

Philippus Melanthon.

No. 6733. 14. Apr.

U. Mordeisen.

Epist. lib. V. p. 178 sq.

Ulrico Mordisin, Consiliario Ducis Sax. Elect.

S. D. Clarissime vir, et Patrone colende. Spiae inter Causidicos est Doct. *Iohannes Höchel*, natus ex meo vitrico et coniuge, quam habuit ante meam Matrem, homo ingeniosus et non ignavus. Is offert suam operam Illustrissimo Principi, Duci Saxoniae, Electori, et reverenter petit, sibi commendari Procuratoris munus *), quia is, qui eo fungitur officio, dicitur id relicturus esse. Etsi deliberationibus talibus me non admisceo, tamen indicare voluntatem honesti viri et amici, cum quidem industriam et fidem ei non defuturam esse existimem, rectum est. Itaque eum vobis reverenter commendo. Nuncius huc rediturus est. Poterit igitur mihi literas vestras adferre, si quid vel de hac re, vel de aliis negociis significare volueritis. Bene et feliciter valete. Die Aprilis 14.

Philippus Melanthon.

No. 6734. 17. Apr.

Io. Matthesio.

Epist. lib. II. p. 109. (ed. Lond. lib. II. ep. 96.).

D. Iohanni Matthesio

S. D. Reverende vir et charissime frater, Mitto partem responsionum de *Bavarica* inquisitione, et mitto ut censori, cuius iudicium antefero universae factioni *βλακικῇ,* quae nec veritatem quaerit, nec piis mentibus in veris doloribus consulit; sed dubitationes auget. Vides me *περὶ προαιρέσεως* explicata dicere, et quorum usus est in consolatione. Credo et te saepe eadem ex ipso *Luthero* audivisse, et extant talia ab eo scripta. Vidi rabiose scriptam contentionem a *Gallo*, qui inde usque a ripa *Istri* in nos ungues suos extendit. Vicinis *Bavaris* parcit. Commendo autem nos Filio Dei. Bene vale. Die 17. Aprilis.

No. 6735. 18. Apr.

Hier. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 244. — Hic ex autographo in cod. Monac. I. p. 244., cui Baumgartnerus inscripsit: „1559. ad. 4. Maii."

---

*) Vid. ep. ad Voigtum d. d. 28. Febr. 1559.
**) Cod. Goth. addit: 1553.

*) In Camera Spir. — De Hoechelio vid. epistolas d. 18. Maii 1542. scriptas.

Hieron. Bomgartnero, Senatori incl. urbis Noribergae.

S. D. Scio te sapienter de ingeniis iudicare, ideo non longa oratione de *Schelhamero* opus est. Eruditionem ex eius scriptis cognosces, et mores sunt pii et honesti. Collocabitis igitur eum aut in schola aut in templo: *χρὴ γὰρ ἄνδρα τάσσειν, οὗ μάλιστα ἂν ὠφελοῖ.* Idque scis esse iustitiae distributivae officium. Scripsi de eo ad Senatum. Sed te patrono nobis opus [1]) erit.

Mitto *ἐπιτάφιον λόγον* de *Rege Danico*, scriptum brevius quam vellem, cum quidem autoris facultas *ἐπιδεικτικὴ* potuerit addere splendorem. Sed opinor consulto hanc nudam narrationem eum edidisse. Nondum scimus finem Areopagitici iudicii, in quo causam dicunt Pastor Ecclesiae Ienensis, senex maxime *φιλήσυχος,* et *Victorinus.* Ubi cognovero, quae certamina fuerint et quae fuerit *καταστροφή,* scribam. Placeant sibi quantum volunt et sese mirentur hypocritae nobis inimici, ego sophisticen qua plausus cient sui theatri profiteri nolo, nosque commendo Filio Dei. Bene vale. Die 18. Aprilis [2]).

Philippus Melanthon.

No. 6736. 18. Apr.

H. Besoldo.

† Ex apogr. in cod. Zeltneri Dresd. p. 80. descripta a *Gersdorfio.*

Hieronymo Besoldo (docenti evang. Norinbergae.)

S. Reverende vir et frater charissime. Existimo congruere mentem et voluntatem *Schelhameri* ad dictum, quod extat in Zacharia: diligite veritatem et pacem. Recte didicit Ecclesiae doctrinam, et natura modestus est, et intelligit opus esse Ecclesiae concordia quae ut retineatur, certe modum esse disputationum oportet. Non igitur feret dissidia. Quare ut eum complectaris et amicis commendes, te oro. De ceteris rebus scribam, cum tuas literas accepero. Bene et feliciter vale. Die 18. Aprilis anno 59.

Philippus Melanthon.

1) *opus*] addidit alia manus, et est utique praetermissum a Melanthone.

2) Alia manus adscripsit: 1559.

No. 6737. (h. t.)

D. Chytraeo.

(Ex David. Chytraei epistolis p. 1218.)

Davidi Chytraeo.

S. D. Clarissime vir et carissime frater. Meministi regis laudationem apud Homerum *πατὴρ δὲ ὡς ἤπιος ἦεν.* Talis cum fuerit rex Danicus grati memoriam eius ad posteros transmittamus. Quare et opt. ac doctiss. viro D. *Bordingo* gratiam habeo, quod Orationem de Regis Danici pietate et migratione edidit, et tuo officio delector, quod exempla mihi misisti. Curavi et hic a typographis edi. Et quaedam de eo, nomine *Palladii* scripsi. Nunc tibi mitto responsionis nostrae partem de Bavarica inquisitione. Libenter enim piorum et eruditorum iudicia audio et sequor. Nec frangor animo propter *Staphyli* rabiem quem nunc audio fieri Bavaricum Lectorem in Academia Ingolstadiensi. Adversus tales coniuncti esse nostri debebant. Sed vides quae sint distractionis faces. Tuum iudicium de meo scripto flagito. Commendo tibi hunc *Battum* Gandavensem. Bene vale et rescribe. Mense Aprili, 1559.

Philippus Melanthon.

No. 6738. 20. Apr. (Lipsiae.)

A. Hardenbergio.

Epp. ad Hardenberg. ep. 68.

D. Alberto Hardebergio.

S. D. Reverende vir et carissime frater. In mercatu Lipsico scripsi hanc epistolam, ut narrabit hic Civis vester, ubi cum interpellationes fuissent assiduae, non potui prolixe scribere. Ea nocte, quae secuta est laetissimum diem Paschatos, ex oppido Iena captivi abducti sunt Pastor Ecclesiae Ienensis, senex tibi notus *Andreas* et *Victorinus* *), quia non approbarunt Areopagiticum librum. Gothae his diebus auditi sunt a

*) Andreas Hugel, Pastor Ienensis, et Victorinus Strigelius, propterea quod librum confutationis, ut vocatur, a Ducibus Saxon. editum nolebant probare, d. 25. Mart. 1559. captivi abducti sunt in arcem Gothanam, Grimmenstein. Vid. *Saligii* hist. aug. conf. III. p. 482 sq. et *Planckii* Geschichte des protest. Lehrbegriffs P. IV. p. 599.

Principibus et in carcerem reducti. In Augustano conventu res eo deducetur, ut flagitetur Pontificia Synodus, quam nunc et rex Gallicus et Burgundus petunt. De his tantis rebus scribam plura, cum domum rediero. Bene vale. Die 20. Aprilis 1559.

Philippus Melanthon.

No. 6739. 21. Apr.

M. Collino.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Matthaeo Collino, in Academia Pragensi.

S. D. Clariss. vir et cariss. frater. In mercatu Lipsico haec scribo, in concursu et multorum et molestissimorum negotiorum; ideo te oro, ut brevitatem literarum mearum boni consulas. Mitigationem sententiae nostrae, quam petivistis, misimus, ut patri dolorem leniremus. Sed profecto asperitas tribui nobis non potest, teque oro, ut legem Solonis cogites: ὁμοίως ἀμφοῖν ἀκροᾶσθαι. *Petrus Camenicenus* locum in schola Misnica petivit. Ibi certus numerus est, nec addi nunc plures in ea schola possunt. Aderat enim *Georgius Fabricius*, gubernator scholae, qui difficultatem nobis exposuit. Petivi igitur de Grimmensi schola. Hic locum fore huic Petro spero, Sed aula respondebat, se mihi significaturam, audita oeconomi sententia, quid fieri possit. Mea officia non de esse vestris patior, teque oro, ut non sinas effluere ex tuo animo memoriam amicitiae nostrae, non solum vetustate sed etiam honestis officiis confirmatae. Bene vale. 21. April. 1559.

No. 6740. (fere mense Apr.)

Senatus Brunsvic. ad Melanthonem.

† Ex apographo in cod. Galli II. p. 209.

Ein Brief eines Ehrbarn Raths zu Braunschwig an Philippum.

Unser freundlich Dienst zuvor. Ehrwürdiger und hochgelahrter, großgünstiger Herr und Freund. Uns ist vor wenig Tagen E. E. kurzer Gegenbericht auf des durchleuchtigen hochgebornen Fürsten und Herrn, Hrn. Johann Friedrichen des Mittlern, Herzogen zu Sachsen &c., unsers gnädigen Herrn, ausgangene Confutation der bisher eingerissenen Corruptelen zu Handen kommen, und darneben angezeigt, daß es darauf stünde, daß solche Schrift in öffentlichem Druck publicirt und ausgebreitet werden sollt, welches alles wir an seinen Ort stellen, und achten ohne Noth, uns in die schädliche Zwiespalt und Contentiones zu stecken, dieweil (Gott erbarms) eine Zeit daher ohne das mehr Gezänks und Haders in unsern christlichen Religionssachen vorgefallen, und unter die Leut kommen, denn uns und andern ehrliebenden gottfürchtigen Christen lieb oder gut ist. Dieweil wir aber im Bericht auf den fünften Artikel des h. hochwürdigen Sacraments des Leibs und Bluts unsers Herrn Jesu Christi belangend unter andern befunden, daß uns von E. E schuld gegeben und aufgelegt werden will, als sollten aus unser Stadt etliche ehrliche reiche und gelehrte Leut verjaget seyn von deßwegen, daß sie nicht einräumen und bekennen wollen, daß der Leib Christi an allen Orten sey, in Stein und Holz &c.: [so] sind wir darüber nicht unbillig fast hoch bewogen, und können nicht bedenken, womit wir verschuldet oder verdienet haben möchten, daß E. E. uns und unsere Kirchen dermaßen und also beschwerlich anziehet, da wir doch gewiß und eigentlich wissen, daß die angebne Quaestion in unsrer Gemein, Gott Lob, nie erregt worden, viel weniger wird sich mit Grund befinden, daß wir einigen den geringsten Menschen darüber verjagt oder beschwert haben sollten.

Wir können auch mit Wahrheit und gutem Gewissen wohl schreiben, daß innerhalb 10, oder länger Jahren kein Bürger um Religionssachen aus unsrer Stadt vertrieben sey, denn allein N. N., welcher sich in Zwinglische, durch h. Gedächtniß Doct. Mart. Luthers, E. E., und andrer Gelehrten viel mehr vorlängst verdammte Schwärmerei zu viel eingelassen und vertieft, und über alle ernstliche und treue Vermahnung zu keiner Besserung hat begeben wollen. Wir können aber darfür nicht achten, daß E. E., die sich hiebevor in Sachen das hochwürdige Sacrament belangend, je und allwegen nicht anders erzeigt oder vernehmen lassen, denn daß sie mit dem theuern Mann Gottes M. Luthero einig wären, nunmehr des Gemüths seyn sollten, N. N. oder andern Schwärmern Beifall zu geben, und ihre böse Sachen wider uns und andere beständige Christen vertheidigen oder beschönigen zu helfen; sonderlich dieweil wir wissen, daß N. N. bei E. E. Rath gesucht, und dieselbe ihme gerathen, er sollte sich mit unsern Predigern vereinigen und vergleichen, dessen wir E. E. Handschrift gesehen und gelesen haben; sondern müssen es dafür hal-

ten, daß etwa abgünstige böse Mäuler besondere Lust und Willen haben, uns bei E. E. und andern ehrlichen Leuten mit Unwahrheit, und wie sie dazu kommen können, im nächsten zu verunglimpfen. Derhalben bitten wir freundlich, E. E. wollte uns günstlich aus dem ärgerlichen Verdacht lassen, und daneben auf Wege und Mittel gedenken, dadurch solche Bezüchtigung, die allbereit, wie wir berichtet werden, unter viel Leut ausgebreitet, von uns und unsrer Gemein wiederum abgewendet, und wir zu Unschulden dermaßen nicht verläumdet werden mögen. Dagegen denn uns zum höchsten beschwerlich fallen und seyn wollt, unsre Bürger und andere Leut in den Gedanken zu lassen, als sollten wir N. N. oder jemands anders so unbedächtig und ohne erhebliche Ursachen aus unsrer Stadt verjagt haben.

Was nu E. E. Gemüth und Bedenken sey, bitten wir hiewieder in Schriften bericht zu werden, darnach wir uns mögen zu richten haben. E. E. ohne das freundlicher Dienst zu erzeigen seind wir stets geneigt und willig. Datum unter unser Stadt ausgedrucktem Signet, anno 1559.

Der Rath der Stadt Brunschwig.

No. 6741. 1. Maii.

P. Sickio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54³.

M. Petro Sickio, Professori in Academia Regiomontana.

S. D. Doctissime vir et cariss. frater. Lenit, ut spero, tibi molestias omnes consuetudo viri excellentis eruditione, pietate et candore, *Iohannis Aurifabri.* Nam praeter hunc credo esse alia quaedam insuavia. Sed scis ubicunque sumus multa haec communis vita adfert talia qualia misceri inquit Homerus: *δοιοὶ γάρ τε πίθοι κατακείαται ἐν Διὸς οὔδει δώρων, οἷα δίδωσι κακῶν, ἕτερος δὲ ἐάων* *). Anglus qui proxima hyeme nobiscum fuit, dicebat sibi exilii aerumnas praecipue leniisse Doctoris Iohannis consuetudinem. Scribes autem ad me et de Ecclesiis vestris et de tuis laboribus saepe. Mitto tibi pagellas, de quibus et tuum iudicium mihi significabis. Nam vicini nostri reprehendunt ea, quae de voluntate humana minus horride dico, cum quidem non pugnem cum ipsis, sed potius seponam quaestiones, quorum non est usus in consolatione. Expecto autem et flagito tuas literas. Bene vale. Calend. Maii 1559.

*) Iliad. Ω. 528.

No. 6742. 1. Maii.

Io. Aurifabro.

Edita in libello: Phil. Mel. Bedenken vom Exorcismo oder Teufelsbeschwörung bei der Kindertauf, sampt einem ausführlichen Bericht etc. Bremen 1592. 4. Repetita a Pezelio in Mel. Consil. lat. P. II. p. 370.

Iohanni Aurifabro.

Reverende vir et carissime frater. Formam baptismi, quam mihi misisti, iudico piam esse, teque adhortor, ut contra calumnias te conscientia recti iudicii, et rectae voluntatis sustentes. Feramus sapienter huius furiosae aetatis *κακοήθειαν.* In urbibus aliquot Rheticis et Rhenanis praefationes veteres, quae ante baptismum legebantur, ante annos plures quam viginti abolitae sunt. Sum interrogatus, an essent restituendae? Respondi, non esse restituendas. Idem in tua caussa sentio. Ante triduum de te mecum locutus est *Mordisius* Consiliarius Ducis Saxoniae. Is optat, te posse Lipsiam attrahi. Non igitur deerit tibi honestus locus, si ex Borussis migrandum esse statues. Et adhuc quidem Dei beneficio in hac regione mediocris Ecclesiarum status est, nec tranquillitas turbatur vicinorum rabie, qui condemnationes *βλακώδεας* ediderunt, qui ipsi suas Ecclesias turbant. Tenentur captivi, senex Pastor Ienensis, et Victorinus, quos scis esse viros modestissimos, nec aliud crimen obiicitur, nisi quod non omnia probant in illis condemnationibus. Spero Deum nos protecturum esse contra hos, et alios hostes. Oppugnatur enim Ecclesia multiplicium hostium odiis. Sed tamen filius Dei servat agmen, quod recte eum invocat, et fideliter facit officium, sine odiis, et sine sycophantia. Ostendit autem odiorum crudelitas in adversariis, quid agant. Mitto vobis partem responsionum de Bavaricis articulis, ubi vides, me de voluntate humana seponere quaestiones, quarum non est usus in docendo, et in consolationibus: ac mitto tibi has pagellas, ut censori, teque propter amicitiam nostram oro, ut mihi pro tuo candore scri-

bas, quid placeat, quid non placeat. Non est mirum in tanta confusione opinionum, me, cum evolvere eas ante annos triginta studerem, alicubi non satis explicate aliquid dixisse, aut etiam ἐξωκειλέναι ἔξω τῆς οὐθείας ὁδοῦ. Sed oro filium Dei, ut nos doceat et gubernet. Tuas literas expecto et flagito. Bene vale. Calend. Maii, 1559.

No. 6743. 1. Maii.

G. Hausmanno.

Epist. lib. II. p. 302. (ed. Lond. lib. II. ep. 310.).

D. Guilhelmo Hausmanno

S. D. Venerande vir et charissime frater, Vetus carmen in Musarum hymno est, ὅττι καλὸν φίλον ἐστί. Nihil igitur virtute amabilius est. Ornat autem *Remus* eruditionem eximia modestia, et recte Deum invocat; quare et a Deo eum diligi non dubito, et nos eum complecti decet. Spero futurum usui in vestra Ecclesia, et oro Filium Dei sedentem ad dextram aeterni Patris, ac dantem dona hominibus, ut ipsum et vos omnes gubernet, et copulet mentes docentium in Ecclesiis nostris, pia et aeterna concordia. Mitto tibi pagellas, de quibus volo te mihi iudicium tuum et tuorum significare. Bene vale. Calend. Maii. 1559.

No. 6744. 1. Maii.

Io. Marbachio.

Ex *Io. Fechtii* hist. eccl. sec. XVI. supplem. p. 90.

Io. Marbachio

S. D. Reverende vir et Carissime Frater, Accepi tuam epistolam, in qua significas, deliberatum esse apud vos, de mittendis iis ad *conventum Augustanum*, qui anno superiore *) *in urbe Vangionum* interfuerunt *colloquio*. Malim in latomias mitti, quam ad illas vanissimas rixas, in quibus non quaeritur veritas, sed ludi exercentur sophismatum et ab aulicis, et ab iis, qui aulis assentantur. Precor autem Filium Dei, ut nobis opem ferat. Mitto tibi pagellas de *Bavarica Inquisitione*, et mitto tanquam Censori, teque oro, ut et tuum iudicium et aliorum piorum et eruditorum significes. Nunc autem et *Iusti Menii* filium, *Augustum Menium*, tibi commendo *), qui petit locum sibi tribui inter eos, qui aluntur in Monasterio Praedicatorum. Pater, ut scis, utiliter servivit Ecclesiae Dei in Tyrigetis, docuit voce et scriptis, refutavit καταβαπτίστας acerrimis contentionibus, diiudicavit controversias dogmatum et coniugiorum, rexit inspectiones Ecclesiarum, etiam in reditibus ordinandis. Pro his magnis laboribus haec est reddita gratia, ut pulsus sit cum magno damno, quia scripserat, novam obedientiam necessariam esse ad retinendum Spiritum sanctum. Nunc propter eandem causam captivi sunt viri optimi *Pastor Ienensis* et *Victorinus* **). Haec scio te et alios, abhorrentes a Sophistica, non sine magno dolore cogitare. Maiore igitur studio coniunctionem nostram tueamur nos, qui et veritatem et pacem diligimus, sicut praeceptum est: „Diligite veritatem et pacem." Valde te oro, ut huic *Augusto Menio* opem feras. Bene vale et rescribe. Calend. Maii. Anno 1559.

Philippus Melanthon.

*) anno 1557.

*) Eundem commendaverat Marbachio d. 6. Iun. 1558.

**) Vid. supra ep. ad Hardenb. d. 20. Apr. h. a.

No. 6745. 1. Maii.

E. Roggio.

Epist. lib. VI. p. 307.

Everhardo Roggio, Dantiscano, consuli Culmensi.

Cariss. frater. Oro filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, vere colligentem et protegentem aeternam Ecclesiam, ut te et tuam domesticam Ecclesiam semper protegat et gubernet, qui profecto exaudit et clementer tuetur invocantes ipsum. Cognati tui studia et mores probo, et gaudeo eum non solum lineamenta corporis tui sed etiam modestiam referre. Academiae studia narrare ipse poterit.

Non frangor animo propter *Staphyli* aut *Osii**) aut *Flacii* rabiem. Sed, Deo iuvante, recta moderate doceo, ut ostendent etiam hae pagellae, quas tibi mitto, teque oro, ut aliquid mihi te tuo iudicio significes, quod profecto pluris facio, propterea quia scio te veritatis amantem esse, quam censuras multorum qui aut vulgo aut Regibus assentantur. Bene et feliciter vale cariss. frater. Cal. Maii, 1559.

No. 6746. 1. Maii.

G. Buchholzero.

† Ex autographo Melanth. in cod. Landshut. Vol. I. fol. 191. descripta a S. V. *Schulzio*.

Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, domino Georgio[1]), *Pastori Ecclesiae Dei in inclyta urbe Arctoa, fratri suo carissimo.*

S. D. Reverende vir et cariss. frater. Saepe audivi meam coniugem his postremis annis suae vitae repetentem verba Psalmi singulari motu animi: non deficiat in senecta virtus mea[2]). Idem precemur de nobis ipsis et de Ecclesia. Oro filium Dei, dominum nostrum Iesum Christum, qui dixit: ego sum vitis, vos palmites, ut et Ecclesiam senescentem gubernet ac protegat, et illustrissimo principi Electori Marchioni et tibi confirmet vires animae et corporis, et nos omnes clementer regat, et faciat nos sibi palmites esse vivos et placentes. *Valentinum* nostrum tibi commendo. Bene et foeliciter vale. Calend. Maii 1559.

Philippus Melanthon.

No. 6747. 3. Maii.

Io. Christoporski.

Epist. lib. V. p. 510.

Iohanni Christoporski, (*Consiliar. Regio*)

Magnifice Domine, non dubium est, salutaria regna Dei et opera et beneficia esse, de quibus cum cogito, saepe et Polonicum et Pannonicum mente intueor, quae diu velut murus reliquae Europae adversus Tartaros et Turcas fuerunt, cum a nostris cervicibus vestro sanguine crudelissimam barbariem depulistis. Interea Gallici et Germanici Principes velut civilibus bellis in Patria vastationes fecerunt. Etsi autem beneficia vestra multi non considerant, tamen gubernatores, et doctos intelligere ea et gratis mentibus praedicare decet. Ego certe fateor, nos et gratitudinem vobis debere, et aliis hortator sum, ut beneficia vestrorum Maiorum magnifaciant, et vestros homines diligant. Estque mihi cum multis et doctis viris in Polonia et in Pannonia dulcis amicitia, qua, ut non dubito, fruemur in coelesti consuetudine. Siquae autem, donec vivo in his aerumnis praestare officia vestris potero, praestabo, Deo iuvante, bona fide, et dicti memor ero. Inter bonos bene agier. Utinam de Ecclesiis Principes cogitarent, salutarem consensum constitui. Bene et feliciter valete. Die 3. Maii 1559.

No. 6748. 5. Maii.

M. Collino.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54³.

Matthaeo Collino, in Academia Pragensi.

Clariss. vir et cariss. frater. Scio te saepe cogitare dulcissimum viri heroici sermonem apud Euripidem: πάλαι ποτ᾽ ἐστὶ τοῦτ᾽ ἐμοὶ δεδογμένον, ὁ μὲν δίκαιος τοῖς πέλας πέφυκ᾽ ἀνήρ[1]). Nosti et illud: κοινὸν ἀγαθὸν ὁ χρηστὸς ἀνήρ. Te igitur, cum et iustum virum et beneficum esse sciam, oro, ut hunc *Iohannem Crucigerum*, natum ad Hercyniam in oppido Quadorum Quedlingen, complectaris, qui natus est patre Boiemo, et adhuc amitam Pragae habet. Ingenium et doctrina excultum est et virtutum amans, ut ipse statim iudicare poteris. Si qua occasio est commendandi eum honestae familiae, in qua doceat, quaeso ne desis ei. Foveamus bona ingenia quantum possumus. Expetit hic Iohannes cognitionem linguae Henetae, quam et ego valde expeto, cum harum regionum oppida et pagi plurimi adpellationes ha-

---

*) Hosius, Cardinalis, in Polonia.
1) *Buchholzero.*
2) Cf. ep. ad Matthesium d. 21. Mart. 1559.

1) Eurip. Heracl. 1. ed. Elmsl.

beant Henetas [2]), et, si iunior essem, sperarem, eam mihi usui fore in longinquis peregrinationibus. Romanus Pontifex atrociter minatur *τῷ αὐτοκράτορι*, sed Deum precemur, ut et pacem Europae tribuat, et nos omnes gubernet. B. V. 5. Maii, 1559.

No. 6749. 10. Maii.

Buchholzerus ad Melanth.

Ex autographo Buchholzeri edita in den Unschuld. Nachrichten Jahrg. 1715. p. 213. Responsum Mel. vid. d. 24. Maii.

Dem hochgelerten und achtbaren Herrn M. *Philippo Melanchthoni* zu Wittenberg Professori, meinem großgünstigen Herrn und Praeceptori.

Gottes Gnade durch Christum, Amen. Ich hab E. A. W. [Ew. achtbare Würdigkeit] vor dreien Tagen alle drei geschrieben. Ich glaube, ihr werdet es bekommen haben. Unsre junge Herrschaft mit einem Fräulein sind hin in das Land zu Lüneburg, und holen die junge Fürstin, die den Herzog gehabt, wieder. Unser Churfürst bekümmert sich warlich hart; Gott tröste und stärke ihn, und helfe ihm von seiner Krankheit, daß nicht was anders daraus wird, und er uns möcht abgehen, sonst wäre es aus mit der Marke.

Am Sonntage vergangen *) hat Eißleben nach der Predigt im gemeinen Gebet dies Gebet gethan mit solchen Worten: bittet auch wider den schönen neuen englischen Mittagsteufel, der jetzt wieder hervorkommt, und will die guten Werke nöthig machen in den Gerechten oder Gläubigen, damit wir wiederum den ganzen Christum und sein Evangelium verlieren werden, davor uns der Luther oftmals gewarnet hat, daß Gott dem wolle wehren oder bekehren, damit er davon ablasse und abstehe. Als die Predigt aus gewesen, hat ihn ein stattlicher Mann gefragt, wen er meine? Hat er geantwortet: den Grammaticum zu Wittenberg, der viel in theologia lässet ausgehen. Es ist aber nihil spirituale darin, wie in des Forsteri hebräischem Dictionario tractavit grammatica. Item hat in der Predigt gesagt: würde einer seyn, der des Luthers Lehre vertheidige, so würde er es thun. Item will vertheidigen des Luthers Wort *servum* arbitrium, daraus die neuen Wittenberger *liberum* arbitrium wollen machen. Hat auch gesagt: komme er weg, so ist es mit des Luthers Lehre aus und gethan.

Ich will des Sonntags das Contrarium lehren, wider sein Gebet, daß Gott wolle zerstören den greulichen schwarzen Teufel, der ein wild, wüst, roh Leben will anrichten wider Gottes Gebot. Das habe ich euch zur neuen Zeitung nicht wollen bergen. Datum mit Eil. Anno 1559. Mitwochs nach Exaudi.

Salutate Dom. Pastorem,
Eberum et D. Maiorem.

Georgius Buchholzer,
Propst zu Berlin.

2) *Henetas*] scripsi pro *Hebraeas*, quod mendum est.

*) i. e. Dom. Exaudi, d. 7. Maii.

No. 6750. 10. Maii.

Iac. Wigando.

† Ex apogr. cod. Goth. 188. ep. 59.

Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, Iacobo Wigando, Pastori Ecclesiae Dei in oppido Weissenfels, fratri suo cariss.
S. D.

Reverende vir, et carissime frater. Si potes locum docendi in vicinia tua huic *W.* [1]) viro *Besoldo* tribuere, quaeso, ut eum tua suffragatione et auctoritate adiuves, quia recte didicit doctrinam Ecclesiae, et mores eius sunt honesti, pii, et natura placida est, et non rixatrix, ac scio tibi, ubi erit notior, propter eruditionem, modestiam ac pietatem, carum fore. Natus est in oppido *Crimniz* [2]) vicino Cygneae, et orphanus est, et in Academia sumtus habuit a cive Annaemontano. Habet sororem in vestro oppido, ideo in vicinia vestra mallet vivere, quia soror in orbitate ei velut mater fuit. Est autem favore digna virtus *φιλοστοργία*. Et Deus vult, nos erga orphanos induere paternam *φιλοστοργίαν*, quam et ipse erga Ecclesiam orphanam exercet. Mitto tibi pagellas de rege Danico [3]). Bene vale. die 10. Maii, A. 1559.

Philippus Melanthon.

1) W.?

2) Crimmitschau.

3) Orationem Bordingi.

No. 6751. 15. Maii.

Henr. Mollero.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Magistro Henrico Mollero, in aula inclyti Principis Nassavii.

S. D. Doctissime vir et carissime frater. Quum sciamus, non volvi casu res humanas, sed verum esse Deum aeternum, mentem conditricem omnium rerum, et in genere humano colligi aeternam Ecclesiam per filium Dei voce Evangelii: annitamur, ut vox doctrinae propagetur ad posteros, et quantum suo quisque loco potest, laboremus, ut sit et servetur Ecclesia. Ideo cogitavi ante hoc tempus de te in hac militia retinendo. Consilium valde placet *Mordisio*, et meo genero et nostro Pastori. Nondum retuli ad senatum Academiae, quia contatio *Ebrardi* praebebit occasionem referendi. Et cum aula ostendet illi suam sententiam, ut in illis suis montibus maneat, quia coniux a migratione abhorret, omnes sine dubitatione tibi volent commendari munus honestissimum docendae Ebraeae linguae et doctrinae Ecclesiae *). Hos duos labores in Ecclesia Dei scis omnium maxime necessarios esse. Te igitur expectabimus, et oro, ut venias ad nos, nec anteferas alias vocationes. Cogites, Academias esse Ecclesiae speculas, Deo iuvante. Bene vale. Die 15. Maii anno 1559.

Post iter vestrum haec tria potissimum acciderunt. Pastor Ecclesiae Ienensis *Andreas* et *Victorinus* capti sunt, et adhuc retinentur captivi. Dux Luneburgensis *Franciscus Ottho* mortuus est. Exercitum Dux *Adolphus* collegit, ut Ditmarsienses opprimat. Sed urbes in littore maiores aliud agi existimant, quod fortassis ex tuis cognosces. Salutem tibi optant meus gener et Pastor. Meus gener scripsisset nisi febri impediretur.

Philippus.

No. 6752. 16. Maii.

Henr. Paxmanno.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Henrico Paxmanno, Doctori artis medicae, gubernanti Academiam Goldpergensem *).

S. D. Clariss. vir et cariss. adfinis. Precemur filium Dei, dominum nostrum I. C., crucifixum pro nobis et resuscitatum, λόγον καὶ εἰκόνα ἀΐδιον ἀϊδίου πατρὸς, ut servet Ecclesiam suam et Ecclesiae seminaria, coetus docentium literas et scripta prophetica et apostolica. In Saxonia dux *Adolphus* duo millia equitum et sexaginta vexilla peditum habet. Dicitur Ditmarsis minitari, sed urbes metuunt aliud agi. Dux *Franciscus Otto* post nuptias dicitur mortuus esse. Inter regem Hispanicum et Gallicum pax est facta. Conditionibus et hoc additum est, ut uterque assentiatur, synodum convocari a Romano Pontifice, ut Europae pax in Ecclesiis restituatur. Haec habemus hoc tempore ἀξιόλογα, quae eo significo, ut et scias quid in his regionibus agatur, et horteris tuum coetum, ut maiori cura Deum precetur, ut det Germaniae pacem, et conservare doctrinas Ecclesiae studeat. Bene vale et rescribe. Die 6. Martii**), 1559. Adhuc sunt captivi *pastor Ienensis* et *Victorinus*.

Philippus.

No. 6753. 17. Maii.

Dav. Chytraeo.

(Ex David. Chytraei epistolis p. 1219.)

Davidi Chytraeo.

Clarissime vir et cariss. frater. Heri literas a *Sigismund. Geloo*, quem nosti, scriptas accepi, in quibus haec sunt verba: Byzantinus Tyrannus foedus ad obitum suum expedit, qua de re donec concludatur, quinque mensium induciae intercedunt. In his rebelles omnes comprehensi sunt. Addita est cautio, si Turcae et seditiosi inducias non violent. Ea foederis postulatio non alio spectat, quam ne hinc impetatur *Solymanus*, dum duo eius filii de imperio inter se dimicant, et ut reliquum omne vitae tempus in otio transigat,

---

*) Vid. infra ep. d. 1. Aug. 1559.

*) Vid. de Paxmanno epp. d. 1. Oct. 1558.

**) Pro *Martii* sine dubio legendum *Maii*. Nam Hugelius et Victorinus d. 26. Martii 1559. abducebantur captivi. Neque d. 6. sed d. 16. Maii scripta videtur. Vid. epist. eiusdem argumenti ad Mollerum d. 15. Maii 1559.

certumque post se et imperatorem et statum relinquat. Pater diadema *Selimo* defert. *Baiazethes* ad Persam se contulit, in quem praecipui de consilio *καὶ οἱ πολλοὶ* favore inclinant atque propendent. Haec Sigismundi verba sunt. Mitto versiculos nostros, quia tuum nomen in hoc vaticinio dulcissimo ponitur. Sed optarim versiculos esse meliores. Recudimus hic Orationem D. *Bordingi*, qua ex re intelligere potes, mihi gratum fuisse officium tuum, quod eam misisti. Ac prodest legi eam multis. Bene vale et rescribe, die 17. Maii. Anno 1559.

Philippus Melanthon.

No. 6754. 19. Maii

H. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 245. Hic ex autographo in cod. Mon. I. p. 245.

Hieronymo Bomgartnero, Senatori inclytae urbis Noribergae.

S. D. Clariss. vir et cariss. Patrone. Cum et civium et peregrinorum studia liberalitate digna sapientibus et piis gubernatoribus iuvetis, praedicat enim [1]) hic *Carphus* Augustanus grata commemoratione vestra beneficia et patriam alteram, vestram urbem nominat, spero Deum vicissim vobis benefacturum esse, et ut urbem et Ecclesiam vestram et tuam domesticam Ecclesiam protegat, toto eum pectore oro. Profecto enim in tanta rabie diabolorum nihil sine excubiis divinis incolume esse potest. Intelliges autem beneficia vestra bene collocata esse in hunc *Carphum*, quia et recte didicit doctrinam Ecclesiae et mens est bona et abhorret a monstrosis opinionibus et gratitudinem eo ostendit, quia cum eum in oppidum *Eperies* missurus essem, respondit, se officio impediri, quia vobis deferre sua officia debeat. Tibi igitur eum commendo. In literis Eperensibus haec erant verba: Byzantinus Tyrannus foedus ad obitum suum expetit. Qua de re donec concludatur, quinque mensium induciae intercedunt. In his comprehenduntur et rebelles, si tamen eas non violent [2]) Turci et seditiosi. Ea foederis postulatio non alio spectat quam ne hinc impetatur *Solimanus*, dum duo eius filii, de Imperio inter se dimicant, et ut reliquum omne vitae tempus in otio transigat, certumque post se et Imperatorem et statum relinquat. Pater diadema *Selimo* defert. *Baiazetus* ad Persam se contulit, in quem favor inclinat praecipuorum de consilio et militum. Haec Epistolae Eperensis verba sunt. Etsi vetustas etiam dixit Thracum infida esse foedera, tamen in hac ignavia nostrorum pacem sane emant Heroes nostri. Sed commendemus nos filio Dei, et precemur ut ipse Ecclesias protegat. Bene et foeliciter vale. Die 19. Maii. 1559.

Philippus Melanthon.

1) Pro: *praedicat enim*, Spanh. edidit: *idcirco praedicat.*
2) Spanh. *violant*, mendose.

No. 6755. 19. Maii.

G. Cracovio.

Epist. lib. II. p. 359. (ed. Lond. lib. II. ep. 366.)

Clarissimo viro, sapientia, eruditione et virtute praestanti, D. Georgio Cracovio, Doctori Iuris, Consiliario Inclyti Ducis Saxoniae Electoris etc. fratri suo charissimo,

S. D. Hic noster auditor vir honestus et eruditus, et tui amans, fasciculum tibi literarum adfert, ex quo cognosces, hic Dei beneficio adhuc mediocrem tranquillitatem esse. Oro Filium Dei, ut et nos et vos protegat et gubernet. Scripsit ad me *Sigismundus Gelous*, quem nosti, petens mitti virum idoneum ad Evangelium docendum. In eius epistola haec sunt verba de *Turcici* Tyranni filiis, quae eo tibi significo, quia multarum fabularum istic de rebus *Turcicis* vos auditores esse arbitror. *Byzantinus* Tyrannus foedus ad obitum suum expetit, qua de re donec concludatur, quinque mensium induciae intercedunt. In his et rebelles comprehenduntur, si tamen eos non violent *Turci* et seditiosi. Ea foederis postulatio non alio spectat, quam ne hinc *Solimanus* impetatur dum diu eius filii de imperio dimicant, et ut reliquum omne vitae tempus in ocio transigat, certumque post se et Imperatorem et statum relinquat. Pater diadema *Selymo* defert. *Baiazetus* ad Persam se contulit, in quem favor inclinat praecipuorum de consilio et militum. Haec *Sigismundi* verba sunt. Etsi *Thracum* foedera

semper infida esse etiam vetustas dixit, tamen in tanta ignavia amant sane nostri pacem. Nos Filio Dei Ecclesias commendemus. Bene vale. Die 19. Maii.

No. 6756. 20. Maii.

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camer. p. 750. (ed. Lond. lib. IV. ep. 901.).

Clariss. viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo carissimo,

S. D. Commendemus filio Dei Domino nostro Iesu Christo, et Ecclesiam, et nos, et familias nostras. Quantulum enim loci est, si quidem est, nostris consiliis? Oro igitur filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut tibi et honestissimae coniugi tuae vires animae et corporis confirmet, et nos omnes gubernet et protegat.

Hodie dimisi nuncium quo a *Sigismundo Geloo* litteras attulerat. Scripsi abs te hic lectas esse. Postea huc venerunt amici, qui petunt scribi *πρὸς τὸν πενθερὸν τοῦ νέου τετραγώνου* *). Scribam ipse, et adiungam *πρεσβευτὴν τὸν μακεδόνα οὐ πρὸς γαμβρὸν, ἀλλὰ πρὸς δεσπότην τῆς ἐμῆς πατρίδος. λέγουσιν οὐκ εἶναι ἐλπίδα ἀφέσεως ἄνευ παλινῳδίας.* Auget haec res mihi dolores meos, plusquam mei filioli morbus, quem tamen scis a me diligi. Sed teneamus hanc consolationem: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te. Bene et feliciter vale, et huic meo ministro aliquid des litterarum, de tua et honestissimae coniugis tuae valetudine, die 20. Maii.

Philippus.

No. 6757. 20. Maii.

Sig. Geloo.

† Ex autographo cod. Rehd. Vol. V. descripta a S. V. *Schulzio.*

*) Ad Electorem Palatinum, socerum Iohannis Friderici Wimariens. C. W. — Vid. etiam epist. d. 25. Maii h. a.

Clarissimo viro sapientia eruditione et virtute praestanti Sigismundo Geloo praefecto Regio, in urbe Eperies, fratri suo carissimo καὶ γνησίῳ.

S. D. Clariss. vir et cariss. frater. Non oblivione tui accidit, ut rarius scribam. Nam et de ingenii, eruditionis, iudicii et virtutum tuarum praestantia, et de periculis vestris sepe cogito, et verum deum oro, ut vos contra hostes protegat, qui leges divinitus traditas, omnes honestas doctrinas, et summa vitae humanae ornamenta delent. Sed officium scribendi aerumnis meis impeditur. Pendeo velut ad Caucasum adfixus, etsi verius sum *ἐπιμηθεὺς* quam *προμηθεὺς*, et laceror non ut ille a vulturibus tantum, sed etiam a cuculis. Verum commendo Filio dei et Ecclesiam et me. Nec invitus ex hac vita discedam cum deus volet, et ut viator qui noctu iter fecit, auroram expetit, ita ego venturae celestis academiae lucem avide expecto. In illa celesti consuetudine, te rursus conplectar, et de sapientiae fontibus laeti colloquemur. De Ecclesia vestra egi cum viro honesto et erudito *Francisco Waltero* Vratislaviense quem scio recte doctum esse, et cum natura placidum ac modestum, tum vero ea excultum esse doctrina quae animos ad moderationem flectit. Etsi autem mavult vobis in schola servire, tamen commendari ei Ecclesia poterit. Et hunc literis publicis vocare poteritis. Interea et ad *Iohannem Eryagium* scribam, qui a nobis amplius viginti milliaribus abest in Lusatia, qui aetate hunc Vratislaviensem antecedit, sed cum pater familias sit, tam longinquam profectionem vix suscipiet, qui si tamen non recusat ad vos migrare, *Franciscus* ei cedet, et libentius in schola serviet. Verum literae Senatus vocent *Franciscum*, quae ad ..... *) aut ad *Paulum Eberum* mittantur. Gaudeo tibi filium natum esse, et deum creatorem generis humani oro, ut et patriam, et Ecclesiam tuam domesticam protegat. Cum tuae literae huc adferrentur aderat *Ioachimus Camerarius*, qui et ipse ad te scripturus erat, sed propter febrim, citius iter ingressus est, quam constituerat. Dei beneficio adhuc et tranquillitas harum regionum mediocris est, et doctrinarum studia sunt mediocria. *Caspar Peucerus* gener meus tibi et tuis omnia fausta optat.

*) Deletae sunt literae; verosimiliter scriptum fuit: *me.*

Bene et feliciter vale. Die vicesimo Maii. Anno 1559.

Philippus Melanthon.

No. 6758. 20. Maii.

Io. Matthesio.

Epist. lib. II. p. 109. (ed. Lond. lib. II. ep. 97.).

D. Iohanni Matthesio

S. D. Reverende vir et charissime frater, Et vita regis *Danici* exemplum fuit sapientis et pii Principis, et exitus ex hac vita docet, qualis esse praeparatio piae mentis in hoc agone debeat. Quare iudicavi edendam esse orationem ab eius medico viro docto et sapiente scriptam, ut multi alii legant. Vellem quaedam copiosius illustrata esse, sed consulto usum esse autorem in luctu hac quasi lugubri forma orationis existimo, cum quidem addere splendorem potuisset. Iussi ut tibi pagellas exhibeat hic *Adam Gryphius* modestus et ingeniosus adolescens, quem ut tueri et ornare studeas oro. De captivis *Ienensibus* nihil habeo quod significem, nisi me precari Deum, ut ipsis et familiis eorum dolores leniat et eos liberet. Ex *Pannonia* literas accepi, quae narrant alterum ex filiis *Turcici* Tyranni ad Persas fugisse, quem Duces malint fieri Regem: Alterum filium a patre anteferri. Propter hanc filiorum dissensionem retinetur pater, ne maiores exercitus in *Pannoniam* mittat. Tuas literas et flagito et expecto. Bene vale. 20. Maii 1559.

No. 6759. 21. Maii.

D. Voigtio.

† Ex apographo in cod. Paris. D. L. 54[a].

Davidi Voit, (Voigt, in Academia Ienensi.)

S. D. Carissime frater. Magno dolore afficior et propter captivos, quos scio esse viros recte sentientes et Deum recte invocantes, et multis Dei donis ornatos, et propter pias matronas eorum coniuges, et familias. Nec tamen dubito, quin filius Dei laetum exitum his aerumnis daturus sit; et, ut det, toto eum pectore precor. *Francofurdiani*, non expectatis nostris literis, alium receperunt, quod mihi significarunt *). Sed aliud consilium habeo, de quo ad te scribam. Scribam etiam πρὸς τὸν πενθερὸν ὑμετέρου δεσπότου **), καὶ πρὸς ἄλλους τινάς. Oro filium Dei, ut in his Ecclesiis det piam concordiam et tranquillitatem studiis utilem. Salutem opto vobis omnibus. Bene vale. Die 21. Maii. Salutem *Ursino* meis verbis dicito.

Philippus.

No. 6760. 24. Maii.

Ge. Buchholzero.

† Ex autographo Melanth. in cod. Landshut. fol. 193.

Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, domino Georgio, Pastori Ecclesiae dei in inclyta urbe Arctoa, fratri suo cariss.

S. D. Reverende vir et cariss. frater. Oro deum aeternum patrem domini nostri Iesu Christi, creatorem cum filio suo domino nostro Iesu Christo et Spiritu suo sancto, ut leniat moesticiam Illustrissimo Principi Electori Marchioni et Illustrissimae Dominae, et habitet in eis, sicut in Esaia scriptum est, habitare deum in moestis eum invocantibus et suam eis laeticiam communicare. Confirmari eis vires animae et corporis oro.

Ex Hungaria vir peritus et dignus fide scribit, inducias esse inter Imperatorem *Ferdinandum* et Turcicum tyrannum, quia filii Turcici tyranni dissident inter se de successione. Et alter filiorum ad Persas fugit. Aiunt et de synodo deliberationem esse inter imperatorem *Ferdinandum*, Regem Gallicum et Hispanicum. Deus servet et protegat Ecclesias suas.

Quae scribis de conviciis, quae in me dicuntur, non excruciant animum [1]). Nam conscientia mea non est saucia, et de genere doctrinae piis omnibus iudicium permitto. Bene vale. 24. die Maii. Nunc plura scribere non potui [2]).

Philippus.

---

*) Vid. ep. ad Voigtium d. d. 9. Apr. 1559.

**) i. e. ad Philippum Landgravium Hassiae, cuius filiam duxerat Ioannes Fridericus Dux Saxon. Wimar. Coll. ep. ad Camerar. d. 20. Maii.

1) Vid. supra ep. Buchholzeri ad Melanthonem d. 10. Maii h. a.

2) Alia manu adscriptus est: ann. 1559.

No. 6761. 25. Maii.

Ulr. Mordeisen.

Epist. lib. V. p. 182 sq.

Ulrico Mordisin, Consiliario Ducis Sax. Elect.

S. D. Clarissime vir, et Patrone charissime. Heri legi in Nicephoro, gerere Magistratus Politicos et simul fungi sacerdotio, est coniungere ea, quae coniungi non possunt, *πολιτικὴν ἀρχὴν τῇ ἱερωσύνῃ συνάπτειν, συγκλώθειν ἔστιν ἀσύγκλωστα.* Talia multa in veteribus leguntur, quae ostendunt, et tentata esse Politica negocia ab Episcopis saepe, et reprehensam esse a sanioribus eorum *πολυπραγμοσύνην.* Pertexam ea, quae de Rom. Episcopo institui. Nam hactenus multa impedimenta inciderunt. Amici captivorum petiverunt, ut scribam ad Palatinum Elect. Deus gubernet et protegat nos.

De rebus Turcicis quaedam narrantur in epistola *Sigismundi Geloi*, sed Boiemi apud nos narrarunt, triennii inducias esse cum Turcis. De adparatu *Holsatico* vos existimo, certiora scire. Sed ex aula Danica scribitur, bellum parari contra *Ditmarsos*. Bene valete. Die 25. Maii.

Philippus Melanthon.

No. 6762. 28. Maii.

Th. Matthiae.

Edita in Schosseri poematibus, Ep. I, 18. (Danz.)

Philippus Melanthon Thomae Matthiae S. P. D.

Clarissime vir et carissime frater! Qui gravi iudicio amicos eligunt et virtutis causa amicitias colunt, constanter tueri student eos, quos amplexi sunt. Talem te esse, etiam in quadam meorum temporum varietate, expertus sum, tibique et debeo et habeo gratiam, quod me saepe adversus sycophantas legis. Iudico etiam prodesse Ecclesiae, firmitatem consensus et amicitiae in iis qui recte sentiunt. Cum igitur *Schosserum* optimo iudicio, propter ipsius ingenium, eruditionem et honestos mores complexus sit, oro ut eum ornare non desinas. Natura idonea est non solum ad hanc scribendi facultatem, in qua nunc iuvenis excellit, sed etiam ad actiones in gubernatione vitae necessarias. Non desunt ei circumspectio, consilium, diligentia et delectus in negociis. Quare in Italiam proficisci cogitat, ubi ad eloquentiae exercitia, iuris doctrinam addere decrevit. Hoc honestum consilium ut adiuves, valde te oro. Nam et praecipue se Marchionibus servitùrum esse promittit. Et vides in his mutationibus rerum, non solum opus esse ingeniosis, eruditis et bonis, sed etiam talium coniunctione, adversus furiosam barbariem, quae Ecclesias et imperia turbare conatur. Sed precor filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut nos omnes gubernet et protegat. Bene vale. Die 28. Maii. Anno 1559.

No. 6763. 29. Maii.

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camerar. p. 751. (ed. Lond. lib. IV. ep. 902.).

Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo cariss.

S. D. *Sigismundi Geloi* epistolam post tuum iter allatam, tibi mitto, quia lectionem eius tibi minus insuavem fore cogitabam, quam aliorum scriptorum *νυνὶ ἐπιπολαζόντων*. *Demetrius* qui attulit eam, triennio fuit Diaconus in Ecclesia Byzantii, ut narrat *). Nec indoctus est, nec futilis. Hortabor, ut cum primum fieri poterit, ad te quoque accedat. Heri huc a ripa Salae **) advenit gener fratris *Francisci*, vir doctus, qui lector ibi in Academia fuit. Sed adempta est ei lectio. Nihil de his ineptiis scribere libet, quia haec est *πρώτη σύῤῥαξις*, quam sequentur alia maiora. Oro autem filium Dei, ut et tibi et honestissimae coniugi tuae vires animae et corporis confirmet. Quam primum potero, ad te excurremus, ubi gener meus poterit iter facere. Bene vale, die 29. Maii.

Philippus.

---

*) Vid. ep. dies Septb. h. a.

**) Iena.

No. 6764. 29. Maii.

A. Hardenbergio.

Epp. ad Hardenberg. ep. 30.

D. Alberto Hardebergio.

S. D. Reverende vir et carissime frater. Hanc epistolam cum scriberem die 29. Maii, quo ante annos centum et sex Constantinopolis a Turcis capta est, multa cogitavi de furoribus docentium et gubernatorum, qui similes poenas attrahunt Germaniae. Precor autem filium Dei, ut propter suam gloriam servet inter nos Ecclesiae reliquias. Adhuc sunt captivi, Pastor Ecclesiae *Ienensis* et *Victorinus*, duo modestissimi viri. Pastor etiam senex est. Edit iam *Sarcerius* condemnationes similes Gorgoni Wimariensi: Ego quanquam senex, tamen exilium et opto et expecto. Interea dum hic sum, Deo iuvante, adolescentibus utilia tradam, et eam moderationem, qua hactenus usus sum, excuti mihi non sinam. Mitto tibi pagellas, quae ostendunt non solum Academiae studia, sed etiam meos dolores. Est hic nobiscum Hungarus, qui triennio fuit Diaconus Constantinopoli, ac multa de Ecclesiis in Asia narrat. Leguntur ibi quoque scripta nostrorum conversa in graecum sermonem. Deus illis et nobis opem ferat. Bene vale carissime frater.

Philippus Melanthon.

No. 6765. 29. Maii.

Testimonium Evilio datum.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[4].

Omnibus lecturis has literas

S. D. Basilius Caesareensis scribit, se adiisse praecipuas Ecclesias, Alexandrinam, Antiochenam, Constantinopolitanam et multas in Asia, ut vetera testimonia de doctrina inquireret, et affirmat, se de summis controversiis de filio Dei, de Spiritu sancto et de omnibus symboli Niceni articulis invenisse vetusta testimonia, quibus confirmatus sit. Habuit et Germania quondam vetera monumenta, sed postquam in collegiis Canonicorum regnarunt Centauri, omissa sunt. Nunc Dei beneficio in Ecclesiis instauratis vetus doctrina diligenter inquisita est. Et extant confessiones perspicuae consentientes cum Ecclesia catholica et symbolis et scriptoribus, qui apostolorum doctrinam incorruptam retinuerunt. Multum tamen prodest, coram sciscitari pios et eruditos, et vivas audire et reddere voces, sicut et Siracides inquit: ἐὰν ἴδῃς ἄνδρα συνετὸν ὄρθριζε πρὸς αὐτὸν, καὶ βαθμοὺς θυρῶν αὐτοῦ ἐκτριβέτω ὁ πούς σου. Ideo hic honestus et doctus vir, Magister *Maternus Evilius* non procul ab inclyta urbe Vratislavia natus in oppido Franckenstein hanc honestam peregrinationem ad Ecclesias et Academias in Germania suscepit. Adolescens cum in schola Vratislaviensi linguam latinam et summam christianae doctrinae apud virum excellentem pietate et virtute disceret, simul et reverendum virum *Iohannem Hessum* theologiae doctorem audivit. Deinde cum in Academia Cracoviensi praeceptorem filii *regis Iohannis* interpretantem Homerum audiret, dedidit se studio linguae graecae. Ibi et mathematum initia adiunxit, nactus idoneum doctorem *Proboscium.* Inde reversus Vratislaviam sexennio collega fuit *Winkleri.* Habet igitur non obscurum testimonium integritatis quod in gubernatione iuventutis tam diu et senatus et Winkleri iudicio retentus est. Postea diu in his vicinis academiis, Lipsica et nostra, commoratus est, et optima doctrina se instruxit. Ostendit et confessionem suam de Ecclesiae controversiis, quia saepe apud nos publice concionatus est, inquisivit vetera certamina, et abhorret a fanaticis et seditiosis opinionibus, et confessionem Ecclesiae nostrae pie amplectitur. Ac mores in eo non solum naturae moderatione, quam habet eximiam, sed etiam a filio Dei luce Evangelii et S. S. gubernantur. Talis cum sit, et habeat honestam peregrinationis causam, iustum est, eum in itinere contra iniurias defendi. Oro autem viros doctos, ut cum in colloquium admittant, quod cum facient non dubito, familiaritatem ipsius iucundam eis fore propter eruditionem, iudicii rectitudinem, candorem et modestiam eius. Quid autem dulcius est bonis mentibus collatione iudiciorum, in qua veritas sine ironiis et sine sophistica fideliter et candide quaeritur, ut gloria Dei illustretur? Precor autem filium Dei, dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, vere colligentem aeternam Ecclesiam voce Evangelii, ac dona dantem hominibus, ut hunc *Maternum* semper gubernet et

faciat eum σκεῦος ἐλέους et organum suo nomine[1]) et aliis. Efficiat, ut quamplurimi unum simus in Deo. Datae anno 1559. die Maii vicesimo nono, quo die ante annos centum et sex Constantinopolis a Turca capta est. Eius historia ostendunt [2]) moneamur, ut ardentius precamur filium Dei, ut Ecclesiae suae reliquias protegat et servet.

Philippus Melanthon.
manu propria.

No. 6766. 1. Iun.

Ioach. Mollero.

Epist. lib. II. p. 527. (ed. Lond. lib. II. ep. 552.).

D. Ioachimo Mollero

S. D. Clarissime vir et charissime frater, Et dolere nos bonis Principibus orbatos iustum est, et cum sciamus vere Dei opera et beneficia esse salutaria imperia, ab ipso ardentibus votis petamus, ut et gubernet eos, qui sunt superstites, et in stationem eorum, qui ex hac vita evocati sunt, collocet alios, quos faciat σκεύη ἐλέους, et organa Ecclesiae, et patriae utilia. Tuo socero et tibi curas et labores crescere non dubito. Quare Deum aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, creatorem generis humani, et custodem legitimae societatis oro, ut vobis animae et corporis vires confirmet, et tribuat vobis consilia felicia. Optarim bellatores in littore vestro potius depellere a Coloniis *Germanicis* in *Livonia Moscovicam* barbariem, quam patriae bellum inferre. In nostra vicinia mota sunt Theologica bella. Pastor *Ienensis* et *Victorinus* adhuc captivi tenentur. Oro Filium Dei, ut et ipsos liberet, et nos omnes gubernet. Bene vale charissime frater, Salutem opto clarissimo et optimo viro socero tuo, et vobis omnibus. Calendis Iunii.

No. 6767. 1. Iun.

Henr. Mollero.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[1].

Magistro Henrico Mollero, in aula inclyti Principis Nassavii.

S. D. Doctissime vir et cariss. frater. Credimus filium Dei sedere ad dextram aeterni patris dona largientem hominibus, salutarem doctrinae vocem, quem invoco et oro, ut nos gubernet. Placet nostris, ut tibi tradatur locus *Forsteri* et in prophetica enarratione et in linguae Ebraeae interpretatione [1]). Quare optamus, ut non recuses, in nostra μυρμηκιᾳ servire, et reditum tuum expectemus. Vicini captis viris modestissimis, *Andrea* Pastore Ienensi, et *Victorino*, multorum animos offenderunt. Spero Deum nos gubernaturum esse et protecturum; et, ut nos gubernet et protegat, assiduis votis eum oro. Belli initia in vicinia patriae [2]) talia sunt, ut existimem, te in Academia libentius futurum esse quam in patria. Ex illo littore olim Cimbri et Teutones, deinde Gotthi, Heruli, Vandali effusi, quantas vastationes fecerunt? Sed Ecclesiam et nos in ea filio Dei commendemus. Illustri Comiti *Adolpho* et vobis omnibus salutem opto. Bene vale. Calendis Iunii 1559.

Philippus Melanthon.

No. 6768. 5. Iun. (h. a.?)

Ulr. Mordeisen.

Epist. lib. V. p. 201 sq.

Ulrico Mordisin.

S. D. Clarissime vir, et Patrone charissime. Et mihi et nobis omnibus gratissimus fuit adventus ad nos viri doctiss. *Georgii Fabricii.* Maxime enim opto, conspici coniunctionem omnium eruditorum in hac ditione. Ac scio, Dei beneficio, in huius ditionis Ecclesiis et Academiis et in vicinia omnium eruditorum, et consensum et mutuam benevolentiam esse sinceram et sine fuco. Meus gener fratrem, ingeniosum adolescentem, *Gregorium* pro usitata pecunia recipi in Scholam Mysnensem orat. Id si fieri potest, quaeso, ut accedat autoritas vestra, quia natura adolescentis et doctrinae capax est, et ad virtutem idonea. Bene et feliciter valete. Die 5. Iunii.

Philippus Melanthon.

---

1) *suo nomine?*] Haud dubie mendum.

2) Dedi ut scripta sunt in codice. Sed mendosa sunt. In aliis epp. leguntur verba: *cuius cladis memoria.*

1) Vid. ep. d. 15. Maii.

2) Adversus Dithmarsos.

No. 6769. 5. Iun.

Abd. Praetorio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Abdiae Praetorio, Lectori in Academia Francofordiana.

S. D. Clarissime vir et carissime frater. Scis Athenis in templo Palladis pictam fuisse *τὴν ἔριδα* hac specie: corpus fuit *σφιγγός,* supra caput auri massa, et circum hanc duo Gryphes de eo massa dimicantes. Utinam *ἔρις* ex tota hominum vita, non solum ex templis absit. Sed quid fiat videmus. Nostris dissensionibus confirmatur rabies in hostibus et in aliis, qui praeclarum putant *καινοτομεῖν.* In Belgico post finem Gallici belli atrocius exercetur saevitia in homines pios propter doctrinam, quam antea. In vicinia procedit iracundia etiam adversus alios praeter captivos. Et iam edet longum volumen *Sarcerius*, quod velut Areopagiticam censuram de dogmatibus nobis proponet *). Adversus tot Gryphes et Sphynges protegat nos filius Dei, dominus noster Iesus Christus, *ὃς ἐγενήθη ἡμῖν σοφία ἀπὸ θεοῦ, δικαιοσύνη τε καὶ ἁγιασμὸς καὶ ἀπολύτρωσις.* Foveamus nostram coniunctionem, ut minus sit *ταράχων.* Bene vale. Die pugnae Leuctricae, a qua hic annus est 1919. annus. Salutem tibi gener meus adscribi iussit, qui assidebat nondum liberatus febri, cum haec scriberem. Iterum vale. *Garcaeum* tibi commendo. 1559.

Philippus.

*) Nescio an non Melanthon loquatur de libro, qui hoc tempore prodiit: „Apologia und wahrhaftige Verantwortung des fürstlichen Ausschreibens und Confutation wider die vermeinte Erinnerung und erdichtete Beschwerung Victorini und des Pfarrherrn zu Jena", quem librum Planckius (Gesch. des protest. Lehrbegr. P. IV. p. 602.) scriptum dicit a Io. Stosselio.

No. 6770. 7. Iun.

G. Buchholzero.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Georgio Buchholzero, Pastori Ecclesiae Dei in urbe Arctoa.

S. D. Reverende vir et cariss. frater. Nondum huc rediit *Valentinus Engelhart*, Mathematicus. Scire autem nos oportet, quod responsurus sit Illustrissimo Duci Prussiae, a quo in Academiam vocatus est. Ideo si apud vos est Valentinus, curate ei dici, ut aut scribat nobis aut huc cito redeat. Si non est apud vos, quaeso ut vestris literis mihi significetis ubi sit. Existimo id scire virum clarissimum *Thomam Matthiam.* In Belgico certum est, iam post finem belli Gallici exasperatam saevitiam contra pios propter veram doctrinam (exerceri). Deus gubernet et protegat Ecclesiam suam in his regionibus. Audio veram esse famam, quae narravit Romae *Gropperum* mortuum esse. Bene et feliciter valete. Die septimo Iunii. Oro Deum aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, datorem et conservatorem vitae nostrae, ut illustrissimo principi Marchioni Electori et vobis confirmet animi et corporis vires. 1559.

Philippus Melanthon.

No. 6771. 11. Iun.

Ulr. Mordeisen.

Epist. lib. V. p. 202 sq.

Ulrico Mordisin, Consiliario Ducis Sax. El.

S. D. Clarissime vir, et Patrone charissime. Regis *Maxaemyliani* literas vobis mitto, qui me ad moderationem hortatur. Qua de re splendidissime respondere possem, nisi et temporum et Patris et ipsius rationem haberem. Respondebo tamen aliquid. Incidi in controversias motas ante annos quadraginta, lenii et explicavi quasdam horridas disputationes, et, quae fuerint semper mea consilia, norunt multi. † Nunc me ad moderationem hortantur isti, qui aluerunt Flacicos errores, quos non dederam - - - - de eversione status politici moti sunt." *) Dixi, Ratisbonae me salva doctrina optare, ut maneat Politia Ecclesiastica. Gratissima vox fuit et *Carolo* Imperatori et *Granvelo.* Idem postea sensi et dixi. Et scio, idem dixisse saepe *Lutherum.* † Lapidatus sum - - - - ab iis, qui et principibus et vulgo scelerate assentantur. Sed Deo me

*) Addit A. D.

commendo, quem toto pectore quotidie oro, ut me faciat organum misericordiae. Hodie et *Francisci Wimariensis* literas accepi, quas mitto. Accepi et literas Helveticas de Areopagitico libro Wimariensi, quas coram ostendam, quia describi subito non poterant." Oro autem Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, ut has regiones gubernet et protegat, nec sinat fieri in his Ecclesiis barbaricas vastationes. Bene valete. Die Iunii XI. 1559.

Philippus Melanthon.

No. 6772. d. solstit.

D. Voigtio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54ª.

Davidi Voit, (in Academia Ienensi.)

S. D. Doctissime et carissime David. Nuncius quem miseram ad *Eringium* de Ecclesia Kittingensi, rediit sine ipsius literis, quia procul abfuit a sua familia *Eringius*. Nondum igitur de Kittingensi Ecclesia decrevimus. Adhuc et Slebensis Ecclesia pastorem desiderat. Ego a Borussia non abhorrerem, etiamsi longinquitas viae molesta est, sed affectus tuorum te retinere cogito. Nunc de Salinis quod agis, faciat Deus, ut impetres quod petis. Scripsi ad duos, ad quos necesse est rem deferri; ac mearum epistolarum moestitia ostendit, quam timide scripserim. Suadeo autem ut et ipse Salinas proficiscaris, et coram literis exhibitis petas, ut et Senatui exponant illi tuam petitionem, et te sua suffragatione adiuvent. Scripsi et ad D. *Franciscum*, ut et ipse ad eosdem et ad Senatum scribat. Scio enim, ipsius literas gratiores fore meis: et meas non obsignavi, quia volo eas prius a vobis legi; postea, si placebunt, obsignentur sigillo domini *Francisci*. Post iter ad Salinas aut significabis quid impetraveris, aut huc venias. Bene vale. Die solstitii aestivi.

Philippus.

No. 6773. 20. Iun.

Cph. Libio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54ª.

Christophoro Libio, Pastori Ecclesiae Brandenburgensis.

S. D. Reverende vir et cariss. frater. Doctor *Valentinus* offert se vestro Senatui, si discedat *Ernestus*. Scis autem medicum doctum et modestum et pietatis amantem, qualis hic est, non solum in medendo prodesse multis, sed etiam Ecclesiis utiliter posse servire, ut memini multa exempla; quare oro, ut eum civibus commendes. Hodie in praelectione repetivi versiculos Nazianzeni de mutua condonatione, quos adscribo propter grammaticen, si fortassis non sunt tibi familiariter noti. Sunt autem dulcissimi. *εἴδ' οἶδας ὄφλων καὶ πρόχρησον τὸ πρᾶον· οἴκτῳ γὰρ οἶκτος τῷ θεῷ σταθμίζεται.* Cum scias te debitorem esse, scilicet Deo, des commodato mansuetudinem; miseratione enim miseratio apud Deum ponderatur, videlicet permutatur, emitur. *Πρόχρησον* est: da commodato. Bene vale, die 29. Iunii anno 1559. *)

Philippus.

No. 6774. 23. Iun.

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camer. p. 752. (ed. Lond. lib. IV. ep. 903.).

Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioach. Camer. fratri suo carissimo.

S. D. Etsi in hac tanta moesticia temporum, minus dulcia sunt doctrinarum studia, tamen speremus Deum servaturum esse suas aliquas reliquias. Hanc unam tenemus *ἱερὰν ἄγκυραν* ut scis. Quare laboribus iuniorum bene precemur. Disputabunt hic meus gener[1]), et eius *παραστάτης*, quinto Cal. Iulii. Postridie et renunciatio fiet gradus. Si liberet expatiari, vellem te et *Vuolfgangum* et *Baldasarum* adesse, vosque oro, ut si non retinent vos magnae caussae, adveniatis. Si aliud nihil affert hic congressus, tamen illud non contemnendum est: *εἰς ὄμματα*

---

*) Vel non anno 1559. scripta est, vel non d. 29. Iunii, sed d. 20. Iunii, et signum 0 ab eo, qui epistolam descripsit pro signo 9 lectum est. Nam d. 29. Iunii h. a. Melanthon fuit Budissinae.

1) Peucer. Is autem febri correptus disputationem prorogare coactus, et demum d. 30. Ian. 1560. Doctor medicinae renunciatus est.

φίλων ἀνδρῶν εἰσβλέπειν γλυκύ. Bene et feliciter vale et responde per hunc adolescentem. IX. Cal. Iulii.

Philippus.

No. 6775. 23. Iun.

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camer. p. 752. (ed. Lond. lib. IV. ep. 904.).

Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camer. fratri suo carissimo,

S. D. Non audeo te in hac communi et ingenti moesticia accersere, ac ne cogitare quidem possum aut quid scribam aut quid petam. Tanta est magnitudo doloris mei. Sed si veneris ad disputationem, gratissimus erit conspectus tuus. Notae sunt utrique nostrum historiae veteres, quae quidem Latinis et Graecis literis scriptae extant. Sed simile nihil legimus, ubi tali Sophistica violenta consilia tecta sint. Haec est orci galea quam somniavi. Sed oro filium Dei ut leniat has magnas miserias. Bene et feliciter vale. Expecto vel te vel tuas litteras, atque utinam amicos aliquos adducas. Pridie Iohannis Baptistae.

Philippus.

No. 6776. 23. Iun.

Hier. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 246. Hic ex autographo in cod. Monac. I. p. 247., cui Baumgartnerus inscripsit: „1559. 9. Iulii."

Hieron. Bomgartnero, Senatori incl. urbis Noribergae.

S. D. In Psalmo querela est Ecclesiae, quod exsulet inter Mesech et Cedar. Nec dubium est a voce *Mesech* Moschos esse, quos arbitror et Mossynoecos in Argonautico carmine nominari. *Cedar* Arabes esse non dubium est. Nominat igitur gentes maxime feras ad Arcton, Mesech, et Mahometica latrocinia ad Meridiem, Cedar. Inter immanes Cyclopes et sophisticam colluviem omnibus temporibus in hac vita duriter quassatur Ecclesia. Nunc κατὰ τὸ ῥητὸν Moschi ad Arcton in Germania grassantur, Mahometici ad Ortum. Nondum spes pacis est in Livonia. Ac certum est Magistrum Livoniae, ut nominant, petere auxilium a Polonis. Urbes Livonicae Saxonicarum coloniae sunt. Nam *Rigam* a Bremensibus conditam esse certum est. Nunc colonias illa bellatrix natio deserit, quae ante paucos annos Regno Danico bellum inferebat.

De bello in *Ditmarsia*, quam existimo esse Teutonum Marchiam, haec habemus. Bis oppugnatum est oppidum *Moeldorp* priusquam caperetur. In tertia oppugnatione captum est. In oppido multitudo civium, puerorum, mulierum magna interfecta est. Fugit pars in templum, hi non sunt interfecti. Praeda fuit locuples. Et machinae magnae aliquot inventae sunt. In exercitu Ducis *Adolphi* in oppugnationibus circiter tria millia perierunt. Plus non sciebamus, cum haec scriberem pridie festi Baptistae. Oro Filium Dei ut et illis leniat poenas et nos clementer protegat*).

(Nomen non est subscriptum.)

No. 6777. 30. Iun. (Budissini.)

C. Neseno.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54 [3].

Cunrado Neseno, Syndico in urbe Lusatiae Sitta.

S. D. Integerrime vir et carissime frater. In hoc itinere nostro quotidie de te locuti sumus, ego, gener meus et alii multi honesti viri, et miscuimus vota illis sermonibus, ac Deum precati sumus, datorem vitae praesentis et aeternae, ut et leniat tibi morbum, et in corde vera consolatione vitam aeternam et aeterna gaudia tibi tribuat. Scimus nos non ad huius aerumnosae vitae breve spatium tantum natos esse, sed ut aeterna Dei et Domini nostri Iesu Christi consuetudine fruamur, qui multos homines ex morte in vitam revocavit, ut testimonia ostenderet vitae non desiturae. Erit certe in tota aeternitate discrimen inter cultores Dei et hostes Dei, inter Ioannem Baptistam et Herodem, inter Paulum et Neronem.

---

*) Alia manus adscripsit: 1559.

Intuentes ergo futuram vitam et futurum discrimen, erigamus nos promissione filii Dei et laeti expetamus et expectemus ipsius consuetudinem, in qua sapientiam eius in coetu Ecclesiae coelestis coram audiemus, et laeti contemplabimur et celebrabimus eum. Scimus filium Dei nobis donatum esse, ut et peccatum et mortem deleat, et nobis certo restituat iustitiam et vitae aeternae gaudia. In his consolationibus acquiescamus donec coram filium Dei cernemus, audiemus et complectemur. Oro autem ipsum filium Dei, dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, ut tibi animae vires confirmet et corporis morbum leniat. Datae in urbe Budissin, XXX. Iunii 1559.

Philippus Melanthon.

No. 6778. 5. Iul. (Dresdae.)

U. Mordeisen.

Epist. lib. V. p. 203 sq.

Ulrico Mordisin, Consiliario Ducis Sax. Elect.

S. D. Clarissime vir, et Patrone charissime. Spe colloquii vestri rediens ex generi mei Patria *), accessi *Dresdam*, et postea, cum ad nos venisset vir optimus et utrique nostrum charissimus Doctor *Laurentius*, spem ei feci, iturum me ad vos. Sed tempestatis mutatio, praesertim cum aegrotantem filiam nobiscum vehamus, movit me, ut hodie mutarem consilium. Non sine periculo aegrotat filia, ideo domum propero, praesertim cum et tempestas longiori itineri incommoda sit. Ideo vos valde oro, ut boni consulatis, quod nunc ad vos non venio, venturus, Deo iuvante, alias, quocunque me vocabitis.

Veho mecum reliquam partem disputationis de potestate Pontificia, scriptam in generi Patria, sed mittam ex Witeberga descriptam *Pauli Eberi* manu.

Consilia Augustani Conventus ut gubernet Filius Dei, toto eum pectore oro.

De Synodo nostrorum quae potest institui deliberatio, nisi exploratis aliorum Principum, Comitum et Civitatum voluntatibus? Et scio, plerosque Principes Synodum dissuadere, nec missuros esse suos, etiam siqua fuerit a paucis indicta. Et quam periculosa res futura sit, scitis. In deliberationibus Augustanis, quia Imperator petit, ut si indicta fuerit Regum consensu Synodus, existimo recte responderi, nos non recusare, doctrinae rationem reddere, si instituatur cognitio, ut antea petitum est in Augustano Conventu. Nec video, quomodo impedire Reges possimus, si velint indici Synodum. Nec existimo, Pontifices Synodum indicturos esse. Deus gubernet et protegat nos. Bene valete. Die Iulii quinto 1559.

Philippus Melanthon.

*) De hoc itinere Peuceri et Melanthonis vid. epp. I. 18. Iul. et sched. academic. Peuceri in Scriptis publ. T. IV. die 23. Iul. 1559.

No. 6779. 11. Iul.

Hardenbergius ad Eberum.

Ex autographo Hardenbergii in cod. Goth. 123. in fol. p. 167. primum a Cypriano in Epistolis Claror. Viror. ex Bibl. Goth. p. 25. edita, nunc ex autographo denuo descripta.

Clarissimo et eidem Reverendo viro Magistro Paulo Ebero, Pastori Ecclesiae Wittenbergensis, domino suo observandissimo, ad manus. Wittenberg.

S. D. Reverende domine Pastor, praeceptor et amice colendissime. Scito, me literas tuas 2. Iunii datas avidissime legisse, et agere me gratias tibi pro officio, orareque Deum, ut officia et labores tuos sospitet, dirigat, et fortunet. Nam ipse intelligo, quanto nobis auxilio divino sit opus in hac nostra statione, in qua [1]) tamen tu me et labore et diligentia et sollicitudine et omnibus numeris superas. Sed tamen ex meis curis tuos labores facile aestimo et iudico. Itaque quod nunc officii utrinque [2]) nobis praestare possumus, id rogo ut sedulo praestemus, nempe ut vocationes nostras Deo patri [3]) per Christum commendemus, et, si quid aliud a me tibi praestari posse arbitraveris, id ut libere imperes [4]). Nihil enim te in mea fide fallet, nisi quod videam, me nihil posse. Certo tamen statues, me omnia tui causa et factu-

1) Cypr. *quo.*
2) Cypr. *officium utrique.*
3) *patri*] Cypr. praetermisit. Scriptum est: *pri.*
4) Cypr. *imperares.*

rum et omissurum, quae tu honesta mihi et possibilia indicabis. Oro Deum, ut, si inutilis sim, ut vere sum, mea functione, ut me per improbos hos tandem excutiat ex hac vocatione, ut possim fieri auditor et ovicula Christi sub te fidissimo pastore. Satagunt mei hostes, si quando alias nunc vel maxime, ut me pellant; sed ego doleo, quod quidem ad me ipsum attinet, illos tam nihil proficere. Utinam [5]) illis pro gloria Dei sui conatus tandem aliquando succedant, et surroget Dominus pro me claudo et surdo et misero aliquem fortem et laetum [6]), qui has Christi filii Dei iniurias de manibus horum vindicet gladio Spiritus Dei, quod equidem futurum tandem spero. Vicinus ille meus de quo scribis, me nihil terret, neque poterit tibi multum nocere ut maxime conetur. Timeo superbiam illum perdere. Sed feret iudicium suum. Vale 11. Iulii 1559.

Tuus *A. H.*

Utinam Deus tandem liberet *Victorinum* et collegam nostrum M. *Andream*, de quibus rogo, ut aliquid mihi significes. Quid de *Illyrico* et schola illa et omnibus illis manipularibus fiet, quaeso ut sciam curato vel per M. *Sebastianum* nostrum, nam tu occupatior es. *Westphalus* clamat, illos captivos esse Pelagianos, et multa similia. Audio *Sarcerium* contra illos scribere accusationem. Sed Deus vivit et imperat. Iterum vale. Raptim. [7])

No. 6780. 18. Iul. (Wittenb.)

Io. Laurentio.

Ex libro: Meletemata Thorunensia — scripta a *Petro Iaenichio*. Tom. IV. (1762. 8.) p. 115.

Venerando viro, eruditione et virtute praestanti, Domino Ioanni Laurentio, fratri suo in urbe Boleslavia, S. D. *Philippus Melanchthon.*

Venerande vir. Delectatus sum et testimonio tuo et pia consolatione. Iudico me in Ecclesia in vocatione non reprehendenda vivere, et assiduis gemitibus oro Deum, ut me faciat *σκεῦος ἐλέους* et organum salutare meae animae et aliis, et mediocri sedulitate doceo, et studeo perspicue exponere res necessarias. Spero etiam labores meos bonis probari.

Quod autem sycophantae aliqui me allatrant, iudicet Ecclesia, an ipsi utilius laborent. His cogitationibus lenio mihi dolores, et oro filium Dei, ut gubernet nos et servet Ecclesiae reliquias.

Mitto tibi *ἀντίδωρον* libellum *χρονολογικόν*, cuius lectionem scio bonis gratiorem esse, quam est lectio sycophantiarum, quae contra me scribuntur. Bene vale. In *μαργαρίθος*, quod nomen gemmae est a מר et id est *amara*, et גרית *crustula*; gemma illa est amara crustula. Ideo Evangelium ei confertur, quod est gemma crucem adferens. Bene vale. Witteberga anno 1559.

5) *Utinam*] Cypr. *Ut non.*

6) *laetum*] Cypr. legere non potuit.

7) *et imperat. Iterum vale. Raptim.*] Cypr. praetermisit.

No. 6781. 15. Iul.

Hier. Baumgartnero.

† Ex autographo in cod. Monac. I. p. 266. Scriptura docet, hanc epistolam a Mel. sene, fortasse 1559., esse scriptam.

Clariss. viro — — D. Hieron. Bomgartnero, senatori inclytae urbis Noribergae, patrono suo cariss.

S. D. Clarissime vir, et patrone carissime. Saepe illud cogito, *εἰς ὄμματ' εὔνου φωτὸς εἰςβλέπειν γλυκύ.* Conspectu igitur Doctoris *Erasmi*, et eruditis sermonibus valde delectati sumus, quem quidem, si diutius abest quam decebat, a nobis retentum esse boni consules, teque oro, ut eum gubernatoribus excuses. Spero et ipsi doctrinarum studia et docentium concordiam placuisse. Impendet, ut vides, horribilis mutatio Imperiorum, praesertim si et Imp. *Ferdinandus* morietur *) ut metuendum est. In his publicis periculis ut filius Dei suam cymbam et nos in eo servet, toto pectore eum precor. Bene vale. 15. Iulii.

Philippus.

*) Melanthon in annal. h. a. scribit: „Er, der Kaiser, lag zu Anfang des Lenzen sehr krank."

No. 6782. 18. Iul.

Henr. Mollero.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Magistro Henrico Mollero in aula inclyti Principis Nassavii.

S. D. Clarissime vir et cariss. frater. Non solum in Academiis, sed ubique in omnibus vitae gradibus periculosa est veritatis professio, quam tamen Deo debemus ubicunque nos collocat. Et scis, non aliam militiam magis necessariam esse, quam haec est recte docentium, quae etiamsi est difficilis et periculosa, tamen aliquos esse necesse est, qui eam non defugiant, si vocentur. Et te pio consilio, nulla privata cupiditate, ad hunc locum accersimus, qui qualis est, tamen adhuc anteferendus est caeteris Academiis, quas novisti, et propter doctrinae genus et propter concordiam docentium. Fratris igitur tui sententiam laudo, et te adhortor, ut huc venias*), et filium Dei, sedentem ad dextram aeterni patris ut dona det hominibus, oro, ut nos recte gubernet et servet Ecclesias ipsum recte invocantes. Bene vale. Die 19. Iulii, quo die inchoat mea filia, coniunx *Caspari* annum 28. Deus adsit nobis. Nunc sexto est gravida. Salutem opto fratribus tuis, et d. *Paulo*.

No. 6783. 18. Iul.

Io. Matthesio.

Epist. lib. II. p. 110. (ed. Lond. lib. II. ep. 98.).

D. Iohanni Matthesio

S. D. Reverende vir et charissime frater, Cum gener meus, qui mutationem aëris sibi ad depellendam febrim profuturam arbitraretur, me oraret, ut comes essem itineris in patriam ad fontes *Suevi* [1]) fluminis: Etsi non libenter absum ab Academia, tamen ei hoc officium praestiti, et Dei beneficio febri liberatus est. Sed filiam reduximus, quae post ἐξανθήματα aegrotat, non sine periculo. In ipso itinere absolvi scriptum de potestate, quam sibi Pontifices sumunt adversus Imperatores. Eius scripti exemplum curabo ut habeas. Spero etiam lectionem tibi iucundiorem fore quam potest esse *Flacii* aut *Stemphyli* scriptorum. Tecum autem oro Filium Dei, ut nos omnes gubernet. Valde te oro, ut huc advenias cum ornabitur gradu Doctoris Medici communis amicus noster *Andreas Rosa* [2]). Spero tibi et vina, et colloquia nostra iucunda fore. Mitto et pagellam Decani nostri. Bene vale. Die natali filiae meae, coniugis M. *Caspari*, quo inchoat annum vicesimum octavum suae aetatis, et iam sexto gravida est. Deus protegat nos.

No. 6784. 18. Iul.

G. Fabricio.

Epist. lib. V. p. 422 sqq.

Georgio Fabricio, gubernanti Scholam Misnensem.

Scio, te saepe cogitantem de fragilitate naturae humanae, cum alias multas sapientum querelas, tum et hanc Pindaricam recitare, σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωποι. Sed hac nos vera consolatione erigamus, quod Filius Dei massam generis nostri assumpsit, cui nos tanquam surculos inseruit, ne totum genus humanum pereat. Huic Filio Dei, Domino nostro Iesu Christo, qui dixit, omnes capilli capitis vestri numerati sunt, gratias ago, quod nuper te protexit in itinere, ne te aut raptaret, aut aliis modis equus laederet. Commendemus et nos ipsos et Ecclesias publicas et domesticas Filio Dei assiduis votis, quae certe non sunt irrita.

Filiola, quae comes fuit nostri itineris *), adhuc aegrotat. Reliqua familia recte valet. Et studia doctrinarum hic, Dei beneficio, mediocria sunt. Literas hic ex Gallia missas accepi, quae narrant, adeo exasperari saevitiam, ut in Aquitaniam non parvus exercitus missus sit, ad turbandos eorum conventus, qui extra templa suas

---

*) Contulit se Mollerus Witebergam et ibi anno 1560. incoepit literas hebraicas docere. Vid. Scripta publ. Acad. Tom. 4. ad ann. 1560. Vid. quae supra d. 15. Maii et d. 1. Iun. ad Mollerum scripta leguntur.

1) Sprehae fluminis. Oritur in vicinia urbis Bautzen, quae Peucero patria fuit.

2) Schweinfortensis, Francus. Doctor creatus est d. 3. Aug. 1559. Vid. Scripta publ. T. IV.

*) Vid. ep. d. 18. Iul. ad Matthesium.

quasdam conciones audiunt, Deus protegat harum regionum Ecclesias. Bene et feliciter vale. Die 18. Iulii, † quo mea filia, *Caspari* coniunx inchoat annum tricesimum, quae nunc sexto gravida est. Servet Deus totam familiam. Musico gratiam habeo, et scribam per proximum tabellarium." (Addit A. D.)

No. 6785. 19. Iul.

Ge. Buchholzero.

Manlii farrag. p. 89 sq.

De Propositione, An bona opera sint necessaria.

Reverendo viro, D. Georgio Buchholzer, pastori Ecclesiae Dei in oppido Arctoa, fratri suo charissimo,

S. D. Reverende vir, et carissime frater: Mitto pagellas *), in quibus recitatur conciliatio facta inter *Lutherum* et alios, qui adfuerunt ex Ecclesiis Rhenanis et Rheticis, quorum adscripta sunt nomina, de propositione, An bona opera sint necessaria. Hodie legi praefationem *Ambsdorffii*, additam novae editioni Ienensi Der haus postillen, ubi sunt haec verba: Ich hab alle zeit geleret, das man gutte werck zu thun pflichtig und schuldig ist, etc. Hic refutat ipse *Ambsdorffius* scurrilitatem illorum, qui negant hanc propositionem: Nova obedientia est necessaria. Est autem barbaries, intelligere necessarium coactione extortum. Significat enim, ordinatum a Deo immutabiliter. Et magna inscitia est, locum Pauli ad Corinthios citare ad obedientiam praeceptis debitam: qui loquitur de donatione eleemosynae, cuius adfirmat modum nemini praeceptum esse. Vult enim docere, se non tollere distinctionem dominiorum, sed velle esse liberam contributionem. Nec valet consequentia ab operibus non praeceptis ad praecepta. Bene valete. Et scribam alias plura: et Deo Ecclesiam et me commendo. Die 19. Iulii, anno 1559.

*) Vid. supra d. 6. April. 1559.

No. 6786. 20. Iul.

B. Mithobio.

Epist. lib. II. p. 351. (ed. Lond. lib. II. ep. 357.).

D. Burcardo Mithobio

S. D. Clarissime vir et charissime frater, Subito flagitavit literas hic tabellarius, cum quidem de multis magnis rebus tecum et colloqui et deliberare maxime cuperem. Dei beneficio vox doctrinae in harum regionum Academiis eadem est, quae est in vestris Ecclesiis. Sed vicini ad *Salam* viri docti et pii captivi tenentur, *Victorinus* et Pastor Ecclesiae *Ienensis*, eo quod non probant quaedam *βλακώδη παράδοξα στωικά*. Sed *Marchio Iohannes* iam istuc iter faciens fortassis perficiet, ut liberentur. Ingenium, eruditionem, et singularem prudentiam, et inventionis felicitatem in *Dedekindo*, semper amavi et laudavi, et oro Deum ut ipsum et nos omnes gubernet. Initia operis vidi, et optarim eum habere patronum, qui scribenti praeberet aliquid auxilii, ut verecunde loquar, sed si vitam nobis Deus longiorem concedet, labores ipsius commendabo aulis, ubi potero. Mitto pagellas quae Academiae studia ostendunt. Bene vale, vir optime et mihi charissime. Die 20. Iulii. 1559.

No. 6787. 20. Iul.

Io. Giganti.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, Iohanni Giganti, Pastori Ecclesiae Dei in urbe Elisiae Freystadio, fratri suo cariss.

S. D. Reverende vir et cariss. frater. Clamo ad filium Dei et cum omnibus piis in coelo et in terra dico:

Te maneat semper servante Ecclesia Christe,
Insertosque ipsi nos tua dextra tegat.
Tres velut in flamma testes Babylonide servas,
Rex ubi praesentem te vidit esse Deum *).

Petamus et expectemus auxilium a filio Dei. Si *Erasmo Benedicto* et coniugi eius Deus voluisset

*) Leguntur etiam in epigr. Melanth. p. 35.

longiorem vitam tribuere, amicitia eius in hac vita mihi dulcissima fuisset. Sed aliquanto post in coelesti consuetudine, filio Dei me eo ducente, conveniemus. Nunc litigamus cum monstris, qui vociferantur, novam obedientiam non necessariam esse, et citant dictum ex 2da epistola Pauli ad Corinthios scripta, οὐ κατὰ ἐπιταγὴν λέγω. Quod ibi dicitur de modo donationis Eleemosynarum, non praecepto, id accommodant nostri inimici ad praecepta. Oro filium Dei, ut nos et Ecclesias gubernet, et faciet, ut quam plurimi unum simus in ipso. *Fridericum* tibi commendo. Bene vale. Die 20. Iulii 1559.

Ph.

No. 6788. 25. Iul.

A. Hardenbergio.

Epp. ad Hardenberg. ep. 38.

D. Alberto Hardebergio.

S. D. Reverende vir et carissime frater. Quod inclytus Comes mihi hospitium offert, et debeo ipsi et habeo gratiam. Sed nunc non exilium tantum sed etiam mortem expecto. Nam hic annus climactericus in hoc aestu valde languefecit corporis mei vires, antea quoque multis aerumnis debilitatas. Cedam autem libenter ex horum temporum Sophistica. Nostri inimici audacissime negant hanc propositionem: Bona opera necessaria sunt. Et citant dictum ex secunda Epistola ad Corinth. οὐ κατὰ ἐπιταγὴν λέγω, quod diserte Paulus opponit errori illorum, qui Platonicam communionem in Evangelio afferri putabant. Volo, inquit, vobis liberum esse modum donandae Eleemosynae. Insulse vero a non praecepto, ad praecepta opera dictum illud transfertur. Audi aliud Sophisma *) impudentius scriptum. Quidam, ut τὸ πανταχοῦ defendant, iam fingunt duplicem Idiomatum Communicationem, alteram Physicam, alteram Dialecticam. Has ineptias in responsionis editione de Bavaricis Articulis, quae iam integra prodibit, taxabo. Profecto nisi Deus petulantiam Sophistarum compescet, secutura est horribilis confusio doctrinarum. Tenentur adhuc captivi *Victorinus* et *Andreas*. Nescio quid adam. Iudicium tuum flagito de voluntate humana, probesne formam illam explicationis, quam scripsi in Responsione Bavarica. Bene vale et responde. Die Iacobi.

Philippus Melanthon.

*) Haec et seqq. etiam habet Hospinian. in hist. sacr. II. 490.

No. 6789. 28. Iul.

Augusto, Duci Saxon. Principi Elect.

† Ex autographo (prima scriptura) descripta a S. V. *Franckio*, Concionat. aulic. Dresdae.

(Ad Augustum, Ducem Saxon. Principem Elect.)

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Sohn Jesum Christum, unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer zuvor. Durchleuchtister, hochgeborner, gnädigster Churfürst und Herr. Wir sollen alle billig Gott danken, daß er gnädiglich eine ewige Kirchen in diesen Landen sammlet, und seine Lehr in Kirchen und Schulen zu pflanzen Gnad giebet, wir sind auch E. c. f. G. unterthänig Dankbarkeit schuldig, daß sie gnädiglich dazu Hülf thun. Derwegen bitten wir, Alte und die Jungen in Schulen, Gott wolle E. c. f. G. und das Land gnädiglich bewahrn.

Verfolgung leiden, wie oft geschehen ist. Die Hohenpriester in Judäa verfolgten die Apostel. Die Ariani waren zu Constantii, Iuliani und Valentis Zeiten viel stärker denn die Rechtgläubigen, trieben große Tyrannei, hatten auch einen Papst zu Rom. Diese wurden dennoch durch die rechte Kirche condemnirt. Die Päpste haben in 400 Jahren oft rechtgläubige Menschen verfolget vor und nach Johannes Huß, und Hieronymo de Praga. Im Thumstift Maynz ist ein Prädicant gewesen, Johannes Wesalia, der gleich unser Lehr gepredigt, deß Schriften bei vielen noch zu finden, der ist in großem Alter in der Gefängniß gestorben. Zu Speyer ist ein Edelmann Drandorf aus dem Churfürstenthum Sachsen Lector im Stift gewesen, deß Schriften ich auch gesehen habe, die christlich und rein sind; der ist verbrannt worden. Wesselus von Gröningen, sehr ein gelehrter Mann, deß Schriften in Druck ausgangen sind, ist aus Paris verjagt worden. So ist die Verfolgung dieser Zeit vor Augen.

Nun sind der Päpstischen Irrthum so grob, daß alle gottfürchtige verständige Menschen, ob sie gleich nicht unsers Theils wollen geacht seyn, bekennen, daß sie sträflich, als Eheverbot, Heiligen Anrufung, falsche Lehr vom Zweifel, Item von Genugthuung und Indulgentiis; Item Kaufmeß und das verdienen Gnad und andere Gaben ex opere operato; Item Anbetung des Brods im Umtragen; Item, daß Sünd sey Fleisch essen; Item, daß der Papst iure divino Kaiser zu setzen und zu entsetzen habe. In allen diesen Artikeln ist die Wahrheit ganz offentlich; die müssen wir bekennen. Denn also lautet das Urtheil: qui dixerit blasphemiam contra Spiritum sanctum, non remittetur ei. So jemand redet wider den heiligen Geist, dem wird solche Sünde nicht vergeben werden. Ob nun gleich der Papst spricht, er sey keiner Jurisdiction unterworfen, so wissen etc.

(*Addidit Pezelius huic scripto haec:*)

An den christlichen Leser.

So ferne ist das Autographon oder eigene Hand Herrn Philippi Melanthonis seligen übrig gefunden, und noch zur Hand. Was weiter folgt, hat man noch zur Zeit über allen angewandten Fleiß nicht erlangen mögen. Jedoch ist aus den bisher gesetzten Antworten der Grund zu sehen, was ferner auf die folgenden Fragen zu antworten sey, nämlich von der 11ten Frage an bis auf die 27ste.

Es ist aber damals von etlichen politischen Räthen auch eine Consultation oder Berathschlagung aufs Papier gebracht, darüber aus dem Churf. Sächs. Hof Herrn Philippi Bedenken erfordert, wegen des Streits, so damals zwischen Kaiser Ferdinando hochlöblichster Gedächtniß und dem Papst zu Rom fürgefallen; deren Consultation Inhalt in folgende Artikel gefasset.

Ob ein römischer Kaiser nicht allein in geistlichen, sondern auch in weltlichen Sachen*) für seinen Oberherrn zu erkennen schuldig? Was man vor Zeiten von diesem Artikel gehalten? Und werden allhie zehen Ursachen angezeigt, warum solches nicht billig. Es werden auch hinwiederum dreizehen Gegenwurf der Päpstischen abgelehnet. Daraus folgends abermals zehen Ursachen angeführt, daß obschon weiland Kaiser Karl hochlöblichster Gedächtniß das Kaiserthum ohne vorhergehende Bewilligung der Päpstl. H. resignirt, dennoch seine Majest. in selbem Fall nichts ungebührliches gehandelt habe, noch viel weniger dasselbe jetziger Kais. Maj. nachtheilig seyn könnt.

Item von den übrigen Artikeln, darin die Kais. Majest. von der Päpstl. H. beschuldigt werden will; als 1) daß ihre Majest. ihren Sohn, die Königl. Würde zu Böhem, in der Religion übel soll auferzogen haben. 2) daß ihre Majest. das Colloquium zu Worms angestellet. 3) daß ihre Majest. die widerwärtigen Secten befördere, und fürschiebe. 4) daß ihre Maj. Bündniß und Einigung mit den Ketzern mache. 5) daß ihre Maj. ihren geschwornen Eid übertrete. 6) daß ihre Maj. sich wider die Gebühr einen römischen Kaiser schreibe, dieweil sie den Willen von ihrer H. noch nicht erlanget. Letztlich gesetzt, daß ihre Maj. in obberührten oder andern Artikeln etwas ungebührlichs gehandelt, so wird doch angezeigt, daß dieser Weg, den die Päpstl. Heil. hierin vornimmt, der rechte ordentliche Weg nicht sey, sondern ein andrer Proceß diesfalls muß gehalten werden.

Item: was ihre Maj. in dieser Handlung für einen Weg, dadurch derselben abzuhelfen, an die Hand nehmen soll oder möge? 1) ob ihre Maj. der Buß, darzu sie von ihrer H. vermahnt wird, auf sich nehmen, den Acten, so zu Frankfurt ergangen, renunciren, und die Versehung des Kaiserthums ihrer H. heimstellen soll? 2) ob ihre Maj. dieser Zeit die ganze Sache mit Stillschweigen umgehen, und weiter nichts darin handeln soll? 3) ob ihre Majest. sich zu Erkenntniß des ordentlichen Rechtens soll erbieten? 4) ob und was ihre Maj. mit dem Collegio der Cardinäle deshalben handeln möchte? 5) ob ihre Maj. Ursach habe, die Sach mit dem Schwert gegen ihre H. auszuüben. 6) ob ihre Maj wieder durch Schrift oder Schickung mit ihrer H. handeln, oder aber des Päpstischen Nuncii, den ihre H. zu schicken vorhabens gewesen, erwarten soll, und worauf dieselbe Handlung zu richten? Ob auch und welcher Maßen im Fall, da bei ihrer H. je nichts verfänglich seyn wollte, ihre Maj. Ursach haben werde, mit ihrer H. gleichergestalt die Nothdurft zu reden, und dieselben allerhand Unrichtigkeiten, so sich bei ihrer Regierung zutragen sollen, zu erinnern? 7) im Fall, da ihre H. noch über solches alles zu beschwerlichen, hässigen Processen, als der Citation, Monitorial-Censuren, oder auch Deposition gegen ihre Maj. würde schreiten wollen, ob alsdann ihre Maj. davon an ein gemein Concilium zu appelliren befugt sey? Zum 8ten

---

*) Exciderunt hic: den Papst.

und letzten, ob ihre Maj. diese Sachen an die Stände, und fürnehmlich die Churfürsten des Reichs soll gelangen lassen?

Die Consultation aber an sich selbst und Ausführung der bisher erzählten Artikel hat man auch nicht zur Hand haben können; wäre aber hoch zu wünschen, daß um der Posterität willen solches noch vorhanden seyn möchte; darum auch gutherzige Leute, bevorab in den Chur und Fürstlichen Cantzeleien, hiemit zum fleißigsten gebeten werden, da man solche Schriften aus glaubwürdigen Documenten erlangen möchte, dieselben auf die Nachkommen zu befördern.

No. 6794. 1. Aug.

Friderico, Regi Dan.

Epistola nuncupatoria quam Melanthon praemisit Tomo XII. operum Lutheri germanicorum, qui Witebergae prodiit anno 1559.

Dem Durchleuchtigsten Großmächtigen Fürsten und Herrn, Herrn Fridrichen zu Denemark und in Norwegen, der Gothen und Wenden König, Herzogen zu Schleswick und Holsten, der Dittmarschen Herrn, Graven zu Oldenburg etc.

Meinem gnädigsten Herrn.

Dieses ist der zwölfte und letzte Theil aller Bücher des Ehrnwirdigen Herrn Doctoris Martini Lutheri, wie sie in Witeberg treulich gedruckt sind. Nachdem aber gedachter Herr Doctor selbs bei seinem Leben vor vierzehen Jahren, und ernach Doctor Caspar Creutziger, Magister Georgius Rörer und ich Prefationes in jede Theil gemacht, daß man wüßt, wo und wenn und durch welche sie also zusammengebracht sind, haben wir auch die Vorreden mehrer Theils an hochlöbliche christliche Könige und Fürsten gestellet, aus dieser Ursach, daß die Nachkommen auch dabei erkennen und betrachten möchten, daß diese Lehre, die Gott gnädiglich zu dieser Zeit geoffenbaret hat, laut der Confession zu Augsburg im Reichstag 1530. dem Kaiser Carolo 5. überantwort, nicht ein Winkelpredigt gewesen sey, daß auch die Veränderung in Kirchen, wie sie durch Gottes Gnad noch stehet in diesem 1559. Jahr, in E. K. M. Königreich und in Deutschland in der christlichen Chur- und Fürsten Herrschaften, nicht aus Unverstand oder Frevel geschehen sey, sondern daß sie mit gutem Rath nach gründlicher Erforschung und Erkanntniß der Wahrheit, aus schuldigem Gehorsam gegen Gott und der Seelen Seligkeit zu gut, durch löbliche Herrschaften und Landschaften angenommen sey, obwohl große leibliche Fährlichkeit im Anfang vor Augen gewesen, die auch noch vor Augen ist. Denn das Evangelium ist zu keiner Zeit ohne Creutz, und bleibet die erste Predig im Paradis allezeit, welche spricht, es werde Feindschaft seyn zwischen der Schlangen und dem Samen des Weibes, und die Schlang werde den Samen des Weibs in die Fersen beißen, aber der Same des Weibs werde der Schlangen den Kopf zutreten.

Gott will ihm gnädiglich durch seinen Sohn Jesum Christum ein ewige Kirchen im menschlichen Geschlecht mit der Lehre des Evangelii, und nicht ohne das Evangelium sammlen. Dieweil aber die Teufel mit Haß und Zorn wider Gott und wider den Sohn Gottes brennen, treiben sie Lästerung in sich selb, und in vielen Menschen, die Gottes Wort verachten, Gott nicht fürchten noch anrufen, und verharren in ihrem Stolz und ihren Wollüsten. Also reitzen sie Türken, Päpst, Bischoff, Münch und mancherlei Rottengeister zu Abgötterey, Lästerung und Verfolgung der Gliedmaß Christi. Also haben wir nu vierzig Jahr von Päpsten, Bischoffen, München und stolzen giftigen Rottengeistern mancherley Verfolgung leiden müssen, wie offentlich ist. Darumb sollen verständige Leute nicht gedenken, daß wir die Lehre des Evangelii, laut unsrer Confession, aus Fürwitz angenommen haben, sondern offentliche unwandelbare Gottesgebot haben gottfürchtige Regenten und Prädicanten dazu bewogen, diese Lehre in großer Fährlichkeit Gott zu Ehren und vieler Menschen Seligkeit zu gut anzunehmen, zu bekennen und zu pflanzen. Denn also spricht das göttliche Gebot: ihr sollt Abgötterey fliehen. Item: wer Lästerung redet wider den heiligen Geist, dem wird die Sünde nicht vergeben in diesem noch künftigen Leben. Wer nu die Wahrheit erkannt hat, und gleichwohl dieselbige als Lügen verdampt, und schützt und stärket Abgötterey, der ist ein Lästerer, und fällt in dieses grausam Gericht, das diese Sünde nicht vergeben wird. Matthäi 17. der ewige Vater spricht: dieser ist mein geliebter Sohn, der mein Freud und Wonne ist, diesen sollt ihr hören. Und ist dazu gesagt Act. 3.: wer ihn nicht höret, der soll vertilget werden aus dem Volk. Galat. 1.: wer ein ander Evangelium predigt, der sey verflucht. Johann. 3.: wer dem Sohn nicht gläubet, der wird das Leben nicht sehen, sondern der Zorn Gottes bleibet uff ihm. 2 Johann. 1.: wer nicht bleibet in der Lehre Christi, der hat Gott nicht; wer aber bleibet in der Lehre Christi, der hat den Vater und den Sohn.

Diese klare und unwandelbare Zeugniß habe ich hier erholet uns zu Trost und Stärkung und andern zu Erinnerung. Denn das muß ganz ein eisern Herz seyn, welches durch diese und dergleichen Zeugniß nicht bewe=

get wird, nach der Wahrheit zu forschen, und rechte Lehre anzunehmen. Und sind nicht andre Ursachen, darum wir die Wahrheit mit großer Fährlichkeit gelernet, angenommen haben und pflanzen, denn allein diese göttliche Gebot.

Nachdem nu in einem Tomo zuvor die Vorred an den hochlöblichen christlichen König, Herrn Christian, E. K. M. Herrn Vater gestellet ist, welchen der allmächtige Sohn Gottes aus diesem sterblichen Leben und arbeitsamen Königreich in das ewige Leben und schöne Königreich, das voll Weisheit, Gerechtigkeit und Freud ist, weggefordert, hab ich bedacht, diese Vorrede an E. K. M. zu stellen von wegen dieser zweien Ursachen. Erstlich, daß auch in diesen Büchern des schönen christlichen Abschieds hochgedachtes Königs Christian gedacht würde. Zum andern, daß männiglich in andern Landen itzund und bei den Nachkommen wissen mögen, daß Euer Königl. Majestät in ihres hochlöblichen Herrn Vaters christliche Bekenntniß und gleicher wahrhaftiger Anrufung Gottes bleiben, und seinen christlichen und königlichen Tugenden folgen, welches alles zu Stärkung des Glaubens in vielen Menschen dienet. Und ist E. K. M. Herrn Vaters ganzes Leben ein Spiegel aller christlichen und königlichen Tugend. Er hat ein Mal Krieg geführet, dazu er gedrungen ist, und ist nicht Fürwitz oder Stolz gewesen, und hat Gott Sieg und End also wunderbarlich geben, daß, wer die Historien weiß, bekennen muß, daß Gott selb der oberst Feldhauptmann gewesen sey. Und wie gütig sich König Christian gegen den Feinden erzeigt hat, ist aus diesen Thaten abzunehmen. In der Belägerung Copenhagen, da großer Hunger in der Stadt gewesen, hat König Christian, der vor der Stadt gelegen, Speise und Getrank in die Stadt gesandt für viel hohe Personen, Fürsten und Fürstin und andre edle Frauen und Jungfrauen, daß sie nicht durch Hunger sterben mußten. Nach dem Sieg hat er auch aller Feind gnädiglich verschonet, und ernach kein Blutvergießen angericht, sondern mit Gottes Hülf einen beständigen Frieden gemacht und sein Lebenlang erhalten. Und hat den Frieden nicht zu sündigem Wollust gebraucht, wie in der Welt gewöhnlich ist, so man furchtlos und sicher ist, suchet man ungebürliche Freude, sondern hat Kirchen und weltliche Regierung in bessern Stand gebracht, welches besondere Werk sind, die Gott den hohen Regenten befohlen hat, wie geschrieben ist Psalmo 2.: und nu, ihr Könige, seyd verständig, dienet dem Herrn in rechter Furcht. Und Psalmo 81.: ihr sollt den Armen und Unterdrückten Gericht halten etc. Diese beiden Werk hat der christlich und hochlöblich König Christian im Anfang seiner Regierung mit Gottes Hülf und vieler gottfürchtigen und verständigen Männer Rath fürgenommen, und sein Lebenlang treulich geübet, hat in rechter Gottes und des Herrn Christi Erkanntniß und Anrufung reine Lehre des Evangelii in Kirchen und Schulen zu predigen geboten, und falsche Lehre und abgöttische Ceremonien verboten und abgethan, hat die löbliche Universität zu Copenhagen mit gelehrten Männern, die Gott recht anrufen und ehren, und alle löbliche Künste da pflanzen, uffgericht, und also mit Einkommen begabet, daß zu hoffen, daß mit Gottes Hülfe reine Lehre bei den Nachkommen bleiben wird.

Darnach hat er auch in weltlicher Regierung Canzeley und Gericht mit großer Weisheit geordnet, hat selb die wichtigen Sachen so viel möglich gewesen gehört, und ernstliche Executio gethan, und hat nicht allein andere zu unterweisen und zu regieren Fleiß gethan, sondern hat an seiner eignen Person angefangen. Er hat selb reine Lehre des Evangelii fleißig gehört, gelesen, betracht und mit Glauben angenommen, dadurch ihn der heilige Geist regiert und zu rechter Erkanntniß und Anrufung Gottes und des Herrn Christi geführet hat. In diesem rechten Licht des Glaubens hat er alle Tugend geübet, hat in Keuschheit gelebt, den Ehestand christlich gehalten, die jungen Herrn und Fräulin zu rechter Gottes und des Herrn Christi Erkanntniß und Anrufung und zu aller Tugend uffgezogen, und ist dieses Herrn Cammer eine wahrhaftige Kirche gewesen, darin Gottes Wort gelesen, gehört und betracht ist, und da Gott mit Anrufung und Danksagung geehret ist, und alle Tugend geübet sind. Nach diesem heiligen christlichen Leben ist auch ein schön christlich End gefolget, daß seine Königliche Majestät in der Krankheit täglich christliche Bekanntniß erholet hat, und sich fröhlich mit göttlichen Verheißungen getröst und gestärkt, und dem Herrn Christo seine Seele befohlen hat laut dieser Wort: Herr Christe, empfahe Du meinen Geist! Item: auf Dich Herr traue ich, laß mich nicht zu Schanden werden in Ewigkeit! Daß klar zu erkennen gewesen, daß Gott selb durch den Sohn und heiligen Geist in der Seele ewige Freud gewirkt und angefangen hat, und daß dieser christlich Herr, König Christian, in dieser Zahl ist, davon geschrieben ist: beati mortui, qui in domino moriuntur. Und Matth. 24.: qui perseveraverit in finem, hic salvus erit. Und ist dieses Herrn Leben und Sterben ein schön Fürbild, daran wir alle beides lernen sollen, Tugend im Leben und Bereitung zu einem seligen Abschied aus diesem schwachen Leben. Dagegen soll man betrachten, wie grausame Angst, Flucht, Zorn und Lästerung ist im Sterben der

Gottlosen und Tyrannen, davon geschrieben ist Johann. 3.: wer nicht gläubet an den Sohn Gottes, der wird das Leben nicht sehen, sondern der Zorn Gottes bleibet uff demselbigen. Und Psalm 49.: ihr Trotz muß vergehen, in der Hölle müssen sie bleiben. Dagegen spricht der tröstliche Spruch Proverb. 14.: der Gerecht behält Hoffnung im Sterben.

Nachdem nu E. K. M. Herr Vater von Gott Zeugniß der Gnaden gehabt im Leben und Sterben, sollen wir alle uns mit seiner Bekanntniß stärken, und sonderlich ist E. K. M. dieses Exempel anzuschauen, die nu durch göttliche Ordnung zur Kron und Königreich erhöhet ist, dazu E. K. M. alle Kirchen in ihren Landen und viel Kirchen in andern Landen und wir in denselbigen mit treuen Herzen selige Regierung wündschen, und Gott, der Erschaffer und Erhalter ist aller ordentlichen Regiment, wahrhaftiglich anrufen und bitten, er wolle E. K. M. gnädiglich im Leben erhalten und an Seel und Leib stärken, und durch sein Wort mit seinem heiligen Geist regieren, wie geschrieben ist Psalm 144.: qui das salutem Regibus, und David spricht: Gott verändert und erhält die Königreich; der wolle auch E. K. M. Leben und Regierung dazu bewahren, daß in vielen Landen die christliche Kirche Schutz und Trost habe, und rechte Erkanntniß und Anrufung Gottes erhalten und gestärkt werde.

Gott hat Königliche Majestät hoch über andere Menschen erhoben; er will aber, daß sie zu seiner rechten Erkanntniß und Anrufung, zu Weisheit, Gerechtigkeit und andern Tugenden sein Werkzeug seyn. Und ist dieses ein großer schrecklicher Jammer in menschlichem Geschlecht, daß in diesem höhesten Stand uff Erden, der Gottes Ebenbild fürnehmlich seyn sollt, so wenig allezeit gewesen sind, die Gottes Ebenbild haben seyn wollen. Es ist aber dieses leider ein große grausame Straf auch der Sünden in den Unterthanen, nicht allein der Sünden in Herren. Darumb wir alle, Herrn und Unterthanen, Gott umb Gnad anrufen sollen umb des Herrn Christi willen, daß er gnädiglich zu seiner Ehre ein Häuflin erhalten wolle, darin Herrn und Unterthan ihn recht erkennen und anrufen, wie der Psalm spricht, daß dieses das schönest und seligst Regiment sey, wo König und Unterthan zusammen kommen, Gott zu dienen. Solche Regiment wolle Gott in E. K. M. Königreichen und in diesen Landen allezeit gnädiglich geben zu seiner Ehre und vielen Menschen zur Seligkeit, Amen.

Es sind sehr alte, hochberühmbte Völker, die E. K. M. unterthan sind, Dani, Getae, Cimmerii, Heneti. Diese alle sind bekannt in den alten Historien, wie die Gelehrten wissen, und sind aus Orient furtgezogen gegen unserm Meer, wie die Alten gewöhnlich die Grenz und Ortland gegen dem Meer gesucht haben, daß sie der Erden End wissen, und merken möchten, wo sie in der Welt wären, auch daß sie mit den Schiffen andre Land suchen möchten. Und haben diese Völker für und für große Thaten gethan, und oft große Tugend geübet, als in Italia der Gothen König Dietrich genannt von Bern, und Totila etc.

Und sollen wir billig solchen löblichen Völkern zu Gottes Erkanntniß dienen, so viel wir mit Gottes Hülf thun können, dazu auch diese und dergleichen Bücher des Ehrnwirdigen Herrn Doctoris Martini Lutheri sehr nützlich seyn, die treulich in diese Tomos gebracht sind, und ist gewißlich wahr, daß niemand anders allezeit den letzten Druck besehen hat, denn erstlich der Herr Doctor Luther selb dieweil er gelebt hat, ernach viel Jahr Doctor Caspar Creutziger und Georgius Rorarius, und endlich Doctor Georgius Maior, welches Treue klar zu beweisen ist aus den ersten Exemplaren, die bey Leben des gedachten Herrn Doctoris Martini Lutheri durch ihn selb allezeit im Druck besehen sind. Dieses zeig ich an mit Wahrheit, daß die Nachkommen wissen, daß in allen diesen Tomis in Witteberg gedruckt, allezeit treulich gearbeitet ist, davon können wahrhaftig Zeugniß geben viel gottfürchtige, ehrliche und verständige Männer, welche bei dieser Arbeit von Anfang bis zu dieser Zeit gewesen sind. Datum Anno 1559. Calendis Augusti.

Ew. K. M.

armer Diener
Philippus Melanthon.

No. 6795. 6. Aug.

Casp. Ortmanno.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[a].

M. Casparo Orthomanno, gubernanti studia literarum in urbe Leoberga.

S. D. Doctissime et carissime *Ortmanne.* Exemplum literarum, quas ad Senatum vestrum scripsi, eo misi viro clarissimo, affini meo, doctori *Paxmanno*, ut, cum legeritis, deliberetis, an exhibendae sint. Prodesse certe tibi cupio, nec deerunt tibi officia mea, etiamsi in patria tua locus docendi tibi non tribuetur, ac peto mihi

quam primum significari quid impetraveris. Nam et *Eperienses* quaerunt virum eruditum, cui scholam commendent. Eius urbis praefecturam tenet vir excellens eruditione et virtute *Sigismundus Gelous*, quem tibi notum esse arbitror. *Bavari* vestri mores sapienter tolerato. Vincit tandem veritas, etiam nobis tacentibus, ut in meis exemplis cernere potes. Bene vale. Die sexto Augusti, 1559.

Ph.

No. 6796. 8. Aug.

Georgio Duci Siles.

† Ex autographo Philippi in tabulario regio Vratislaviensi descripta a S. V. *Schulzio*.

Dem Durchleuchtigen, hochgeb. Fürsten und Herrn, Herrn Georgen, Herzogen zu Silesien, zur Liegnitz und Brieg etc. unserm gnädigen Herrn.

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Sohn, Jesum Christum, unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer zuvor. Durchleuchtiger hochgeborner Fürst und gnädiger Herr. E. F. G. wissen die gnädige Verheißung Gottes von der Hülf, den Waisen erzeiget, welche also lautet: du sollt der Waisen Vater seyn, so wird dich Gott mehr lieben denn dich deine eigene Mutter liebet. Nu wissen auch E. F. G., daß der würdige Hieronymus Wittich im Predigampt christlich gedienet hat, und hat nach sich gelassen seine tugendliche Hausfrau und zween armer Waisen, deren einer in dieser Universität anderthalb Jahr gewesen, und noch allhie ist, mit Namen Zacharias, der mit Gaben ingenii durch Gottes Gnad wohl gezieret ist, und hat einen guten Anfang im Studio in lateinischer und grekischer Sprach, in christlicher Lehr und dialectica, auch ist er gottfürchtig und guter Sitten, derhalben E. F. G. Hülf, bis anhero ihm gnädiglich erzeiget, wohl angewandt ist. Nu wäre Schade, daß er noch in solcher Jugend vom Studio wegkommen sollt. Darum bitt er um Gottes willen, und wir beide neben ihm, E. F. G. wollen in Betrachtung, daß er ein armer Wais ist, und daß er löblich studirt, und mit Gottes Gnaden in Schule und Kirchen zu gebrauchen seyn wird, ihm noch zwei Jahr gnädige Hülf zum Studio verordnen. Gegen solchen Elemosynen giebt gewißlich Gott seine Gaben deß milder, und lindert viel Strafen zu Erhaltung seiner armen Kirchen, die mancherlei und große Verfolgung in diesem sterblichen Leben hat von Türken und andern Tyrannen, wie neulich der Papst dem König zu Frankreich Angliam preis geben hat. Aber Gott hat es nicht gestattet. Darum sollen christliche Potestaten deß gütiger seyn gegen der rechten Kirchen. Der allmächtige Sohn Gottes, Jesus Christus, der ihm gewißlich eine ewige Kirchen durchs Evangelium und nicht anders sammlet, wolle E. F. G. und E. F. Gnaden Gemahl und junge Herrschaft allezeit gnädiglich bewahren, und an Seel und Leib stärken. Datum auf den achten Tag Augusti anno 1559.

E. F. G.

arme unterthänige Diener
Philippus Melanthon.
Petrus Vincentius Vratislaviensis,*)
Professor.

No. 6797. (10. Aug.)

Hier. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 247. Hic ex autographo in cod. Monac. I. p. 249. Baumgartnerus adscripsit, se epistolam accepisse: „1559. 22. Augusti."

Hieron. Bomgartnero, Senatori inclytae urbis Noribergae.

S. D. Talis est hominum vita, ut singulis opus sit multis aliorum officiis. Et homines boni student quamplurimis benefacere, unde illud vetus est, κοινὸν ἀγαθὸν ὁ χρηστὸς ἀνήρ. Talem cum te esse sciant plurimi, plura a te officia petuntur. Est autem hoc quoque tuae bonitatis, recipere etiam molesta negotia. Servivit Ecclesiae nostrae multos annos fideliter Magister *Sebastianus Froschelius*, huic legavit, nescio quantum, ipsius cognata quae fuit nupta *Erhardo Zeileisin* civi vestro. Olim vero plura promisit. Nec vero disputationum movet *Froschelius* de testamento. Sed te orat, primum ut hortatur sis heredi ut legata mittat per hunc doctorem *Christophorum* † *Arnt*", sine tergiversatione. In hac petitione cum iusta sit, sperat te sibi non defuturum esse. Orat autem ut et alteram adhortationem addas. Fuit officiosus erga cognatam et saepe eius causa

---

*) Vincentius simul subscripsit, sed epistola manu Philippi exarata est.

sumptus fecit, quare et ipsa ei multa promisit. Narrationem de his rebus *Froschelius* mittit. Orat igitur, ut ad legata heres aliquid addat. Habet *Froschelius* tres filias, quarum mores sunt honesti et pii, et tota domus casta est. Erit omnino grata Deo pietas, si his sanctis virginibus aliquid heres largiatur. Etsi quantum haec oratio apud...[1]) valitura sit dubito, et te non libenter onero, tamen existimo tibi sensum heredis notum esse, et si non est *ἄστοργος* erga coniugis cognatas, pietatem declarabit. Oramus igitur et *Froschelius* et ego, ut virginum causa sis ei hortator ut propter ipsas aliquid legatis addat. Totam hanc rem et pietati et prudentiae tuae commendo. Bene et foeliciter vale. Die Laurentii.

Nescio an audieris: Regi Gallico *Henrico* ius occupandae Angliae a Rom. Pontifice datum fuit. Haec erunt futura initia saevitiae adversus eos qui a Rom. Pontifice dissentiunt. In Marchia nobis vicina in oppido *Sara* templum terrae motu quassatum est tempore concionis, et testudo collapsa oppressit sedecim homines et in his concionatorem, qui postea in idem sepulchrum collati sunt: alii evaserunt quorum multi tamen aegrotant vulnerati saxis dissipatis. Oro Deum ut nos clementer protegat. Plura alia habebam, sed properabat nuncius[2]).

Philippus Melanthon.

No. 6798. 10. Aug.

Ge. Buchholzero.

Manlii farrag. p. 269 sq.

Georgio Buchholzero, Praeposito Berolin.

S. D. Reverende et charissime frater: Certissimum est, a Deo, qui miranda sapientia et bonitate genus humanum condidit, insitas esse storgas erga cognatos: et velle eum, ut sint commonefactrices de suo amore erga filium et erga nos. Vult nos adfici desiderio nostrorum. Ideo pietas est, quod in morte sororis[1]), honestae matronae, non sine moesticia estis: sed sit modus. Et cogitandum est, nos debere acquiescere in cogitatione voluntatis Dei. Sit et haec consolatio in conspectu, quod accessit ad dulcissimam consuetudinem Ecclesiae coelestis, iuxta dictum: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Cogito et ego quotidie de hoc itinere, et avide expecto illam lucem, in qua Deus erit omnia in omnibus, et procul aberunt sophistica et sycophantica.

Quod longiorem enarrationem dictorum Pauli scribi vis: etsi in re manifesta non opus est longa disputatione, tamen in praefatione de illis Pauli dictis, propter iuniores, aliquid intertexam[2]). De conviciis nihil respondebo: sed sequar Psalmi vocem: Illi maledicebant, ego autem orabam. Scio me, Deo iuvante, vera docuisse et docere, et iudicio Ecclesiae me et mea semper subieci: fugi absurda et hyperbolica, quae sunt perniciosa iunioribus, etiamsi in vulgo plausus cient. Te etiam adhortor, ne petas institui colloquium cum adversario nostro, sed tuo loco dicas necessaria: ut Ioannes apostolus cum Cerintho rixari noluit. Vincet veritas, quantumvis premere eam maledici conantur. Mitto vobis exempla orationis proximae. Bene vale. Deus confirmet illustrissimo Principi et vobis animae et corporis vires. Historica recentissima haec habeo: quod Romanus pontifex regi Gallico *Henrico*, qui ante paucos dies mortuus est, tribuit ante mortem ius occupandi Angliam: quia armari eum voluit ad delendas et Anglicas et nostras Ecclesias. Filius Dei protegat et gubernet nos. 10. Augusti, Anno 1559.

No. 6799. 10. Aug.

Hier. Besoldo.

Epist. lib. V. p. 235.

Hieronymo Besoldo, (docenti Evang. Norinbergae.)

S. D. Reverende vir, et chariss. frater. Deo gratias ago, quod Principes *Palatinos*, qui Pa-

---

1) Praetermisit hic Melanthon apud quem; Spanhemius inseruit: *vos;* rectius: *apud istum hominem.*

2) Alia manus adscripsit: 10. Aug. 1559., ut etiam Spanh. edidit.

1) Regina Buchholtzer.

2) Vid. quae de disputatione ab Agricola mota scribit ad Matthesium d. 18. Aug.

triae meae Domini sunt, ad veram invocationem vocavit, et eum oro, ut semper in ea regione aeternam Ecclesiam colligat, et tribuat salutarem gubernationem. Germania ut vides, distracta est. Utinam consensus inter nostros pius et firmus esset.

His diebus *Stenckfeldii* libellus, plenus veneni, recens editus contra *Paulum Eberum* et me, (nos enim nominat) huc allatus est. Defendit mirabili sophistica hoc argumentum: Unus est mediator Christus. Ergo verbum est aeternum, seu vox docentis non est medium, quo se Deus communicat. Adversus tales coniuncti esse deberemus, et non quaerere domestica bella sine necessariis causis. Sed oro Filium Dei, ut nos gubernet. Tuas literas de inspectione et de aliis rebus, quas scire nos refert, expecto. Iam hac hora literas accepi de rixis *Svinfordensib.* [1]) et de *Rostochianis* dissidiis. Talia exempla nos hortentur ad tuendam coniunctionem. † Hamburgae ICtus in aedes pastoris, viri et boni et docti, irrupit armatus, ut interficeret pastorem; sed is, Deo gubernante, ipsum paulo ante domo exierat." [2]) Bene vale. Die Laurentii.

Philippus Melanthon.

No. 6800. 10. Aug.

Mart. Taborio.

† Ex apogr. in Cod. Paris. D. L. 54³.

Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, Martino Taborio, docenti in Academia Goldpergensi, fratri suo cariss.

S. D. Doctissime vir et carissime frater. Agnoscamus Dei beneficium et grati celebremus, quod in his regionibus tribuit et adhuc conservat Evangelii et aliarum doctrinarum, quae Ecclesiis utiles sunt, lucem, et mediocrem tranquillitatem necessariam studiis doctrinarum. Regi Gallico *Henrico* Romanus Pontifex dederat ius occupandae Angliae. Id voluerunt esse πρόφασιν et initium exercendae saevitiae adversus eos, qui idola pontificia non colunt. Sed filius Dei custos Ecclesiae suae illa consilia impedivit, qui et Turcis frenum iniicit, ne procedant adversus nos. Certum est enim, filios Turcici tyranni inter se de regno dimicare. Nos igitur, grati Deo, omnibus officiis Ecclesias et coetus docentium et discentium foveamus, quos ut gubernet et protegat filius Dei, assiduis eum votis oro. Diaconum delegimus, quem spero vos probaturos esse. Nomen *Taborii* retinere te malim propter montem, qui dicitur Tabor, quia fuit ὀμφαλός illius pulcherrimae orae ad Iordanem. Bene vale. Die Martyris Laurentii. Mitto exemplum orationis περὶ ἕξεως.

Philippus Mel.

No. 6801. 10. Aug.

Henr. Paxmanno.

† Ex apographo in cod. Paris. D. L. 54³.

Clariss. viro, eruditione et virtute praestanti, D. Henrico Paxmanno, Doctori artis medicae, gubernanti Academiam Goldbergensem, amico et affini suo cariss.

S. D. Clarissime domine doctor et adfinis carissime. Scimus, et necessarios Ecclesiae esse et Deo placere labores docendi et discendi literas, linguas et doctrinas, quae fontes sapientiae, quam Deus Ecclesiae tradidit, illustrant. Ideo huius militiae difficultates perferamus, et a filio Dei, doctore nostro, auxilium petamus et expectemus. *Casparum Harthart* (?) et *Laurentium Ludovicum* hortatus sum, ut vocationi vestrae parerent. Excusat se uterque. Delegimus igitur *Ionam Libinek* Lignicensem, recte doctum virum et recte invocantem Deum, ac modestum et publicae concordiae amantem. Hic Ionas pollicetur, se Deo iuvante ad festum castorum angelorum ad vos accessurum esse. Spero vestris consiliis et auctoritati vestrae modeste obtemperaturum esse. Agnoscamus beneficium Dei et grati celebremus, quod Evangelii et doctrinarum lucem clementer tribuit his regionibus, nec sinit eam extingui pontificiis, turcicis et fanaticis furoribus, et precemur filium Dei, ut nos gubernet et protegat. Mitto exemplum orationis περὶ ἕξεως, cuius lectionem

---

1) De Svinfordinensi controversia vid. infra iudicium d. 13. Nov. 1559.

2) Addit A. D.

tibi spero non insuavem fore. B. V. Die Laurentii, 1559.

Philippus.

No. 6802. 15. Aug.

Dav. Voigtio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54 [3].

Davidi Voit in inclyta Academia Ienensi.

S. D. Doctissime vir et cariss. frater. Cum tibi in Salinis spes facta sit de gubernatione scholae, et longiores peregrinationes formides, quid possum dare consilii, nisi ut expectes eventum in Salinis? Interea si quem locum commodiorem Deus ostendet, tamen eo uti poteris. Ecclesia in *Monte Mariae* in Mysorum regione, vicina Fribergae, adhuc desiderat pastorem. Is locus commodus esset, sed reditus Illustrissimi Ducis Saxoniae Electoris expectandus est. Nondum etiam abiicio consilium de Borussia. Sunt in Academia Regiomontana duo viri integerrimi et concordes, Doctor *Ioannes Aurifaber* et *Petrus Sickius*. Horum tibi consuetudo dulcissima esset, ac recens accepi literas a Principe, in quibus petit mitti lectorem. Mihi in ea loca migratio non molesta esset propter spem tranquillitatis, praesertim cum ibi sit *Ioannes Aurifaber* Vratislaviensis, de quo nuper dicebat ad me vir honestissimus exul Anglicus, se non vidisse in omni vita sua virum meliorem. Etsi amo in laudando mediocritatem, tamen hic sermo significat, magnam esse integritatem in illo Aurifabro Vratislaviensi, dissimilimo *Aurifabro Wimariensi*, cuius nuper atrocissimi sermones mihi recitati sunt. Sed commendo nos filio Dei, domino nostro Iesu Christo, quem toto pectore oro, ut nos gubernet et protegat. Te adhortor, ut, cum conscientia tua prorsus non sit saucia, erigas te iis consolationibus, quas Deus nobis proposuit, et sis memor dicti: Iacta curam tuam in Deum, et ipse te enutriet. Bene vale. Die 15. Augusti.

Philippus Melanthon.

Petivit et Dux Megalburgensis mitti pastorem pro Rostochianis. Hanc functionem, si voles, certo te habere posse existimo. Rostochii is, qui pastor erit, simul erit lector theologicus. Responde de Rostochiano negotio.

No. 6803. 18. Aug.

Io. Matthesio.

Epist. lib. II. p. 111. (ed. Lond. lib II. ep. 99.).

D. Iohanni Matthesio

S. D. Reverende vir et charissime frater, Non dubito, quin multo ante audieris historiam de morte Regis *Gallici Henrici*. Sed fortassis hoc nondum audivisti. Tradiderat ei Romanus Pontifex ius occupandae *Angliae*: Id debebat initium esse saevitiae, etiam adversus Ecclesias nostras exercendae. Haec consilia Pontificia Deus impedivit. Ex *Veneta* urbe scriptum est hac aestate fratres filios *Turcici* Tyranni inter se dimicasse in *Bithynia*, et trucidata esse 40000 Turcorum. Ita clementer a *Germania* adhuc Filius Dei Turcicam gentem arcet. Narrat mihi hospes Pannonius, Turcica praesidia in *Pannoniam* minus erumpere ex suis speculis hoc tempore, quam antea solebant. Precemur Filium Dei, ut nos gubernet et protegat. In oppido vicino *Berlino* certamina sunt de hac propositione: An bona opera sint necessaria, Et ex *Paulo* citat *Islebius*, *οὐ κατὰ ἐπιταγὴν λέγω*, quod dictum est de non praeceptis, scilicet de modo Eleemosynarum. Non enim vult *Paulus* tolli distinctionem Dominiorum. Id detorquet *Islebius* ad alia, quae in praeceptis mandantur. Addit horribilia epiphonemata: ex Diabolo ortam esse hanc vocem, *Bona opera sunt necessaria*. Tales furores puniet Deus. Oro Filium Dei ut nos gubernet. Mitto tibi duo exemplaria orationis recitatae, cum *Andreae Rosae* tribueretur testimonium publicum *). Brevi mittam et alia nostra scripta. Te volo nostra ut censorem legere. Vides me quaerere materias utiles et dulces, quia certe illa *Sphingis* aenigmata, quae *βλακικὸν τάγμα* edit, non prosunt iuventuti. Sed tuum iudicium expeto. Bene vale et saepe nobis scribito. Die 18. Augusti.

*) Tributum est d. 3. Aug. 1559.

No. 6804. 20. Aug.

Io. Matthesio.

Epist. lib. II. p. 112. (ed. Lond. lib. II. ep. 100.).

D. Iohanni Matthesio

S. D. Reverende vir et charissime frater, Mox iturus eram ad concionem dulcissimam de *Samaritano*, curante vulnera saucii viatoris *), veniam igitur brevitati literarum dato. Precemur autem hunc *Samaritanum* Filium Dei, ut Ecclesiarum nostrarum in *Germania, Gallia* et *Britannia* vulnera sanet. Magna omnino generis humani mutatio impendet, quam gubernet Filius Dei. Bene et feliciter vale. Die 20. Augusti.

No. 6805. 23. Aug.

Conr. Heresbachio.

Epist. lib. II. p. 399. (ed. Lond. lib. II. ep. 412.).

D. Conrado Heresbacchio

S. D. Clarissime vir et charissime frater, Scio te et natura beneficum esse et scire illud vetus, *κοινὸν ἀγαθὸν χρηστὸς ἀνήρ*. Sed interpellationes in aulis saepe sunt insuaves. Habet autem hic adolescens *Iohannes Clarenbach* spem, posse aliquid auxilii ad studia impetrari in aula, et a me petivit ut ad principem Illustrissimum scriberem. Etsi nos senes sumus *μικρόψυχοι καὶ δυσέλπιδες*, tamen scripsi. Te autem oro si petitionem eius adiuvare potes, ne ei desis. Studia doctrinarum hic Dei beneficio mediocria sunt. Ex *Pannonia* huc scribitur hac aestate fratres filios *Turcici* Tyranni in *Bithynia* inter se dimicasse et circiter quadraginta millia Turcorum interfecta esse. Literas a te de *Gallia* expecto. Bene vale. Die vigesimo tertio Augusti, Anno 1559.

*) D. 20. Aug. fuit dies dominica XIII. p. Trinit.

No. 6806. (23. Aug.)

Scholasticis.

Scripta publ. Witteb. IV. p. 33 b.

Philippus Melanthon
(Auditoribus.)

Postquam Deo iuvante *responsiones Bavaricas* utcunque pertexui, redibo ad *epistolam* Pauli ad *Timotheum* scriptam, in qua mox accedemus ad doctrinam de coniugio. Repetam igitur summam eius doctrinae, ut iuniores discant gradus cognationum, et alii grandiores habeant plures commonefactiones de controversiis coniugalibus. (anno 1559.)

No. 6807. m. Aug.

Wolfgango Palatino.

Epist. nuncupatoria praemissa libro Melanthonis: Responsiones ad impios articulos Bavaricae inquisitionis. Witeb. 1559. 8. Etiam in opp. Melanth. Wittenb. T. I. p. 360. et in Mel. Corpore doctrinae lat. p. 891. — Articulos ipsos, antea a Melanthone cum praefatione editos, quaere supra d. 3. Oct. 1558.

Illustrissimo Principi et Domino, Domino Wolffgango, Principi Palatino Rheni, Duci Bavariae et Comiti Valentiae, etc. Domino suo clementissimo S. D.

Diligentia digna est homine, considerare gentium origines et migrationes, Imperiorum seriem, et familiarum excellentium propagationem, incrementa et inclinationes. Nam haec consideratio non solum est commonefactio de rerum humanarum inconstantia, de qua tamen etiam cogitare prodest, ut nos ad modestiam flectamus et aeternam patriam intueamur: sed etiam ostendit multa iudicii divini exempla in poenis, et virtutum in familiis Heroicis *). Coniunxerat se rex Noricus seu Bavaricus cum Longobardis, qui crudeliter in Italia grassabantur: quos cum repressisset Carolus, necesse fuit deinde Carolum cum socio Longobardorum dimicare, qui potitus Bavaria,

*) Serius in Corpore doctrinae et in opp. Witteb. hic addita sunt: „*ostendit et veterem Ecclesiae formam, quam scire valde prodest.*"

deinde eam suis posteris reliquit. Haec mutatio regni felix tunc Bavariae fuit. Grata enim haec sedes fortissimis principibus fuit, qui Italiam inde, cum vicina esset, magis tueri poterant, et Germania adversus Hungaros et Henetos, qui saepe ex Boiemia erumpebant, assidue defendenda erat. Interea hi Francici principes ornarunt Noricum ubique legibus, doctrina religionis, literarum et disciplina. Etsi enim cito Apostolorum tempore vox Evangelii in Noricum perlata est (narrant enim *Lucium Cyreneum* in *Tiberia Augusta*, quae nunc est *Regensburgk*, Evangelium docuisse): tamen postea in Imperii Romani dilaceratione Ecclesiae rursus dissipatae sunt. Maior fuit tranquillitas post Carolum Magnum. Restitutae sunt igitur Ecclesiae. Et quamquam illa aetas in tantis tumultibus omnium Gentium supra fundamentum extruere multum stipularum coeperat, tamen nondum nota erant pleraque idola, quae postea Monachi recentiores in templa collocarunt. Extant enim scripta illius aetatis, ex quibus iudicari potest, quale fuerit doctrinae genus.

Constat autem familiam vestram, quae nunc et Bavariam tenet et Palatinorum regionem ad Rhenum, ortam esse ab Arnolphi Imperatoris filio. Fuit autem *Arnolphus* Imperator ex Caroli posteris, qui Italiam pacavit, et dissidia Pontificum sustulit; Normannos, qui inde usque a Baltico litore ad Vangionum urbem accesserant, et Belgicum vastaverant, dissipavit, et Henetos repressit, fuitque auctor, ut rex Boiemiae doctrinam Ecclesiae Christi reciperet.

Omitto commemorationem de excellentia virtutis in Carolo et Ludovico Pio. A talibus viris cum orta sit familia vestra, habetis domestica exempla illustria omnium virtutum. Nec dubium est, omnes natos in vestris regionibus, quo in numero et ego sum, intuentes pulcherrimam seriem maiorum vestrorum, maxime optare, ut perpetuo floreat posteritas, et ut non solum politica gubernatio sit felix, sed etiam ut omnes Bavarici Principes sint unum in Deo, et congruant omnes Ecclesiae ad illam dulcissimam Psalmi vocem, Ut conveniant reges et populi simul, ut serviant Deo. Oro igitur toto pectore Filium Dei, dominum nostrum Iesum Christum sedentem ad dextram aeterni Patris, ac dona largientem hominibus, ut te et caeteros Principes Bavaricos gubernet, ut patriam feliciter regatis in gubernatione politica, et ut vera invocatione Dei et vos ipsi, et subditi omnes eum celebrent. His etiam, qui puram Evangelii doctrinam Ecclesiis proponi curant, gratulor hanc pietatem.

Cum autem ad me allati essent Articuli a Monachis compositi ad deterrendos homines a verae doctrinae studio, magnum accepi dolorem, et quamquam rogatus sum, ut Responsiones formarem, quia insidiae multae sunt in illis quaestionibus, quae sunt tanquam Sphyngis aenigmata, tamen et patriae amore movebar, ut aliquas admonitiones ederem. Respondi igitur brevius fortassis, quam magnitudo rei postulat, et quaestiones quasdam horridiores consulto seposui, et hanc lucubrationem ad Celsitudinem tuam mitto, non solum ut studium meum Celsitudini tuae ostendam, sed multo magis, ut Celsitudo tua, quae puram Ecclesiae doctrinam optime intelligit, et Deum recte invocat, sit iudex et de voluntate mea, et de hoc ipso scripto. Optarim omnium, qui in nostris Ecclesiis docent, pium esse consensum, et una communem hostem reprimi. Nunc proh dolor! hoc fieri videmus, quod scripsit Thucydides, Tantisper victrices fuisse Athenas, cum Duces adversus praecipuum et communem hostem coniuncti fuerunt; postea eas victas esse, cum distracti duces, singuli propria bella quaesiverunt, omisso communi hoste. Sed oro Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, ut vulneribus nostris medeatur, et clementer colligat sibi aeternam Ecclesiam inter nos, et faciat, ut omnes nostrae Ecclesiae unum sint in ipso. Bene valeat Celsitudo tua. Anno 1559. Mense Augusto.

Philippus Melanthon.

No. 6808. 1. Sept.

Abd. Praetorio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Abdiae Praetorio, Lectori in Academia Francofordiana.

S. D. Clarissime vir et cariss. frater. Scio disputari, unde sit *Bavariae* appellatio, a Boiisne, an a vocabulo Avares, praeposita una litera. Fuerunt autem ἀβαρεῖς seu pars Hunnorum seu vicini, qui Iustiniani tempore cum Hunnis coniuncti

Thraciam, Illyricum et Pannoniam vastarunt. Et recte scripsit *Iornandes*, *Hungarorum* nomen compositum esse ex Hunnorum vocabulo *Iuar* [1]), quod est ἄβαρεῖς. Nostros vero Noricos a Boiis dictos esse statuamus. Optemus autem et Noricis et Pannoniis Ecclesias recte constitutas et tranquillas. Mitto tibi pagellas nostrae responsionis, et mitto ut censori erudito et candido, ac te oro, ut iudicium mihi tuum significes. *Staphylus* iam sua στέμφυλα contra me spargit, et βλακικὸς τυφῶν edidit quaedam de humana voluntate, cum et recte et verecunde locutus sim, et sequar ordinem divinitus traditum: Fides ex auditu est. Nec velim dubitationes augere. Sed expecto tuum iudicium. Bene et feliciter vale. Salutem vobis omnibus opto. Peto ut rescribas [2]). Calend. Septb. 1559.

Philippus.

No. 6809. 1. Sept.

Henr. Paxmanno.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

D. Henrico Paxmanno, Doctori artis medicae, gubernanti Academiam Goldbergensem.

S. D. Clarissime domine doctor, et carissime affinis. Saepe gemens intueor pauperes scholasticos, qui quanquam nec parentum nec aliorum auxilia habent, tamen aerumnas sustinere quam deserere literas malunt. Et exempla miranda vidimus, quae ostendunt, hunc ipsum gregem Deo curae esse, qui multis hospitia et honestas operas tribuit, flectit etiam multorum piorum animos ad eos iuvandos. Nec dubito, te iam, praesertim in hac gubernatione, multa talia exempla considerare. Oro, ut huic auditori tuo *Ioanni Reutero* Bremensi tribuas paedagogiam aliquam vel apud virum nobilem vel alibi. Dedi ei publicum testimonium, sed tuam diligentiam istic plus ei profuturam esse spero. Bene vale. Cal. Septemb. 1559.

Philippus.

1) Scriptum est *Jüar*.

2) Apogr. *rescribis*; sed vel *rescribas*, vel *rescribatis* scribendum.

No. 6810. 1. Sept.

Io. Marbachio.

Ex *Io. Fechtii* hist. eccl. sec. XVI. supplem. p. 96.

Io. Marbachio

S. D. Reverende vir et carissime Frater. Iurisconsultus est in his regionibus, natus in familia nobili, *Georgius Comerstadius*, qui trium Ducum Saxoniae consilia rexit, *Georgii*, *Henrici*, et *Mauritii*. Nunc de praecipuis rebus a Duce *Augusto* consulitur. Et cum iustitiae et pacis amans sit, etiam belli tempore Principum iracundiam saepe leniit. Praecipue etiam transactionem inter Duces Saxoniae gubernat. Huius Georgii Comerstadii filius, *Iulius Comerstadius*, nunc ad vos proficiscitur, et aliquamdiu Iurisconsultos vestros audiet. Quaeso ut eum et propter patrem, et propter ipsius modestiam complectaris, et amicis commendes. Gratitudo bene meritis gubernatoribus debetur. Ideo patri ostendere cupio, nos eius beneficia magnifacere. Adolescens etiam ornatus est Principis beneficio, qui in Collegio Mysnensi τὸ ἀξίωμα Praepositi, ut nominant, ei tribuit. Edidi responsiones de inquisitione Bavarica, quas ut inspicias, valde te oro. Videbis, me consulto quasdam horridas disputationes seposuisse: de quibus non despero, nos coram collocuturos esse. Sed oro, ut de libello toto iudicium mihi tuum significes. *Sturmiis* et vobis omnibus salutem opto. Bene vale et rescribe. Calend. Septembris, Anno 1559.

Philippus Melanthon.

No. 6811. 1. Sept.

(*Lecturis.*)

Scripta publ Acad. Viteb. T. IV. lit. F. 3., ubi inscribitur: „Latina forma literarum petentium, ne in transvectione suppellectilis quorundam studiosorum [Hungarorum] vectigalibus oneretur auriga, a Domino *Philippo Melanthone* composita." — Idem scriptum Germanice habes d. 3. Septb.

Omnibus lecturis has literas S. D.

Diu bene meriti sunt Paeonii de reliqua Europa, a qua suo sanguine Tartaricam et Turcicam barbariem represserunt, et quidem multis magnis

proeliis *Iohannes Huniades* duo fulmina, *Amuraten* et Mahometum, a nobis depulit. Vicissim igitur toti genti gratitudinem debemus. Et honestae leges in imperiis iubent, studiosos literarum defendi in itineribus adversus iniurias, et res eorum non onerari vectigalibus. Ideo oramus omnes viros generosos, nobiles et honestos, qui gubernant praefecturas, ut hos quatuor Paeonis N. N. N. N. contra iniurias defendant, et perficiant, ne transvectio suppellectilis ipsorum impediatur, et ne vectigalibus oneretur, quia tantum aliquot libros et vestes vehunt. Et cum vixerint in Academiis iam vocati in patriam redeunt, ut et doctrinas in Scholis, utiles vitae et bonis moribus, doceant, et eorum labor prosit ad veri Dei agnitionem et invocationem in Ecclesiis. Certissimum est autem, filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, sedentem ad dextram aeterni patris ac tribuentem dona hominibus, vere colligere aeternam Ecclesiam voce Evangelii. Quare et gubernatores iussit tueri doctrinae studia. Et boni principes, moti divinitus condiderunt leges de defensione docentium et discentium. Harum legum beneficiis frui et his quatuor honestis et doctis viris concedatur, praesertim cum sint nati in genere Paeonica bene meriti de tota Europa. Bene valete. Datae Calend. Septemb. anno 1559.

No. 6812. 3. Sept.

(*Lecturis.*)

Edita in Script. publ. Acad. Wit. T. IV. Lit. F. 2. Idem scriptum latine habes d. 1. Septb.

Ein Geleitsbrieff gestellet vom Herrn Philippo Melanthon, den 3. Septembris Anno 1559.

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Sohn Jesum Christum unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer zuvor. Edle, Ehrnveste, Erbare, günstige Herrn und Freunde. Ewer Ehrenveste und Erbarkeiten wissen, daß die hohen Potentaten zu Pflanzung und Erhaltung Christlicher und anderer ehrlicher Lehre, Gott zu ehren, und aus Göttlicher Eingebung viel guter Ordnungen gemacht haben, welcher eine diese ist, daß solche Personen die studiren, und ihre Geräthe unverhindert und ohne Beschwerung fortgeführet werde. Dieser löblichen Ordnung wollen Ewer Ehrenveste auch diese Christliche ehrliche Männer, die in unser Universität Witteberg etliche Jahr gewesen sind, und haben löblich studiret, und allezeit ehrlich gelebt, und sind erfordert in Kirchen und Schulen zu dienen, N. von Korn in Siebenbürgen, und N. N. N. geborne in Hungern, gutwilliglich geniessen lassen, daß ihre Personen, und ihre Geräthe, denn sie nichts anderst denn Bücher und Kleider mit führen, unverhindert und ohne Beschwerung fortführen mögen. Solche Freundschaft frembden ehrlichen Leuten, die in Kirchen Christlich dienen sollen, zu erzeigen, ist gewißlich Gott gefällig, und sonderlich sind wir frommen Leuten in Hungern schuldig Gutes zu erzeigen, denn sie uns lange Zeit mit ihrem Blut geschützt haben. Gott wölle gnediglich Hungern und Deudschland helfen. Datum 3. Septembris. Anno 1559.

No. 6813. 3. Sept.

A. Hardenbergio.

Epp. ad Hardenberg. ep. I.

Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Alberto Hardebergio Doctori Theologiae, docenti Evangelium fideliter in Ecclesia Dei, quae est in urbe Brema, fratri suo carissimo. S. D.

Darumb sollte sich Flacius, Gallus und andere billig enthalten haben, solche greuliche Aergerniß anzurichten, mit Verwendung ihres Eifers und ander Beschönungen. Da ihrem Frevel aber aus Gottes Verhängniß ja länger sollte Raum gegeben werden, so mögen sich noch fürsehen und warnen lassen alle diejenigen, so die Wahrheit lieb, und nicht aus leichtfertigem Gemüthe Zank und Hader zu fördern und zu disputiren Lust haben, die mögen wohl acht nehmen, und sich hüten vor denen, so dennoch auch gern etwas vor andern seyn wollten, aber allein durch ihre frevele Verkleinerung und Antastung anderer und Erregung neuer, ungeschickter, unverständlicher Wortgezänk darzu kommen können. Denn diese unter dem Schein, die Irrthumb anzufechten, viel einfältige gutherzige Leute verführt haben, und noch verführen möchten. Man lasse also, (dieweil es nicht anders seyn will), die freche muthwillige Welt in geistlichem und äußerlichem Fürwitz und eigenem Sinne immer hinausfahren und zu ihrem Untergang eilen. Indem aber sollen die Gottfürchtigen und Liebhaber der Wahrheit des Herrn Jesu Christi Stimme die Ohren allein offen stehen lassen, und frembde, verwirrte, wunderliche Einführung fliehen, und mit unnöthigem Gezänke sich nicht bekümmern, und ihren lieben einigen Herrn und Beschirmer inniglich und getreulich anruffen in dieser großen ängstlichen Noth der Kirchen, und sich ein Weil in ihr Kämmerlein schließen, wie der Prophet sagt, bis der Zorn und das Getümmel verrausche.

Der ewige Gott, Vater unsers Herrn Jesu Christi, wolle um dieses seines einigen, lieben, wahren, ewigen Sohns wegen den heiligen Geist seiner Kirchen reichlich wiederumb mittheilen, daß die in großer Mennig in Einigkeit und Friede beten, Gott recht anruffen, loben, preisen, ihme danken möge, in aller gottseligen friedlichen Freundlichkeit und Liebe. Diesem einigen, wahren, ewigen, allmächtigen, heiligen, starken, unsterblichen, barmherzigen Gott sey Lob, Ehre, Ueberwindung in unendlicher Ewigkeit, Amen.

No. 6831. 30. Sept.

G. Fabricio.

Epist. lib. V. p. 431 sq.

Georgio Fabricio, gubernanti Scholam Misnensem.

Mitto epistolam ad me scriptam a viro optimo, *Hieronymo Wellero*, quem gaudeo, non neglectum esse ab aula. Et quamvis est tenuis accessio, tamen nos quidem *τὰ διδόμενα στέργειν δεῖ*, ut dicitur. Utinam Respublica tranquilla sit. Nam in pace et nostris familiis, et domibus melius consuli potest. Quaeso, ut mihi significes, an in petitione civis tui Chemnicensis, sponsi, impetrata sit *ἐπιείκεια*. Iusseram, ut significaret, quid aula respondisset, te scire existimo.

Postquam a vobis huc redii, scripsi magnum volumen *τῷ βασιλεῖ νέῳ. † ἔχοντι ὄνομα τοῦ θετοῦ υἱοῦ Σκιπίωνος*" *).

Hanc epistolam dedi tibi exhibendam viro docto et modesto, et cupido congressus tui, et vero amicitiae M. *Nicolao Schellero*, Coburgensi. Cuius ea est comitas, ut tuo ioco de clamosis Francis etiam delectetur. Quid enim manifesta negaret, quod tamen in horum temporum impudentia saepe fit, non sine incommodo Reipubli-

*) Addit A. D. Est autem Maximilianus, rex, et loquitur de Iudicio, quod Pfausero miserat.

cae. Plura scribere nunc non potui. Bene vale. Die, quo *Hieronymus Stridonensis* mortuus est, anno aetatis suae nonagesimo primo, vir bene meritus de Ecclesia, cui tamen non melior gratia reddita est, quam multis mediocriter hoc tempore servientibus in propagatione doctrinarum. Sed hic felix fuit, qui procul in villam Bethlemiticam se abdidit, et in Asia doctissimorum sermonibus levationem senectae quaesivit, Nazianzeni, Epiphanii et aliorum. Mortuus est autem anno a nato Christi ex virgine 420. Augustinus anno decimo post mortuus est.

No. 6832. (m. Sept.)

Iac. Bordingo.

Fragmentum epist. a Mylio in Chronolog. scriptor. Melanth. servatae ad ann. 1559. — Idem fragmentum dedit Mart. Crusius in poemat. graec. (Basil. 1566.), et iterum in Ej. Turco-Graeciae lib. VIII. (Basil. fol. 1564.) p. 364.

Ad Iac. Bordingum.

Mitto tibi interpretationem graecam Confessionis *), sine meo consilio editam. Probo tamen phrasin, ac misi Constantinopolin per virum doctum, qui ibi Diaconi officio fungitur, et tota aestate noster hospes fuit, ac narravit, multas adhuc Ecclesias in Asia et in Thracia et vicinis regionibus esse, sed paulatim propter servitutis aerumnas diminui frequentiam. etc.

*) Confess. Augustanae.

No. 6833. 1. Oct.

Abd. Praetorio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Abdiae Praetorio, Lectori in Acad. Francofordiana.

S. D. Doctissime vir et cariss. frater. Responsiones meas de Bavarica inquisitione tibi mitto, et mitto ut iudici, ac peto, ut mihi significes, praesertim περὶ ἑκουσίου, an hanc explicationem, quam vides verecunde scriptam esse, probes. Non tam oppugnare quam seponere horridiores quaestiones volui. Scis enim, turbari animos labyrinthis illarum disputationum. Mitto autem et χάριτας, quas exhibebit tibi noster *Henricus* utrique carissimus. Spero colloquio vestro et Musas et charitas interfuturas; nec tantum illas atticas sculptas a Socrate, sed etiam *χάριν τοῦ υἱοῦ θεοῦ*. Bene vale et rescribe. Calend. Octobr. Salutem opto vobis omnibus, ac nominatim doctori *Scoto*, cuius patriae gratulor vocem Evangelii. 1559.

Philippus.

No. 6834. 1. Oct.

Sigismundo Archiepisc.

Epist. lib. V. p. 272 sq.

Illustriss. et Reverendissimo Principi ac Domino, Dn. Sigismundo Archiepisc. Meideburg. Primati Germ. Administratori Halberstad. March. Brandeb. Duci Pomer. etc. et Silesiae Burggrav. Norib. etc. S. D. *Philip. Melanth.*

Multa sapiens vetustas utiliter constituit, quae paulatim in hac inconstantia rerum humanarum posteritas aut neglexit, aut corrupit. Exempla commemorari multa possent et in Ecclesia et in Regnis. Quid fuit pulchrius in illo fastigio generis humani, quam cum Augustus dignitatem Senatus Romae tueretur, et ipse, velut Pater praesidens, de praecipuis rebus Senatum consuleret, audiret ordine Sapientum sententias, legeret in hunc coetum viros sapientia et virtute antecellentes, inde sumeret Ductores exercituum, et provinciarum Rectores, iustitiam intelligentes, amantes et propugnantes, denique cum Monarchia temperata esset Aristocratia. Postea, cum Senatus autoritas a Tyrannis negligeretur, leges delerentur, et provinciae traderentur regendae levissimis hominibus, qui in lustris et ganeis Tyrannorum ministri fuerant, seditiones et bella civilia secuta sunt, quibus imperium penitus dilaceratum est. Ita pulcher ordo in Ecclesia fuit ut gradus essent Episcoporum, et sciretur, ad quos controversiae deferendae essent, quorum munus esset, convocare Synodos, et legitima iudicia constituere. Necesse est enim in Ecclesia et de doctrina et de cen-

sura morum iudicia esse. Ab hac veteri forma Ecclesiae hic honestissimus gradus Archiepiscopo Meideburgensi attributus est, ut sit et nominetur Germaniae Primas. Nam ad Ecclesiasticam gubernationem hoc *ἀξίωμα* proprie pertinet. Ad hunc controversiae Ecclesiasticae deferendae sunt. Hic Synodos convocare debet, huic caeteri vocati propter doctrinae controversias parere debent. Huius officium est legitima iudicia constituere, rogare sententias, et primam sententiam dicere, proferre decreta, et publici consensus custodem esse. Quantum hoc decus est Archiepiscopi Meideburgensis? Sed, proh dolor! etiam hi gradus salutares in Ecclesia turbati sunt. Romanus Antistes ad se unum hanc autoritatem transtulit, et tamen haec tristia dissidia Germaniae ostendunt, opus esse pia Synodo. Et expetunt legitimam cognitionem dogmatum omnes bonae mentes assiduis votis et gemitibus.

Quoties igitur tuum hunc plenum dignitatis titulum Primatis legis: cogites, quaeso, de tuo munere, et de magnis Ecclesiae vulneribus, et pectora multorum piorum intueare, quae assiduis gemitibus dolorem suum ostendunt, et Ecclesiis consuli petunt. Existimo autem, te Principem cognatum multis Regibus et Principibus in hoc fastigium collocatum esse, ut salutarium consiliorum adiutores habeas, qui, cum et ipsi optent, unam esse piam vocem Ecclesiae, tibi non defuturi sunt. Etsi autem, cum talia dicimus, videmur ut fatui Platonis politiam pingere, tamen res ipsa tandem aliquos Principes coget communi deliberatione legitimam cognitionem instituere, quae fiet felicius, si regetur a bonis Principibus, qui veritatem sine odiis et aliis privatis cupiditatibus quaerunt. Interea te optamus, et hortatorem esse caeteris, ut hac tanta de re cogitent, et favere studiis honestorum hominum, quorum labor servit iuventuti in propagatione verae doctrinae et exercitiis, quae mentes ad honesta et moderata consilia, et ad amorem publicae tranquillitatis assuefaciunt. Verissimum est enim illud Thucydideum: *ἀμαθία θράσος ἀπεργάζεται: τὸ δὲ λελογισμένον ὄκνον.* Indocti et non mansuefacti cultura honestae doctrinae: et non intelligentes, quantum onus sit, recte dicere et docere, magis feri, praecipites, iracundi, superbi et pertinaces sunt, quam alii, qui ad circumspectionem et curam recte explicandi res difficiles, quae ipsa contationem et moderationem adfert, adsuefacti sunt. Vidit aetas nostra his 40 annis exempla plurima. Nam seditiones et monstrosae opiniones pleraeque ab indoctis ortae sunt. Et illa discolor Anabaptistarum turba similis furenti multitudini, quae in orgiis Bacchi concurrebat, tantum est indoctorum hominum colluvies *καὶ συρφετός.* Necesse est igitur, sapientes gubernatores et Ecclesiis praeficere recte eruditos Doctores, et curare, ut iuventus ex limpidis fontibus doctrinam hauriat, discat vera fundamenta dogmatum, et intra metas coërceatur a sanis et probatis artificibus monstratas. Maiores tui, Princeps *Sigismunde*, cum aliis virtutibus, iustitia, fortitudine et scientia rei militaris excelluerunt, tum vero praecipuam laudem sapientiae et eloquentiae habuerunt. Qua de re cum multa commemorare possem, hanc historiam tantum recitabo de proavo tuo, quam narrare solebat his verbis.

Dux Saxoniae, *Iohannes*, Elector, optimus Princeps, et tradi posteritati utile est. Bellum intulerant Silesiae duo potentissimi Reges, *Matthias*, Hungaricus, et *Casimirus*, Polonicus. Cum autem vicini Principes, Electores, Saxonicus et Marchicus, viderent, non Silesiam tantum, sed universam hanc Germaniae oram in periculo esse, sese coniunxerunt, et cognatos Principes ad communem Patriae defensionem attraxerunt. Talis erat tunc et amor Patriae in Principibus et concordiae, ut libenter se coniungerent. Et Matthiae iracundia et celeritas formidabantur. Ducunt igitur sex millia equitum lectissimorum ad Vratislaviam usque, quia ibi castra utriusque Regis erant. Denunciant Regibus se venire, ut sint arbitri controversiae ipsorum, et pacis conditiones proponant, seque adiuncturos suum exercitum illi, qui pacis conditiones accipiet, ut alter pellatur. Erat aequior Rex Polonicus, et volebat, pacem fieri. Cum igitur in metu esset Rex *Matthias*, deducta res est ad exponendas pacis conditiones. Has exposuit Marchio *Iohannes*, Elector, proavus tuus, longa et splendida oratione, in qua horas quatuor consumpsit, audientibus praecipuis viris trium exercituum. His conditionibus utrinque acceptis Reges discesserunt, et Germania ingenti periculo liberata est. Fuitque laus praecipua tui proavi. Dictum est enim, etsi multi sapientes et eloquentes viri in illis exercitibus fuissent: tamen existimavi a nemine alio tam splendide hanc caussam exponi potuisse.

Cum igitur et intellexerint et amaverint Maiores tui decus sapientiae et eloquentiae, munificentiam etiam exercuerunt in illustrandis honestis artibus. Profuturus est autem hic labor Viri Clarissimi, eruditione et virtute praestantis *Christophori Pannonii* ad eloquentiae exercitia *). Quare Celsitudinem tuam reverenter oro, ut librum, quem offert Christophorus, ita accipias, ut quamplurimi intelligant Celsitudinem Tuam, et haec exercitia recte loquendi et recte scribendi probare, et iis bene velle, qui in propagatione doctrinarum, quae sunt utiles Ecclesiae et paci, et sunt virtutum semina, Reipublicae fideliter serviunt. Bene valeat Celsitudo Tua. Cal. Octobris Anno 1559.

No. 6835. 3. Oct.

H. Huddaeo.

† Invenit Clariss. *Fridlaenderus*, Bibliothecae Reg. Berolinensis custos, tria folia in 12mo, cui inscripta erat haec Melanthonis epistola. Putat *Fridlaenderus* haec folia evulsa esse ex libello quodam antiquo, in quem sibi aliquis hanc epistolam descripserat.

Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, Hermanno Huddaeo, gubernanti studia doctrinae in inclyta Minda, fratri suo carissimo,

S. D. Doctissime vir, et carissime frater. Est omnino dei opus et donum vena fundendi carminis copiosa et dulcis, quod deus non largitur omnibus. Ut autem adolescentes grammaticam recte discant, utile est, omnes quoque modo versiculos facere, quod cum faciant magis intelligere praestantiam in bonis poëtis possunt. Hoc consilio sum hortator omnibus, ut versus faciant, et interdum exemplo imbecilliores incitavi. Hanc meam voluntatem doctos et bonos probare velim, versiculos ipsos scio ieiunos et ineptos esse, et malim, eos non edi, praesertim cum et veterum et recentium extent multa optima carmina. Ego videor Marsia aut corvus inter cygnos crocitare. Epitaphia multa feci tristi naturae convenientia, qua in re honestis hominibus me gratificari oportuit. Te oro, ut dissuadeas editionem. Bene vale et rescribe. Die 3. Octob. 1559.

Philippus.

*) Vid. supra ep. ad Pannonium d. 18. Septb.

No. 6836. 3. Oct.

Henr. Paxmanno.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54³.

Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Henrico Paxmanno, Doctori artis medicae, gubernanti Academiam Golpergensem), affini et amico suo carissimo.*

S. D. Clarissime d. Doctor et adfinis carissime. Scio bonum esse ingenium Ducis *Henrici*, et pie factum est ab eo Augustae, quod interesse pompae persicae, in qua fit *ἀρτολατρεία*, noluit, ac filium Dei oro, ut eum servet et gubernet. Sed quam sit periculosum respondere de quaestione, quam et vobis et mihi misit, vides. Regula non est obscura: Fugite idola. Hic si *ἀκριβῶς* iubemus retineri Regulam, dicent aliqui multos infirmos in aulis damnari, filios et filias divelli a parentibus. Sin dicimus, infirmitati quorundam parcendum esse, quanti clamores aliorum, qui sunt duriores, excitantur. Et scis, inflecti saepe responsa ad cupiditates. Scis multos etiam gaudere, se calumniandi materiam nactos esse. Scripsi tamen aliquid, sed fortasse non tam multa, quam et causae magnitudo requirit, et vos postulatis. Mitto exemplum mei scripti iisdem verbis, quod misi illustrissimo principi *Henrico*, et oro, ut pro candore vestro boni consulatis meam facilitatem. Bene vale. Salutem vobis omnibus opto. Die 3. Octob.

No. 6837. (3. Oct.)

(*Scriptum.*)

Editum in Melanthons christlichen Berathschlagungen und Bedenken, p. 369., ubi ad annum 1552. refertur. — Ad quemnam scriptum sit, intelligitur ex epistola antecedente ad Paxmannum. Apographon in cod. Paris. D. L. 54³., ubi inscribitur: *De quaestione Ducis Henrici.*

*) Goldbergensem.

„Ob Evangelische Personen mögen mit ihren Herren, die da Päpstisch seyn, zu Meß gehen, und was von Naamans und Valentiniani Exempel zu urtheilen, die mit ihren Herren in die Tempel der Götzen gingen."[1])

Anno 1541. im Reichstag zu Regenspurg ward vom Umtragen und Anbetung des Brods disputirt im Colloquio, dabei gewesen sind Pfalzgraf Friedrich, Churfürst, und Granvell, und lebet noch Herr Julius Pflug, Bischof zur Naumburg, und setzte ich diesen wahrhaftigen Grund: es könnte kein Werk oder Ding Sacrament seyn, außer dem eingesetzten Brauch, als so man Taufwasser umtragen wollte und ein Spectakel daraus[2]) machen und dasselbe anbeten, das wäre nicht ein Sacrament, sondern öffentlich Abgötterei. Als nun Eck darauf nichts anworten konnte, puchet[3]) er sehr mit großem Zorn, und ist denselben Abend im Zorn weggangen, hat also gesoffen, daß er krank worden, und saget man morgens, er wäre tödt; doch lebet er und hat ein Febrim, daß er zum Colloquio nicht mehr kam. Ist auch hernach bald gestorben. Also hat diese Proposition den Ecken gestürzet.

Wer nun[4]) diese Regulam betracht, daß nichts kann Sacrament seyn außer dem eingesetzten Brauch, der kann leichtlich richten, daß die Anbetung im Umtragen und unrechten Messen abgöttisch ist. Darum soll man die Regel halten: fugite idola, das ist, man soll sie nicht anbeten, soll auch der andern Anbetung nicht stärken mit Beyseyn, Neigen rc.

Daß man aber den Naaman anzeucht, Item die Römische Kriegsleute, als Valentinianum, der auf Iulianum in der Kirchen warten müssen, diese haben ihr Bekenntniß sonst gethan, und kein Zeichen der Anbetung bei den Götzen geben. Valentinianus schlug auch den Pfaffen ins Angesicht, daß er ihn mit dem Götzen Weihwasser besprenget. So verbeut Paulus vom Götzenopfer zu essen, wenn man weiß, daß es Götzenopfer sind.[5])

Wer die Fundamenta dieser Frage recht lernet und recht betracht, wird sich wissen nach dieser Regula zu halten: fugite idola. Es sind aber viele Menschen, jung und alt, Kinder, Jungfrauen, Knaben, die noch die Fundamenta nicht gelernet haben; sind auch schwach; mit diesen hält[6]) man die Regel: infirmum in fide suscipite, doch daß sie dociles sind, und wollen in rechter Anrufung stärker werden.

Phil. Mel.[7])

No. 6838. 8. Oct.

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camerar. p. 744. (ed. Lond. lib. IV. ep. 893.).

Clariss. viro eruditione, sapientia et virtute praestanti Ioachimo Camerario fratri suo carissimo,

S. D. Mitto duas epistolas, alteram Britannicae Reginae *), alteram quae illi respondet, quas ut aut ipse doctori *Mordisio* exhibeas oro, aut per D. *Franciscum Cramium* exhiberi cures. τὴν βρεταννικὴν perire nollem. Et quae fuerit occasio harum scriptionum, ex D. *Mordisio*, et *Francisco* audies. Velim autem te Aristarchum esse nostrae responsionis. Aula disputabat de posteriore parte, ubi optat Princeps commune multarum gentium colloquium. Mihi videtur recte hoc scribi, ne videamur fremitus littoris Baltici probare, ubi vociferantur quidam, martyres Anglicos esse martyres diaboli. Nolim hac contumelia afficere Spiritum sanctum in *Latimero* **), qui annum octogesimum egressus fuit, et in aliis sanctis viris, quos novi. Bene vale et rescribe, an exhibitus sit hic fasciculus. die 8. Octobris.

Philippus.

No. 6839. 10. Oct.

P. Sickio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

1) Inscr. apud Pez.
2) daraus] cod. Par. darnach.
3) Cod. Par. bücher.
4) Cod. Par. nur.
5) So verbeut — — sind] in cod. Par. praetermissa sunt.

6) hält] cod. Par. halte.
7) Nomen subscr. habet cod. Par.
*) Haud dubie Elisabetae, quae mortua sorore d. 17. Nov. 1558. regnum adepta est. Ergo haec epist. non cum editore ad annum 1558., sed ad annum 1559. referenda est. Vid. etiam ep. ad Cracov. d. 26. Sept. et d. 22. Nov. 1559.
**) exustus est mense Oct. 1555.

M. Petro Sickio, Professori in Academia Regiomontana.

S. D. Doctissime vir et amice carissime. Magnum et gratissimum theatrum est amicus amico, tales praesertim qualis est Doctor *Iohannes Aurifaber*. Hunc cum habeas et collegam et amicum, spero te malle istic esse quam usquam alibi. Utinam mihi consuetudine eius viri frui liceret. Heidelbergae *Heshusius* adversus collegam publice fulmen excommunicationis edidit, qua ex re maius incendium orietur. Precor autem filium Dei, ut nos gubernet. Tuam disputationem probo, teque oro, ut in omnibus negotiis consilio Doctoris *Iohannis* utaris. Plura scribam post paucos dies. Nam *Fasoltus* ad vos profecturus est. Bene vale. Die 10. Octob. 1559.

No. 6840. 10. Oct.

Io. Aurifabro.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[8].

Iohanni Aurifabro, theol. Doct. (in Acad. Regiomontana)

S. D. Reverende vir et carissime frater. Iudices in Consistorio Ecclesiae nostrae sunt viri honesti et eruditi, Doctor *Sneidewein*, Doctor *Georgius Cracovius* et Doctor *Georgius Maior*. Interdum et me et alios adhibent. Ac dicuntur sententiae non futiles. Habeo autem veram et gravissimam causam, ut hanc sententiam consistorii, quam mitto, approbem. Quia mulier morbo impeditur, censeo, non cogendam esse ut nubat, sed ipsa deinceps maneat innupta; petitori autem concedatus, ut aliam pie ducat, quia haec sponsalia irrita sunt. Ascriberem meae sententiae causas, nisi scirem, aulicos ἐκ φιλονεικείας magis quam studio veritatis adversari vestris*) sententiis, nec recuso inter doctos et pios exponere causas. Cum has nostras literas acceperis, quaeso, ut accepisse te significes et de iudiciis Vestrorum scribas, an cesserint huic sententiae.

Dei beneficio in hac vicinia pius et Academiarum et Ecclesiarum consensus est, et omnium eruditorum et piorum erga te benevolentia non est fucata. Speramus, filium Dei nos protecturos esse contra βλακικὴν τυραννίδα, et contra alios hostes. Heidelbergae publicae discordiae sunt de coena domini, quae fortassis movebunt principes, ut synodum tandem convocent, in quo utinam sit βραβευτής filius Dei. Nondum scio quid aula Palatina de illa dissensione deliberet, sed quicquid cognovero, tibi significabo. Bene et feliciter vale. Die 10. Octob., quo ante biennium mea coniunx ex huius vitae aerumnis ad coelestem Ecclesiam evocata est. Postea vixi lugens halcyonum more, non tantum propter domesticam calamitatem, sed etiam propter Ecclesiae vulnera. Spero *Sickii* modestiam tibi probari, et, ut sit ubique dulcis concordia, opto. 1559.

Philippus.

*) vestris?] — fortasse: nostris.

No. 6841. 12. Oct.

Ge. Cracovio.

Epist. lib. II. p. 364. (ed. Lond. lib. II. ep. 376. et Consil. lat. P. II. p. 647.)

D. Georgio Cracovio.

S. D. Misit huc pastor Ecclesiae Dei in oppido *Vinaria* quaestionem, An liceat ducere privigno uxorem mortui. Quaestio est de secundo genere adfinitatum, Ideo Iurisconsultos ante annos octo concessisse scio. *Luthero* displicebat, qui extendebat prohibitionem ad coniuges, quia vir et uxor sunt una caro. Vos quid respondetis? Interroga quaeso collegas. Ego respondi nunc pastori recitato exemplo Iurisconsultorum, et iudicio *Lutheri* *). Bene vale, et rescribe. Die 12. Octobris.

No. 6842. 12. Oct.

Testimonium.

Scripta publ. Tom. IV. Lit. G. 7.

Testimonium cuidam Pastori (Ant. Dusterlohe) datum, sed fraude extortum ab ipso, An. 1559.

Omnibus Lecturis S. D.

Usitata sunt Ecclesiae exilia, ut nos commonefaciant de primorum parentum exilio, et de filio

*) Haec Pezel. sic: *Ego respondi in hanc sententiam, quod non sit permittendum tale coniugium.*

Dei, qui propter nos factus est exul, ut nos in patriam aeternam reducat. Vult autem nos Filius Dei cogitantes de causis communium calamitatum benefacere honestis et piis exulibus. Ideo commendamus hunc *Antonium Dusterlohe* Uxariensem omnibus honestis viris. Docuit Ecclesiam fideliter in pago Uthausen in ripa Mildae, non procul ab oppido Mysorum, quod habet arcis Iuliae nomen. Sed inde discessit propter pagi conflagrationem hoc anno factam*). Nec alia causa est hoc tempore, cur aliud hospitium quaerat. Doctrinam Evangelii incorruptam propagavit in hac vicinia, et in concionibus suam confessionem ostendit. Speramus eum utiliter serviturum esse Ecclesiae Dei, ubicunque erit, et Filium Dei oramus, ut exulantem in his tristissimis confusionibus generis humani Ecclesiam suam servet et gubernet, et ita ornet suis testimoniis, ut multi eam agnoscant, et ad eam convertantur, et impii coetus refutentur, sicut scriptum est: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo, da gloriam. Et apud *Esaiam* inquit Dominus: Propter me, propter me faciam, ut non blasphemer, et gloriam meam alteri non dabo. Hac freti promissione petamus et expectemus auxilium a Deo adversus omnes hostes nostrarum Ecclesiarum, quae sunt vere membra Filii Dei. Datae die Octobris 12. Anno 1559.

Philippus Melanth.

No. 6843. 13. Oct.

H. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 250. Hic ex autographo in cod. Mon. I. p. 252., cuius titulo Baumgartnerus adscripsit: „1559. 24. Octob. per Conradum Schopum".

Hieron. Bomgartnero, Senatori inclytae urbis Norib.

S. D. De filio sororis *Frechti* literas tuas Lipsiae accepi, ubi quanquam ad te scribere decreveram, tamen negotiis Ecclesiarum, quae vobis vicinae in Norica regione principis Palatini *Wolfgangi*, impeditus fui. Ibi quoque non de doctrina, sed de humanis ritibus lites sunt, de quibus certe opus est mutua ἐπιειχείᾳ, etiamsi crudeliter laceror, quod hanc ἐπιείχειαν suadere soleo. Sed Deo me commendo, Adolescentem de quo scripsisti commendabo alicui ex iis, qui domesticas scholas habent. Te autem oro ut hunc *Cunradum* [1]) tuearis: Iudico recte doctum et modestum hominem esse. Bene et foeliciter vale. Die 13. Octobris [2]).

Philippus Melanthon.

*) Vid. ep. ad Camerar. d. 22. Mart. 1559.

1) *Conr. Schopum.*

2) Alius adscripsit: ann. 1559.

No. 6844. 18. Oct.

G. Cracovio.

Epist. lib. II. p. 363. (ed. Lond. lib. II. ep. 374.).

D. Georgio Cracovio

S. D. Spero nos*) hac hora ad Electionem Rectoris conventuros esse, quam ut faciat Filius Dei faustam et felicem, toto cum pectore oro, simul etiam precans, ut ipse sit Rector et doctor huius Academiae, cuius tecti dextra contemnamus Echidnas et Dracones. Defendet nos Filius Dei ut *Danielem* inter leones protexit. De literis scribendis coram tecum loquar. Bene vale. Die Lucae.

*) *vos?* — Cracovius ipse Rector Acad. renunciatus est d. 18. Oct. 1559.

No. 6845. 18. Oct.

Iac. Rungio.

Edita in *Thom. Crenii* animadverss. philolog. et histor. Parte XIV. (Lugduni Batav. 1705. 8.) p. 56.

Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti Dom. Iacobo Rungio, Doctori Theol., gubernanti Ecclesiam Domini in inclyta Pomerania, fratri suo cariss.

S. D. Reverende vir et carissime frater. Consolemur nos quotidiana recitatione articuli: *credo esse sanctam Ecclesiam καθολικήν.* Laeti statuamus, filium Dei semper servaturum esse suam Ecclesiam: et in hac piorum consensum fore, etiamsi volitabunt circa eam furiae spargentes

multiplicia deliramenta. Congruere igitur tuum iudicium cum nostro gaudeo, et tuis gravissimis sententiis confirmor: tibique gratiam habeo, quod plane, quid probes, ad me scripsisti. Nihil *Staphyli* aut *Flacii* aut similium Sycophantarum curo. In *Turingia* subinde plures pelluntur. *Victorinus* morbo iam laborat, qui carcere tristior est. *Andreas*[1]) adhuc retinetur in carcere. In Ecclesia *Heidelbergensi*, quae laeta tuam concionem plenam pietatis ante biennium audivit, *Heshusius* iam fulmen excommunicationis contra collegam edidit, *ἀποδοκιμάσαντα τὴν ἀρτολατρείαν*. Princeps utique ea de re silentium imperavit. Quid postea actum sit nondum scio. Nam mihi *Heshusius* non scribit, qui tamen a *Morlino* petivit, collocari se in Saxonicam aliquam urbem. Nunc vocatus *Hildesiam* nondum plane promisit.

Haec eo commemoro, quia nobis omnibus prodest praecipue domestica scire. Vere autem domestica sunt, quae in iis Ecclesiis fiunt, quae nobiscum aut sunt aut fuerunt coniunctae. Nos coniunctionem maiore cura tueamur, cum alibi dilacerationes adspicimus; *τὸ οἰκεῖον πιέζει, τῶν δὲ ἀλλοτρίων οὐ μέλει*, inquit Pindarus. Sed est rectius, commonefactiones sumere ex iis, quae fiunt etiam apud alienos. Romae, mortuo *Carapha* Pontifice*), intra moenia sunt contrarii exercitus. Plura nondum scimus. Sed quicquid cognovero, quod est *ἀξιόλογον περὶ οἰκείων τῶν καὶ ἀλλοτρίων*, tibi significabo.

Exempla orationis *περὶ χαρίτων* **) mitto Duci Pomeraniae *Iohanni Friderico*, tibi et *Baldasaro*. Nec solum has *χάριτας*, sed etiam *χάριν θεοῦ δοθεῖσαν διὰ υἱόν* oppono furiis inimicorum nostrorum. Hodie die Lucae Rector academiae nostrae creatus est *Georgius Cracovius*. Precor autem filium Dei, ut simul sit Rector et Doctor nostrae Ecclesiae et academiae. Bene vale. Die Lucae M. D. LIX.

Philippus Melanthon.

No. 6846. 18. Oct.

M. Collino.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54³.

Matthaeo Collino, in Academia Pragensi.

S. D. Clariss. vir et cariss. frater, Etsi benevolentia tua delector, tamen onerare te sumptu in mittendis xeniis praeter literaria non velim. A caseis arcet me etiam *λιθίασις* cum natura non abhorream; et vescor interdum, sed Homericis tantum, id est ex lacte caprino factis. Mitto autem vicissim nostro more pagellas, in quibus est oratio *περὶ χαρίτων*, cuius lectionem tibi, viro amanti iustitiam et beneficentiam, spero iucundam fore. Oppono nonsolum has *χάριτας* furiis inimicorum nostrorum, sed multo magis *χάριν θεοῦ δοθεῖσαν διὰ υἱόν*, et precor filium Dei, ut nos gubernet et protegat. Responsiones de Bavarica inquisitione legere te tanquam iudicem volo, quia et rectitudine iudicii et candore te excellere scio, ac oro, ut tuas mihi sententias de his nostris explicationibus significes. Studia Academiae ex talibus scriptis iudicari possunt. Bene vale. Die Lucae. 1559.

No. 6847. 18. Oct.

Abd. Praetorio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54³.

Abdiae Praetorio, Lectori in Academia Francofordiana.

S. D. Doctissime vir et cariss. frater. Cum dubitarem, an vidisses interpretationem graecam confessionis Ecclesiarum nostrarum, dedi huic nuncio exemplum, ac iussi tibi exhiberi. Nuper et Byzantium misimus per Diaconum Ecclesiae eius urbis, cuius narrationes tibi exponemus, si quando coram poterimus colloqui *). Narrabat, multas adhuc in Asia et Graecia et Illyrico Ecclesias, et in aliquibus mediocria doctrinarum studia, sed tristem esse servitutem. Et vides in Europa ubique servitutem crescere. Petamus igitur veris gemitibus, ut filius Dei nobis opem ferat. Pro tuis muneribus mitto *χάριτας*, et opto vobis *χάριν θεοῦ*. Bene vale et rescribe. Die Lucae. 1559.

Philippus.

---

1) Andr. Hugel, Pastor Ienens.

*) Pio IV. ex genere Caraffarum.

**) *Carmen περὶ χαρίτων* prodierat d. 26. Mart. 1558.

*) Vid. supra d. 26. Sept.

No. 6848. 20. Oct.

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camer. p. 754. (ed. Lond. lib. IV. ep. 906.).

Clarissimo viro eruditione sapientia et virtute praestanti Ioachimo Camerario, fratri suo carissimo,

S. D. Magis delectatus sum litteris tuis, quas post iter meum ad me scripsisti, quam coena illa delectatus essem, de qua scribis. Etsi enim doloris tui significationem ostendunt, tamen non feris lenit societas luctus aliorum, tristiciae magnitudinem. Apud Ezechielem vetat interfici Deus eos qui gemunt propter prophanationes, etiamsi opitulari Ecclesiae non potuerunt. Ita non dubitemus et nostra vota et nostros gemitus Deo probari, et petamus, ut ipse filius Dei vulneribus Ecclesiae medeatur, et nostro loco utilia doceamus.

De tumultu Academiae meae patriae litteras expecto eo avidius, quia *Heshusius* credo *ἀκκιζόμενος*, nondum diserte promittit *Hildesiis*, qui eum vocarant. Existimo eum niti *συμμαχίᾳ βλακώδει*. Sed Deum oro, ut nos gubernet. Bene et feliciter vale. XIII. Cal. Novemb. qui Ebraeis est Kisleu, id est, *ὡριώνειος*.

Philippus.

No. 6849. 20 Oct.

Friderico R. Dan.

Schumacher Briefe an die Könige in Dänemark. Vol. II. p. 87. epist. 32.

(*Friderico II., Regi Daniae.*)
(*Christiano III., Regi Daniae.*)*)

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Sohn Jesum Christum, unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer zuvor. Durchleuchtiger, großmächtiger, gnädigster König und Herr. Dem allmächtigen, wahrhaftigen Gott, Erschaffer aller Creaturen, und ordentlicher Herrschaft Einsetzern und Erhaltern, bitte ich, mit herzlicher Anrufung, er wolle Ewr. Königl. Maj. stet gnädiglich in seliger Regierung allezeit stärken und erhalten.

Darnach bitt ich auch in Unterthänikeit, E. K. M. wolle diese Schrift, belangend einen ehrlichen, jungen Mann, E. K. M. Unterthan, Laurentium Egenden, eines armen Pfarrers Sohn aus Jütland bei Ew. K. M. Stadt Warden, gnädiglich annehmen. Dieser Laurentius hat ein Schul regirt in E. K. M. Königreich, und hat etwas erspart, davon er in der Universität allhie anderthalb Jahr Unterhaltung gehabt, und hat löblich studirt, daß er in Kirchen und Schulen nützlich zu gebrauchen. So ist er christlicher Sitten, verständig und friedliebend. Er ist aber ein Zeit lang am febri quartana krank gelegen, dadurch er im Studio verhindert worden. Nu wollte er gern in Sprachen graeca und hebraea, die zur Erklärung göttlicher Schrift nöthig sind, länger studiren; darumb bitten er und ich in Unterthänikeit und um Gottes willen: E. K. M. wolle ihm gnädig zwei Jahr mit einem Stipendio zum Studio Unterhaltung verordnen. Es ist ja tröstlich, daß so viel rechter Gottes-Anrufer, gelehrte, verständige, einträchtige Männer in einem Königreich, wie in E. K. M. Landen, durch Gottes besondere Gabe zu finden. Solchen Schatz wolle E. K. M. gnädiglich und väterlich erhalten. Der allmächtige Gott, Vater unsers Heilandes Jesu Christi, Erschaffer aller Creaturen, der ihm gewißlich ein ewige Kirchen durchs Evangelium sammlet, und dazu etliche ehrliche Regiment giebt und erhält, wolle E. K. M. an Seel und Leib stärken und gnädiglich regirn. Dat. 20. Octobris 1559.

E. K. M.

armer und unterthäniger Diener
Philippus Melanthon.

*) Schumacherus hanc epist. dedit inscriptam Christiano Regi. Quod si verum est, epistola non anno 1559 d. 20. Oct., ubi Christianus iam mortuus erat, sed anno 1558 scripta est. In inscriptione haud dubie error est, qui facile potuit committi, quum haec una Melanthonis sit epist. ad Fridericum, quam Schumacherus dedit.

No. 6850. 24. Oct.

Alberto, Duci Pruss.

Ex autographo edita a *Fabro* in epistolis p. 222. ep. 66.

Alberto, Duci Borussiae,

S. D. Illustriss. et Clementiss. Princeps. Spero Celsitudinem vestram accepisse meas literas proxime scriptas et missas per bibliopolam, in quibus mentionem feci *Davidis Voit* *). Nunc ipse Da-

*) Dieser Brief hat sich nicht vorgefunden. (Fab.)

vid ad Celsitudinem vestram proficiscitur, vir honestus et eruditus est, et concordiae in Ecclesiis nostris amans. Habet patrem senem, docentem non procul a Jena, qui carus fuit duobus Electoribus *Iohanni* et *Iohanni Friderico* Saxoniae ducibus. Ipse *David* fideliter in Academia Ienensi docuit, sed tantum artificiis Flacii discedere iussus est, quia *Victorino* adversari noluit. Spero, deo iuvante, utiliter Ecclesiae serviturum esse. Nam et ingenio valet, et recte eruditus est, et coniunctionem Ecclesiarum nostrarum tueri studet. Obsecro igitur reverenter, ut Cels. vestra ei locum docendi tribuat, et clementer eum foveat et tueatur. Habet uxorem filiam fratris *Francisci Burcardi*, et propter integritatem multis honestis viris in his regionibus carus est *). Bene et foeliciter valeat Cels. vestra. die 24. Octobris 1559.

Fasolti iter differtur. Ideo David cum Dantiscano citius profectus est.

Celsitudinis vestrae
Servus
Philippus Melanthon.

No. 6851. 24. Oct.

Io. Aurifabro.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[s].

Iohanni Aurifabro, Theol. Doct. (in Acad. Regiomont.)

S. D. Reverende vir et cariss. frater. Spero bibliopolam vestrum bona fide exhibuisse tibi literas nostras, quibus et sententiam Consistorii de controversia vestra inclusi. Nunc tibi commendo *Davidem Voit*, qui istuc proficiscitur meo consilio, ut locum docendi apud vos petat, quia Illustriss. Princeps mitti duos petivit. Hic David honestiss. senis filius est, qui docuit Evangelium in his regionibus annos 40, et carus fuit duobus Saxoniae Ducibus Electoribus, Iohanni et Iohanni Friderico. Ipse David fideliter docuit, sed propter *Victorini* amicitiam discedere iussus est. Oro, ut eum adiuves et ornes, et praestes officia omnia, quae mihi in exilio praestares pro tua excellenti virtute et nostra amicitia. *Τί δυναίμην ἂν λέγειν δεινότερον?* Dei beneficio adhuc consensus est in omnibus Ecclesiis nostris multorum saniorum, etiamsi qui *θορυβοποιοὶ* controversias movent, quas nec ipsi extricare queunt. Et gemunt boni, cum vident, talibus rixis Ecclesiam turbari. Sed non dubito, Deum nobis adfuturum esse. Bene vale. 24. Oct. 1559.

Phil. Mel.

No. 6852. 24. Oct.

Iac. a Barthen.

† Ex apographo in cod. Paris. D. L. 54[s].

Clarissimo viro, eruditione, prudentia et virtute praestanti, Iacobo a Barthen, Doctori Iuris, fratri suo carissimo.

S. D. Clarissime d. doctor et carissime frater. Scio, te pro tua excellenti prudentia et virtute saepe cogitare, et [1]) cur Deus hospitalia officia honestis hominibus in tantis aerumnis generis humani praestari velit, et libenter praestare: ideo te oro, ut huic Magistro *Davidi Voit*, honesto et docto viro, proficiscenti ad Illustrissimum Ducem Borussiae, ut in Academia doceat, lenias tam longi itineris molestias, et si qua re ei opus erit, non desis. Adfinis est *Francisci* Wimariensis Cancellarii: quem scis diu mecum vixisse ut filium. Et in Academia Ienensi fideliter docuit. Sed propter optimi viri *Victorini* amicitiam quaerit ibi docendi locum. Quaeso ne ei desis. Bene vale. Die 24. Octob. 1559.

Philippus Melanthon.

No. 6853. 26. Oct.

Iac. Bordingo.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[s].

---

*) D. David Voit ward im Jahr 1560, von Melanthon nochmals empfohlen, Prof. Theol. Prim. im Jahr 1563 fürstlicher Hofprediger. Er war nachher des Herzogs geistlicher Beistand auf dem Sterbebette und hat ihm eine Leichenrede in lateinischer Sprache gehalten, die auch gedruckt ist. Im Jahr 1573 erhielt er den gewünschten Abschied, war nachher Prof. Theol. Primar. in Jena und starb in gleicher Eigenschaft zu Wittenberg im Jahr 1589. (Faber.)

1) Debebat scribi: *et cogitare, cur* etc.

Iacobo Bordingo, Ἀρχιάτρῳ inclyti Regis Daniae.

S. D. Clariss. vir et cariss. frater. Spero initia gubernationis Regis *Friderici* felicia esse, et ut sint salutaria faciat Deus conditor generis humani et custos legitimorum Imperiorum. Nostri redierunt, Dei beneficio, salvi: nam et vir nobilis, cuius est egregia virtus, quem aegrotum caetera multitudo Suerini reliquerat, convaluit. De republica nihil novi audio, nisi Romae Pontificem creatum esse *Carpensem*, quem tibi notum esse existimo. Sed fortassis magis refert scire, quid nostri pontifices agant. *Heshusius* Heidelbergae fulmen excommunicationis publice edidit contra collegam, qui reprehenderat τὴν ἀρτολατρείαν. *Palatinus* Elector ne populi distractio fieret, iussit utrumque discedere. Plura nondum audivi. Nec scribit mihi *Heshusius*, nec mi ante hoc tempus hortanti, ut suos impetus moderetur, obtemperavit. Mitto tibi interpretationem graecam confessionis sine meo consilio editam: probo tamen phrasin, ac misi Constantinopolin per virum doctum, qui ibi Diaconi officio fungitur, et tota aestate noster [1]) hospes fuit, ac narravit, multas adhuc Ecclesias in Asia et in Thracia et vicinis regionibus esse, sed paulatim propter servitutis aerumnas diminui frequentiam. Bene vale. Die 26. Octob. 1559.

No. 6854. 26. Oct.

Io. Aurifabro.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54³.

Iohanni Aurifabro, Theol. Doct. (in Acad. Regiomont.)

S. D. Reverende vir et cariss. frater. Utinam diuturna sit et perpetua Borussiae tranquillitas, ut hospitium honestis et piis exulibus praebere possit. Existimo multos ad vos ex Livonia fugere Moscoviticam barbariem; multos scio etiam ex hac nostrae Germaniae ora ad vos accedere, ut procul a Theologorum rixis absint. Hic honestus ac doctus vir *Albanus Gryphenberg*, natus in Pomerania, ante aliquot annos docuit in schola Livonica, deinde in templo. Postea cum aliquandiu in nostra Academia fuisset, commendavimus ei Ecclesiam Wurcensem, ex qua propter valetudinem discessit. Ait, se dicendi laborem in concionibus in spaciosis templis non posse sustinere, et mavult in Academia lector esse in lingua latina aut graeca aut ebraea, in dialecticis aut Rhetoricis, aut in sphaericis elementis. Et graves causas habet, cur apud vos malit vivere quam alibi. Vir modestissimus est, ut statim animadvertes, et fugitans rixarum. Quia vero tam multos Illustriss. Principi commendo, non dedi iam literas ad Illustriss. Principem, sed te oro, ut pro tua erga honestos et pios beneficentia et pro vero tuo erga me amore hunc Albanum complectaris. Quantum possumus bonis viris et honestis opitulemur, cum passim homines turbulenti, indoctis seditiosi occupent et templa et scholas, nec locum nobis tribuant, qui monstrosas opiniones non audacter propugnamus. Oro autem filium Dei, ut nos gubernet, et verae Ecclesiae reliquias et nos in ea servet. Quaeso, ut huic Albano, viro modestissimo, non desis. Bene et feliciter vale. die 26. Octob. anno 1559.

Philippus Mel.

No. 6855. 27. Oct.

Ioach. Mollero.

Epist. lib. II. p. 530. (ed. Lond. lib. II. ep. 556.). — Non scripta est epistola a. 1558., ut habet textus impressus, sed a. 1559. Cf. epp. d. 15. Maii, d. 1. Iun. et d. 26. Nov. h. a.

D. Ioachimo Mollero

S. D. Clarissime vir et charissime frater, Suasor fui, et in nostra Academia, et in *Heidelbergensi*, ut *Ebraeae* linguae interpretatio semper traderetur uni ex Theologis, quia Theologum volui non tantum declamatorem esse, sed eruditione instructum, et *Ebraeum* interpretem, qui non *Iudaicas* fabellas dictaret. Denique volui et autoritatem et benevolentiam huius lectoris augere. Egi igitur in aula, sed privatim cum *Mordisio*, ut lectio utraque traderetur *Henrico* fratri, sicut tenuerunt eam *Forsterus* et *Eberus*. Placuit *Mordisio* meum consilium propter multas causas. Postea retuli ad nostrum senatum, non

---

1) apogr. *nostra*.

existimans dissimilia fore suffragia. Sed *Ebraeam* lectionem omnes tradi *Henrico* voluerunt, munus vero concionandi aliqui censuerunt transferendum in generum *Georgii Maioris.* Etsi autem causas exposui mei consilii: tamen tunc pugnare nolui, sed rem totam ad colloquium *Mordisii* distuli et adhuc differo. *Henricus*, ut nunc sunt fata Theologorum, suae tranquillitati melius consulet, si volet in *Ebraea* lectione Ecclesiae servire. Ego Reipubl. causa volui ei commendari munus Theologicum, quod eius eruditionem, iudicii rectitudinem, vitae sanctitatem, et gravitatem in consiliis probo, nec hoc praecipue spectavi, ut ipsius privatis commodis consulerem. Sed differo negotium integrum ad colloquium *Mordisii.* Interea et tuas literas flagito. Scribo simplicius, quia existimo tibi perspectam esse meam voluntatem, et erga publicum Academiae et Ecclesiae statum, et erga tuos. Bene et feliciter vale. Die 27. Octobris, Anno 1558.

No. 6856. 28. Oct.

Abd. Praetorio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54³.

Abdiae Praetorio, Lectori in Academ. Francofordiana.

S. D. Clarissime vir et carissime frater. *Ἐσθλὸν καὶ τὸ τέτυκται ὅτ᾽ ἂν* ¹) *ἄγγελος αἴσιμα εἰδῇ.* Cum autem nuper nuncio ignoto tradiderim confessionis Augustanae graecam interpretationem, tibi exhibendam, quaeso te, significes, an eam acceperis. Nam hic nuncius mihi notior est, et citius, Deo iuvante, redibit. Alter vagatur per longinqua Sarmatarum rura. Scribitur, Romae Pontificem creatum esse *Campanensem*, cuius laudantur mores et in republica moderata consilia. Existimo, deliberationes de synodo fore. Utinam et nostri Pontifices in synodo pia sanarent nostratum Ecclesiarum vulnera. Bene vale et rescribe. Die 28. Octob. 1559.

Philippus.

1) Hom. Iliad. *Ο*'. 207. *ὅτ'*, omisso *ἄν*.

No. 6857. 31. Oct.

Io. Stigelio.

Danz. epp. ad. Stigel. ep. 98. Cod. Goth. 188. ep. 169.

Clarissimo viro, ingenio, eruditione et virtute praestanti, D. Ioanni Stigelio, τῷ Θεῷ, καὶ ταῖς Μούσαις, φιλτάτῳ, fratri suo cariss. S. D.

Clariss. vir et cariss. frater. Etsi per literas et coram saepe tecum colloqui me posse optarim, et quidem non de populi fabellis, sed de doctrinis, in quibus vere grata de Deo fama sparsa est; tamen impedimur et temporibus et dolore. Benevolentia tamen non extinguetur. Cumque in Deum unum simus, ipsum verum Deum, aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, creatorem generis humani, vere colligentem aeternam Ecclesiam, toto pectore oro, ut nos gubernet, et sanet Ecclesiae vulnera, et reprimat sophisticas praestigias. Non procul abest venturi anni initium, qui, ut faustus et felix Ecclesiae, tibi, et nobis sit, faciat filius Dei. Mitto per amicum certum nostro more xenium, cuius imaginibus delector, quae nos de futura coelesti Ecclesia commonefaciunt. Bene et feliciter vale. Pridie Cal. Novemb. quo die Luther. disputationem *περὶ μετανοίας* primum edidit, quae fuit *πρώτη σύῤῥαξις* emendationis doctrinae. Anno 1559.

Philippus Melanthon.

No. 6858. 1. Nov.

Comitibus Lippiensibus.

Praemissa libello: Phil. Melanthonis epigrammatum libri tres collecti ab Hildebrando *Grathusio*, Uffliensi. Viteb. excud. Io. Crato. ann. 1560. 8. (Lunz.) — In seriori edit. epigrammatum Mel., quam curavit Petrus Vincentius, haec ep. non legitur.

Illustribus Comitibus, Domino Bernhardo, et Domino Hermanno Simoni Comitibus Lippiensibus Philip. Melanth. S. D.

Mirabiliter et colligit et protegit Ecclesiam Deus. Cum *Arminius* in illis ipsis campis, qui nunc vestri et ornati sunt Ecclesiis, doctrina et aedificiis, delevit tres legiones Romanas et assidua bella in

his regionibus gessit, alibi in Syria Deus Ecclesiae dedit talia Halcyonia, ut Christus adolescens cum matre ex Galilaea tuto Hierosolyma ad festa ire et semina doctrinae spargere posset. Nam Arminii pugna facta est Consulibus Sulpicio et Pappeo Sabino, ut narrat Dion, videlicet anno undecimo, postquam Christus ex virgine natus est. Nunc in Palaestina terra barbaries est, et dominatur Turcica impietas. Contra vero in hac Arminii et vestra patria filius Dei immensa bonitate et colligit aeternam Ecclesiam et dulci pace fovet. Hoc beneficium Dei agnoscamus et causas cogitemus, propter quas istae pulcherrimae regiones in Oriente et Evangelium et honestas politias amiserunt; videlicet quia impia dissidia disputationum accenderunt odia gubernatorum mutua: haec attraxerunt peregrinas gentes. Has pestes caveamus et ardentibus votis precemur filium Dei, ut nos doceat et gubernet et faciat, ut unum in IPSO simus. Pii gubernatores etiam benigne foveant Ecclesias, adiuvent verae doctrinae studia, et gliscentes discordias in teneris Ecclesiis sapientes opprimant. Haec malebam ad vos scribere, quam de meis versibus aliquid dicere, quos edidit vester subditus *Hildebrandus* et eruditus, qui eos et vos mittit et simul a me vobis commendari voluit. Optarim autem, meas ineptias non esse editas, quia scio, excellens Dei donum et opus esse Poeticam, nec tam stolidus sum, ut me annumerarim iis, quos Deus hoc tanto dono ornavit. Sed cum adolescentes de studiis multa monere cogar, iubeo omnes discere carminum leges, et conari, ut qualescunque versus connectant, ut Grammaticen melius discant, et ut procedant in eo studio, si qui a natura adiuvantur; libentius etiam legant poemata, qui non prorsus rudes sunt huius exercitii. Ideo interdum vel in doloribus, vel in itineribus aliquid scripsi ad iuniores invitandos. Deo autem gratias ago, quod et Germaniae dedit egregios poetas aliquot, quos et erudita antiquitas probasset, *Eobanum*, *Sabinum*, *Stigelium*, *Micyllum*, *Georgium Fabricium*, *Adamum Siberum* et alios. Horum scripta inter vetera poemata legere iuniores etiam utile est, ut considerent exempla, quae ostendunt, quomodo veri Dei laudes in Ecclesia carminibus celebrari possint. Vos autem, Illustres Comites, oro, ut benigne Ecclesias vestras foveatis, et vestrorum studia iuvetis. Pro hac pietate certum est, Deum vicissim vobis benefacturum esse, et ut vos servet et gubernet, toto eum pectore oro. Bene valete. Calendis Novembris, Anno 1559.

No. 6859. 1. Nov.

Alberto Duci Pr.

Ex autographo edita a *Fabro* in Epp. p. 224. ep. 67.

Alberto, Duci Borussiae

S. D. Illustrissime et Clementissime Princeps. Non procul absunt initia venientis anni. Ideo precor deum aeternum patrem domini nostri Iesu Christi, ut faciat ut hic veniens sit faustus et foelix Ecclesiis nostris et Celsitudini vestrae, et ut addat Celsitudini vestrae adhuc multos annos, et confirmet et animae et corporis vires. Amen.

Post iter *Davidis Voit*, quem Celsitudini vestrae iterum reverenter commendo, de Heidelbergensi discordia hoc certo comperi. Cum Elector *Palatinus* utrique de mota Controversia silentium mandasset, alter ad Elvetios discessit, alter adhuc Heidelbergae mansit.

De *Staphylo* [1]) narrant Vratislaviae, eum cum ad Canonicos accedit, equo vehi et habere

---

1) (*Adscripsit Faber haec:*)

[Nicht ohne Grund hat man vermuthet, ja ausdrücklich behauptet, Staphylus habe sich schon in Königsberg zur Röm. katholischen Religion geneigt, und die protestantische, vielleicht schon früher, nur zum Schein angenommen. — Noch mehr, er bemühte sich, selbst dem Herzoge die protestantische Lehre verdächtig zu machen, und wollte ihn überreden, entgegengesetzte Reformen im Kirchenwesen vorzunehmen. Er schreibt nehmlich selbst in einem aus Neusse vom November 1554 datirten Briefe, der die Restitution des Gnaphäus zum Gegenstande hat:

„Es wissen sich auch E. F. D. gnädiglich zu erinnern, wie treulich ich bei E. F. D. habe angehalten, die Preußischen Kirchen ad formam catholicae zu reformiren, denn es unmöglich wäre, auf den jetzt gelegten Grund einen einigen Bestand der Kirchen zu hoffen, sondern vielmehr eine Ketzerey aus der andern zu gewarten, wie auch am Osiandro bald hernach erfahren worden. Ohne Zweifel ist E. F. D. wol bewust, wie treulich, wie christlich ich E. F. D. gewarnet, gebeten, geflehet, man wolle sich vorsehen. Osiander ginge schwanger mit einer Nestorianischen und Manichäischen Ketzerey. Wiewol E. F. D. solche unterthänige Vermanung für das erste gnädiglich angenommen und auch endlich, da ich von E. F. D. nicht habe Urlaub erlangen mögen, mir Siegel und Briefe gegeben, nicht in ihrem Fürstenthum zu gedulden, das da wäre wider den Consensum apostolicae primitivae et catholicae ecclesiae. Ob aber diese gnädige Verschreibung*) gehalten, lasse ich in seinen Würden beruhen rc."

Aus dem eigenhändigen Schreiben des Herzogs an Staphylus, woraus Seite 192 rc. [Corp. Ref. Vol. VII. p. 777 sq.] Aus-

*) Vermuthlich die in seinem Briefe aus Breslau vom 20sten September 1549 angeführte Cautio.

adiunctos aliquot ministros aulicae pompae more. Hinc adparet cur fastidierit nostras Ecclesias et scholas. Sed filius dei inquit, Pauperibus Evangelizatur.

De tumultibus in urbe Roma nondum finem audivi, etsi scribitur Cardinalem Carpensem creatum esse Romanum Pontificem. Sed tragoedias Cardinalium non multum inquiro. Utinam in nostris Ecclesiis pia et aeterna sit tranquillitas.

Cum virum nobilem *Melchiorem Fasolt* propter ipsius virtutem antea quoque dignum benevolentia iudicaverit Celsitudo vestra, oro reverenter ut nunc quoque eum clementer tueatur, quia sine sua culpa damna rei familiaris accepit, Modeste autem hic vivit, et erga multos pauperes beneficentiam exercet. Bene et foeliciter valeat Celsitudo vestra. Datae Calendis Novembris. Anno 1559.

Celsitudinis vestrae
Servus
Philippus Melanthon.

No. 6860. 1. Nov.

Io. Aurifabro.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54 [3].

Ioanni Aurifabro, Theol. Doct.

S. D. Reverende vir et cariss. frater. Iam apud nos est secretarius Electoris Palatini, qui narrat, discordiam Heidelbergensem utcunque sit [?] sedatam esse. Cum princeps de controversia mota et *Heshusio* et eius adversario silentium mandasset, discessit alter *) ad Elvetios. Est adhuc Heidelbergae *Heshusius*, qui si triumphis agendis irritabit aliquos, novi tumultus erunt. Multi suspicantur, *τοῦ βλαχίου* collegam fore. Precemur filium Dei, ut Ecclesiae vulneribus medeatur. Ponit *Heshusius* in sua confessione propositionem similem Bremensi, *τὸν ἄρτον εἶναι ὄντως σῶμα*. Scis, antiquitatem aliter locutam esse. Sed haec alias. Nunc te oro, ut virum nobilem *Melchiorem Fasolt* amanter excipias, et ei hospitalia officia praestes, quia et natura modestus est, et veneratur in Ecclesia pios, eruditos et modestos doctores, et abhorret a turbulentis sycophantis. De nostris rebus, id est de utraque Academia, narrare poterit *ἀξιόλογα*, quae scire voles. Bene et feliciter vale. die 1. Novembr., qui est כסלו, id est *ὠριώνειος*. 1559.

Philippus.

züge mitgetheilt sind, ergiebt sich nur, daß dem Stavhylus versprochen worden: daß er von der wahren Lehre Christi, der Apostel und Propheten nicht abgezogen werden solle.

*) Clebitius.

No. 6861. 1. Nov.

Friderico Palatino.

Exorta controversia de sacra coena in Academia Heidelbergensi inter Heshusium et Clebitium, Fridericus III., Palatinus Elector, Stephanum Cislerum (Zeisler) secretarium suum intimum, Witebergam misit, et Melanthonis sententiam poposcit, quam Melanthon ei misit d. 1. Nov. — Epistola haec et quod sequitur iudicium primum edita sunt, contradicente Academia Heidelbergensi, iussu Electoris anno 1560.: „Iudicium D. Philippi Melanchthonis de controversia coenae Domini ad Illustriss. Principem ac D. D. Fridericum, Comitem Palatinum Rheni, S. R. I. Archidapiferum, Electorem, Bavariae Ducem. Heidelbergae." (In fine:) Ex autographo excudebat Ludovicus Lucius anno MDLX., mense Septb. pl. 1. — Ex eodem autographo editum in Zach. Ursini Operibus (Heidelb. 1612. fol.) T. II. p. 1427. — Iterum: „Iudicium Ph. Mel. de controversia coenae domini. Scriptum ad Principem quendam Electorem. Cum necessariis annotationibus iisdemque veris et piis." Ratisbonae 1560. mense Novbr. (cum annotatt. Nicolai Galli). — Etiam a Pezelio inserta Melanthonis Consil. lat. P. II. p. 377 sqq. Peuceri tractat. hist. p. 43. Io. Oecolampadii Dialogo etc. Basil. 1590. 8., denique Consiliis Theologicis Wittenbergensibus I. p. 363. — Apographa in cod. Mehn. II. p. 93. et in cod. Guelph. no. 33. 18. fol. — Germanice: „Bericht und Rathschlag des Herrn Philippi Melanchthonis vom Streit des heil. Nachtmahls und zänkischen Kirchendienern an den Durchl. — — Herrn Friedrichen etc. Heidelb. 1560. 4. Item cum notis Nicolai Galli. Ratisb. 1560. 4. Item in Zachar. Ursini Bericht vom heil. Abendmal. Neust. 1585. 8. p. 69 sqq. Item in dem „grundlichen Bericht vom heil. Abendmal — gestellt durch der Universität Heidelberg Theologen. Heidelb. 1566. 8. p. 233. — Contra hoc iudicium scripta est „Responsio Tilemanni Heshusii ad praeiudicium Phil. Melanth. de controversia de coena domini, 1560. 4., ubi etiam epistola et iudicium Melanthonis leguntur. Respondit Heshusio *Paulus Eberus* in epist. nuncupatoria ad Wolfgangum Palatinum, quam praemisit libro: „Brevis et utilis commentarius in priorem epist. Pauli ad Corinth. scriptus a Phil. Mel." Viteb. 1561. 8. — De controversia vid. *Saligius* in historia August. confess. T. III. p. 460 sqq. et Büttinghausen Beiträge zur Pfälz. Geschichte, Vol. I. p. 131 sq.

A) *Epistola ad Elect.*

Illustrissimo principi et Domino, Domino Friderico, Comiti Palatino Rheni, Electori, Duci Bavariae, etc. Domino suo Clementissimo S. D.

Illustrissime et Clementissime Princeps: Certissimum est, legitima imperia vere opus Dei esse,

clementer conservantis honestam societatem generis humani. Ideo verum Deum, aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, creatorem generis humani, colligentem aeternam Ecclesiam voce Evangelii, toto pectore oro, ut Celsitudini vestrae confirmet vires animae et corporis, et tribuat salutaria consilia, et felicem gubernationem. Gaudeo etiam, Principem et Dominum patriae meae vocatum esse ad agnitionem filii Dei, et recte invocare Deum, et fovere Ecclesiam Christi: quem oro, ut universam familiam Principum Palatinorum gubernet et protegat, nec sinat fieri barbaricam vastitatem in patria mea. Literas Celsitudinis vestrae reverenter legi, et virum integerrimum *Stephanum Cirlerum*, secretarium intimum audivi: ac mitto Celsitudini vestrae scriptam responsionem, ac maxime opto, ut tenerae Ecclesiae ubique tranquillae sint. Quam ad rem proderit, si non sinent gubernatores defendi contrarias sententias. Probo igitur consilium C. V. quod utrique parti silentium mandarit. Opto autem, ut sapientum Principum consilio, et autoritate aliquando, et ex aliarum gentium Ecclesiis, et nostris, pii et eruditi viri convocentur, ut de omnibus controversiis deliberetur, et una consentiens forma doctrinae vera et perspicua, sine ulla ambiguitate posteritati tradatur. Interea quantum fieri potest, moderatis consiliis coniunctionem nostrarum Ecclesiarum foveamus. Bene et feliciter valeat Celsitudo vestra. Calend. Novemb. Anno 1559.

Celsitudinis vestrae servus
Philippus Melanthon.

B) *Iudicium.*

Responsio Philip. Melanth. ad quaestionem de controversia Heidelbergensi.

Non difficile, sed periculosum est respondere. Dicam tamen, quae nunc de controversia illius loci monere possum: et oro filium Dei, ut et consilia, et eventus gubernet. Non dubium est de controversia Coenae ingentia certamina et bella in toto orbe terrarum secutura esse: quia mundus dat poenas idololatriae, et aliorum peccatorum. Ideo petamus, ut filius Dei nos doceat et gubernet. Cum autem ubique multi sint infirmi, et nondum instituti in doctrina Ecclesiae, imo confirmati in erroribus: necesse est initio habere rationem infirmorum.

Probo igitur consilium Illustrissimi Electoris, quod rixantibus utrinque mandavit silentium, ne distractio fiat in tenera Ecclesia, et infirmi turbentur in illo loco, et vicinia: et optarim rixatores in utraque parte abesse. Secundo, remotis contentiosis, prodest reliquos de una forma verborum convenire. Et in hac controversia optimum esset retinere verba Pauli: *Panis quem frangimus*, κοινωνία ἐστὶ τοῦ σώματος. Et copiose de fructu Coenae dicendum est, ut invitentur homines ad amorem huius pignoris, et crebrum usum. Et vocabulum κοινωνία declarandum est.

Non dicit, mutari naturam panis, ut Papistae dicunt: Non dicit, ut *Bremenses*, panem esse substantiale corpus Christi: Non dicit, ut *Heshusius*, panem esse verum corpus Christi *): sed esse κοινωνίαν, id est, hoc, quo fit consociatio cum corpore Christi: quae fit in usu, et quidem non sine cogitatione, ut cum mures panem rodunt.

Acerrime pugnant Papistae, et eorum similes, ut dicatur corpus Christi extra sumtionem inclusum esse speciebus panis, aut pani: et postulant adorationem, sicut *Morlinus* Brunsvigae dixit: Du mußt nicht sagen, Mum, Mum, sondern du mußt sagen, was dieses ist, das der Priester in der Hand hat.

Sarcerius iubet delapsas particulas colligi, et erasa terra comburi. Cum Wormaciae essemus ante biennium, quaestio ad nos mittebatur ex aula quadam: *An corpus Christi descendat in ventrem?* Talibus prodigiosis quaestionibus reiectis, utilius est retineri formam verborum Pauli, et de fructu recte doceri homines. Potest inspici forma verborum de Coena in examine Megalburgensi: ubi et commonefactio est de fructu Coenae.

Adest filius Dei in ministerio Evangelii, et ibi certo est efficax in credentibus, ac adest non propter panem, sed propter hominem, sicut inquit: *Manete in me, et ego in vobis.* Item, *Ego sum in patre meo, et vos in me, et ego in vobis.* Et in his veris consolationibus facit nos sibi membra, et testatur, se corpora nostra vivificaturum esse. Sic declarant veteres Coenam Domini.

*) Loquitur de adversariis Alberti Hardenbergii: Qui sine praedicatione figurata urgebant propositionem, Panis est essentiale corpus Christi: sicut et Heshus. panis est verum corpus sine praedicatione figurata intelligendum esse contendit. Falsissimum est autem, quod aliqui somniant, substantiam panis esse substantiam corporis Christi. [Nota Pezel.]

Sed hanc veram et simplicem doctrinam de fructu, nominant quidam cothurnos: et postulant dici, an sit corpus in pane, aut speciebus panis? Quasi vero Sacramentum propter panem, et illam Papisticam adorationem institutum sit. Postea fingunt, quomodo includant pani: alii conversionem, alii transubstantiationem, alii ubiquitatem excogitarunt. Haec portentosa omnia ignota sunt eruditae vetustati.

Negat *Heshusius*, se assentiri Origeni, qui nominat panem et vinum *σύμβολα τοῦ σώματος καὶ αἵματος*. Reiicit contumeliose Clementem Alexandrinum. Pronunciabit eodem modo de Augustino, Ambrosio, Prospero, Dionysio, Tertulliano, Beda, Basilio, Nazianzeno, qui nominat *ἀντίτυπον σῶμα,* Theodoreto, qui ait de pane, *φύσιν οὐ μεταβαλών*.

Quae est igitur tanta autoritas Heshusii, ut ipsi potius assentiamur, quam tot probatis veteribus scriptoribus, qui perspicue testantur, tunc Ecclesiam non habuisse pontificium dogma, et adorationem?

Quae si nova sunt in Ecclesia, cogitandum est, an recentioribus licuerit novum dogma invehere in Ecclesiam. Nec ego ignoro, multa citati notha sub *) veterum titulis, de quibus eruditi iudicent. Nec vero iam institui longam disputationem, nec cum contentiosis, qui idola et parricidia stabiliunt, disputare volo: quorum saevitiam et ego experior: Sed tantum pro meo iudicio significare volui, quid in illo loco pro infirmitate tenerae Ecclesiae faciendum esse existimem.

Ac maneo in hac sententia: Contentiones utrinque prohibendas esse, et forma verborum una et simili utendum esse. Si quibus haec non placent, nec volunt ad communionem accedere, his permittatur, ut suo iudicio utantur, modo non fiant distractiones in populo.

Oro autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum sedentem ad dextram aeterni patris, et colligentem aeternam Ecclesiam voce Evangelii, ut nos doceat, gubernet, et protegat. Opto etiam, ut aliquando in pia Synodo de omnibus controversiis horum temporum deliberetur.

(*Hoc iudicio D. Philippi Melanthonis offensus Tilemannus Heshusius, acerbissimum scriptum eodem anno, quo ille ex hac mortali vita evocatus est, edidit, defendens praesentiam substantialem corporis Christi in pane, et reprehendens consilium Melanthonis, de ipso, et antagonista ipsius removendo. Cui Paulus Eberus in praefatione commentarii D. Philippi in epistolam ad Corinth. a se tum edito, et Duci Wolfgango Palatino dedicato sequentem in modum respondit.*) *)

Ea de caussa hunc Domini Philippi libellum tuae Celsitudini offerre potissimum volui, ut perlecto eo, et cognita sinceritate in doctrina, et in communicatione fida, patrocinium suscipiat huius tanti viri, qui quasi parum a suis alumnis et discipulis esset flagellatus, dum viveret, etiam mortuus conquiescere non potest, quin ex iis, (quos in sua mensa diu aluit, quibus cum non modo publice doctrinam, sed privatim etiam, quae habuit et potuit, consilia, et secreta sua communicavit, quibus etiam cor suum, si licuisset, ex pectore exemtum impertivisset) aliqui in exangue corpus sepulti saeviant, vindictae studio tanto, et acerbitate tanta, ut credam, si coram ipsis miserum et iam putrescens cadaver Philippi expositum sit, eos dentibus more canum irruturos, et frustulatim carnem eius laceraturos esse.

Quid enim aliud censeas, si legas scriptum, quod recens quidam, suae doctrinae et famae tuendae caussa, ut videri vult, in vulgus sparsit? Adversus quam iniuriam vero sese is defendit? Aut quae potest esse praeceptoris fidissimi, imo patris *εὐστοργοτάτου*, et benignissimi, iniuria tam atrox, quae tantam mereatur acerbitatem, ut eius mortui cadaver propemodum ex tumulo refossum, ita crudeliter laceretur?

Scripsit Philippus (secreto rogatus consilium a Principe Electore, sub cuius ditione natus est) paucula de Coena Domini, magis ut rixas de illa Edelbergae ortas, et publice de suggesto mutuis concionatorum convitiis cumulatas, suaderet quoquo modo sopiri et dirimi, quam ut de tota controversia pronunciaret, indicans formam loquendi ex Paulo, qua tutissimum esset uti interea, donec de tota controversia in Synodo statueretur. In illa pagella ad unum scripta, secreto scripta, non in hoc scripta, ut vulgaretur, et tamen con-

---

*) *sub*] abest a cod. Mehn.

*) Nolui hoc additamentum a Pezelio iudicio adiectum, hic praetermittere, quia ea continet, quae ad historiam iudicii illustrandam faciunt. (Br.)

tra voluntatem autoris, et quidem post mortem demum publicata, fit mentio D. *Heshusii* paulo inclementior talis, ut eius autoritas summis in Ecclesia et antiquissimis scriptoribus postponatur.

Haec est iniuria illa, hoc facinus patris tam atrox, ut omnium acceptorum beneficiorum privatim et publice praestitorum, omnium virtutum memoriam penitus aboleat, et extinguat, et animum cupiditate vindictae tanta accendat, ut ea, nisi hoc modo defensionis atrocissimae, et contumeliosissimae satiari non possit.

Sed si non voluit habere rationem suae existimationis, quam certum est apud intelligentes nonnihil minui hac tanta asperitate, qua usus est in mortuum, in optime meritum, in praeceptorem, imo in parentem: aequissimum erat parcere ipsius honestissimae, et nunc afflictissimae familiae, a qua multis est affectus beneficiis, parcere huic scholae, versanti in acerbissimo luctu propter orbitatem, parcere miserae iuventuti, desiderio amissi Rectoris studiorum languenti, parcere Ecclesiae et posteritati, parcere denique Deo, cui cum bona conscientia serviit Philippus, ne ita deformaret et doctrinam, et mores, et actiones huius viri, quasi veteratorie luserit in doctrina coelesti, et blasphemias scripserit, aut dixerit in filium Dei, neve aliis convitiis eum proscinderet, in sepulcro quiescentem, imo in sinu et complexu filii Dei iudicis, et vindicis omnium scelerum, et inprimis ingratitudinis, perfruentem laeto conspectu, et colloquio Dei.

An hic sit spiritus Dei, debacchari in talem, tanta acerbitate, iudicent alii. Paulus 2 Timoth. 2. certe suos ministros aliter instruit, cum inquit: *δοῦλον δὲ κυρίου οὐ δεῖ μάχεσθαι, ἀλλὰ ἤπιον εἶναι πρὸς πάντας, διδακτικὸν, ἀνεξίκακον ἐν πραότητι παιδεύοντα τοὺς ἀντιδιατιθεμένους,* etc.

Sed spero tuam Celsitudinem, et omnes alios pietate, modestia, prudentia, et virtute praestantes, literarum amantes, veritatis studiosos, posteritatis curam agentes, de conservatione et propagatione doctrinae incorruptae solicitos, non moveri eiusmodi paucorum invectivis, ut desinant amare, magnifacere, et grata memoria prosequi hunc virum, quem tot utilia monumenta, tanti labores exhausti publicae utilitatis caussa, tantus summarum virtutum concentus, et constantia, tot in multos privatim, et omnes publice merita nobis commendarunt.

Imo spero, hanc istorum acerbitatem multis caussam praebituram, ut pluris eum faciant, eiusque scripta studiosius cognoscant, et ab hac ingrata cohorte se quam longissime seiungant.

Spero Deum quoque ipsum veritati aliquando testimonium praebiturum, quando igne examinabit, quid aedificantium quisque extruxerit super fundamentum solidum, quod est unicus Dominus noster Iesus Christus, et hic crucifixus, et resuscitatus, et regnans ad dextram patris, qui solus dat idoneos et salutares ministros, et ipsorum labores non sinit esse irritos, nec dissolvi unquam, quod ex ipso est.

Super hoc fundamento scimus extruxisse Philippum, una cum Luthero, et post Lutherum, optima fide integrum corpus doctrinae, bona et perspicua methodo, et studio, vitasse omnes inutiles et periculosas disputationes, et abstinuisse etiam suo consilio a non necessariis flagellationibus, et damnationibus aliorum, et simul illustrasse scriptis, et voce omnes reliquas artes, quae ad explicationem doctrinae coelestis necessariae sunt.

Hae lucubrationes conferantur cum aliorum chartis, qui sibi videntur prae caeteris sapere, et plurimum laborasse, et effecisse in Ecclesia, nunc vero occupati sunt in eo, quomodo huius viri scripta carpant, ac suspecta et invisa aliis reddant, et vere conspicietur discrimen longe evidentius, quam inter aurum et stipulas est, quas tamen isti super eodem fundamento, ut iactitant, extructas, aequare auro Lutheri, et longe praeferre argento Philippi volunt. Sed ut dictum est, *ignis arguet uniuscuiusque opus eo die, quo Dominus iudicabit fabrorum suorum structuram*, quod tempus patienter expectent homines modesti, nec temere ac praecipitanter applaudant istorum pomposis, et artificiose pictis, et miro zelo veritatis tuendae fucatis clamoribus.

No. 6862. 7. Nov.

Ad. Sibero.

Epist. lib. II. p. 581. (ed. Lond. lib. II. ep. 606.). Praemissa etiam Psalteri Adami Siberi, et iterum excusa in *Schumacheri* Vita Adami Siberi p. 206.

D. Adamo Sibero, gubernanti Scholam in urbe Grimma,

S. D. Clarissime vir, καὶ τῷ θεῷ καὶ ταῖς μούσαις φίλτατε. Totam *Mysorum* regionem, ut nunc vocamus, iudico triangulo inclusam esse: cuius basis est, iuga *Sudetum* inter *Albim* et *Elistrum*, videlicet inter *Pirnam* et *Plavam*: cacumen trianguli est penes confluens *Salae* et *Albis*, unde nomen est *Calegia* apud *Ptolemaeum*, quod *Salelbiam* Lutherus interpretabatur. In eo triangulo, Dei beneficio, multa sunt ornamenta: genus hominum non incultum, Ecclesiae, urbes, scholae, iudicia, mediocris disciplina, frugum feraces agri, et venae metallicae. Haec saepe cogitans, oro Filium Dei, custodem Ecclesiae suae, ut in hac regione sua dona tueatur, et servet hos coetus, quos tu, et alii similes docetis, qui quidem piis votis ipsum invocant, te precationum verba et numeros praescribente, ut ex ore infantium et lactentium celebretur Deus. Inspexi autem spiritum tuum, et quidem eos *Psalmos* praecipue, in quibus plerique interpretes valde hallucinati sunt. In iis vidi, te nativas sententias feliciter reddidisse, sumque delectatus et proprietate et venustate. Quare ut edas hoc tuum opus, valde te adhortor, nec *Momos* cures, quibus praeter sua nihil placet, ut *Eobanum* quidam exagitant, cuius quam fuerit felix vena, quantus splendor, scimus. Sed voluit in *Psalmis* humiliore versuum genere uti. De praefatione admonebis me. Etsi enim tua dulcissima poëmata lectores invitant sine aliena commendatione: tamen mihi placet, etiam in tuis scriptis extare significationem nostrae amicitiae. Bene vale. Die 7. Novem. 1559.

No. 6863. 13. Nov.

Senatui Schweinfort.

† Ex autographo, manu Eberi scripto, qui etiam inscriptionem addidit. Autographon nunc est in manibus Pl. R. *Christiani Henrici Sixt*, Pastoris Sennfeldensium prope Schweinfurt ad Moenum, qui nobis epistolam descripsit. — *Wolfgangus Rupertus* et *Laurent. Hunnicus* (Heunisch), concionatores Schweinfurtenses privatim et publice, etiam in concionibus publicis rixabantur de quaestionibus tribus theologicis, de quibus denique Senatus iudicium Theologorum Witebergensium et Lipsiensium quaesivit. Quo autem iudicio pax ad tempus tantum restituta est. Wolfg. Rupertus enim, nova postea dissidia movens, a Senatu denique dimissus est. — Melanthonem huius epistolae et iudicii annexi auctorem esse, dubio caret. De controversia ipsa conf. Joh. Mich. Sixt's Reformationsgeschichte der Reichsstadt Schweinfurt. (Schweinf. 1794. 8.) p. 182 sqq.

Den Erbarn weisen und fornehmen Herren Burgermeistern und Rath der löblichen Kaiserlichen Stadt Swinfort, unsern günstigen Herren.

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Sohn, Jesum Christum, unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer zuvor, Erbare weise fürnehme günstige Herren, Aus beigelegten Schriften befinden wir nicht, daß ewer Kirchen Prädicanten Herr Wolfgang Rupert und Laurentius in der Hauptlehr uneinig sind. Es sind aber etliche dunkele Reden gefallen, davon wir unser Bedenken hiebei ewer Erbarkeiten zusenden, das mögen sie ihnen fürhalten, ob dadurch die Uneinigkeit möcht gestillet werden, wie wir sie auch um Gottes Willen bitten, sie wöllen einander die Wort nicht gefährlich auffahen, und so einer in etlichen Reden Bedenken hat, dasselbig nicht alsbald auf den Predigstuel bringen, sondern zuvor in Beiseyn eines oder zweier vertrauten verständiger Freund, ohne Bitterkeit ohne Gezänk anzeigen. Wo Menschen neben einander reden, rathen, lehren sollen, da fallen beiweiln ungleiche Wörter, so doch die Meinung nicht widerwärtig ist. Soll nu Frieden bleiben, so muß einer mit dem andern Gedult haben. So nun ewer Kirchen Prädicanten mit unserm Bedenken nicht zufrieden sind, mögen E. Erbarkeit und sie auch andre Richter, welche sie wöllen, suchen. Dieses aber rathen wir treulich, dieweil ewer Kirchen rechte Lehr hat, und dieses unnöthige Streit sind, daß ein Erbar Rath in keine Wege widerwärtige Predig leiden wölle, sondern welche in diesen Sachen nicht Fried halten wöllen, daß Ihr ihnen befehlet, sich an ander Ort zu begeben. Der allmächtig Sohn Gottes wölle ewer Kirchen, Stadt, Ewer Erbarkeiten und die ewern gnädiglich bewahren. Dat. Witeberg am 13. Tag Novembris des 1559.*)

E. Erbarkeiten
willige
Paulus Eberus
Pastor.
Iohan. Pfeffinger D. Pastor Ecclesiae Christi in urbe Lipsia.
Philippus Melanthon.
Henricus Salmut Ecclesiastes Lipsensis.

*) Obsignata est epistola sigillis Pfeffingeri et Salmuti. Videtur igitur sine sigillis missa a Witebergensibus ad Lipsienses.

No. 6864. (13. Nov.)

(*De controversia Schweinf.*)

Edita a Pezelio in Mel. Consil. lat. P. II. p. 367. — Hic ex autographo manu Eberi scripto. Vid. epist. antecedens. Inscriptio autographi in tergo est: „*Responsio Eberi et Philippi*". —

Responsio de controversiis Troianis.

Dei beneficio de toto corpore doctrinae Ecclesiae extant nostrae sententiae planae et perspicuae, et quidem de huius temporis controversiis in responsione de Bavarica inquisitione explicate dixi, quasdam etiam controversias sepono, quia profecto modum esse disputationum oportet.

Plane dico, me non uti hac phrasi: Bona opera sunt necessaria ad salutem. Sed has propositiones adfirmo veras esse, et proprie, sine sophistica sic dici: Nova obedientia est necessaria, vel Bona opera sunt necessaria, quia Deo debetur obedientia, iuxta dictum: Debitores sumus, Et quia regenerationem seu conversionem accepto spiritu sancto necesse est sequi congruentes motus spiritui sancto, iuxta dictum: Qui spiritu dei ducuntur, hi sunt filii Dei. Item fateri necesse est, iusticiam bonae conscientiae necessariam esse. Et vocabula Debitum et Necessitas significant ordinem sapientiae et iusticiae Dei, non significant violentiam seu metu extortam obedientiam. Scio sophisticas praestigias opponi. Sed non dubito et sententiam nostram veram esse, et formam loquendi rectam et propriam, et existimo consensum esse de ea propositione in omnibus Ecclesiis nostris inter pios, eruditos, et abhorrentes a sophistica. Ideo et Suinfordianos opto omissis subtilioribus disputationibus eodem modo loqui, quia dissonae formae loquendi turbant et distrahunt populum.

Si volumus esse concordiam, profecto necesse est nos contentos esse et sententiis et formis loquendi, quae comprobatae sunt suffragiis piorum et eruditorum, et candor in iudicando adhibendus est, nec φιλονεικεῖαι in Ecclesiam adferendae sunt ad captandas occasiones reprehensionum. Et facile est arripere aliquid, quod plausibiliter exagitari potest, quia saepe verum est illud Pindaricum: μέγιστον αἰόλῳ ψεύδει γέρας ἀντέταται.

Secundo. De hac propositione: Bonis operibus retinendus est spiritus sanctus, constat non excludi Deum, sed hoc dici, delictis contra conscientiam excuti spiritum sanctum, et malo proposito extingui veram invocationem. Hoc in Ecclesia doceri necesse est, sicut et Petrus inquit: Studete firmam facere vocationem vestri et electionem, scilicet ducente et confirmante deo, sicut 1 Ioh. 5. dicitur: Natus ex Deo, custodit se. Ioseph volens et non coactus abstinet ab aliena coniuge. David volens et non coactus rapit alienam coniugem, et contristat spiritum sanctum. Ac sepono hic disputationes de praedestinatione. Et nequaquam dico, Deum causam esse talium delictorum. Sed dico Davidem, cum quidem haberet spiritum sanctum, potuisse Deum invocare, petere auxilium Dei, et abstinere ab aliena coniuge. Fit etiam incertitudo, si dicatur, amitti spiritum sanctum, etiamsi non excutiatur malis operibus. Sit autem certa haec consolatio: Milita bonam militiam, habens fidem et bonam conscientiam. Mulier peccatrix Lucae 7. conversa iam habet fidem, spiritum sanctum, et bonum propositum, et manens talis, certo est haeres vitae aeternae per fidem. Abiecto bono proposito excutit spiritum sanctum. Hic si disputationes moveantur de praedestinatione, perniciosae dubitationes oriuntur. Contenti igitur simus hac necessaria doctrina: Milita bonam militiam, habens fidem et bonam conscientiam. Et tamen fides nititur sola misericordia propter filium promissa. Haec intelligi possunt, et piis utilia sunt.

Tertio, movetur quaestio a Ruperto: An si Adam non peccasset, fuisset iustus sua obedientia integra. Hanc quaestionem et vetustas movit, et recens *Osiander* agitavit. Sed suo quodam modo, non ut vetustas: An Christus missus fuisset, si homo non esset lapsus. De hac quaestione *Bonaventura* inquit: Scriptura sic loquitur, ut adpareat Christum missum esse propter lapsum, Sed argumenta multa sunt non levia, quae movent, ut existimandum sit, fuisse τὸν λόγον adsumpturum humanam naturam, etiamsi homo non esset lapsus, quia propter hunc filium Deus condidit aeternam Ecclesiam.

Sed nostrum consilium est, ut omissa hac disputatione, dicatur de natura hominis, qualis nunc est, et de beneficiis filii Dei, quae nunc tribuit, sicut et prophetae et Apostoli loquuntur.

Sit modestia in disputando, nec quaeramus omnia.

Vitemus etiam Phrases, quae vel propter ambiguitatem vel propter hyperbolas offensiones adferunt.

Reverenter autem oramus hos ipsos concionatores, ut hanc nostram responsionem boni consulant, et desinant rixari. Talis est ipsorum aetas, talis prudentia, ut sciant concordiam tuendam esse, et sine animi moderatione et sine ἐπιεικείᾳ retineri eam non posse. Quare omittantur, praesertim in publico, non necessariae reprehensiones. Siquid desiderat alteruter, privatim placide adhibitis fidelibus amicis exponat suam sententiam.

Hac nostra diiudicatione et pia admonitione si non sunt contenti, quaerant alios iudices ubicunque volunt.

Senatum vero hortamur, ut non sinat distrahi populum contrariis concionibus. Sed nolentem obtemperare dimittant, vel dimittant utrunque, quia necesse est pacem Ecclesiae, cum de fundamento non sit dissensio, constanter retineri.

Non existimamus *Laurentium* docere aut docuisse, obedientiam ullius creaturae quantumvis perfectam, mereri remissionem peccatorum et vitam aeternam. Retinenda est .n. in Ecclesia haec vera sententia: Solius filii Dei obedientiam esse meritum remissionis peccatorum et vitae aeternae.

Oramus autem filium Dei, ut semper inter nos Ecclesiam colligat, et faciat, ut unum in ipso simus. 1559.

Paulus Eberus
pastor.
Iohan. Pfeffinger D. pastor ecclesiae Christi in urbe Lipsia.
Philippus Melanthon.
Henricus Salmut Ecclesiastes Lipsensis.

No. 6865. 14. Nov.

A. Hardenbergio.

Epp. ad Hardenberg. ep. 25.

D. Alberto Hardebergio.

S. D. Reverende vir et carissime frater. *Heshusius* adhuc Heidelbergae haeret, et triumphat, quod Antagonista discessit, qui τὴν ἀρτολατρείαν taxaverat. Adiungit se τῷ βλακικῷ συρφετῷ. Eius generis applausus ut habeant, palam me criminatur παραβαίνων τοὺς ἅλας, καὶ τὴν τράπεζαν. Sed commendo Ecclesiam, et nos in ea filio Dei. In hac vicinia, cum Stoici nostri contendant omnia necessario fieri, tamen bona opera negant necessaria esse. Tales ineptiae dicuntur vere βλακώδεις, gementibus doctis et piis, quorum multi tamen aperte pugnant. Heri senatui cuiusdam oppidi[1]) misi diiudicationem multarum controversiarum, de quibus ibi rixantur quidam praestigiatores. Amisimus collegam et amicum, virum excellentem ingenio, eruditione et virtute, *Iacobum Milichium*[2]), cuius mors mihi et aliis magnum dolorem affert. Sed oro filium Dei, ut publicas et privatas calamitates nobis mitiget. Pagellas de funere mitto, quarum unam Domino *Petro Medmanno*, viro integerrimo, mittas. Bene vale et rescribe. Die 14. Nov.

Philippus Melanthon.

No. 6866. 14. Nov.

Io. Matthesio.

Epist. lib. II. p. 113. (ed. Lond. lib. II. ep. 101.).

D. Iohanni Matthesio

S. D. Reverende vir et charissime frater, Fuit eruditio et virtus egregia in *Iacobo Milichio**) medico, nec dubito eum vera pietate Deum coluisse. In aestate in morbum incidit, cum quidam lanius non procul ab eius aedibus alium percussurus esset, inde orta commotio, ut ego ratiocinor, nunc quoque attulit πάθος ἀποπληκτικόν. Etiamsi autem utcunque convaluerat, et nuper cum tota familia ad Coenam Domini pie accessit; tamen deinde in hortum egressus in frigore sensit maiorem commotionem, et in oppidum revectus,

---

1) Oppidi Schweinfurt.

2) Obiit d. 10. Nov. 1559.

*) Vid. de eo scheda academica in Scriptis publ. T. IV. d. 11. Nov. 1559.

quarto die post extinctus est. Tali orbatus et collega et amico, magno in dolore sum. Sed oro Filium Dei, ut publicas et privatas calamitates mitiget. Mihi in senecta et labores et dolores crescunt, a quibus tamen brevi me liberabit migratio ad caelestem Ecclesiam, in qua coram se nobis Filius Dei ostendet cum Patre et Spiritu sancto, et procul aberunt sophistae qui idola et parricidia stabiliunt. Oro Deum ut Ecclesiam et nos in ea servet. Bene vale. Die 14. Novembris.

No. 6867. 14. Nov.

Ulr. Mordeisen.

Epist. lib. V. p. 205 sq. Contuli autographon in biblioth. orphanotroph. Halensis.

Ulrico Mordisin, Consiliario Ducis Sax. Elect.

S. D. Clarissime vir, et Patrone charissime. Propter vestras occupationes Lipsiae minus[1]) vos interpellavi[2]). Et differo deliberationem de Theologica praelectione ad nostrum congressum in proximo mercatu Lipsico.

Heri nuncio *Suinfordensi* dedi diiudicationes controversiarum, quas ibi Concionatores moverunt de aliquot Propositionibus, quarum haec una est: An retineatur Spiritus Sanctus nostra obedientia.

In *Heidelbergensi* controversia hoc actum est; Discessit in Helvetios is, qui *Heshusio* adversatus est. An *Heshusius* ibi mansurus sit, nondum scio; Sed *Hildesii* eum vocarunt, et suasi, ut eum accerserent. †*Francofordiae* ad Viadrum litigat *Musculus* cum alio quodam lectore[3]) de hac propositione; negat veram esse propositionem: bona opera sunt necessaria, etiam si non addatur particula ad *salutem*. Senatus Academiae iussit partes, suas sententias exhibere scriptas." Nunc historica alia non habebam.

Viro nobili *Zeschio*[4]) opto, ut haec ipsius in aulam migratio et Reip. et ipsi sit felix, et Filium Dei, custodem Ecclesiae, oro, ut Illustriss. Principem Ducem Saxoniae, Electorem, et vos omnes gubernet et protegat. Iudico, virum honestum et dignum esse benevolentia bonorum Dn. *Zeschium*, et recte colere Deum. Ideo spero, eius consuetudinem vobis gratam fore. Bene valete. Die 14. Novemb. 1559.

Philippus Melanthon.

1) Saub. *nolui.*
2) Saub. *interpellare.*
3) *Abdia Praetorio.* Nota in A. D.
4) Saub. *Lischio.*

No. 6868. (med. Nov.)

Abd. Praetorio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54 [3].

Abdiae Praetorio, Lectori in Academia Francofordiana.

S. D. Clarissime et doctiss. vir et cariss. frater. Spero senatui inclytae Academiae vestrae non defuturum esse consilium in diiudicatione vestrae controversiae, et in tuendo consensu omnium piorum et eruditorum de hac propositione: nova obedientia est necessaria, seu: bona opera sunt necessaria. Non abiiciam has propositiones, etiamsi dira mihi minitetur tota illa factio Antinomorum. Miror tuam Antagonistam istic non cogitare, quantum nobis domestica concordia opus sit, cum legerit haud dubie *Staphyli* scripta. Miror etiam, eum toties nobis bellum inferre, cum priorum certaminum eventus non ignoret. Furores erant: divinitatem mortuam esse; necessario fieri bonas et malas actiones. Nunc accedit et hic furor, quod damnat propositionem: nova obedientia est necessaria, seu: bona opera sunt necessaria *). Quid delectat eum, toties movere tumultus inter amicos, et quidem tetras et monstrosas opiniones adferre? Potius feriat hostes Ecclesiarum nostrarum. Est omnino necessaria et sapientia et virtus discernere cives et hostes. Legi pagellam scriptam contra me ad Doctorem *Widerstadium.* An putat, mihi deesse in causa nostra optima, quod respondeam, si velim domestica dissidia augere? Sed tamen optarim, eum moderari impetus suos. Etiam me mortuo viri

*) Vid. ep. ad Mordisinum d. 14. Nov. 1559. et Buchholzeri ep. infra d. 15. Martii 1560.

pii et eruditi testabuntur, nos vera et utilia Ecclesiae docuisse. Ipse gloriatur, se legere veteres, quos si intuetur, pudere eum debebat, se defendere propositiones, quas si illi audivissent, execrati essent. Sed desino. Tantum hoc addam: valde doleo et extremae ac delirae senectae Ecclesiae fata deploro, ac filium Dei[1]) oro, ut nos doceat ac gubernet, et faciat, ut multi unum in ipso simus, et nos protegat contra Pontificios et alios sophistas. Nec vero dubitemus, filium Dei servaturum esse suam Ecclesiam et nos in ea, qui veritatem sine sophistica docemus. Isti praestigiatores sibi proponant dictum Siracidae: *ἐστὶν ὁ σοφιζόμενος ἐν λόγοις μισητός, οὐκ ἐδόθη αὐτῷ παρὰ κυρίου χάρις.* Scriberem plura, si non aliis negotiis impedirer, et tibi in causa optima non est opus nostra disputatione. Hic verissimum est illud Pindaricum: *εὐώνυμον ἐς δίκαν τρία ἔπεα διαρκέσει*[2]). Tribus verbis et refutari furor Antinomorum et tui Antagonistae potest. In Roman. scriptum est: debitores sumus. Christus inquit: quod debuimus fecimus. Item: milita bonam militiam, habens fidem et bonam conscientiam. Sed tibi notae sunt nostrae explicationes: ideo nihil addo. Mitto hunc tabellarium meo sumptu, et peto ut rescribas. Mense Novembri, 1559.

Philippus.

No. 6869. 18. Nov.

C. Heresbachio.

Epist. lib. II. p. 395. (ed. Lond. lib. II. ep. 407.).

D. Conrado Heresbacchio

S. D. Tuarum literarum brevitas, ut ego iudico, significatio est ingentis moestitiae tuae, qua te adfici non dubito, propter horribiles confusiones et Ecclesiae et Politiarum. Excrucior et ego similibus doloribus, ac praecipue, quia rerum maximarum explicationem impediri video, ab illis ipsis qui semidei haberi volunt. Sed studeamus, Deo iuvante, moderari si qua nostra voce leniri possunt, et foveamus miserum et saucium coetum, quantum fieri potest. Haec in his tantis miseriis cogito. De Chronico libello non libet scribere, quia non ratiocinor me ad illas recentiores historias perventurum esse. Donec vivo adolescentiae proponi curabo res utiles. Et haec ipsa *χρονολογικὰ* repeto, ut invitem plures ad legendas veteres historias. Nam novum et integrum opus condere, non est mearum virium. Scis sapientiae et eloquentiae non mediocris esse vel exiguam historiam scribere, quid de illa amplitudine integrae historiae, qualis est *Polybii*, non multorum annorum cogitare possumus? sed hoc omitto. Tuas literas flagito. Bene vale. 18. Novembris.

1) Cod. Paris. *Deum.*
2) Pind. Nem. 7, 71.

No. 6870. 19. Nov.

Io. Christoporski.

Epist. lib. V. p. 511 sq.

Iohanni Christoporski, Consiliario Regio.

Generose Domine, utrumque et Patriae nostrae et vestrae Patriae opto, ut et Politia sit tranquilla, et semper in utraque regione Filius Dei aeternam Ecclesiam colligat, ac faciat, ut vere unum in ipso simus. Ad haec bona certe necessaria est literarum doctrina. Quare Deo pietas tua grata est, quod studia doctrinarum ornare studes, Dei beneficio filius tuus et eius commilitones recte valent, et discunt, ac Deum precor cum ipsis, ut te et eos servet incolumes. Studia huius Academiae cognosci ex scriptis nostris possunt, de quibus sapientibus et piis iudicium libenter permitto.

De publicis negotiis nihil habeo *ἀξιόλογον*: et praecipua tibi nota esse scio. In Gallia et Hispania exercetur saevitia erga eos, qui doctrinam de vera invocatione Dei amplectuntur. Germani et Poloni distrahuntur opinionum dissidiis. Oro autem Filium Dei, ut nos gubernet. Bene vale. 19. Nov. 1559.

No. 6871. 22. Nov.

Matth. Luthero.

Epist. lib. V. p. 728 sq.

Matthiae Luthero, Syndico Northus.

S. D. Clarissime vir, et charissime frater. Gratiam vobis habeo, quod Doctori *Chiliano* exhibuistis *τὸ γαμήλιον,* quod volui esse benevolentiae meae erga ipsum significationem. Et in tantis dilacerationibus generis humani opto, aliquem coetum piorum et doctorum tueri coniunctionem et Deo gratam et salutarem reliquiis Ecclesiae, politici status et doctrinarum. Heri literas accepi ex Noriberga, in quibus scribitur, electos esse Romae diversis factionum suffragiis plures Romanos Pontifices. Scribitur etiam, Toletanum Episcopum, pium senem, in Hispania in carcerem coniectum esse, quod *Carolo* Imperatori dixit, se quoque ita statuere, doctrinam de Iustificatione in nostris Ecclesiis veram esse. Cogitate, quanti in toto orbe terrarum furores sint, adversus quos et petere a Deo protectionem debemus et tueri coniunctionem nostram. Iam scribo Propositiones *Eberi*, Pastoris Ecclesiae nostrae*), quas spero vobis et omnibus piis et doctis gratas fore. Mittam, cum erunt editae. Bene valete. Die XXII. Nov. Anno LIX.

Philippus.

*) Renunciatus est Eberus Doctor Theologiae d. 7. Decb. 1559.

No. 6872. 22. Nov.

Ulr. Mordeisen.

Epist. lib. V. p. 206 sq.

Ulrico Mordisin.

S. D. Clarissime vir, et Patrone charissime. Hodie intellexi et Comitem *Volradum* et *Franciscum Vinariensem* ex Anglia reversos esse, dicuntur narrare, Reginam alteri cuidam coniugium promisisse.

Ex Noriberga scribitur, Romae diversis factionum suffragiis quatuor Romanos Pontifices factos esse. Recrudescit in Gallia saevitia, cum quidem successor adolescens *Henrici* Regis filius aegrotare*) dicatur. In Hispania Toletanus inclusus est carceri, propterea quod doctrinam nostrarum Ecclesiarum de Iustificatione dixit veram esse. Oro Filium Dei, ut has regiones, Illustriss. Principem et vos gubernet et protegat. Die 22. Novemb. 1559.

Philippus Melanthon.

*) Franciscus II.

No. 6873. (23. Nov.)

Ge. Cracovio.

Epist. lib. II. p. 364. (ed. Lond. lib. II. ep. 375.). — Cracovius his diebus fuit Dessaviae, ut intelligitur ex ep. ad Mordis. d. d. 29. Nov.

D. Georgio Cracovio

S. D. Heri mane narrabatur mihi, *Franciscum Vinariensem* ex *Anglia* domum rediisse. Postea cognovi fabulam vanam esse. Rediisse Comitem *Volradum* certo adfirmant literae eorum, qui id scire possunt. *Μνηστείαν δὲ κενὴν εἶναι φάσιν.* Cygneas literas remitto ac ubi possum libenter opem feram pauperi de quo scriptum est. Hodie ex ripa *Viadri* significatur mortuum esse *Tarnovium* in *Polonia*, et tandem extinctum esse in *Transylvania Isabellum.* Bene vale.

No. 6874. 23. Nov.

Ge. Agricolae.

Epist. lib. II. p. 572. (ed. Lond. lib. II. ep. 595.). Hic ex autographo in cod. Goth. 400.

Georgio Agricolae, gubernanti studia doctrinae in inclyta urbe Norici Amberga.

S. D. Clarissime vir et charissime frater, Scriptor historiae *Appianus*, ubi narrat stirpes gentis *Illyricae* et *Gallorum*, ait se nihil legisse verisimilius, quam quod scribitur, *Polyphemo* duos fuisse filios, *Illyrium* et *Gallum.* Ab his duobus ortas esse duas gentes. Ad hanc narrationem alludo cum dico, me hostes habere *Polyphemi* filios, *Illyricum* videlicet et *Gallum*, qui videlicet in *Istri* ripa contra nos odia accendit. Ego

Psalmum sequor, qui ait: *Illi maledicebant, ego autem orabam*, et ad iudicia piorum et eruditorum provoco. Semper veram Ecclesiam fanatici homines oppugnaverunt, quod fieri vidimus his quadraginta annis. Plane similia θαύματα ῥημάτων dicebant Enthusiastici. *Anabaptistarum* duces, qualia nunc sonant *Polyphemi* filii. Sed commendo nos Filio Dei. Mitto pagellas, quarum lectionem spero tibi iucundam fore. Bene vale et rescribe. Die 23. Novemb. Anno 1559.

Heshusius facit, quod est in *Pindarico* versu, παλαιὰ γὰρ εὕδει χάρις, ἀμνάμονες δὲ βροτοί. Utinam coniunctionem nostram tuerentur veteres amici.

Philippus Melanthon.

No. 6875. 26. Nov.

Ioach. Mollero.

Epist. lib. II. p. 529. (ed. Lond. lib. II. ep. 555.). — De Trevirensi obsidione in hac ep. commemorata vid. epp. d. 24. et 29. Nov. et d. 1. Decb. 1559.

D. Ioachimo Mollero

S. D. Clarissime vir et charissime frater, Ut veniens annus sit felix et faustus Ecclesiae Christi, et his politiis, quae sunt hospitia verae Ecclesiae, et tibi et tuis, faciat Filius Dei Dominus noster Iesus Christus, qui massam nostri generis assumpsit, ut nos gestet tanquam surculos suae massae insitos. Haec nostra vota sint eo ardentiora, quia *Treverica* obsidio minitatur ingentes motus. Et fore hanc ἐπίτασιν longae Tragoediae horum temporum metuo. Sed tot seculorum εἰδωλομανίαι punientur. Nos Filium Dei precamur, ut poenas leniat. De fratre colloquar cum *Mordisio* quam primum, nec dubium est fratri interpretationem *Ebreae* linguae decretam esse. Mitto pagellas, de quibus flagito et tuum iudicium. Bene et feliciter vale. Die 26. Novembris.

No. 6876. 29. Nov.

D. Voigtio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Davidi Voit (in Academia Regiomontana).

S. D. Clariss. vir et cariss. frater. In his regionibus nihil novi accidit post tuum iter quod sit ἀξιόλογον, qui quod hic collega et amico insigni orbati sumus, *Iacobo Milichio*, qui cum magna parte aestatis aegrotaverit, nuper mortuus est[1]). Ex Anglia comes *Volradus* rediit; *Franciscum* nondum audio rediisse, et retineri morbo timeo. Urbs *Trevirica* circumsessa est ab Episcopo, quam si liberare vicini principes conabuntur, hic[2]) bellum metuo fore ἐπίτασιν tragoediae horum triginta annorum. Haec narrabis istic et Betro [?] et rescribes. Mitto vobis pagellas hesternae disputationis[3]), quas amicis distribues et doctori *Ioanni* dices, me ipsius iudicium flagitare. Bene vale. Die 29. Novemb., quo hodie mane meo genero natus est Dei beneficio filius.

Philippus Mel.

No. 6877. 29. Nov.

N. N.

Manlii farrag. p. 254 sq. — Non a Melanthone, sed ab alio, fortasse Paulo Ebero scripta est, cum quo Iohannes Cyglerus, Erasmus Laetus et Paulus Crellius simul renunciati sunt doctores Theologiae Witebergae d. 7. Decb. 1559. Vid. Scripta publ. Acad. Witeb. T. IV. ad hunc diem.

Reverendis viris, pietate, eruditione et fide praestantibus, D. D. N. N. et N. N. artium M. et pastoribus Ecclesiae N.) pie concordibus et constantibus, suis fratribus charissimis.*

Reverendi viri, nota vobis vox est filii Dei, Domini nostri Iesu Christi, in ultimo precantis, περὶ τῶν πιστευσόντων διὰ τὸν λόγον αὐτῶν εἰς ἐμέ, ἵνα πάντες ἓν ὦσιν ἐν ἡμῖν. Cuius precationis efficacia haud dubie, quicquid est pie concordiae inter docentes, reliquum manet in Ecclesia in his diaboli furoribus, conantis ita tetris dilaceratio-

---

1) Vid. pagellam publicam in Script. publ. Acad. Witeb. T. IV. d. 11. Nov. 1559. Mortuus est Witebergae d. 10. Nov.

2) *hoc?*

3) De illa disputatione nihil legitur in Scriptis publ. Acad. Wit. Est autem sine dubio disputatio Eberi, qui simul cum Erasmo Laeto, Iohanne Coglero et Paulo Crellio d. 7. Decb. in templo arcis renunciatus est Doctor Theologiae.

*) Fortasse Islebiensis.

nibus divellere consensum docentium. Gratias autem Deo agimus, quod inter aliquos tamen coniunctionem animorum esse voluit, quae incorruptam Evangelii doctrinam in his regionibus huc usque conservavit: et precamur eundem Deum, qui est ipsa dilectio, ut piam consociationem alat et confirmet, et discordiam ex harum Ecclesiarum nidulis procul pellat.

Cum autem vos a multis annis saepe testati sitis, nobiscum in Deo concordes esse: petimus, ut hoc nunc quoque manifestum faciatis, cum N. N. N. N. N. et mihi publico ritu conferetur titulus doctorum in Theologia, quod Deo adiuvante, fiet septimo die Decembris, postridie Nicolai *). Ad eam renunciationem publicam ut vos quoque adsitis, et preces vestras nostris adiungatis, orantes ut Deus clementissimus pater hoc nostrum institutum fortunet et gubernet, ut cedat ad gloriam nominis sui, et Ecclesiae aliquam utilitatem, quanto possumus studio et diligentia a vobis contendimus. Pro quo officio promittimus vobis perpetuam gratitudinem, studium, et animum paratum ad quaecunque obsequia, quae in hac tenuitate nostra a nobis praestari poterunt. Deo vos commendamus. Datae Vitebergae, pridie Andreae, 1559.

No. 6878. 29. Nov.

U. Mordeisen.

Epist. lib. V. p. 207 sq.

Ulrico Mordisin.

S. D. Clarissime vir, et Patrone charissime. Hodie, videlicet die 29. Novembris, accepi literas Illustrissimi Principis Ducis Saxoniae, Electoris, de profectione mea et Doctoris *Georgii Cracovii* ad *Locham.* Tunc nondum redierat Doct. *Georgius* ex *Dessa.* Sed hora duodecima rediit. Cogitamus igitur cras, id est, die Andreae, ad vos proficisci. Meum generum retinet partus coniugis, quae, Dei beneficio, hodie mane peperit filium. Sed hodie mane ad Baptismum vocavimus viros honestissimos, pietate, virtute et prudentia praestantes, Doctorem *Iohannem Nevium* et *Iohannem Zenitsch.* Deum aeternum, Patrem Domini nostri Iesu Christi, oro, ut has regiones protegat. Caetera coram. Die 29. Novembris 1559.

Philippus Melanthon.

*) Ex Scriptis publ. intelligitur, d. 7. Dcb. 1559 doctores esse creatores *Paulum Eberum*, *Erasmum Laetum*, *Iohann. Coglerum*, Quedlinburgensem, et *Paulum Crellium*, Islebiensem. Fortasse *Crellius* hanc epist. scripsit.

No. 6879. 29. Nov.

Cph. Libio.

Manlii farrag. p. 256.

Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, Domino N. N. (*Libyio* adscripsit Buchholtzer) *pastori Ecclesiae Dei in inclyta arce Bremi, suo charissimo.*

Reverende vir, et charissime frater: Mitto tibi et reverendo viro *Kitelio* propositiones *Eberi*, et aliorum quorundam. Cumque existimem vos ad publicam testimonii renunciationem [1]) et ad precationem communem vocari, quaeso ut huc veniatis: quod eo facietis, quia quaedam de publicis audietis, quae scire vos refert. Urbs *Treverica* circumsessa est ab Episcopo. Nunc audio deliberari de ea liberanda: quod si fiet, metuo hoc bellum fore ἐπίτασιν tragoediae annorum triginta. Oro autem filium Dei, ut poenas leniat, et servet Ecclesias, quarum videmus in hac delira mundi senecta ingentes aerumnas esse. Sed confugiamus ad Deum, qui dixit: Etiam in senecta gestabo vos. Bene vale, et veni. Die 29. Novembris [2]): quo, hodie mane, filiolus, Dei beneficio, meo genero natus est. (1559.)

No. 6880. 1. Decb.

Laur. Mollero.

Epist. lib. V. p. 460.

1) d. 7. Decb. 1559.

2) Buchholtz. adscripsit: 29. Novbr. 1559. In Manlio mendose 19. Nov.

Laurentio Mollero docenti Evang. in oppido Hildesheim.

Clarissime vir, et chariss. frater. Mitto proximae disputationis capita [1]), et mitto tanquam iudici. Libenter enim Ecclesiae iudicia et admonitiones audio. Adversus sycophantarum venenatos morsus habeo *ἀλεξιφάρμακον*, bonam conscientiam. Urbis *Trevericae* obsidionem, metuo, fore classicum ingentis belli. Precemur igitur Filium Dei, ut nos gubernet et protegat. Bene vale. Cal. Decemb. 1559. †Salutem tibi optat *Peucerus*, cui heri natus est Dei beneficio filiolus" [2]).

Philippus Melanthon.

1) a Melanthone Paulo Ebero scripta.

2) Addit A. D.

No. 6881. 1. Decb.

Hier. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 250 sq. — Hic ex autographo in cod. Monac. I. p. 253., cuius titulo Baumgartnerus adscripsit: „1559. 15. Decb. per Andream."

Hieron. Bomgartnero, Senatori inclytae urbis Noribergae.

S. D. Clariss. vir et Patrone cariss.

Ipse Deus sapiens verbo qui cuncta creavit,
Et certis annum legibus ire iubet,
Efficiat nobis veniens sit faustus ut annus,
Et clemens dextra nos tegat ipse sua.
Et quoniam Gnatum misit qui colligat agmen
Cuius sit doctor, vita, caputque, λόγος.
Hic λόγος aeterno natus Patre semper adesse
Et custos nobis et caput esse velit.
Viribus humanis non est Ecclesia tuta,
Orphana ferratis praesidiisque caret.
Sed nostram indueris cum miro foedere massam
Gnate Dei, semper nos tua membra regas.
Et facias tecum nos unum et simus in aevum
Vera laude tuus quo celebretur honos*).

Sint autem vota nostra ardentiora, quia pericula nova impendent propter Trevericam obsidionem. De tuo etiam Climacterico cogito, et oro Deum aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, creatorem generis humani, et vitae datorem, ut tibi vires animae et corporis confirmet et tibi et tuis vitae spacia longiora tribuat.

De *Froschelio* scripsimus ad Senatum inclytae urbis vestrae, teque oro ut et literas exhibeas, et causam, ut existimo, non odiosam Senatui commendes, quem scio beneficum esse erga Ecclesias et ministros Evangelii ornantes veritatem, et pacem. †*καὶ" κακοεργίης εὐεργεσίη μέγ' ἀμείων*. Bene vale. Cal. Decemb. 1559.

Philippus Melanthon.

*) Idem carmen Melanthon Baumgartnero miserat d 1. Ian. 1559.

No. 6882. 1. Decb.

Cph. Piscatori.

Ex autographo Phil. Mel. in cod. Cypriani Goth. iam antea edita a Cypriano in epistolis claror. viror. p. 19.

Mag. Christophoro Piscatori, gubernanti Ecclesiam Dei in oppido Schmalcalden, fratri suo cariss.

S. D. Reverende vir et carissime frater. Mitto tibi *Eberi* propositiones, de quibus etiam tuum iudicium flagito. Vides me quaerere utilia conscientiis *καὶ παρα....ικὰ* [1]), et fugere labyrinthos, qui dubitationes in mentibus augent. Optarim autem, te et disputationis socium fuisse *καὶ παραστάτην Eberi*, et cum iam ornari publico testimonio [2]). Sed post brumam de illis deliberationibus rursus ad te scribam. Simul etiam in aula de iis consiliis loquar cum gubernatoribus, quorum fiebat mentio cum adesses, ac benevolentiam erga te meam perpetuam fore promitto. Maxime opto, ut quam plurimi unum simus in Deo. Bene vale. Calend. Decembr. 1559.

Philippus Melanthon.

1) Fracta est charta in hoc verbo graeco, eoque factum est ut literae delerentur. Videtur scriptum fuisse *παραγγελτικά*. Cyprianus, quod miror, graeca plane praetermisit, nec lacunam indicavit.

2) Id factum est d. 7. Decb. 1559.

No. 6883. d. brumae.

Abd. Praetorio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Abdiae Praetorio, Lectori in Academia Francofordiana.

S. D. Clarissime vir et cariss. frater. Mitto tibi capita disputationis *Eberi*, quae cum scriberem, saepe cogitavi illud: *καὶ μῦς δάκοι ἄνδρα δίκαιον*. Te oro, ut exempla tuarum defensionum nobis mittas. Cum esset in arce Lochana Elector Marchicus, clementer mecum locutus est*), sed praecipue de *Victorino καὶ περὶ ἀνάγκης στωϊκῆς*, quam et ipse reprehendebat. Tempus impediit, quo minus *καὶ περὶ μυομαχίας* cum eo loquerer. Properabat enim ad venationem, et me revocabat tempus renunciandi testimonii. Sed ubi sciero, quid actum sit inter vos, deliberabo tecum, ad quos scribendum sit. Tu in causa optima conscientia rectae sententiae et optimae voluptatis te erigas. Bene vale et rescribe. Die Brumae, 1559.

Philippus.

*) Melanthonem Lochae fuisse d. 30. Nov. h. a. intelligitur ex ep. ad Cracovium d. d. 29. Nov.

No. 6884. 14. Decb.

Andreae a Berg.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Venerando viro, eruditione et virtute praestanti, D. Andreae a Berg, Pastori Ecclesiae in urbe Sagana.

S. D. Venerande vir et cariss. frater. Filius Dei, dominus noster Iesus Christus, alicui tribuet hospitium et Ecclesiae suae et piis pastoribus. Etiam Nazianzenus Bysantii docuit in exiguo sacello exclusus a templo, quod ibi maius et Episcopis attributum erat. Si monachi vestri te expulerint, ad nos redeas, quia spero, Deum in his regionibus servaturum esse verae Ecclesiae reliquias, cum videamus tot iam annos mirabiliter hic servatas esse adversus fanaticorum rabiem et arma inimicorum. De *Bonaventura* oro filium Dei, dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, ut sanet eum. Magno cum dolore tuam narrationem ego et alii legimus. Mitto tibi et *Severo* capita disputationis proximae, de quibus flagito tuum iudicium. Vicini nostri in Turingia novam synodum convocant, ut sua decreta stoica exasperent. Bene vale et rescribe. Die 14. Decemb. 1559.

Philippus Mel.

No. 6885. 15. Decb.

Abd. Praetorio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Abdiae Praetorio, Lectori in Academia Francofordiana.

S. D. Clariss. vir et cariss. frater. Hic noster civis pergit in vicinam vobis Borussiam; dedi tamen ei literas, quin libenter tecum quotidie colloquerer. Audio vicinos nostros Hyenae synodum convocaturos esse, ut sua stoica decreta exasperent, et fortassis eo accersent *τὸν μῶρον* [1]) et *Heshusium*, qui nunc Bremam venit, et alios, ut populo numerus etiam fucum faciat. Haec *πολυπραγμοσύνη* non opprimet veritatem. Nos modeste dicamus recta, et petamus et expectemus a filio Dei auxilium. Flagito de propositionibus *Eberi* tuum iudicium [2]). Bene vale et rescribe. Die 15. Decemb. 1559.

Philippus.

No. 6886. 18. Decb.

(De synodo et foederibus Principum.)

Editum a Pezel. in Melanth. christlichen Bedenken p. 627. Contulimus apographa in cod. Goth. 94. p. 72[b]. et cod. Galli II. p. 175. — De re ipsa conferatur Salig's Historie der Augsb. Confess. T. III. p. 510 sqq. et epist. Andreae a Berg d. 14. Decb.

1) Morlinum? Vid. infra ep. d. 21. Dec. et d. 28. Decb. h. a.

2) Miserat ei Eberi propositiones die brumae (d. 11. Dec.).

Bedenken Philippi Melanthonis auf der Fürsten Deliberation vom Synodo und von Bündnissen, *anno* 1559. 18. *Decbr.* *)

Die Bedenken von der Zusammenkunft der Chur und Fürsten reden von zweierlei Berathschlagung, die zu unterscheiden seynd. Die erste ist von leiblicher Defension, so die Verfolger Krieg [1]) und Ausrottung dieses Theils anrichten [2]) würden. Die andre Berathschlagung ist von Einigkeit der Lehre.

Wiewohl nun die erste Berathschlagung nicht in der Schulpersonen Rath gehöret, so ist doch dies zu erinnern nöthig, daß ganz ein weit Unterschied ist zwischen der Offension und Defension, zwischen Krieg erstlich anfahen, und nöthige Gegenwehr, wie alle Verständige wissen. Nun ist ein Fried in den Reichstagen zugesagt. Wider denselbigen einen Krieg anzufahen, ist öffentlich unrecht. Und sind diese argumenta dagegen nichtig, daß etliche sprechen: die Verfolger unser Kirchen werden nicht halten, darum soll man fürkommen u. s. w. Item, nemo debet expectare primum ictum etc., und dergleichen unruhiger und verzagter Leute aufrührische Reden. Dagegen ist gewißlich wahr: non sunt facienda mala, ut veniant [3]) bona. Und wann gleich nicht ein besonder Decret vom Frieden gemacht wäre, so hätte dennoch kein Theil Recht, in diesen Sachen einen Krieg anzufahen, und gehört dies [4]) in die Regel: omnis qui [5]) acceperit gladium, gladio peribit. Aber von wahrhaftiger nöthiger Gegenwehr zu reden ohne Sophisterei, ist wahr, daß Gegenwehr und necessaria defensio wider unrechte violentiam, auch wider offentliche notoriam violentiam [6]) superioris potestatis recht ist; denn das Evangelium vertilgt nicht weltliche Ordnung, den Rechten gemäß.

Nun haben die Chur und Fürstliche Häuser Sachsen, Brandenburg, Hessen, die Erbeinigung; die sollen sie billig in dieser Sachen auch halten. Und ist Treu [7]) unter ihnen [8]), so achte ich, daß sie zu der Defension nicht neue und fremde Bündnisse bedürfen. So verstehe ich auch nicht, was sie für neue Bündnisse machen wollen. Denn ich achte, daß die Städte in Sachsen, Schwaben und am Rhein so viel im vorigen Krieg gelernet haben, daß sie der Religion halben keine Verbündnisse [9]) machen werden; achte auch, daß Pommern, Herzog [10]) zu Lünenburg, Fürsten zu Anhalt zu keiner Bündniß sich bereden lassen.

So ist weiter die Fährlichkeit zu betrachten, so ein stark Bündniß gemacht wäre, möchten einer oder zween einen unnöthigen Krieg anfangen, und müßten hernach die Andern folgen, ob man gleich hätte mögen stille sitzen.

Nun sind etliche, die diesen Anfang geringe achten, so doch zu besorgen, so ein Krieg würde, daß das ganze teutsche Reich geändert würde, und würden sich die Chur und Fürsten hernach selbst durch [11]) einander schlagen, und sich an fremde Herrschaft hängen, etliche an Frankreich, etliche an Burgund, etliche an den Türken 2c. Und in Summa, es ist dieser Sachen kein End zu sehen. Man bedenke doch den vorigen Krieg im 1547. Jahre, wenn Gott nicht ein solch gnädig Ende geben hätte, was gefolgt wäre. Denn so diese Herren, Sachsen, Wirtemberg und Hessen Sieg gehabt hätten, wären sie gewißlich selbst in einander gefallen, und wäre ganz eine grausame Zerstörung [12]) und Veränderung in Teutschland gefolgt, die Gott gnädiglich dieser [13]) Zeit abgewendet hat. Ueber das alles, so sind die Chur und Fürsten und Städte also mancherlei Weise uneinig, daß ich nicht gedenken kann, daß sie Bündnisse mit einander machen können, werden sich auch keiner Hauptmannschaft vergleichen können. Es wird keiner den andern stärken wollen; es wird auch keiner dem andern das Geld in die Hand kommen lassen, wie in vorigem Krieg die Herren klagten, einer brächte mehr Gelds zu [14]) sich denn der andere.

Daß man aber spricht, sollen wir denn also sitzen und gewarten, daß einer nach dem andern verjagt werde; dagegen ist dieses, daß Friede im Reiche aufgerichtet ist, den Kais. Maj. zu halten sich verpflichtet hat. Dabei sollen wir recht thun, und auf Gott vertrauen, laut dieser Regel: was aus Gott ist, wird nicht vertilget. So ist gewißlich diese Sache Gottes Sache, so wir nur auch selbst Gott ernstlich anruften [15]), und in

---

*) Sic in Pezelio. Sed cod. Gall. Bedenken — — von dem Bundnuß und Synodo.

1) Pez. mit Krieg.

2) Pez. anfahen.

3) Codd. *eveniant.*

4) Cod. Gall. gehören diese.

5) *omnis*] abest a codd.

6) auch wider etc.] non habent codd.

7) Cod. Gall. Erbeinigung, wo sie die halten, und daß Treu.

8) Codd. ihren Unterthanen.

9) Cod. Gall. kein Bündniß.

10) Cod. Gall. pro Herzog habet Hessen.

11) Cod. Goth. 94. unter.

12) Cod. Gall. Verwüstung.

13) Cod. Gall. die.

14) Cod. Goth. 94. an.

15) Pez. anrufen.

der Lehre fleißiger wären. Doch da die Nachbarn, die [16]) zuvor Erbeinigung mit einander [17]) haben, einander treulich meinen, und, so einer angegriffen wird, einander Rettung thun, das ist christlich und nöthig. Was weiter von Bündnissen zu bedenken, das sollen die betrachten, welche Verstand von der Regierung haben.

(*De Synodo Theologorum*) [18]).

Zum Andern wird vornehmlich auf einen Synodum gearbeitet [19]); davon ist erstlich zu bedenken, ob möglich sey, einen stattlichen Synodum zu halten. Denn viel Stände werden niemand senden wollen, vornehmlich der Churfürst zu Brandenburg, Herzog zu Lünenburg, Pommern, Preußen, Anhalt, Nürnberg, Breslau, Lübeck, Stadt Lünenburg 2c. Item, wer will das Ausschreiben thun, daran Kais. Maj. ein besonder Mißfallen haben wird? Item, zu besorgen, daß etliche einen Antisynodum machen werden. Item, wer sollen die gubernatores Synodi seyn? Dann so nicht die Chur und Fürsten selbst dabei seyn, und zuvor unter sich vereinigt, so werden große Spaltunge folgen. Item [20]) vor allen Dingen ist zu bedenken, wie der Proceß seyn sollte, und welche Artikel sollten vorzutragen [21]) seyn. Und ob Hoffnung seyn möcht [22]), Einigkeit zu machen, †so ist doch mehr und größer Spaltung zu besorgen" [23]). So nun größere Spaltung zu besorgen, so ist öffentlich, daß besser ist, keinen Synodum zu halten; denn Gott hilft selbst endlich der Wahrheit. Constantius, der unruhige Disputator, wollt seinem Vater Constantino gleich seyn, und auch Synodos halten, ist auch selbst dabei gewesen zu Syrmio und Antiochia, und wurden nach jedem Synodo viel größere Spaltung, denn zuvor gewesen. So spricht Nazianzenus, er habe nie einen Synodum gesehen, darnach nicht größere Spaltung gefolgt seyn. Mir gedenket [24]) auch, daß Herzog Ulrich, seliger und hochlöblicher Gedächtniß, zu Schmalkalden war, da viel Prädicanten versammelt waren, wie ernstlich beide Fürsten, H. Ulrich und der Landgraf arbeiteten, daß man nicht viel disputationes erregen sollte, damit nicht größere Trennungen und Unwillen folget. Dieses wissen noch der Landgraf und etliche alte Wirtembergische Räthe. Und war zur selben Zeit allein die controversia de coena domini streitig. Jetzund bringet das Weimarische Buch viel mehr Sachen, de libero arbitrio, de iustitia essentiali, de coena domini, de necessitate bonorum operum, de adiaphoris; und sind alle diese Artikel aufs heftigste geschärft. Davon werden die Dichter nicht weichen wollen, so werden sie etliche Fürsten nicht annehmen; ich will sie auch mit Gottes Hülf, mit gutem Grunde, so ich lebe, also klar verwerfen, daß alle Verständige und Gottsfürchtige ihren Ungrund und Sophisterei erkennen sollen. So nun mehr Spaltunge folgen wird, ist zu bedenken, ob ein Synodus zu machen sey [25]).

Daß auch in dem gedachten Bedenken gemeldt wird, man soll eine einträchtige Form zu lehren stellen, die bei allen gehalten werde, und darob sollen die Potestates halten; dieses ist nun eine idea Platonica. Denn die Potestates sind selbst unstät, und ist nichts so eigentlich zu machen, da giftige Sophisten nicht ein Loch finden können, dagegen etwas zu tadeln. Da ich zu Augsburg die erste Confession anno 30. habe stellen müssen, da niemand einen Buchstaben schreiben wollt, so doch Kais. Maj. gewißlich eine Confession haben wollte und forderte, habe ich aus treuer Wohlmeinung die summam doctrinae zusammengezogen, und etliche unnöthige verwirrte disputationes ausgelassen, daß männiglich wüßte, was die Hauptlehre in diesen Kirchen sey. Diese Form zu lehren halte ich noch, und lasse etliche disputationes ruhen, und sage von nützlicher Lehre, davon ich mich berufe auf alle Universiten unsrer christlichen Lehre zugethan. Wenn die Potestates solchen Ernst erzeigeten, daß sie nicht unnöthige verwirrte disputationes erregen ließen, so wäre Einigkeit zu erhalten. So sie aber ein neu gut einträchtig corpus doctrinae machen wollen und können [26]), dazu wünsche ich Ihnen, daß Gott Gnad dazu gebe; ich will sie nicht hindern, und bitte die Herren und Gelehrten, sie wollen doch als die Weisen bedenken, daß man rechte nützliche Lehre, die zu Erbauung dienet, der Jugend und dem Volke vortragen soll, und daß das Disputiren eine Maße haben soll. Wozu dienen solche absurda: die guten Werke sind schädlich zur Seligkeit? Item: ante, in, post conversionem homo

16) die] abest a cod. Gall.
17) mit einander] absunt a cod. Gall.
18) Hanc inscriptionem addunt codd.
19) Cod. Gall. zum Andern, daß man auf einen *Synodum* eilet.
20) Cod. Gall. Aber.
21) Pez. fürgetragen.
22) Pez. möge.
23) Desiderantur haec apud Pez.
24) Cod. Gall. wir gedenken.
25) Hic sequitur in cod. Goth. 94. inscriptio: *Forma doctrinae.*
26) Cod. Gall. wollten und könnten.

habet se pure passive; item: filius Dei non est cogitatione genitus a patre. Dieweil denn nicht Hoffnung ist, daß Einigkeit im Synodo könne gemacht werden, kann auch [27]) nicht sehen, wer den Synodum regieren solle, und wie der Proceß seyn soll, [so] kann ich nicht rathen, daß unser gnädigster Herr, der Churfürst zu Sachsen, sich einläßt, einen Synodum auszuschreiben.

Daß man aber spricht, es sey kein andrer Weg Einigkeit zu machen, darauf ist diese Antwort: dieser Weg kann auch vergeblich seyn, und mehr Spaltungen anrichten, und hilft Gott dennoch der Wahrheit. Die Universitäten dieser Kirchen seyn durch Gottes Gnad im Grunde [28]) noch [29]) alle einträchtig, Tübingen, Heidelberg, Marpurg, Leipzig, Wittenberg, Frankfurt, Rostock, Gripßwald, Haffnia; item die vornehmsten Prädicanten in Städten, Nürnberg, Breßlaw, Lübeck, Hamburg, Lünenburg, Stättin, Hall in Sachsen. Und obgleich etliche an diesen und andern Oertern Zank suchen, so sind doch gelehrte gottfürchtige Männer mit uns einträchtig.

Also erhält Gott seine Kirchen und Wahrheit in solchen Personen, obwohl daneben ungelehrte, unsinnige, † muthwillige" Lecker Unruhe anrichten, als Illyricus, Gallus und ihr Anhang, dennoch bleibt christliche Kirche und Wahrheit in Gottfürchtigen und Verständigen, wie zur Pharisäer und Sadducäer Zeiten dennoch Zacharias, Simeon, Johannes ihre Zuhörer gehabt haben, darunter denn auch viel Schwache gewesen seyn.

Wollen auch die Chur und Fürsten Einigkeit erhalten, so bleiben sie bei gemeiner Confession und solcher Einigkeit in den genannten Universitäten, und lassen nicht neue unnöthige Zank erregen, haben auch in Mitteldingen Gedult [30]).

Die gemeldten Bedenken sagen auch, daß man berathschlagen soll, wie Einigkeit zu machen sey zwischen uns und den ausländischen Kirchen, Helveticis, Gallicis, Anglicis, Polonicis und Hungaricis. Darauf sprich ich, daß im Grund keine Uneinigkeit bei Gottfürchtigen und Verständigen bei ihnen [31]) ist, denn allein de coena domini. Was sonst Ceremonien belangend [32]), ist leichtlich zu vereinigen oder zu dulten.

Nun kann man den Streit de coena domini nicht übergehen. Denn soll man de elevatione reden, wie die obgemeldten Bedenken fordern, so muß man viel mehr vom Grund reden. Einem armen gottfürchtigen Pfarrer in Schlesien hat sein Junkherr durch den Henker [33]) drei Finger lassen abschneiden darum, daß er die Elevation nicht hat halten wollen. So nennen etliche Prädicanten die gelehrten und gottfürchtigen Männer, die in Anglia und Gallia getödtet werden von wegen des Sacraments, Martyres diaboli. Zu Bremen schreien etliche [34]) Esel für und für: corpus Christi est ubique. Zu Erfort schreibt ein grober Esel von Anbetung der Partikuln, so auf die Erden fallen. So schreiet Mörlin, du mußt nicht sagen Mum, Mum; du mußt sagen, was dieses ist, das der Priester in der Hand hat. So nun diese Sachen im Synodo angerühret werden, ist zu bedenken, welche Streit und Spaltungen folgen werden. Sollte es auch ein ernstlicher [35]) Synodus seyn, so wäre zu bedenken, ob auch gelehrte Männer aus den ausländischen Kirchen zu erfordern und zu hören seyn sollten.

Es ist ein schöner Name Synodus, und sollten in streitigen Sachen christliche Synodi gehalten werden, wie die Aposteln gehalten haben. Es ist aber oft große grausame Unruh aus den Synodis kommen, und ist wohl [36]) so sorglich, als einen großen Krieg anfangen. Darum wollen die Chur und Fürsten nicht also zuplatzen, und ein solch sorglich Werk unbedacht vornehmen. Ich rede hier nicht mir zum Vortheil; denn, ob mich gleich meine Feinde und ihr Anhang condemniren, wie sie mich doch sonst verfolgen und schmähen, so bin ich froh, daß ich von solchen Hypocriten, die Idololatry und Mord stärken, endlich abgesondert bin, und so lang mir Gott Leben und Verstand giebt, gedenke ich in dieser klaren Form der Lehre mit Gottes Gnaden zu bleiben, die ich von Anfang der Visitation bei vierzig Jahren in mancherlei Verfolgung mit Nutz der Jugend hab in Ordnung bringen müssen, und befehle die Kirchen und ihre Herrschaften und mich unserm Herrn, dem Sohne Gottes, Jesu Christo.

Von den Bischoffen, was denselben nachzugeben sey laut den Schmalkaldischen Artikeln, hat das Weimarische Buch dieselbe deliberatio aufgehoben; denn sie verwerfen alle Adiaphora. Wenn aber die

---

27) Cod. Gall. ich.
28) Cod. Goth. 94. addit: der Lehre.
29) noch] abest a cod. Gall.
30) Sequitur in cod. Goth. 94. inscriptio: *De coena domini*
31) bei ihnen] non habent codd.
32) Cod. Gall. seyn.

33) durch den Henker] non habet cod. Galli.
34) Codd. die.
35) Codd. christlicher.
36) Cod. Goth. 94. noch wohl.

Bischoffe wollten ihre Kirchen mit der Lehr und den Sacramenten anrichten, wie es der Bischoff [37]) von Magdeburg zu Hall halten läßt, wäre zu rathen, daß man damit zufrieden wäre.

Von den *Consistoriis* wäre alsdann auch zu bedenken, wie man eine Einigkeit machet. Denn es müssen Consistoria in Ehesachen und zu christlicher Excommunication gehalten werden.

Daß auch gemeldet wird, man soll bedenken, wie den Christen in fremden Landen zu helfen sey, ist zuvor zu betrachten, wie wir uns und den Unsern helfen können iuxta dictum: medice, cura te ipsum. Dabei ist dieses auch zu bedenken, daß König Franciscus unserer [38]) Herrn Gesandten saget: warum sie für solche bitten wollten, welche sie selbst als irrige Leut strafen. Das sey genug davon.

Endlich, dieweil nicht Einigkeit im Synodo zu hoffen, ist nicht zu rathen, daß man einen Synodum vornehme, und dieweil der Chur und Fürsten Zusammenkunft dahin gerichtet seyn soll, sich vom Synodo zu unterreden, achte ich, als eine geringe Person, dieselbige Zusammenkunft sey auch zu unterlassen. Denn man plagt die Herrn so lange, bis daß sie etwas willigen, andern zu Gefallen, daraus darnach doch Unrichtigkeit [39]) folget.

Der allmächtige Sohn Gottes, Jesus Christus, wolle gnädiglich seiner Kirchen helfen, und die Herrschaften dieser Lande bewahren und regiren.

†Philippus Melanthon
d. 18. Decbr. 59." *)

No. 6887. 21. Decb.

Hardenbergius ad Melanth.

Ex autographo in cod. Goth. 123. in fol. ep. 161., antea a Cypriano in Clarorum viror. epist. e Bibl. Goth. p. 20., nunc ex eodem autographo accurate edita. De re ipsa vide prolixam narrationem *Saligii* in hist. Aug. Conf. T. III. p. 738 sqq. — Respondit Melanthon d. 1. Ian. 1560.

37) Pez. Erzbischof.

38) zu unsern cod. Gall. — Pez. unser.

39) Cod. Gall. Uneinigkeit.

*) Cod. Gall. *anno* 60. d. 18. Decb.

Clarissimo viro Magistro et eidem Domino Philippo Melanthoni Professori in celeberrima Academia Vitebergensi, praeceptori suo reverentia colendo et amando,

S. D. Venerande praeceptor. Quid hic ad me penitus opprimendum, et veram de sacra coena sententiam extinguendam agatur, et quo pacto *Tilemannus Hesshusius* suam operam ad hoc nostris sit pollicitus, item quod magno stipendio eius opera hic conducta sit, et ut ad privatam aut publicam disputationem me provocaverit, et alia quaedam huius generis, proxime per *Thomam* Phrisiorum nuntium ad Mag. *Sebastianum Winshemium* scripsi, uti tecum communicaret. Quod et factum confidere volo. Te ita occupatum non libenter interpello, sed opera tua tamen mihi hac in causa valde est necessaria. Tacite mecum cogitavi, si tibi et paucis aliis fidis amicis consultum videretur, me velle clam omnibus proficisci Heidelbergam, et ibi cum illo in certamen descendere. Sed terrent me multa, et inprimis nuditas mea et illius audacia cum pari impudentia coniuncta; deinde quod nesciam, quis sit status academiae, et professorum theologiae. Si sunt Illyricanae factionis, tunc stultum esset, illic aliquid tentare. *Dillerum* [1]) novi, alioqui (quod sciam) neminem illic. Olim *Lovanii* mihi magna notitia fuit cum principe *Friderico*, qui nunc Elector est, sed illius Celsitudo fortasse me iam non noverit. Si quid agendum esset, plurimum mihi prodesse possent tuae (per me) [2]) ad ipsum literae. Si consilium probas, mittes mihi literas ad eum. Sin [3]) quid aliud consulis, id quaeso ut per hunc ad me scribas. Nam vir bonus est et fidus. Quale quaeso est, quod unus ego debeam de tota hac causa solus agere! Interim qui hanc causam agere possent et deberent, quiescunt et silent. Quaeso rescribe ad me propter Christum mediatorem nostrum. Vale 21. Decbr. 1559.

Alb. Hardenberg.

Mitto vobis illius *Tilemanni* germanicam confessionem, ex qua veluti ex unguibus bestiam iudicabitis. Multa hic promisit. Etiam de ex-

1) Cypr. *Dillenum.*

2) i. e. *per me mittendae.*

3) *Sin*] Cypr. *Si.*

communicatione movit quaedam. Oro te, mi anime, iuva me consilio. Non libenter desererem causam, quam Deus hactenus contra admirandas Satanae artes admirandum in modum defendit. Et revera hic sensi quod dominus ex propheta dicit: *ex ore infantum et lactentium perfecisti laudem.* Si iudicabis Heidelbergam mihi excurrendum, tum tu, quaeso, metas et terminos mihi praescribas, intra quos me continere debeam, et quam rationem, quam formam, quem modum et ordinem sequi debeam [4]). Quoniam autem ille me provocavit ex mera superbia et spe lucri, (magnum enim stipendium illi addictum affirmatur, cum tamen deceret, se nihil aliud quam frustum [5]) panis petere) velim scire, debeamne opponere initio an respondere ad ea, quae iste ad mea obiecturus sit? Dicitur non velle defendere *ubiquitatem.* Atqui propter illam hic mota quaestio est. Odiosam causam de coena tantum exagitant. Utinam ex tali occasiuncula det deus, ut omnes vos eo conveniatis et aliarum gentium docti quoque vocentur. Tu cogitabis de hac re et conferes cum *Pastore*, domino *Ebero* et aliis fidis, qui silentio valent [6]). Deinde si Lipsiam venias, agas cum domino *Camerario* de eadem causa et in commune ad me rescribite. Ne deserite quaeso hominem afflictum et fere totum emortuum. Si est opportunitas, inquirite, quis status scholae. Vale in domino Deo salutari nostro. 1559. 21. Decembris [7]).

Albertus Hardenbergius.

No. 6888. 21. Decb.

Hardenbergius ad Eberum.

Ex autographo Hardenbergii in cod. Goth. 123. in fol. p. 165. olim a Cypriano (Clarorum virorum epistolae CXVII etc. p. 23.) edita, nunc ex eodem accurate descripta.

Reverendo et eidem Clariss. Viro, Dom. Magistro Paulo Ebero, sacrae Theologiae eximio Professori et sanctae Wittenbergensis Ecclesiae Pastori dignissimo, Domino suo et patrono meritissimo.

Reverende Domine. Gratulor tibi dignitates, quas spero Deum bene fortunaturum. Mihi (quod Susanna dixit) angustiae sunt undique, et quid eligam ignoro. *Hesshusius* operam suam nostris addixit, et in pleno Senatu, me non admonito, neque convento, provocavit ad disputationem hic Bremae habendam. Id ubi fecerat, mox abiit, neque mihi visus est, cum totos XII dies hic haeserit, miros plausus excitaverit, bis concionatus sit, spem dederit de me intra paucos dies opprimendo. Urget apud Capitulum senatus per tres consules. Nam *Rollwagius* iam parat se ad legationem obeundam in Daniam. Delegerunt octo de Senatu, quibus causae determinationem commiserunt. Illi inter sese omnia transigunt, quasi causa non sit publicissima. Sed hae artes sunt. Cogitavi de clancularia profectione Heidelbergam, ut ibi cum eo agam, sed multa mihi et tantum non omnia desunt. Opus est consilio et precibus, et in hac re silentio tuo, ut cum Domino Praeceptore et Magistro *Sebastiano* tantum agas. Si hic [1]) mea cogitatio rescita a nostris fuerit, mox impediretur. Reliquit hic crudissimam confessionem, quam spero me ad vos per hunc missurum. Nam nunc describitur. Ex ea aestimabitis hominis animum. *Morlinus* [2]) instituit publicas preces in suggestu pro hoc *Tilemanno.* Nam interesse totius Saxoniae, ut illum virum habeat. Sed fido [3]) Deo, qui dat os et sapientiam. Vale, et per Christum rogatus rescribe. 21. Decmbr. [4]) 1559.

Albertus Hardenbergus.

No. 6889. (fere his dieb.)

Io. Ferinario.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

---

4) Cypr. *debeamus.*

5) Cypr. *fructum.*

6) Verba *qui silentio valent* difficiliora sunt lectu, quare Cyprianus ea prorsus praetermisit, neque adeo se quaedam praetermisisse indicavit. De verbo *silentio* non satis certus sum, an recte legerim. Scriptum est *Selẽtio.*

7) 1559. 21. *Decembris*] Cypr., nescio cur, ut etiam nomen hic iterum subscriptum.

1) Cypr. *haec*; autographon habet: *hc.*

2) Cypr. *Martinus*, mendose.

3) Cypr. *fide*, mendose.

4) Diem Cypr. praetermisit, ut etiam nomen subscriptum.

Doctissimo viro Iohanni Ferinario, amico suo carissimo.

S. D. Maxime decet Musas canere Deum, cuius opus et donum sunt. Spero igitur te nobis γενέθλια filii Dei composuisse, quae ut iam adferas valde te oro, quia typographo carmen dandum est. Bene vale et responde, aut iam adfer carmen, quod malim *).

Philippus.

No. 6890. 25. Decb.

Testimonium.

† Ex autogr. descripta a *Lunzio* et Collect. suae inserta.

Pastor Ecclesiae Dei in oppido Saxoniae Vitteberga, et caeteri ministri Evangelii in eadem Ecclesia salutem dicunt omnibus lecturis has literas.

Non alia vox in coelo et in terra unquam ardentior audita est, quam precatio filii Dei in agone, in qua petit colligi et servari Ecclesiam, et sic regi, ut unum sit in Deo. Idem inde usque ab initio generis humani, omnibus temporibus, donec universa Ecclesia ex morte resuscitabitur, petit. Propter hanc filii precationem cum colligit Deus Ecclesiam inter nos quoque, gratias agimus et aeterno Patri, et Filio eius, Domino nostro Iesu Christo, et Spiritui S., et gemitus nostros ad summi Sacerdotis nostri, Domini Iesu Christi, precationem adiungimus et petimus, ut semper inter nos quoque colligatur aeterna Ecclesia: quod cum fiat voce Evangelii, et non aliter, sicut scriptum est: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti; vult Deus eligi idoneos ad docendum Evangelium.

Testamur igitur, hunc honestum et eruditum virum, *Erasmum Crossenszky*, natum in oppido Scepusii Kesmark, vocatum esse ad ministerium Evangelii in arce Kesmark. Cum autem a nobis petitum sit, ut, explorata eius eruditione, adderemus publicum ritum ordinationis: diligenter eum audivimus, et comperimus, eum recte tenere summam doctrinae Christianae, et pie et constanter amplecti puritatem Evangelii, quam et Ecclesia nostra una voce et uno spiritu cum Catholica Ecclesia Christi profitetur, ac a fanaticis opinionibus, damnatis iudicio Ecclesiae Christi, abhorrere. Promisit etiam hic *Erasmus Crossenszky* in doctrina constantiam, et in officio fidem et diligentiam. Quare ei iuxta doctrinam Apostolicam publico et pio ritu commendatum est ministerium docendi Evangelii et administrandi Sacramenta iuxta vocationem. Cum autem Filius Dei, qui est λόγος aeterni Patris, vere sit efficax voce ministerii, et faciat, ut ministerium sit salutare, sicut scriptum est: Sedet ad dextram Patris, dona dans hominibus, Prophetas, Apostolos, Evangelistas, Pastores, Doctores; et sicut Dominus inquit: Ego sum vitis, vos palmites; sine me nihil potestis facere: oramus eum, ut adsit et huius iam ordinati ministerio, et faciat, ut sit salutare. Ipsum etiam *Erasmum* et Ecclesiam suam hortamur, ut doctrinae puritatem retineant. Vere enim ibi est Ecclesia Dei, ubi sonat vox Evangelii incorrupta; vere ibi dat Deus aeternam iustitiam et vitam; vere exaudit et gubernat invocantes ipsum; mitigat etiam aerumnas huius vitae et in ira recordatur misericordiae suae. Quare inquit: Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quidquid volueritis, petatis et fiet vobis. Hortamur etiam eos, ut sint memores praecepti divini de coniunctione et concordia cum aliis Ecclesiis, recte sentientibus tuenda, sicut scriptum est: ὁ θεὸς ἀγάπη ἐστι, καὶ ὁ μένων ἐν τῇ ἀγάπῃ, ἐν τῷ θεῷ μένει, καὶ ὁ θεὸς ἐν αὐτῷ *).

Datae Vittebergae anno 1560. [i. e. 1559.] die, quo celebratur publice recordatio mirandae nativitatis Domini nostri Iesu Christi ex virgine, qui est *Iehova iustitia nostra* **). Pastor Ecclesiae Dei in oppido Saxoniae Vitteberga, et caeteri ministri Evangelii in eadem Ecclesia. *Paulus Eberus* Kitthingensis. 1 Tim. 4. Attende lectioni, adhortationi et doctrinae. Ne negligas donum, quod in te est, quod datum est tibi per prophetiam, cum impositione manuum seniorum.

L. Sig. Pauli Eber. L. Sig. Phil. Melanthon.

Phil. Melanthon. Georgius Maior D. *Sebastianus Froschelius* M. *Ioannes Sturio* M. *Petrus Ecelius.*

---

*) Hoc carmen Io. Ferinarii legitur in Scriptis publ. Acad. Witeb. T. IV. ad d. 25. Decb. 1559. nomine Rectoris Academiae, Georgii Cracovii, promulgatum; sed nomen Ferinarii, auctoris, subscriptum est.

*) Vid. 1 Ioh. 4. v. 16.

**) Ier. 33, 6., quae verba in Ms. charactere Hebraeo signata, ad Christum hic applicata sunt. [Lunz.]

(*In pagina sequente* Philippus *sequentia posuit*:)

„Oramus etiam Reverendum virum *Ioannem Sommerum*, Pastorem Ecclesiae Dei in oppido Scepusii Kesmark, ut hunc *Erasmum* vicinum fraterna benevolentia complectatur, et piis consiliis gubernet, sicut scriptum est: Et tu conversus, confirma fratres tuos."

No. 6891. 26. Decb.

C. Peucero.

† Ex apographo in cod. Rehd. Vratisl. Vol. V.

Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti Caspari Peucero, filio suo carissimo,

S. D. Cariss. fili. Vult nos Deus in exemplis infirmitatis nostrae de suis promissionibus cogitare, et quasi trahere ad sese, ut confirmetur in animis haec sententia: ea, quae servantur, non casu, sic ruentibus atomis, sed ab ipso servari. Petamus igitur et protectionem a deo, et mitigationem calamitatum. Magno cum dolore legi tuam narrationem de sororibus et orphanis. Et cum propter tuum luctum, tum vero propter orbitatem tot cognatorum tuorum doleo. Cogitabis autem de orphanis distribuendis, qua de re audies, quid consilii habeant cognati *). Bene vale. Salutem vobis omnibus opto. Die Iohannis Evangel.

Philippus.

No. 6892. 28. Decb.

Iac. Rungio.

Edita in *Thomae Crenii* animadverss. philolog. et historic. Tom. XIV. (Lugd. Bat. 1705. 8.) p. 58.

Reverendo viro eruditione et virtute praestanti, Dom. Iacobo Rungio, Doctori Theol., gubernanti Ecclesiam Dei in inclyta Pomerania, fratri suo cariss.

S. D. Reverende vir et carissime frater. Tecum precor filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, ut tribuat Ecclesiis nostris et earum hospitiis hoc venienti anno salutarem tranquillitatem.

Mitto pagellas, et mitto tanquam iudicii, teque oro, ut mihi sententiam tuam de propositionibus disputationis *) significes. *Bremam* adduxit *Morlinus Heshusium*, qui iam provocat *Albertum* ad publicam disputationem. Tanta est in iuvene arrogantia. Nisi Deus prohibebit, excitabuntur in illo loco magni tumultus. Te velim intentum esse in ea, quae ibi aguntur.

Argentorati et Basileae quadringentae familiae pulsae ex Gallia quaerunt hospitia. Scribam plura in mercatu Lipsico. Nunc enim festinabat hic vester civis, honestus adolescens, quem et illustrissimo Principi et tibi commendo. Bene vale. Die 28. Decembr.

No. 6893. (hoc anno.)

Friderico Regi Dan.

† Ex autographo Mel. in cod. Monac. I. p. 417. — Est prima epistolae delineatio (Concept, quod dicunt) et primum eius tantum folium servatum est. Ex scripturae ratione intelligitur hanc epistolam a Melanthone sene scriptam esse.

Inclyto et Serenissimo Regi Daniae Friderico secundo, Duci Slesvici et Holstatiae, Domino Ditmarsiae, Comiti in Oldenburg etc. Principi clementiss. S. D. **)

Quotidie et recitanda est et diligenter cogitanda consolatio in symbolo proposita: crede esse Ecclesiam sanctam catholicam. Erigenda est enim mens et firma adsensione statuendum, inter tantas generis humani confusiones, tamen esse coetum non ruiturum in perpetuum exilium, sed in quo sunt electi ad perpetuam coelestis Ecclesiae consuetudinem; nec ex atomis casu ortos esse homines, nec — — —

(*Desinit hic pagella.*)

---

*) De patre Peuceri graviter aegrotanti loquitur epist. ad Lauterbachium d. 1. Mart. et ad Lutherum d. 4. Mart. 1560. Videtur igitur mater Peuceri nunc mortua esse.

*) Videl. Pauli Eberi.

**) Is successit Christiano Regi Daniae ineunte anno 1559.

No. 6894. hoc anno.

H. Witikindo.

Epistola praemissa libro: M. *Ioh. Ranftii* Chronicon Regni Iudaei. Vitemb. 1559. 8.

Doctissimo et integerrimo viro Hermanno Witikindo, fratri suo carissimo, Phil. Mel. S. D.

Cum in hoc tristi bello Livonico multa de tuis doloribus et periculis cogitarem, saepe recitavi querelam Psalmi, in quo Ecclesia deplorans suas calamitates inquit, se exulare inter Mesech. Consentaneum est autem a nomine *Mesech* dictos esse *Mosynoecos*, quorum fit mentio in Argonautico carmine, et hoc esse *Moscovios* iudico, progressos magis septentrionem. Meministi autem descriptionem feritatis eius gentis apud Apollonium. Ideo cum significare Psalmus vellet, Ecclesiam circumsessam esse ab immanissimis hostibus, nominavit eam gentem, cuius insignis et celebrata tunc barbaries et crudelitas fuit. Nosse enim *Mosynoecos* vicini Davidis Phoenices poterant, qui tunc Colchicorum vicini erant, ut adhuc sunt Moscovii, qui, cum vastarint magnam Livoniae partem, abduxerint in barbaricam servitutem multa hominum millia, distraxerint coniuges, pueros aut in complexu parentum trucidaverint, aut avulsos a parentibus abducant, et honestas matronas et virgines omnibus contumeliis adficiant. Plane congruunt verba Psalmi ad hos ipsos hostes, qui Livoniam invaserunt. Iustum autem erat, Germanos vobis coniunctos et coloniarum et Ecclesiae foederibus suscipere defensionem et cognatorum et Ecclesiarum. Sed ut Homerus de graeco exercitu dicit, sumus *Ἀχαιΐδες οὐκέτι Ἀχαῖοι* *). Nos interea, qui et in alia parte exulamus inter Cedar, rabiosas sophistas et crudeles tyrannos, qui verae doctrinae hostes sunt, tantarum calamitatum mitigationem a filio Dei, domino nostro Iesu Christo, crucifixo pro nobis et resuscitato petamus, ac precemur, ne verae Ecclesiae reliquias prorsus dissipari et deleri sinat.

Expecto tuas literas vel te ipsum potius. Interea in huius scripti editione, quod propter utilitatem existimabam in multorum manus venturum esse, meam de te sollicitudinem et meum dolorem ostendere volui. Bene vale. Anno 1559.

*) i. e. mulieres, non viri. Vid. Hom. Il. 2, 325. Item 7, 96.

No. 6895. (h. a.)

G. Cracovio.

Epist. lib. II. p. 363. (ed. Lond. lib. II. ep. 373.).

D. Georgio Cracovio

S. D. Oro ut propter *Matthesium* venias ad rusticationem, ubi de illis nostris disputationibus rursus colloquemur. Si procedent *οἱ μεθωναῖοι*, longam telam inchoabunt. Rursus totum doctrinae corpus repetendum erit. Si sunt in Deo contradictoriae voluntates, ut illi volunt, qui nos oppugnant, plane renovant deliria *Manichaea*, de duobus principiis coaeternis bono et malo. Et hoc monstrosius est, quod in uno Deo constituunt utrumque. Vide qualium disputationum tubae erunt illi *μεθωναίων* scriptores. In altera causa *περὶ τοῦ πανταχοῦ* quantum incendium excitabunt? Oro autem Deum ut nos gubernet.

No. 6896. h. a.

(De officiis Magistrat.)

Mel. Consil. lat. P. II. p. 364.

De officiis Magistratus, Philip. Melanth. Anno 1559.

Virtutes, seu actiones necessariae in omnibus politicis Magistratibus recte comprehensae sunt in definitione usitata: Magistratus est custos legis, videlicet utriusque tabulae Decalogi in externa disciplina: id est, Magistratus debet curare, ut populus recte doceatur de Deo, et prohibeantur et puniantur Epicuraei sermones, blasphemiae, et periuria; ut scriptum est Levit. 24. *Qui dixerit blasphemiam contra nomen Domini, morte moriatur.*

Ex hoc ipso dicto indicari potest de his quaestionibus: *An haeretici puniendi sint a Magistratu politico? An iuste fecerit Senatus Genevensis, quod Servetum propter manifestam bla-*

sphemiam contra filium Dei interfecerit? An iuste faciant pii Magistratus, quod Anabaptistas pertinaces in atrocibus erroribus interficiant? De his quaestionibus nunc breviter respondeo. Ac primum de Anabaptistis.

Duplices sunt errores Anabaptisti: Alii proprie seditiosi, qui improbant Magistratus, et officia Magistratus, et officia Magistratuum, iudicia, legitimas poenas, distinctionem dominiorum, sicut olim Carpocrates, et multi alii.

De his certissimum est, sic procedendum esse: Primum recte docendi sunt, et si sunt dociles, et abiiciunt errores, non sunt interficiendi, sed regula servetur: *Infirmum in fide assumite, non ad dubitationes.* Sed si sunt pertinaces, puniantur ut seditiosi, quia idem est, tribunitiis concionibus, contrariis politico ordini, et armis, seditiones movere. Hoc fundamentum perspicuum est ex dicto: *Qui potestati resistent, poenam sibi acquirent.* Item, *Omnis qui gladium acceperit, gladio peribit.*

Sunt autem alii haeretici, qui non vociferantur de politicis negotiis, ut Anabaptistae, sed tantum in dogmatibus serunt blasphemias, ut recens fecerunt Servetus Hispanus, et Belga Campanus, qui Samosatenicas blasphemias renovarunt, et contenderunt in Christo tantum esse humanam naturam, et λόγον Iohan. 1. non significare ὑφιστάμενον λόγον, sed decretum de mittendo filio, et astute eluserunt dicta de divina natura in Christo. Adversus tales haereticos, etiam hoc modo procedendum est. Primum recte docendi sunt, et si sunt dociles, et abiiciunt errores, non sunt interficiendi, sed regula servanda est: *Infirmum in fide assumite, non ad dubitationes.* Sed si sunt pertinaces, iudicium Ecclesiae constituatur, in quo sententias dicant, non solum doctores, sed etiam delecti ex aliis membris Ecclesiae, Magistratus, et alii: et cum re iudicata error damnatus est, si reus non emendetur: potestas obtemperet mandato de blasphemiis puniendis, quia mandata de periuris, et manifesta idola colentibus, et de magicis, sunt leges naturae.

Ut autem in aliis sceleribus Magistratus non exercet potestatem, nisi adversus suos, re iudicata: Sic in his caussis Magistratus adversus suos, non alienos, procedat: ut lex Moysi iubet interfici cultorem idolorum in populo Israël, non alibi.

Gradus etiam in talibus delictis considerentur. Non sit lentus Magistratus in atrocibus blasphemiis, sed ardeat iusto zelo, sicut scriptum est: *Iniquos odio habui*, sed praecedant legitima iudicia. Mitior autem sit, si delicta minus sunt atrocia: sed tamen contagia errorum prohibeantur. Hic exempla considerentur, Iosaphat, Ezechias, Esaias, et Iosias deleverunt idola in suo populo. Idem fecerunt postea Constantinus, et Theodosii, primus et secundus: Etsi nec ubique idola tollere, nec omnes impias sectas abolere potuerunt. Opponuntur haec argumenta:

Magistratus politicus, non potest mutare corda.
Fides est tantum in mente corde.
Ergo nihil ad Magistratum politicum pertinet.

Respondeo: Magistratus politicus non potest mutare corda, ut non potest mutare corda accensa iniusto amore, sed iudicat et punit externa facta, adulteria, et similia: Sic iudicat et punit externos cultos idolorum, et blasphemiam, et praecipit recte eruditi suos populos. Sic Carolus Magnus, Henricus Auceps, Henricus Bombergensis, domitis Ethnicis, deleverunt idola, et coëgerunt domitos audire veram doctrinam, iuxta dictum: *Lex est posita iniustis, profanis, etc.* Item, *Lex paedagogus est in Christum.* Et Carolus Magnus, in institutione Episcopatus Hamburgensis scripsit: *Volumus gentem Saxonicam non nobis, sed Deo servire, retenta libertate.*

No. 6897. h. a.

Iudicium.

Mel. Consil. lat. P. II. p. 371—377.

Quaestio.

An ad Coenam Domini admittendi sint, qui a iudicibus petunt defensionem, aut poenam, seu ut actores, seu ut rei, cum scriptum sit: Relinque munus tuum ante altare, ac vade, ac prius reconcilieris fratri tuo, et postea donum offeras: Esto consentiens adversario tuo, etc.?
Anno 1559.

Hanc quaestionem explicare decrevi, non ut in malis confirmetur profanitas, sed ut piis conso-

latio necessaria ostendatur, et error eximatur. Ac meminimus ante annos fere quadraginta viro clarissimo Doctori *Hieronymo Schurffio* veram interpretationem pergratam fuisse, cum quidam ex Ecclesia universum agmen forense eiicerent.

Optandum est omnino, ut censura divinitus instituta severe exerceatur in Ecclesia, sicut scriptum est: *Si non annunciaveris impio, sanguinem eius de manu tua requiram.* Sed tamen antecedere debet cognitio, et sit certa iudicii norma, nec fiat illud, quod dicitur:

Dat veniam corvis, vexat censura columbas.

Est autem vera iudicii norma haec: Arcendi sunt a Coena Domini omnes, qui in delictis externis perseverant, pugnantibus cum voce divina, de quibus convinci possunt. Nam Ecclesia non inspicit latebras pectoris, sed iudicat externa facta, et normam habet Decalogum recte intellectum, quem et Paulus intuetur, inquiens ad Corinth. *Non sit societas cum scortatoribus, defraudatoribus, idolorum cultoribus, conviliatoribus, ebriosis, raptoribus.*

Cum nominat idolorum cultores, comprehendit omnes, qui in externa professione aut invocatione primam tabulam violant, ut multi sunt Epicuraei. Item, Pyrrhonii, qui dici neutrales volunt, multi pertinaciter et rabiose pontificia idola defendunt, multi fanatica Anabaptistarum deliramenta, et similia. Denique omnes, de quibus Iohannes inquit: *Omnis qui non manet in doctrina Christi, Deum non habet.*

Minus obscurum est, quae facta pugnent cum secunda tabula. Qui iniuste laedunt aliorum corpora, qui ostendunt cupiditatem nocendi, et odia, minis, aut aliis signis, qui sunt polluti vagis libidinibus, qui res aliorum rapiunt, aut furantur, aut exercent iniustos quaestus, ut foeneratores, et qui in contractibus quoquo modo alios defraudant.

Item, qui calumniis et ementitis convitiis famae aliorum nocere student.

Ebriosos etiam adiungit, qui dediti helluationi, omittunt sui officii labores, nec corporibus tribuunt debitum honorem, sed volentes ea corrumpunt, et impediunt invocationem, et deliberationes.

Cogitate, quam multa tetra vitia nominarit Paulus, adversus quae censuram exerceri voluit, quod si fieret, quanti labores essent iudiciorum Ecclesiasticorum.

Sed, proh dolor, in hac *ἀναρχίᾳ* iacent Ecclesiarum iudicia, pii Pastores non adiuvantur a potentibus, quorum multi, ne iudicia metuant, nulla constitui volunt. Multi specie iudiciorum habent satellitia assentatorum, qui falsis opinionibus fucos inurant, confirment idola, et multas iniustas dominorum cupiditates. Talis est enim generis humani miseria, ut dicitur:

Ὁ βίος μάλιστα τοῖς πονηροῖς ἥδεται
Πράττει δ' ἄριστα ὁ κόλαξ, δεύτερος ὁ συκοφάντης.

Postquam vero consideravimus, quinam arcendi sint a communione, iam addatur altera regula, quae paucis syllabis comprehendi potest: *Recte doceat Pastor, et damnet omnia vitia interiora et exteriora. Cumque de arcanis iudicare non possit, admittat ad Coenam Domini omnes, qui sunt ἀνέγκλητοι.*

Hac una voce complectimur externam obedientiam iuxta utramque tabulam Decalogi. Sit professio verae doctrinae cognita multis, et firma sit coniunctio cum vera Ecclesia in invocatione. Sint mores iusti et casti, sit in officio diligentia, sit in victu temperantia, sit modestia in regenda iracundia, et aliis affectibus.

Tales admittendi sunt ad Coenam Domini, nec sunt arcendi propter militiam, aut forenses disputationes. Nam hae res sunt partes politici ordinis, quem et instituit, et conservat, et approbat Deus. Maxime admittendi sunt ad Coenam Domini Constantinus et alii milites iam in acie trucidaturi ingentem Licinii exercitum.

Excipit Melchisedech redeuntem ex praelio Abraham, et eum ad sacrificium admittit, eique benedicit.

Haec cum de militibus manifesta sint, fatendum est, et iudices, et eos, qui iudicum cognitionem flagitant, cum te optima divinitus ordinata utantur, non arcendos esse a societate piorum.

At nemo litigat, nisi iratus et ardens odio? Scriptum est autem: *Dilige proximum, sicut te ipsum.*

Etsi multi adferunt odia, cupiditatem nocendi, et sycophantias ad iudicia, tamen haec sunt vitia ab ipsis accersita.

Ut autem amicissimi de maximis rebus dissimiles habent opiniones, et aliorum petunt et expectant decreta. Ita boni de haereditate, de contractibus, et aliis negotiis dissentire possunt sine odii acerbitate et cupiditate nocendi.

De re maxima, de successione in regno florentissimo, duo fratres filii Darii dissentiebant, Artabazanes, et Xerxes. Nec tamen mutua benevolentia extincta est, sed arbitrio patris sese reverenter uterque subiecit, frenata cupiditate, ne ultra leges efferretur.

Vidimus ipsi duos fratres Duces Bavaricos, Guilelmum et Ludovicum, cum propter testamentum patris de successione dissentirent, sine odiis expectare Imperatoris Maximiliani sententiam, nec suavissimam familiaritatem, nec officiorum et donorum vicissitudinem intermittere.

In acie duo Principes amicissimi, Hector et Polydamas diversa consilia habent. Ac primum consilium Polydamantis Hector antefert suo. Deinde alia in rē suadenti quiddam indignum, non obtemperat, cum quidem dicit Polydamas:

Quamvis aegre audis Hector me recta monentem
Non populi tamen est cum damno gloria Regum
Amplificanda, salus potior sit publica civi
Seu tunc consilium cum poscit curia nostrum,
Seu cum stant instructae acies, pugnaeque cientur,
Nunc quoque dicenda est melior sententia nobis.

Dissentiebant inter se non de asini umbra Fabius et Scipio, de traiiciendo exercitu in Africam, et senex Fabius prioris belli exemplis terrebatur, denique rectius erat eius consilium. Nec tamen Scipionem oderat. Miltiades praeliandum esse censebat, caeteri Duces praelium dissuadebant, non odio, sed alia moti probabili opinione.

Quoties videmus amicissimos in Senatu aliquo diversas sententias acerrime propugnare, qui cum idem spectent, videlicet salutem publicam, vias tamen diversas ad eam esse putant. Dissentiebant sine odio Paulus et Petrus.

Cum igitur sine odio, et sine cupiditate iniuste nocendi, possit esse opinionum dissimilitudo, et saepe graves dubitandi caussae sint, et speciosa argumenta in utraque parte, licet deferre controversias ad sapientes gubernatores, cum quidem hunc ordinem et instituerit Deus, et audiri nobis dubitantibus velit.

Reverentia est Deo, legibus, et Magistratibus debita, horum vocem anteferre privatae opinioni et cupiditati. Ut cum singulari pugna dimicant inter sese Aiax et Hector, quiescit uterque exercitus spectator virtutis duorum fortissimorum Ducum: Ita dum inter sese argumenta utriusque partis sapienter proposita dimicant, retineantur inclusae cupiditates propter mandatum Dei, et propter hunc ordinem divinitus sancitum.

Haec docendi sunt homines, ut odia, et cupiditatem iniuste nocendi reprimant, et agnoscant ordinem divinum, et propter Deum reverenter audiant leges et Magistratus. Haec doctrina ad pietatem, ad regendos mores, et ad pacem publicam conducit. Nec sunt haec Stoica, seiungere odia et disputationem forensem, sicut in senatoria deliberatione seiungi odium, et alias pravas cupiditates necesse est. Lex enim sit gubernatrix, non caeca cupiditas.

Docet igitur nos filius Dei de rebus maximis, cum iubet accedentem ad aram, prius reconciliari fratri. Cultus esse ostendit, non ritus sacrificiorum in impiis, sed vult praelucere fidem, vult corda habere novae obedientiae semina, sicut in Hosea inquit: *Misericordiam volo, non sacrificium, et agnitionem Dei, non holocausta.* Itaque ante ritus sacrificiorum reconcilieris fratri, deposito odio, abiecta etiam controversia, si scis te iniusta petere. Sed si res dubia est, amanter paciscamini vos legum et iudicum vocem expectaturos et audituros esse. Saepe enim controversiae non ad te unicum, sed ad totam familiam, aut ad pacem publicam pertinent, ut illa Ducum Bavariae, de qua dixi.

Eadem est sententia dicti: *Esto consentiens adversario tuo cito*, videlicet deposito odio, et abiecta controversia, si scis te iniusta petere: vel, si res dubia est, amanter paciscamini vos legum et iudicum vocem expectaturos et audituros esse. Et quidem Graece legitur, *ἴσθι εὐνοῶν, sis benevolus.*

Iam cogita, quam necessarium sit hoc praeceptum in Ecclesia, in vita politica, in oeconomica. Quam multa horribilia incendia vidimus in Ecclesia, orta sine ullis veris caussis, tantum accensa *φιλονεικείᾳ* et odiis, deinde astute quaesitae sunt *σκιογραφίαι δικαίου,* sicut Plato nominat.

Discessit ex nostris Ecclesiis Staphylus odio quorundam iniusto, finxit caussas contra conscientiam, se veteris et perpetuae Ecclesiae vindicem esse velle, cum sciat multa nova idola *καὶ βδελύγματα* a pontificiis defendi prorsus ignota veteri Ecclesiae. Manifestum est, alios quosdam odio nostri, non veris caussis absurdas sententias defendere. Praeterea ut in febre, cum in lingua biliosus humor redundat, et reliquos humores di-

luit, dulcia etiam gustanti fiunt amata: Ita mens livida facile alieno sermone invenit, quod displiceat. Nec vero potest esse pax, nisi in diiudicando sit sanitas, et candor adhibeatur, qui interdum obscure aut ambigue dicta concinne interpretetur. Exempla passim obvia sunt. Scripsit alicubi Lutherus, duo esse Sacramenta divinitus tradita, caetera addita esse humana autoritate. Scelerate Staphylus vociferatur, Lutherum dicere, coniugium humana autoritate institutum esse, cum tantum de appellatione Sacramenti Lutherus disputet: An coniugium, (quod omnes constanter affirmamus, divinitus institutum esse,) nominandum sit Sacramentum novi Testamenti? Res perspicua est. Et tamen ille sycophanta peregrinam sententiam affinxit. Tales ludi sunt adversariorum, quos ut filius Dei amans veritatis compescat, precemur. Circumspectione nostra vitari tales reprehensiones non possunt, ut dicitur: *οὐδὲν ἀλεξιφάρμακον τοῦ συκοφάντου δήγματος.* Sed non tantum haec impudentia ostendit, eos malae caussae patronos esse, et indulgere odiis. Verum et parricidia tot annorum illustria signa sunt odii. In Hispania, in Gallia, in Belgico, et multis locis aliis magna saevitia in pios exercetur. Et Episcopus Treverensis nunc ad veterem Trevirorum urbem, quae et olim fidum hospitium Ecclesiae fuit, exercitum admovit, ut pios ibi interficiat. Haec considerare nos decet, ut cogitemus, quae et ubi sit Ecclesia, et qui sint veri fontes dissidiorum, ut Ecclesiae coniunctionem omnibus officiis tueamur: Ac ut in civili consuetudine discerni cives et hostes oportet, et ne infinitae fiant distractiones, quaedam in civibus insuavia sapienter toleranda et lenienda sunt, ut tolerat Scipio Tribunos: Ita in Ecclesia pii coniuncti in vera invocatione, qui etiamsi infirmi sunt, tamen sunt dociles, discernantur ab Atheis, et idolorum defensoribus, qui cum universam Ecclesiae doctrinam inanem fabulam esse statuant, tantum eo retinent usitata idola, quia vident simulationem superstitionis adferre opulentiam, et nervum esse potentiae. Adversus illam Titanum sobolem coniunctae sint verae Ecclesiae cives, non praelientur inter sese, ut Cadmaei fratres, sed cogitemus, in hoc agmine Christi plurimos esse teneros et languidos comites, qui ita ducendi sunt, ne defessi extinguantur, sed ut paulatim sequentes confirmentur, ad quos etiam vere pertinet vox Psalmi, *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem.* Talibus parcendum est, nec odio exulceranda sunt eorum vulnera, quae paulatim mitioribus remediis sanari possunt.

De tali studio tuendae coniunctionis et ad suos cives hoc modo scribit Demosthenes, cuius verba libenter recito, quia prodest omnibus notissima esse: *Adhortor alios ad deponenda odia, cum quidem simili humanitate multi erga me non sint usi, qui me iniuste et seditiose inimicis propinarunt, sed iudico non explendam esse vindictae cupiditatem cum pernicie publica, nec privata odia miscenda esse negotiis publicis, sed me primum hanc moderationem, ad quam alios adhortor praestare debere.* Haec ille civibus Atticis concionabatur. Quanto plus est esse Ecclesiae civem, in qua filius Dei severissime hoc mandatum praecipit? *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.*

No. 6898. h. a.

(*Inscriptio.*)

Verba, quae Melanthon sua manu inscripsit Tomo X. opp. Lutheri, qui habetur in templo oppidi *Buch*, edita in der Allgemeinen Kirchenzeitung 1830. No. 140. — Similia inscripsit Mel. in alium librum, vid. ann. 1554.

Paulus zu den Colossern.

Die Rede des Herrn Christi soll in euch reichlich wohnen in aller Weisheit, und ihr sollt euch unter einander lehren und erinnern.

Dieser Spruch ist ein klar Zeugniß, daß Gottes Wille ist, daß wir die Lehre des Herrn Christi selb lesen, oder oft hören und fleißig bewahren sollen. Dieses sollen wir thun Gott zu ehren, und darum, daß Gott also, nämlich durch sein Wort, wirken will, und ist gewißlich wahr, wo Gottes Wort im Herzen wohnet, das ist, wo es in rechter Bekehrung zu Gott und mit Glauben bewahret und angenommen wird, in selbigen Herzen wohnet Gott selb wesentlich und kräftiglich. Der ewige Vater liebet dich um des Sohnes willen, und durch ihn giebet er den heiligen Geist in dein Herz, giebt Leben, lehret, wohnet, regirt, schützet, erhält dich, und machet dich Erben ewiges Lebens, darin Gott alles in allen Seligen seyn wird, und wird dir mittheilen sein Licht, Weisheit, Gerechtigkeit und Freud in Ewigkeit. Dem sey Lob und Dank. Amen.

Scriptum manu Philippi 1559.

No. 6899.

Annales.

Ex Annalibus Phil. Melanthonis, editis in eiusdem christlichen Berathschlagungen und Bedenken p. 775. (Vid. quae de annalibus diximus ad annum 1552. exeuntem.)

(*Annales Melanthonis ad ann.* 1559. *spectantes.*)

Im Jahr nach der Geburt unsers Herrn und Seligmachers Jesu Christi 1558.*), obwohl beide Könige, Philippus aus Hispanien, und Henricus aus Frankreich, ein groß Kriegsvolk im Sommer aufbrachten (denn ein jeder ohne das Fußvolk bei zehen tausend Pferde hatte); so geschah doch keine Feldschlacht, denn sie alle beide wohl sehen konnten, daß es ohne groß Blutvergießen nicht abgehen, und welches Theil geschlagen, in einen unüberwindlichen Schaden gerathen würde. Es lag aber noch im Niederland gefangen der alte Connestabilis *Mommorantius*, ein weiser und beherzter Fürst, derselbige riethe zum Friede, und wurd neben dem Bischoff von Arres, Granvelo, von etlichen wenigen mehr dazu erkohren, daß sie vom Friede handeln sollten. Und als mitten im Winter ein Anstand gemacht, ließen sie das Kriegsvolk zu beiden Seiten ziehen.

Endlich im 1559. (Jahre) mit dem angehenden Lenzen ward Friede gemacht, und mit Schwägerschaften bestätigt. König Philips in Hispanien, dem sein Gemahl, Frau Maria, Königin in Engelland, neulich gestorben, ward das Fräulein Isabella, Königs Heinrichs Tochter in Frankreich zugesagt. Fräulein Margaretha, König Heinrichs Schwester, ward dem Herzog von Sabaudien, Emanueli Philiberto zugesaget, Herzog Carls von Sabaudien Sohn, und ward ihm wieder eingeräumt das Herzogthum Sabaudien, so König Franciscus Herzog Carln, dieß Emanuelis Vatern, genommen hatte. Also nahm der Krieg zwischen dem König in Frankreich und dem König in Hispanien ein Ende, und hatte der Vertrag zwischen den zweien Königen gar einen fröhlichen Anfang von wegen der Schwägerschaften; aber diese Freude währet nicht lange, denn bald darauf starb König Heinrich in Frankreich. Dadurch ward vieler Leute Hoffnung abgeschnitten, wie darnach angezeigt werden soll.

Im Anfang des 1559. Jahrs kam Kaiser Ferdinandus gen Augsburg, dahin auch die andern Fürsten des Reichs beschieden, und kamen zu Hauff die Churfürsten, als der Bischoff von Maynz Herr Daniel, geborner vom Adel, und einer von Brendel, der Bischoff von Trier Herr Johannes, geborner vom Adel, und einer von der Lay, Pfalzgraf Friederich, so an des Otthenrichs Statt kommen, und andre Fürsten mehr, als Herzog Albrecht in Bayern, Herzog Wilhelms Sohn, Pfalzgraf Wolfgang zu Neuburg, Markgraf Georg Friederich von Ansbach, Herzog Christoff von Wirtenberg, etc. Die andern Fürsten hatten ihre Gesandten da; als Herzog Augustus, Churfürst zu Sachsen, hatte geschickt Graf Ludwig zu Neugarten, Georgium Cracovium von Stettin, der Rechten Doctor und Professorn in der Universität Wittenberg, Franciscum Cramium, der Rechten Doctor und Professorn zu Leipzig, und Heinrich von Einsiedel, einen vom Adel. Und sind auf diesem Tag allerlei Irrung und Zwiespalt unter den Fürsten durch des Kaisers Fleiß und gütliche Unterhandlung vertragen, die wir allhie in dieser kurzen Historien nicht haben wollen erzählen. Es hat auch der Kaiser wiederholet und bestätiget den Abschied, darin auf den vorigen Reichstagen, als Anno 1555. zu Augsburg und Anno 1557. zu Regensburg unsern Kirchen, der Augsburgischen Confession verwandt, Friede zugesaget ist. Diese Bestätigung des Friedens ist das fürnehmste, so auf diesem Tag ist gehandelt worden.

Ueber das begehret auch der Kaiser an die Fürsten des Reichs, daß sie zurathen sollten, wie dem unbilligen Fürnehmen des Papsts Pauli IV., Caraphae, zu begegnen, so*) die Wahl Kaisers Ferdinandi nicht confirmiren wollt darum, daß er den Fürsten und Städten der Augsburgischen Confession Frieden zugesagt hätte. Darauf schlossen die Stände des Reichs alle einhellig, daß sich die Fürsten vom Kaiser Ferdinando in keinem Wege trennen oder absondern, viel weniger zugeben wollten, daß Deutschland dadurch sollte verunruhigt werden, oder aber daß die Form des Römischen Reichs und die Gewalt und Authorität der Churfürsten verändert, oder daß dies Reich, so die fürnehmste Zierde ist deutscher Nation, außerhalb Deutschland auf andere Lande gewandt und gebracht werden sollte. Und dazu, (nämlich daß sie ihren Kaiser beschützen, und das Reich bei seinen Würden und Stand erhalten möchten), wollte ein jeder alle seine Macht und Vermögen williglich zusetzen. Es ward auch beschlossen, daß man diesen Ge-

*) Vid. Annales ad ann. 1558. Repetiit hic breviter Melanthon ea, quae anno 1558. evenerant, ut melius necteret ea, quae anno 1559. acta sunt. Male superscripsit Pezelius hanc narrationem: „Anno *M. D. LVIII.*"

*) so, i. e. welcher.

meinen des Reichs Sentenz dem Papst sollt anzeigen, und die Confirmation, wie gebräuchlich, begehren. Daß aber der Papst vorgiebt, er könne den nicht confirmiren, der denjenigen Friede zugesagt habe, so die Lehr des Papsts zu Rom tadeln und strafen, darauf ist eine richtige und gar gute Antwort, daß der Kaiser übel und unrecht thäte, so er mit gewapneter Hand irgend eine Gemein oder Kirchen vertilget, ehe denn sie gehöret und ordentlicher Weise condemnirt ist; fürnehmlich aber, dieweil der protestirenden Fürsten Kirchen keine aufrührische oder gotteslästerische Lehre führen, sondern nur allein strafen etliche grobe Irrthum des Papsts, und begehren einen Synodum, darin diese Sachen möchten gehöret und entschieden werden. So stünde das auch dem Papst zu, und ist großer Könige Ampt, daß sie einen Synodum anstellen sollen, und Verordnung thun, daß in demselben die Lehr möge verhöret und examiniret werden, welches nicht allein die Deutschen wünschen und begehren, sondern alle fromme Christen in der ganzen Welt seufzen darnach. Aber das ist jederman kund und offenbar, daß die Päpste bishero in keinen rechtmäßigen Synodum willigen, oder daß sie nur auf dem Schein damit gespielet, und Fürsten und Herren das Maul aufgesperret, da sie etliche Mönche und geschwinde Sophisten, so eines Kuchens *) mit ihnen sind, zu Hauff beschrieben. Und da gleich Brentius und andere auf den Synodum gen Trient geschickt worden, hat man sie doch nicht gehöret.

Desgleichen wurden im Rath der Churfürsten etliche alte Geschicht und Historien wiederholet, wie die römischen Päpste oft durch listige Practiken unbillige Krieg wider die deutschen Kaiser erreget, dadurch das Reich, so ganz Europam beschützet, und viel Nutz geschaffet hätte, sehr geschwächt, und Welschland und Deutschland jämmerlich verheeret worden ist; als zu Zeiten Henrici IV., Henrici V., Friederich des ersten und des andern, darnach zu den Zeiten Ludovici aus Bayern und Friedrichs aus Oesterreich. Denn daß diese Fürsten für ihre Person zum Friede geneiget, hat man viel Anzeigung, als, daß sie fern in Asiam zogen wider den Türken, der Mahometischen Gotteslästerung zu steuern; wie auch dieser jetzige unser Kaiser Ferdinandus gerne wollte, daß in Deutschland Fried wäre, damit er in Ungern dem Türken abbrechen könnte. Aber dazumal sind durch der Päpste Bubenstück diese nothwendige Züge verhindert, und unsre Kriegsleute aus Asia wiederum zurück anheim gezogen worden. So mag nun der Papst zu Rom wissen, daß die Churfürsten und Fürsten des Reichs keineswegs vom Kaiser absetzen, oder zulassen wollen, daß durch der Päpste unsinnig Wüthen innerliche und einheimische Kriege in Deutschland angezündet würden. Als nun Doctor Cracovius, churfürstlicher sächsischer Gesandter, von aller Churfürsten wegen dieses anzeiget, ließen ihnen die andern Fürsten alle dies wichtige Bedenken der Churfürsten sehr wohl gefallen, und sagten alle zu, daß sie beim Kaiser stehen, und fest bei ihm halten wollten.

*) Eiusdem farinae.

Im Jahr nach der Geburt unsers Herrn und Seligmachers Jesu Christi 1559., nachdem der Reichstag zu Augsburg zergangen, zog Kaiser Ferdinandus wiederum in Oesterreich.

In Deuschland ists stille gewesen. Im angehenden Jahr, als dem andern Tag vorm neuen Jahr, starb Christianus König in Dennemark am Milzstechen, in wahrer und ernster Anrufung Gottes und des Vaters unsers Herrn und Heilandes Jesu Christi. In diesem König war eine hohe Weisheit, sonderliche Tugend und Bescheidenheit, fürnehmlich aber war in ihm große Gottesfurcht, so er an Kirchen und Schulen erweiset; denn die Kirchen, daraus er den Wust falscher Lehr und der päpstlichen Gräuel hatte lassen wegthun, richtet er aufs neue wieder an mit aller nothwendiger Unterhaltung und Schutz. So richtet er auch eine Universität auf zu Coppenhagen, darein er gelehrte Leut setzte, die in allen freien Künsten erfahren, auf daß in seinem Königreich gute Künste möchten gepflanzet und erhalten werden. Seine ganze Regierung war friedlich, gelinde, heilsam und nütze, also daß in vielen Jahren in dem Königreich Dennemark nicht besser Ruhe und Friede gewesen, als eben unter diesem Könige.

Nachdem starb den 28. Januarii König Christiernus im Gefängniß, darein er von den Ständen der Kron Dennemark geleget war, als er sich mit Kriege das Königreich wieder an sich zu bringen unterstanden, davon er entsetzet war.

Den 12. Februarii starb Churfürst Otto Heinrich, Pfalzgraf bei Rhein, und weil mit ihm zugleich aufhöret das ganze große Geschlecht Pfalzgrafen Philipps, so von Ludewig, mit dem Zunamen Barbato, des Römischen Königs Ruperti Sohn herkommen, so fiel die Erbschaft auf des Ludovici Barbati Bruder Kinder und ihre Nachkommen, nämlich auf den Stamm Herzog Stephans von Zweibrück, und kam nach ihm ins Regiment Pfalzgraf Friederich beim Rhein, Graf von Valentz und Herr in Simmern.

Nachdem König Christianus, König in Dennemark, gestorben war, bekriegte sein Sohn, König Friederich, mit Hülf seiner Vettern, der Herzoge von Holstein (als Herzog Hansen und Herzog Adolfi) die Dietmarsen, welche, wie aus dem Namen abzunehmen, vielleicht noch übrig seyn von den alten Teutonibus und Marsis, die neben den Cimbris die Römer heftig bekriegten. Ursach des Kriegs war diese, daß sie aus Halsstarrigkeit König Friederich für ihren Oberherrn nicht erkennen, noch ihm schuldigen Gehorsam leisten wollten, dazu sie doch durch Reichsabschiede und Befehl verbunden waren, sondern dieweil ihnen die alte Freiheit wohl thäte, und sie dagegen sauer ankam, daß sie sich in neue Dienstbarkeit ergeben sollten; item, weil sie zuvor, da man sie mit Krieg zu zwingen vorgenommen, zweimal sich dessen erwehret, und in Vertheidigung ihrer Freiheit den mehren Theil des Holsteinischen Adels erschlagen hatten, verließen sie sich auf ihr Land, das mit Sümpfen und Wasser von Natur also verwahret, daß man nicht leichtlich zu ihnen kommen konnte, und dachten nicht anders, es sollte ihnen wie vormals glücken. Aber sie wurden in zweien Schlachten geschlagen, und trieb sie König Fridericus dahin, daß sie Fürschläge und Satzung, ihnen vorgeschrieben, annehmen, und sich den Herzogen von Holstein unterwerfen mußten. Als er nun den Krieg zum glücklichen Ende gebracht, ward er im September zu Coppenhagen solenniter zum Könige in Dennemark gekrönet, und dieser Solennität und Krönung wohnte bei und zierte mit seiner Gegenwart und einer stattlichen und herrlichen Anzahl seines Hofgesindes und derer vom Adel, so mit gezogen, Herzog Augustus, Churfürst von Sachsen, des Königes Schwager.

Im Junio, nachdem zwischen dem König in Hispanien, Philippo, Kaiser Carls Sohn, und dem König in Frankreich, Henrico, Friede gemacht, sandte König Philippus Legaten in Frankreich, die da den aufgerichten Fried mit einem Eid bestätigten. Unter denselben Gesandten waren Herzog von Alba, des Standes von Toleto, Wilhelmus Fürst von Oranien, geboren aus dem Stamm der Grafen von Nassau, und der Herr von Egmond; die schwuren zu Paris in der Kirchen S. Mariä, die man sonst nennet templum Notterdame.

Den 18. Junii darnach wird, nach dem Abschied und aufgerichtem Vertrag, des Königs zu Frankreich älteste Tochter dem König in Hispanien Philippo vermählet, und in seinem Abwesen dem Herzog von Alba an die Hand gegeben.

Den 28. Tag ward Königs Henrici Schwester dem Herzog von Saphoy, Emanueli Philiberto, in seiner Gegenwart vermählet, mit angehängter Zusag, daß man ihm das Herzogthum Saphoy, so zum Theil die König in Frankreich, zum Theil die von Bern innen hatten, wiederum wollte einräumen.

Als dieses alles vollbracht, und die Malzeit, so aufs herrlichste und nach königlichem Pracht zugericht, gehalten, und allerlei Spectakel, Ritterspiel und Thurnier, wie in solchen offentlichen Freuden und Frohlocken, wie gebräuchlich, angefangen wurden, trug sichs zu den 30. Junii, daß der König in Frankreich, der zuvor im Thurnier zum vierten Male gewonnen, zum fünften mit seiner Hauptleute einem, dem Mongomerio zusammenritte, der ihm im Rennen ein Stück von der abgebrochenen Stechstangen in Kopf durchs linke Auge hinein stieß, und tödtlichen verwundet, da auf der Stechbahn zugleich war sein ältester Sohn, Herzog Franz, und dem Thurnier zusahen etliche fürnehme Matronen, als des Königs Gemahlin Frau Catharine von Florenz, Herzog Laurentii Medices Tochter von Florenz, Item des Königs Schwester und des Königs Tochter und andere, welche durch diesen jählingen und traurigen Unfall erschrecket, jämmerlich aufingen zu heulen und zu schreien, also, daß alles Volk, so zusahe, weinet und ein Mitleiden hatte.

Diesem Thurnier sahen aus dem Gefängniß nicht weit davon zugleich mit an etliche fürnehme Leute in Frankreich, als *Fumerus*, *Portanus*, Dominus *de Foës*, ein Verwandter des Königs und der Königin von Navarra, und unter denen ein weiser, gottfürchtiger, ehrlicher Mann, *Annas Burgius*, der Rechten Doctor und Assessor im Parlament oder obersten Hofgericht in Paris. Diese hat vor wenig Tagen eben der Mongomerius aus Befehl des Königs eingeführet, darum, daß sie der König aus Anregung des Cardinals aus Lothringen verdächtig hielt wegen der lutherischen Ketzerei, weil sie in Gegenwart des Königs, der selbst fraget und anhöret eines jeden Sentenz, ein linder Urtheil gesprochen hatten über die, so die reine Lehr angenommen, und die päpstische Abgötterei verworfen. Und ist dieser Unfall des Königs aus Frankreich ein sonderlich Beispiel allen Menschen vorgestellet, daraus sie ihre Schwachheit sollen lernen erkennen, und sich erinnern der allgemeinen Regel:

Discite iustitiam moniti, et non temnere Divos.

das ist: lernet und liebet Gerechtigkeit, fürchtet Gott ihr Menschen allezeit. Item: *στεῖχε δίκαια φρονῶν*, handle recht und wandle fürsichtig. Item: necessaria

facite, thut was nöthig ist. Item: betet, daß ihr nicht in Versuchung fallet. Es soll uns auch dies Exempel erinnern der Straf, die da pfleget zu folgen auf Tyranney wider unschuldige Leute, und sonderlich in Religionssachen.

Den 10. Julii starb der König von dem empfangenen Schaden. Aber sein Sohn Franciscus bestätiget den Frieden, so mit dem König aus Hispanien aufgerichtet war, und hielten alle beide, Franciscus und König in Hispanien, über dem aufgerichten Frieden, und gaben einander wieder, was sie zuvor in vielen Jahren einer dem andern in Kriegsläuften eingenommen hatte. Es wurd auch dem Herzog von Sabaudien sein Land und Herzogthum wieder eingeräumet.

Weil aber König Franciscus noch zu jung, und Alters halben zum Regiment nicht tüchtig war, wurd die Regierung unterdeß befohlen den Herzogen von Guise, Gebrüdern, unter welchen in fürnehmen Ansehen war der Cardinal von Lothringen, der auch alsbald ein neu Edict ausgehen ließ, und schärfet die Tyranney und Verfolgung wider die armen Christen, so der reinen Lehr anhängig worden. Item, er triebs, daß den 23. Decembris *Annas Burgius* zum Feuer verurtheilt und verbrannt ward, und diese Straf litt Burgius mit Geduld, und blieb beständig in der wahren Bekenntniß und ernsten Anrufung des Sohnes Gottes. Durch diese Tyranney wurden die Franzosen sehr bewegt, also, daß durch die ganze Kron eine große Ungeduld und Unwillen war wider den Cardinal aus Lothringen, und alles sich schickte zum Aufruhr und Empörung.

Diesen Sommer suchten die Liefländer Schutz bei den Polen. Denn weil sie in großer Furcht waren, und an der Hülf, so sie vom römischen Reich wider den Feind warteten, fast verzweifelten, und gleich vor Augen sahen die mächtige und herdringende Gewalt des Moscoviters, suchten sie Hülf und Rettung bei den Polen, und gaben ihnen dagegen etliche wohl verwahrte Schlösser und Festungen, jedoch dem Reich und der alten Freiheit ohne Schaden, mit angehängtem Bedinge, daß es ihnen frei stünde, so oft es ihnen gelegen wäre, dieselbe Festung mit sechs tausend Gülden wieder an sich zu lösen. Auf diese Verträge sagten die Polen den Liefländern Hülfe zu, daß sie bei ihnen stehen wollten, und besetzeten die Schlösser, so ihnen eingethan, mit Kriegsvolk.

Den 18. August starb Paulus IV. an der Wassersucht, ein alter aberwitziger, versoffener und unruhiger Kopf. Und da ihm kaum die Seel ausgefahren, hube sich in der ganzen Stadt ein großer Auflauf und Empörung, da etliche des Papsts Leichnam forderten, daß man ihn verbrennete, eins Theils die Gefängnisse mit Gewalt öffneten, und die Gefangenen, so der Religion halben eingelegt waren, heraus nahmen. Alle Bilder und andre Monument, zu Ehren den Caraphis gesetzet, wurden in der ganzen Stadt niedergeworfen und in die Tiber gestürzet. An seiner Statt kam *Iohannes Angelus Medices* von Mailand, Iacobi Medices, Marggrafen von Marignan Bruder, und Cardinal zu S. Stephan auf dem Berg Caelio, der hernachmals genennet ward Papst Pius.

Diesen Sommer kriegeten mit einander des türkischen Kaisers Solimanni zween Söhne, Bajazetes und Selymus bei Amasia, welches die Hauptstadt ist in Cappadocia; und hub sich der Krieg daher, daß der Vater in der Succession des Reichs den ältesten Bruder dem jüngsten vorgezogen*) hatte. Bajazetes, da er geschlagen und in die 40 tausend Mann verloren hatte, flohe er zu den Persen.

Im Jahr nach der Geburt unsers Herrn und Heilandes Jesu Christi 1559., obwohl in Deutschland im Winter etliche fränkische Edelleut, so auf Marggrafen Albrechts Seiten gewesen, und von wegen des gethanen Schadens aus dem Frankenland getrieben, und um ihre Güter kommen waren, sich heimlich unterstunden, etliche Pferd in Sachsen aufzubringen, damit sie die Fürsten des Bundes unversehens überfielen: jedoch ward mans bald innen, dadurch ihre Anschläge verhindert, und ihr Fürnehmen, ehe denn es ausbrach, zurückging.

Der Papst zu Rom, nach gehaltenem Rath mit seinen Cardinälen, machet ein Decret, daß er König Ferdinandum für erwählten Römischen Kaiser erklären, und einen Synodum ansetzen wollte, darauf die Zwiespalt in der Religion verglichen, und Einigkeit wiederum möchte gemacht werden.

Der Bischoff zu Gran in Ungern fordert aus Bewilligung Kaisers Ferdinandi alle Bischoffe und Pfarherrn in seinem Kreis zusammen, und welche er [in] Verdacht hatte, daß sie der Augsburgischen Confession anhängig waren, die verhöret er, und welche durch ihr eigen Bekenntniß oder von andern überzeugt worden, oder gar außen blieben, und nicht erschienen, dieselben jaget er von ihren Kirchenämptern, daß also in die 300 Kirchen ihrer Seelsorger beraubet worden.

Er, der Kaiser, lag im Anfang des Lenzen sehr krank.

---

*) dem ältesten den jüngsten.

In Hispanien erhub sich eine gräuliche Verfolgung wider die armen Christen, so der reinen Lehr anhängig, die päpstische Abgötterei verworfen, und sind in *Valle Tolet*, so für Zeiten *Pincia* genannt, bei 30 Personen von gemeinen Leuten und vom Adel und hohes Standes verbrennet worden, derer etliche in der Marter beständig blieben, eines Theils, ob sie schon widerrufet, dennoch nicht haben davon kommen können. In dem Theil in Hispanien, da für Zeiten die Castellani gewohnet, darnach die Gothi und Alani, daher noch der Name ist *Catalania*, und heut zu Tage genennet wird das Herzogthum *Cathaniae*, sind von den Inquisitoribus in die 3000 Menschen zum Feuer verurtheilt und verbrannt.

Die Schotten schlugen das französische Kriegsvolk aus dem Lande, und setzten sich wieder in ihre Freiheit; darüber thäten sie die päpstische Mißbräuch ab, und bestelleten ihre Kirchen besser, und, damit sie Schutz hätten gegen Frankreich, suchten sie Hülf bei Engelland. Die Franzosen, so sich gern an den Schotten gerächt hätten, rüsten zu eine Armada, und schifften in Schottland; aber litten Schiffbruch, und wurden verschlagen und zerstreuet.

Herzog Adolf von Holstein führet aus Sachsen bei 800 Pferden in Engelland.

In Frankreich erhub sich eine grausame Empörung. Bei der Stadt *Ambosium* sammelten sich eines Theils vom Adel, die begehreten, dieweil König Franciscus noch zu seinen mündigen Jahren nicht kommen, man wollte die Administration des Reichs von denen von Guise, als von Fremden und Ausländern, nehmen, und nach des Reichs Satzung und Statuten befehlen den Einheimischen und [denen], so dem König am nähesten mit Blutfreundschaft zugethan; Item, daß man keinen von der Religion wegen am Leben strafen sollt, bis die Irrung in Religionssachen auf dem Synodo erkläret und ausgeführt würden. Damit man nun diese stillete, schickten die von Guise ihr Kriegsvolk mit des Reichs Canzler, *Francisco Olivario*. Dieser beredt die Fürnehmsten in dieser Verbündniß, daß sie sich dem Kriegsvolk ergaben; aber alsbald sie in des Feindes Hand kommen, wurden ihnen die Köpf abgeschlagen. Dieses schrecket die andern ab, daß sie sich verliefen. Aber dieser Handel erreget ganz Frankreich, also daß nicht lang darnach zu Paris in der Stadt unter dem gemeinen Haufen sich ein großer und gefährlicher Auflauf erhub wider die von Guise, und weil zu befahren, es möchte zum Aufruhr gedeihen, trafen die von Guise den Rath, daß man in des Königs Namen ließ ein Edict ausgehen, darinnen man befahl, daß alles sollt vergessen seyn, was zuvor geschehen, und daß man die Vertriebenen wieder ließ einkommen, und denen, so um ihre Güter kommen, aus des Königs Kammer Wiedererstattung sollt gethan werden; doch mit dem Beding, daß man in der Religion keine Neuerung offentlich vornehme. So sollte den Inquisitoribus geboten werden, daß sie mit ihrer Tyranney sollten innen halten. Da nun dies Decret publiciret wurde, obwohl der Lärmen gestillet, so wurd doch alles verdächtig gemacht, daß man sich täglich neuer Practiken und neues Unglücks befahren mußte. Dies ist ergangen im Martio.

Den 10. November verlor die Universität Wittenberg den Herrn Jacob Mülich, der Arzney Doctor und Professor, einen frommen, ehrlichen Mann, in allen freien Künsten erfahren, und der unsers Ordens eine sonderliche Zierde war.

1560.

No. 6900. 1. Ian.

Nic. Cisnero.

Edita in Peuceri tractat. hist. p. 103., ubi ex autographo descripta dicitur. Iterum in Nic. Cisneri opusculis, editis studio et opera *Quirini Reuter*. Francof. 1611. 8. p. 924.

Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, Nicolao Cisnero, Doctori Iuris, fratri suo carissimo.

S. D. Clarissime Vir et carissime frater. Fortassis eo senes maiore desiderio patriae adficimus, quia velut praesagae mentes ad coelestem patriam properant, vel quia *στοργὴ* erga nostros in hac imbecillitate aetatis magis expetit cognatorum consuetudinem. Ego certe fateor, me et patriae, et fratris desiderio, valde adfici. Saepe igitur gemens intueor et montes vestros et arces illas, quas primum Valentiniano Imperatore in Nicri ripis, montibus vestris impositas esse ratiocinor, ac tecum et cum aliis doctis viris colloqui cupio, quorum eruditionem et candorem probo: ac desiderium meum auget rabies hostium meorum, quos procul fugerem; ut Hieronymus se abdidit in antra vicina Ierosolymae, si possem. Sed non multo post ad coelestem Ecclesiam me Filius Dei hinc evocabit. Nunc tibi *Sigismundum* [1]), fratris mei filium commendo, et te oro [2]), ut eum consiliis tuis gubernes. Spero, te et eruditionem eius et modestiam probaturum esse. Bene vale et rescribe. Wittebergae. Calend. Ianuarii Anno DMLX.

Philippus Melanthon.

---

1) Sig. Melanthonem, qui pluribus annis in Academia Heidelberg. Medicinae professorem egit. [Nota Peuceri.]

2) *Et te oro*] addit text. Peuc.

No. 6901. 1. Ian.

A. Hardenbergio.

Epist. ad Hardenb. ep. 40. Etiam in Peuceri tract. hist. p. 97. et in Hospiniani hist. sacramentar. P. II. p. 511.

D. Alberto Hardebergio.

S. D. Reverende vir, et carissime frater. Etsi Lipsiae rursus decrevi scribere, tamen hanc Epistolam dedi tuo civi, antequam Lipsiam iret. Consilium de profectione ad Academiam et Aulam meae Patriae inutile videtur. Non enim arbitror, tam diu ibi [1]) mansurum esse istum Thrasonem [2]), donec eo venias, nec, si ibi esset, commissurum esse Principem Electorem Theologicam disputationem, quae tumultus in populo excitatura esset. Mihi Academia nota est. Sunt ibi docti et boni viri aliquot, qui te amanter exciperent. Sed populi voluntates alienae sunt. Et in nova gubernatione Princeps Medicorum doctrinam sequitur, quae iubet *σῶμα μὴ κινεῖν.* Ubi ad vos Thraso redierit [3]), et provocabit te ad disputationem respondebis, te non fugere placidam collationem, sed velle te adhiberi indices. Si procedat ad fulmen Anathematis, ut fecit in Academia meae patriae, oppones iustissimam responsionem, quod sine causae cognitione iniustum sit ferre sententiam. Simul autem vellem te collegio vestro exhibere non disputationem, sed tantum collectionem veterum testimoniorum, Augustini, Ambro-

---

1) Heidelbergae.

2) Hesshusium. - Vid. epistolam Hardenbergii ad Mel. d. 21. Decbr. 1559.

3) Hesshusius a. 1559. Wesaliam iter fecerat et quidem per Bremam, ubi Hardenbergium ad colloquium provocaverat. Expectabatur nunc eius reditus, quare haec epistola anno 1560. scripta est. Vid. *Saligii* hist. Aug. Confess. P. III. p. 738 sqq.

sii, Prosperi, Tertulliani. Et Graecorum: Theodoreti, Macarii, Basilii, Nazianzeni, Dionysii, Origenis, Clementis. Ex his ostendas, Papisticum dogma novum esse. Non fuit autem novum dogma invehendum in Ecclesiam, et nova adoratio instituenda. Haec testimoniorum commemoratio plus prodest argumentis. Testimonia, quae illi pro *ἀρτολατρείᾳ* citant, nova sunt aut suppositia. Decrevi et ego colligere vetustiora testimonia. Bene vale. Calend. Ianu. *).

No. 6902. 1. Ian.

Iac. Bordingo.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Iacobo Bordingo, Ἀρχιάτρῳ inclyti Regis Daniae.

S. D. Clarissime vir et carissime frater.

Ipse Deus sapiens, verbo qui cuncta creavit,
Et certis annum legibus ire iubet,
Efficiat, nobis veniens sit faustus ut annus,
Et clemens dextra nos tegat ipse sua [1]),
Et quoniam gnatum misit, qui colligat agmen,
Cuius sit rector [2]), vita, caputque *λόγος*.
Hic *λόγος* aeterno natus patre semper adesse,
Et custos nobis et caput esse velit.
Viribus humanis non est Ecclesia tuta
Orphana ferratis praesidiisque [3]) caret,
Sed nostram indueris cum miro foedere massam,
Gnate Dei semper nos tua membra regas.
Et facias tecum nos unum ut simus in aevum,
Vera laude tuus quo celebretur honos.

Haec vota ut sint ardentiora, cogitemus et praesenies Ecclesiae aerumnas et futuras Imperiorum ruinas. Hoc tempore quo haec scribo quadringentae familiae ex Gallia pulsae quaerunt hospitia Basileae et Argentorati [4]). Et in vicinia earum urbium apparatus Lotharingicos propter Scotos fieri intelligo, et *σχῆμα λόγου* est, quod propter Daniam fieri dicuntur. Mitto tuis filiis versiculos de die festo, et filium Dei oro, ut te et dulcissimam familiam tuam servet. Bene vale et rescribe. Calendis Ianuar. 1560.

*) Peuc. addit: 1560.

1) Cod. Par. *suam*, mendose.

2) In Epigr. Mel. ubi p. 37. hi versus etiam leguntur, pro *rector* habetur *doctor*.

3) *Orphana* etc.] In Epigr. sic: *Regum praesidiis fontibus orba caret.*

4) Vid. ep. ad Rungium d. 28. Decbr. 1559.

No. 6903. 1. Ian.

Praefatio.

Praefatio praemissa libro: Tabulae locorum communium theologicorum Philippi Melanchthonis, confectae per *Ioannem Nysaeum Augustanum.* — — Accessit quoque ipsius D. Philippi Melanchthonis praefatio. Basileae per Ioann. Oporinum 1560. fol. (Debeo hanc praef. *Strobelio* in d. Literär-Geschichte von Phil. Mel. locis theologicis, p. 252.)

Philippus Melanchthon (?) *piis Lectoribus* S. D.

Sapienter tradita sunt symbola Apostolicum et Nicenum, ut summa doctrinae, quae est Ecclesiae Dei propria, in conspectu sit: quia in omni institutione consideranda sunt doctrinarum initia, progressiones, et, ut ita dicam, metae. Necesse est autem in Ecclesia adhiberi fontes, videlicet libros Propheticos et Apostolicos, quorum lectione illustranda et confirmanda sunt symbola. Ac ut sit doctrinae certitudo, unica, nativa et perpetua sermonis significatio retinenda est, iuxta phrasin earum linguarum, quibus usi sunt Prophetae et Apostoli. Nec existimetur hic sermo similis esse foliis Sibyllae. Nec ludant homines audaces praestigiis allegoriarum, aut fingendis monstrosis interpretationibus, ut fecerunt omnes furiae, quae doctrinam propriam Ecclesiae in peregrinas opiniones transformaverunt. Recte autem dictum est ab *Epiphanio*, cum *Origenis* deliciae in fingendis allegoriis nimis late propagatae essent, *τὰ θεῖα ῥήματα οὐ πάντα ἀλληγορίας δεῖται, ἀλλ᾽ ὡς ἔχει· θεωρίας δὲ δεῖται καὶ αἰσθήσεως, εἰς τὸ εἰδέναι ἑκάστης ὑποθέσεως δύναμιν.* Manifestum est, in praeceptis moralibus, in articulis fidei, et in promissionibus reconciliationis et restitutionis aeternae salutis retinere oportere nativas et certas sententias. Sed cur inquit Epiphanius, sensu et speculatione opus esse? Plana et verissima responsio est: sensu agnoscuntur singula vocabula, ut experientia ostendit, quid significent *vita*, *mors*, *timor*, *fides*, *dolor*, *laetitia*. Intuenda est experientia in legendo, quae non mutat nativas sententias, sed eas illustrat. *Speculatio-*

nem vero nominat dialecticum ordinem membrorum, definitiones, distinctiones, iudicium de consequentiis seu connexionibus in argumentis. Haec non mutant nativam sermonis significationem, sed ordinant doctrinae partes velut in aedificio. Hae commonefactiones olim in catechesi proponebantur. Et semper optavi, ut re deliberata in Synodo pia et erudita omnium nostrarum Ecclesiarum in Germania et alibi catechesis conscriberetur, quae unica iisdem syllabis in omnibus instauratis Ecclesiis legeretur, et ad fontes, id est ad Propheticos et Apostolicos libros, quasi viae monstratrix esset.

Ego ante annos triginta adhibitus ad Ecclesiarum inspectionem, ut evolverem quaestiones aliquot, ex magna caligine et confusione collegi praecipua membra doctrinae christianae pio studio et sine *φιλονεικίᾳ*. Et semper me et meos labores omnes Ecclesiarum nostrarum iudicio subieci, meque est omnia scripta mea adhuc piorum et eruditorum sententiis subiicio, quos scio veritatem et candorem in iudicando adhibere, et maxime cupidos esse concordiae publicae, ac velle Ecclesias omnes unum esse in Deo, et coniunctis votis omnes sine dissensionibus, sine odiis et sine dubitatione invocare verum Deum. Scio in hac confusione generis humani veram Ecclesiam semper habuisse, habere, et habituram esse varios hostes, alios palam atheos, seu Cyclopeos, alios hypocritas, qui cum simulent pietatem, tamen ut suas opes et potentiam tueantur, idola et errores stabiliunt, quorum deprehendi simulatio consideratis doctrinae fontibus potest. Horum praestigiatorum censuris et maledictis oppono illas consolationes: *maledicent illi et tu benedices.* Item: *beati eritis cum probra dixerint adversus vos et tamen mentientur.* Oppono etiam recta iudicia piorum, qui nostros labores probant: ut hae ipsae tabulae ostendunt. Oro autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, vere colligentem aeternam Ecclesiam voce Evangelii, ut nos gubernet, et efficiat, ut omnes docentes in Ecclesiis nostris unum sint in ipso. Datae Calend. Ianuarii anno 1560. Anno aetatis meae climacterico 63.

No. 6904. 1. Ian.

Praefatio.

Praefatio in librum: „De origine Imperii Turcorum, eorumque administratione et disciplina brevia capita notationis loco collecta. Cui libellus de Turcorum moribus collectus a *Bartholomaeo Georgieviz* adiectus est. Cum praefat. Reverendi viri D. Philippi Melanthonis. Witebergae 1560. 8. pl. 12. Cum figuris Imperatorum Turcicorum ligno incisis."

Praefatio
Philippi Melanthonis.

Utile est saepe multumque cogitare Ecclesiae Dei et imperiorum distinctionem, et considerare, quam tristis servitus fuerit Ecclesiae in magnis imperiis, inde usque ab initio Monarchiarum: etsi interdum eam exiguo spatio mirandis modis Deus leniit. Est omnino terribile spectaculum, quod summa potentia et fastigium generis humani cernitur esse penes hostes Dei, qui, ut gigantes bellum coelo inferunt, et cruore iniuste fuso, et libidinibus, totam rerum naturam polluunt. Quanta deformitas est, quod Romae dominatur spurcissimum et crudelissimum portentum, Nero, cum ibi Paulus, inclusus carceri, Ecclesiam colligit? Sed in talibus spectaculis conspiciuntur tamen testimonia providentiae et praesentiae Dei: ut gigantes fulminibus dissipantur, tyranni singularibus exemplis delentur, quae ostendunt, eos a Deo puniri. Praeterea Ecclesia, quamquam exigua est, tamen dextera Filii Dei tegitur, qui et aliis singularibus operibus praesentiam suam ostendit. Excitant Apostoli mortuos, et aliis alia testimonia exhibentur. Ita universam monarchiarum seriem intuearis, cum has tabulas et terribiles Turcorum formas adspicies. Videmus, Turcicam potentiam in genere humano excellere, reges et principes Europae caeteros suas vires domesticis bellis consumere. Interea Turci procedunt. Et praedixit *Hiltenius* ante annos octoginta, dominaturos esse Turcos in Italia et Germania anno 1600. In his vastationibus quae et ubi erit Ecclesia? Hic vero teneamus necessariam et veram consolationem divinam, quae adfirmat, etiam in hac delira mundi senecta, et inter imperiorum ruinas, et varias opiniones, tamen Filium Dei verae Ecclesiae reliquias servaturum esse, et eis daturum hospitia, etsi squalidiora, quam qualia habuit aetas tranquillior, sicut scriptum est: „Erit sicut in diebus Nohae." Et quidem sciamus, ibi Filium

Dei servaturum esse suos coetus, ubi et vox Evangelii, et ipsius invocatio durabunt. Ab hoc agmine non deficiamus admiratione potentiae Turcicae, aut metu crudelitatis ullorum tyrannorum, nosque et testimoniis doctrinae et invocatione Filii Dei confirmemus. Illustris consolatio haec est: scire, impossibile esse, populum Dei hunc esse, qui palam et ex professo negant, se amplecti scripta Prophetica et Apostolica. Semper in pectore circumferamus vocem aeterni Patris de Filio: Hunc audite. Et similia dicta multa: quale est apud Ioannem: Qui non manet in doctrina Christi, Deum non habet. Ut igitur simus cives et membra populi Dei, et possimus verum Deum invocare, et petere et exspectare ab eo auxilium in hac vita, et aeternam salutem, simus alieni a Turcicis blasphemiis. Precemur etiam Filium Dei, Dominum nostrum I. C., crucifixum pro nobis et resuscitatum, ut propter suam gloriam procul depellat Turcicam tyrannidem, et semper inter nos sibi aeternam Ecclesiam colligat. Datae Anno 1560. Calend. Ianuarii.

No. 6905. 5. Ian. (Lipsiae.)

A. Hardenbergio.

Epist. ad Hardenberg. ep. 70.

D. Alberto Hardebergio.

S. D. Reverende vir, et cariss. frater. Antequam Lipsiam profectus sum, domi ad te scripsi: Quia in mercatu maior est negotiorum concursus. Sed tamen cum Lipsiae ad me Civis vester venisset, hanc Epistolam priori addidi. Hic intellexi Legatos Principum Palatinorum, Wirtebergici et Hessiaci in itinere esse petituros a nostro Electore, ut Synodus indicatur. Quae sint illorum consilia de forma synodi et gubernatione disputatione nondum audivi. Sed quicquid resciero, tibi significabo. Curabo etiam agi apud Senatum Bremensem, ne sinant rem deduci ad theatricam disputationem. Plura scribam, cum domum rediero. Bene vale cariss. frater, die 5. Ian. 1560.

Philippus.

No. 6906. 7. Ian.

M. Collino.

† Ex apographo in cod. Paris. D. L. 54[3].

Matthaeo Collino, in Academia Pragensi.

S. D. Clariss. vir et cariss. frater. Cum sciamus, Ecclesiam Dei in hac tristi confusione generis humani subiectam esse cruci, praeparemus animos ad ferendam iniustam hostium saevitiam, et filium Dei precemur, ut nos gubernet et confirmet. Hunc oro etiam, ut et robur animi *Iacobo* augeat, et eum rursus liberet. Qualis, ut non multa disputem, est rabies, casti coniugii causa in homines honestos crudelitatem exerceri? Sed confugiamus ad filium Dei. Epistola Iacobi ostendit, eum Dei beneficio erecto animo esse, quod ostendit in pectore eius Dei praesentiam. Pro perpetua tua erga me benevolentia et pro donis debeo tibi et habeo gratiam. Nunc Lipsiae paginas alias non habebam praeter hoc carmen, quod mitto. Bene vale, et rescribe de Iacobo et aliis, quae putabis esse *ἀξιόλογα*. Die 7. Ianuarii, 1560. Lipsiae.

No. — —. 7. Ian.

Io. Trautebuel.

Epistolam Ioanni Trautebuel, Cancellario Sigismundi Archiepiscopi Magdeburg. inscriptam, incipientem: „*Scio te quoque veteri definitione* etc., habuit *Koch*, Concionator aulicus Brunsvicensis, ut didici ex Collect. Ballenstadtii. Eam reperire mihi non contigit.

No. 6910. 10. Ian.

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camer. p. 746. (ed. Lond. lib. IV. ep. 895.).

Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camer. fratri suo cariss.

S. D. Cum Dei beneficio rediissemus satis quassati in itinere, accessit ad me *David* [1]) reversus ex Borussia, Laudat et Principis beneficentiam et

1) David. Voit, vid. epist. d. 24. Oct. 1559.

Ioannis Aurifabri fidem et erga se eximium studium. Habet a Principe ad te mandata: De *Andrea Aurifabro* scripsit *Stoius*, cuius tibi mitto Epistolam. Doleo eum nondum ὑπέραρχιον suis ereptum esse: *Fratris* *) etiam luctus mihi dolorem affert, de quo Anglicus Episcopus, vir modestissimus mihi ante semestre dicebat, se in tota vita meliorem virum non vidisse. Talem *παραστάτην* seu potius *ἐπιστάτην* cum habiturus sit *David*, hoc exilium feret facilius: Deum oro, ut nos protegat et gubernet. Bene vale IIII. Idus Ianuarii. [Anno LIX.] **)

Philippus.

*) Io. Aurifabri C. W.

**) Annus ab editore adscriptus est. At scripta est 1560.

No. 6908. 12. Ian.

A. Hardenbergio.

Epp. ad Hardenbergium ep. 71. et Peucer. tract. histor. pag. 98.

D. Alberto Hardebergio.

S. D. Reverende vir, et cariss. frater. Prius, ut ratiocinor, accipies literas civi vestro datas, quam has. In illis quid mihi de theatrica disputatione videatur, scripsi: simul etiam significavi veteris et purioris Ecclesiae testimonia colligenda [1]) esse, ad quae et ego provocavi in literis scriptis ad Ducem Wirtenbergensem, qui me atrociter accusat, quod naturas in Christo dirimam [2]). Petivi non solum, ut me prius audiat, quam condemnet, sed ut simul veterem et puriorem Ecclesiam audiat. Et maneo in hac sententia, ut non instituas publicam disputationem, nisi prius dentur iudices ex Ecclesiis, quas nominare utrique poteritis. Deinde initium facias a veteris Ecclesiae testimoniis. Epistola tua, quam hic senex attulit, iracunde scripta fuit. Meam contationem [3]), seu moderationem accusas, de qua causas gravissimas scribere possem, sed nunc solam hanc commemorabo. Oro te, ut veniam mihi des, qui solus non volui formulam de re tanta componere. Adsensit mihi et *Sneppius* in urbe Vangionum, quod Formulam cum paucis componere nolebam. Totos iam viginti annos expecto exilia, propterea quod ostendi, me ἀρτολατρείας non probare. Cumque videas, qualis rabies sit in his, qui ediderunt in illo littore centurias suffragiorum, existimes, me contationis meae causas habere. Impedior etiam *) quotidianis occupationibus, ne integrum opus instituam. Sed desino, et oro filium Dei, ut nos doceat et gubernet. Bene vale. Die 12. Ian. 1560.

Philippus Melanthon.

1) Pez. mendose: *coniungenda.*

2) Vid. Sattler Geschichte von Würtemb. unter den Herzogen, IV, 140., et Schnurrer Erläuterung der Würtemb. Reformationsgesch. p. 259 sqq. [Nota *Danzii.*]

3) Peuc. *cunctationem.*

*) Peuc. *et*, pro *etiam.*

No. 6909. 13. Ian.

Abd. Praetorio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54 a.

Abdiae Praetorio, Lectori in Acad. Francofordiana.

S. D. Clariss. vir et cariss. frater. Hanc epistolam cum scriberem die 13. Ianuarii, quo ante annos 55 natus est Illustriss. Princeps *Elector Marchio*, vobiscum vota faciebam, ut Deus creator et vitae dator, et custos legitimorum imperiorum vires animae et corporis Illustrissimo Principi Marchioni Electori confirmet, et longa ei vitae spatia tribuat, et ut hic veniens climactericus 56. [annus] sit ei faustus et felix. Hunc autem nuncium eo mittimus, ut adferat istuc τὸ γαμήλιον, missum doctori *Schradero*. Te igitur oro, ut nostras literas et γαμήλιον ab hoc nuncio accipias, et clariss. viro D. *Schradero* exhibeas. Literae sunt amanter scriptae de Academiarum coniunctione tuenda, et hoc officium, quod a te petimus, ex eo genere est, de quo sunt versus Enniani: ut qui lumen de lumine accendit etc. *Καὶ πρὸς τὰ δίκαια τῶν χαρίτων* pertinet. Quaeso igitur, ut hanc totam rem pro tua prudentia et fide ita agas, ut nostrum studium *Schraderus* cognoscat et mihi rescribat. Mitto picturas Turcicorum magistratuum [1]), et peto, ut alterum exemplum exhibeas viro clariss. D. *Sabino*; alterum tibi dono. Latina nondum fuerunt edita, quae prius debuerunt

1) Ex libro Georgevicii, vid. d. 1. Ian. 1560.

edi. Significes aliquid περὶ δήγματος τοῦ μυός [2]). Bene vale. Die 13. Ianuarii, 1560.

Philippus.

No. 6910. 18. Ian.

Eidem.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54 [3].

Abdiae Praetorio, Lectori in Academ. Francofordiana.

S. D. Clariss. vir et cariss. frater. Ut Polycarpus aures obstruebat digitis, si quando in eos, qui Marcionis et similium furenter dicta recitabant*): ita et ego magno dolore adfectus sum legens illas tetras corruptelas, quas publice in loco Dei sonant inimici nostri, quos certe sequetur Adrastia. Oro autem toto pectore filium Dei, λόγον ἀϊδίου πατρὸς, ut nos doceat et gubernet, et mentes discentium flectat ad amorem veritatis et proprietatis. Verum est prorsus illud Euripideum: ἀκόλαστος γλῶσσα αἰσχίστη νόσος. Scripta tibi iucundiora mitto. Spero tuas literas nobis allaturum esse nuncium, qui istuc attulit doctori *Schradero* τὸ γαμήλιον ὅπερ ἔπεμψεν ἡ βουλὴ τῆς Ἀκαδημίας. Historica hoc tempore non habebam ἀξιόλογα, nisi ea, quae de bellorum apparatibus in Turingia non obscure narrantur. Sed commendo nos filio Dei et te nobiscum coniungere preces volo. Bene vale. Die 18. Ianuarii 1560.

Philippus.

No. 6911. 20. Ian.

Hier. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 251 sq. Hic ex autographo in cod. Mon. I. p. 254.

Hieron. Bomgartnero, Senatori inclytae urbis Noribergae.

S. D. Heri literas accepi ex urbe Brema, in ea ipsa urbe incendi certamen περὶ δείπνου κυριακοῦ, magna contentione animorum utriusque partis, ὥσπερ ἐκεῖνο ἔθνος φύσει ἐμπαθέστερον ἐστί. Ea flamma si latius in illa gente spargetur, quantum erit incendium? Simus igitur in retinenda Ecclesiarum nostrarum tranquillitate vigilantiores.

Hic *Iohannes Baptista* filius Dn. *Fabricii* qui in templo Laurentiano concionatur, domum vocatus est, quia Pater sperat ei posse Diaconi functionem apud vos impetrari. Potuissem hoc tempore ei in hac vicinia locum docendi tradere. Sed maluit videre patriam, quod non reprehendo. Nam et ego Patriae coelestis desiderio adficior, et si diutius in his aerumnis vivendum est, longius abesse me ab hac barbarie optarim. Quaeso si huic Baptistae locus esse poterit, ut eum Senatui commendes. Spero modestiam et diligentiam eius vos probaturos esse. Bene vale. 20. Ianuarii *).

Philippus.

No. 6912. 22. Ian.

G. Cracovio.

Epist. lib. II. p. 373. (ed. Lond. lib. II. ep. 387.).

D. Georgio Cracovio

S. D. Scimus legitimas Politias vere Dei opus et beneficium esse, quo retinentur societas generis humani, disciplina et doctrinarum propagatio, et Ecclesiarum coniunctio. Ideo toto pectore assidue precor vobiscum, ut Deus has regiones protegat, et oro eum, ut te quoque in hac militia aulica gubernet. Pericula istic propius vides: οἱ μεγαλοπολῖται ἡγέμονες *Rostochianis* aperte minitantur. Conduci milites in *Saxonia* et ad *Moenum* certum est. Nec existimo vos haec ignorare. *Islebius* iam coepit vociferari Ecclesiam non esse coetum visibilem [1]). Sciebam fanaticos reprehensuros esse hanc meam descriptionem, qui iactitant Enthusiasmos et ἐκστάσεις, ut augeant sui admirationem, et in dubitationes coniiciant pios. Adfert honestissimae coniugis tuae literas Doctor *Petrus*, quem tibi commendo, et peto ut Reverendo viro D. *Danieli* dicas me laudasse D. *Petro* ipsius vinum [2]). In tantis periculis publicis et

---

2) De morsu muris, i. e. de Musculi controversia. Vid. ep. d. 15. Mart. 1560. et d. 14. Nov. 1559.

*) Praetermissum est: *incideret*, vel simile.

*) Alia manus adscripsit: 1560.

1) Vid. ep. d. 3. Febr.

2) Vid. ep. d. 3. Febr. 1560.

privatis teneamus et hanc consolationem: Commenda Deo viam tuam, et spera in eum, et ipse faciet. Bene vale. Die 22. Ianuarii.

No. 6913. 25. Ian.

D. Voigtio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Davidi Voit[1]). (*Ienae hoc tempore.*)

S. D. Clarissime vir et carissime frater. Pietas est, affici nos desiderio *Francisci*[2]), viri et amici integerrimi; sed dolorem leniant nobis cum illae consolationes, quas Deus tradidit, sicut scriptum est: beati mortui, qui in domino moriuntur, tum vero et hae ex communibus vitae aerumnis sumptae. Valetudo aliquot annos ita afflicta fuit, ut vitam ei insuavem esse necesse fuerit. Multa etiam in negociis vidit, quae ei moestitiam auxerunt. Nunc laetus fruitur Dei et Domini nostri Iesu Christi conspectu et prophetarum colloquiis, et est in Ecclesia plena sapientiae et suavitatis, ad quam et ipse mox accedere cupio. Nos iam de nostrae militiae laboribus cogitemus. Diem disputationi, Deo iuvante, constituimus tibi quartum decimum mensis Martii, ut sequente septimana mox fieri gradus renunciatio possit die 19. Martii. Si serius haec fieri voles, tempus eligito tuo arbitrio, et ad nos venias cum voles, et hospitio nostro utaris. Bene vale. Die conversionis Pauli, 1560.

Phil. Mel.

No. 6914. 26. Ian.

Iac. Siboldo.

Epist. lib. V. p. 719 sq.

Domino Iacobo Siboldo, Pastori Ecclesiae in incluta Northusa.

S. D. Reverende vir, et chariss. frater. Mitto ex Alcis ungula duo fragmenta, quae sic praecisa sunt ab integra ungula, quam mihi recens misit Dux *Prussiae*, docent me de usu Prussiaci, ad pectus suspendenda esse talia fragmenta. Oro autem Deum aeternum, Patrem Domini nostri Iesu Christi, Creatorem generis humani, et vitae Datorem, ut tibi et tuis confirmet vires animarum et corporum.

Adolescens, de quo scribis mihi, curae erit. Etsi desiderio *Francisci Burcardi* *) magno adficior, tamen voluntati Dei obtemperare nos necesse est. Et, Deo iuvante, non multo post in coelesti Ecclesia dulcius amicitia nostra fruemur, quam in hac vita frui potuimus, cum quidem foedus amicitiae nostrae tempora non mutaverint. Die Polycarpi 1560.

Philippus.

No. 6915. 1. Febr.

Iac. Rungio.

† Ex collectan. Ballenstadt. Vol. I. p. 176, qui notavit, eam sibi ex autographo descriptum esse.

Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, Iacobo Rungio, Doctori theologiae, gubernatori ecclesiarum in Pomerania, Fratri suo cariss.

S. D. Reverende vir et carissime frater. Existimo tibi notum esse centaurum *Grumpachium*; recens enim cum *Zizevico* dicitur apud vos fuisse. Hic *Grumpachius* ceu furia passim concitare principes et equites conatur, ut bellum in Germania accendatur. Nos filium Dei precamur, ut parcat Ecclesiis et familiis piis. Scio, te item petere.

Dissensiones docentium non leniuntur, de quibus quum longam Iliada scribere possem, tantum hoc narrabo. Misit *Wirtebergicus* nostro Electori formulam *Brentianam* περὶ ἀρτολατρείας[1]), quae, ut sic dicam, est *Hechingense Latinum*, quod unde sit nominatum, audivisse te in nostris sermonibus existimo. Sed, si non meministi, historiam recitabo, quia vox est sapientis viri Cancellarii *Wirtenbergici*, *Gregorii Lampardi*. In conventu *Constantiensi* cum Gallicus legatus coram *Maxaemiliano* orationem ha-

---

1) Is ex Regiomonte redierat hoc tempore in patriam (vid. ep. ad Camerar. d. 10. Ian. 1560.) et d. 19. Martii 1560. renunciatus est Doctor Theologiae Witebergae, unde Regiomontum sese iterum contulit.

2) Francisci Burchhardi, Wimariensis, qui ex itinere in Angliam facto aegrotans rediit et d. 15. Ian. diem obiit.

*) Diem obiit d. 15. Ian. 1560.

1) Vid. ep. d. 9. Febr. 1560.

beret luculentam, dixit *Philippus*, filius *Maxaemiliani* ad ducem Saxoniae *Fridericum:* Friderice, hic vir est eloquens, nec tantum propter genus orationis, sed etiam propter sedatos gestus mihi placuit. Laudat et oratorem et iudicium adolescentis *Philippi Fridericus.* Postea cum deliberaret *Maxaemilianus* cum Principibus de responsione, petunt principes, ut Maxaemilianus sua voce respondeat. Sed eo recusante prodit *Comes Zollerensis*, qui tunc assiduus aulicus erat Maxaemiliani, et horridissimo sono Suevico inquit: Domine Legate, vos debetis iterum venire post carnis privium [2]). Displicent sonus et stentorea vox *Philippo*, qui ad *Fridericum* inquit: quale est hoc latinum? Facete Fridericus derivat a se reprehensionem. Ego, inquit, non sumo mihi hoc iudicium, cum non sim scholasticus, sed hic doctor, (adstabat enim *Lampardus*) et doctus est, et Comitis conterraneus, hunc interrogate. Ita interrogatus *Lampardus*, ut erat ingeniosissimus, vos Principes, inquit, scitote, *latinum Hechingense* esse. Ubi, inquit Philippus, discitur? Oppidum est, inquit Lampardus, Suevicum huius Comitis *Hechingen*, ubi lineae telae horridissimae texuntur. Ibi et hoc Comitis latinum textum est. Abiit id dictum in proverbium de insulsis scriptis.

Repetit *Brentius* illam suam telam περὶ τοῦ πανταχοῦ, et alia addit de adoratione. Petivit autem Wirtenbergicus, ut noster Elector petat harum academiarum suffragationem. Noster sapienter respondet, fuisse sciscitanda suffragia ante hoc προβούλευμα. Plura nunc ἀξιόλογα non habebam.

Hunc autem *Iacobum Wibenium*, Stolpensem, scholasticum pauperem, aegroti patris filium, tibi commendo. Petit auxilium, et in academia Grypheswaldensi procedere in studiis doctrinarum cogitat, ut citius in vicinis patriae Ecclesiis aut scholis docendi locum inveniat. Quaeso annitaris ut adiuvetur. Scio, has petitiones in aulis ingratas esse; sed nosti illud: αἰδὼς οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένον ἄνδρα κομίζει. Nec dubito, te saepe pro aliis petere, cum pro te non peteres. Adfert et a doctore *Georgio Cracovio* literas, qui in aulam Dresdensem accersitus diutius a nobis abest, quam vellemus, et ipse et nos, et familia eius. Sed scis, quanta moles sit negotiorum, ad quam multos adhibere necesse est. Μιᾶς γὰρ χειρὸς ἀσθενὴς μαχή. Precor autem filium Dei, dominum nostrum Iesum Christum, ut nos omnes gubernet et protegat. Bene vale et rescribe. Calend. Febr. 1560.

2) Carnisprivium, Fastnacht; Carnisprivium *vetus* est dies domin. Invocavit; Carnisprivium *novum* est domin. Quinquagesimae s. Estomihi, etiam Herren = sive Pfaffen = Fastnacht.

No. 6916. 3. Febr.

G. Cracovio.

Penceri tractat. histor. p. 93., sed tantum ex parte. Integra est in Epist. lib. II. p. 378. (ed. Lond. lib. II. ep. 393.).

D. Georgio Cracovio, (tum Dresdae in aula)

S. D. Legi decretum Abbatum *Wirtebergensium*, nec possum quale sit venustius significare, quam si dicam esse *Hechingense Latinum*, cum oppidum *Hechingen* in vicinia illorum Abbatum situm sit. Existimo autem te saepe audivisse ex me recitatam historiam a Duce *Friderico* de *Hechingensi Latino* [1]), quae tamen si tibi ignota est, ut et Principi, et Doctori *Mordisio* et tibi nota fieret, scripsi eam in pagella, quam his literis addidi. Digna memoria est propter *Gregorium Lamparter*, cuius sapientiam et eloquentiam saepe audivi praedicari, comitatem ipse expertus sum. Illustriss. Principi respondi breviter, ne quid novi moliri videar, affirmo me prorsus retinere formam verborum ante multos annos editam in examine ordinandorum, quod in multis gentibus legitur. Papisticos vero et *Methonaeos* [2]), et Abbatum *Wirtebergicorum*, et *Westvali*, *Sarcerii*, et similium articulos in hac causa manifeste pugnare cum vetere puriore Ecclesia, meque offero ad declarationem, et de hac causa, et de aliis propter quas crudeliter laceror a multis hostilibus exercitibus. Iam enim et Scurra *Berlinensis* [3]) novum bellum movet, quod Ecclesiam nomino coetum visibilem, qua de re epistolam vobis mitto, quae et alia exempla δυσκωφότατα μαργιτῶν narrat, quae aulam scire utile est. Videor mihi mediocriter philosophari, quod non respondeo omnibus sycophantis, ne maiora dissi-

1) Vid. ep. d. 1. Febr.
2) i. e. Wimarienses.
3) *Islebius.* Vid. ep. d. 22. Ian. 1560.

dia oriantur, sed nimium irritor. Et multo ante discessissem ex his locis, nisi cogitassem fore maiores distractiones. Et non recuso discedere quandocunque volueritis. Te tamen virum doctum iudicem esse volo, an et recta et utilia docuerim, cum quidem inciderimus in magnam opinionum confusionem. Oro autem Filium Dei, ut nos omnes gubernet. Honestissima coniunx tua misit mihi gustandum vinum tuum, quod utinam domi tuae integris corporis tui viribus, ac fruens conspectu honestissimae coniugis et dulcissimae sobolis bibas. Spero tibi valde gratum fore. Bene et feliciter vale. Die 3 Febr.[4]).

Si longior a me responsio περὶ μυστηρίων petitur, significabitis. Tempore enim opus est ad describenda vetera testimonia, et profecto invitus περὶ τοῦ πανταχοῦ disputo, quia multa βέβηλα turbant mentes in vera cogitatione. Bene vale et rescribe.

No. 6917. 4. Febr.

Christ. Reutter.

† Ex apographo in cod. Galli II. p. 242.

Venerando viro eruditione et virtute praestanti Christophoro Reutter, docenti Evangelion in Ecclesia aulae inclyti Baronis Rosenberg in Austria, amico suo.

S. D. Venerande vir. Mitto libellum ante aliquot annos editum, in quo legere *) poteris formam verborum de coena domini, qua utor, consulto omissis disputationibus. Hanc formam existimo ad pietatem et ad concordiam utilem esse. Nec potui subito de tam prolixa disputatione vestra respondere, nec volo augere certamina vestra.

De usuris longior disputatio instituenda esset. Contractus sapienter discernendi sunt, et considerandum quae sint verae usurae. In ethicis libellis quos edidi aliquid de contractuum discrimine dixi. Nec dubium est, restitutionem furtorum, si possibilis est, faciendam esse, quia scriptum est: *qui furatus est amplius non furetur.* Manet enim fur, qui contra conscientiam retinet furta. Sunt autem vere furta illae usurae, quas non dubium est esse usuras. Sed prudenter discernendae sunt usurae ab eo quae ei *) Interest. Profecto de tanta amplitudine quaestionum non potest subito scribi. Ideo te oro, ut hanc brevem responsionem boni consulas. Mitto tibi exemplum proximae disputationis. Bene vale. Die 4. Februarii 1560.

Phil. Mel.

4) Peucer. adscripsit annum M. D. LX.

*) Cod. *legi*, mendose. — Liber de quo loquitur, est Examen ordinandorum.

*) Qui descripsit epistolam puncta posuit sub *quae ei*, ut significet, se incertum esse, an recte legerit. Puto scriptum fuisse: q vocant, i. e. *quod vocant.*

No. 6918. 4. Febr.

Grabnero etc.

† Ex apographo in cod. Galli II. p. 242 b.

Ein Brief an Herrn Leopold Grabner[1]) und andere Herren. *Phil. Mel.*

Gottes Gnad durch seinen eingebornen Sohn, Jesum Christum unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer zuvor. Wohlgeborne gnädige Herrn. Ew. Gnaden sende ich ein Büchlein, deß Titel ist: examen ordinandorum, darin E. G. finden werden, wie ich und viele andere von der Nießung des Leibes und Blutes Christi unsers Herrn reden, und von Frucht der Nießung, die uns alle zur Communion treiben soll. Und dieweil etlich Disputation übergangen werden, dienet diese Forma zu Betrachtung der Gegenwärtigkeit in uns, und zu Einigkeit. Euer gesandt Buch habe ich dem Boten gegeben, E. G. wiederum zu bringen. Denn mein Gemüth ist nicht, größer Uneinigkeit zu machen, sondern ich wollt viel lieber, daß von dieser und andern Sachen freundliche christliche Unterrede gehalten würden zuvor, ehe das Volk irr gemacht würde. Es muß auch dennoch endlich der unnöthigen Disputation ein Maß und Ende seyn. Dieses ist öffentlich, daß nichts kann Sacrament seyn außer dem Brauch, den Gott geordnet hat. So man dieses hält, fallen Anbetung in der Umtragung und viel andre Mißbräuch, davon ich E. G. gern mehr Bericht thun wollt. Ich kann aber solches in kurzer Zeit mit Schriften nicht thun, und ist unfreundlich, daß E. G. mich mit solcher Erbeit und Kosten beladen. Denn der Bote nicht Zehrung gehabt, dem ich heim zu ziehen

1) Quis ille fuerit et ubi, definire non possum. Fortasse Grabnerus quoque in Austria fuit, quum eodem die de eadem re scripserit Reuttero.

zween Thaler geben hab. Gott bewahr E. G. Datum 4. Februarii anno 1560.

No. 6919. (h. t.)

(*De coena s. ad Hungaros.*)

(Ex libro: Memorabilia augustanae confessionis in Regno Hungariae — recensuit *Ioannes Ribbini.* 1787. 8. p. 173. — Qua occasione hoc scriptum in Hungariam missum fuerit Ribbinus non dixit. Suspicor, esse haec a Melanthone in schola tradita, et vel autographon Melanthonis vel apographon ab Hungaro quodam, qui usus est schola Witebergensi, in patriam translatum. Sed occasionem etiam huius scripti potuerunt dare Hungarorum quorundam literae ad quas Melanthon d. 4. Febr. 1560. respondit. Statim igitur hoc scriptum his literis adiungendum esse putavi.

(*Phil. Mel. ad quosdam Ungaros.*)

Immensa vult Deus bonitate, ministerium Evangelii publicum esse, et sic et non aliter colligere aeternam Ecclesiam nisi voce ministerii Evangelici. Ideo semper aliquos nervos congregationis instituit, et servat honestos congressus: id beneficium Dei et filii eius Domini nostri Iesu Christi agnoscendum, celebrandum et conservandum est. Fuit autem post longiora Christi nervus publicae congregationis coena domini, sicut Paulus inquit: *quotiescunque conveneritis* etc. Ideo nomen vetustum est coena et *σύναξις*, id est congregatio, Graeci *λειτουργίαν* dixerunt, et idem nomen hodie retinetur, id est, ministerium, in quo multa sunt: Pastor populum docet de lege Dei et de Evangelio, distribuit sacramenta, docet de usu, ac simul pastor et populus coniungunt invocationem pro Ecclesia et gratiarum actionem. Hinc et nomen eucharistiae coepit usurpari, quia verum est, ibi Ecclesiam gratias agere Deo et domino nostro Iesu Christo pro omnibus beneficiis et pro redemtione, sicut expresse loquitur vetus canon. Sic vetus Ecclesia nomine sacrificii et oblationis usa est de tota actione, de coena domini, invocatione et gratiarum actione. Papistae nominant *missam*, non intellecto vocabulo; sed, aut hebraeum vocabulum est, communem contributionem significans, quia ibi conferebantur eleemosynae, ut omnes veteres historiae ostendunt; aut a latino nomen est remissionis, ut Graeca Ecclesia in coena domini pronuntiavit haec: *λάος ἄφεσις ἔστω,* id est, populis sit remissio. Sed quaecunque nominis causae fuerint, res consideretur.

Coena domini est manducatio ipsa, id est sumtio, in qua, expressis verbis Christi, exhibentur sumentibus corpus et sanguis Christi, qui adest rebus visibilibus, pani et vino. Nequaquam enim dicimus, tantum significari absentem Christum, sicut statua Herculis aut Iovis significat absentes, sed in usu coenae vere adest Christus vivus, et est efficax, et consolatur corda, et sumentes adiungit sibi tanquam membra. Sic *Cyrillus* inquit: *Christum non solum per dilectionem in nobis esse, sed etiam naturali participatione.* Nec effingenda est transsubstantiatio, aut talis inclusio corporis et sanguinis, ut etiam extra sumtionem maneat ibi corpus et sanguis, quia Christus adest propter hominem, non propter panem. Nec Deus alligatus est ad aliquid sine suo verbo, ut ibi adoretur tanquam singulari modo praesens. Non autem alligat se Christus ad panem et poculum extra usum.

Fines autem coenae tres sunt. Primus omnium et praecipuus est, ut sit sacramentum, hoc est, signum gratiae, videlicet voluntatis Dei erga nos, quod vere dentur remissio peccatorum et caetera bona in evangelio promissa, et sic usu coenae confirmetur fides. Haec ratio sacramenti prima et praecipua est in usu coenae. Manifestum est, horribile idolum esse sacrificium Papistarum, in quo fingunt, offerri corpus et sanguinem a sacrificulo, et hanc oblationem mereri remissionem facienti et aliis vivis ac mortuis. Et affingunt alios magis tetros errores, mereri hoc opus bonos eventus in negotiis corporalibus. Hos furores similes ethnicorum, taxari in Ecclesia necesse est. In illis autem, qui recte utuntur coena domini, ratione sacramenti, postea accedunt hi fines. Hoc opus fit sacrificium, quia simul fiunt gratiarum actio, invocatio et confessio. Tertius finis est, ut sit nervus publicae congregationis, in qua populus convenire debet ad audiendam vocem Evangelii, ad communem precationem et gratiarum actionem. Nequaquam alliganda est Ecclesia ad ritum sedendi aut standi, aut matutinas aut vespertinas horas, sed vult Deus, has circumstantias liberas esse, et serventur horae piis coetibus congruentes.

No. 6920. 5. Febr.

G. Cracovio.

Peuceri tractat. hist. p. 93. Epist. lib. II. p. 380. (ed. Lond. lib. II. ep. 394. et Mel. Consil. lat. P. II. p. 387.).

D. Georgio Cracovio (commoranti in aula Dresdae).

Clarissime vir et charissime frater, Spero vos accepisse literas meas, de Abbatum *Wirtebergicorum* decreto, seu de *Hechingensi Latino* *), quae si fuerunt scriptae liberius, veniam ingenti dolori meo date. Intra dies quatuordecim ex *Gallia*, ex *Pannonia* et ex *Austria* tristissimas querelas accepi de hoc dissidio. Me obtestantur ut non sim κωφὸν πρόσωπον. *Pannonici* quidam ediderunt scriptum non futile. Hoc tantum incendium excitarunt articuli μεθωναῖοι, quod vides non posse ab eis restingui. Sed oro Filium Dei ut nos gubernet. Proficiscitur ad vos Doctor *Bartholomeus Lasanus Cygneus*, ut cum Illustrissimi Principis Electoris munificentia adiutus sit, nunc suam operam Illustrissimo Principi reverenter offerat, ingenio valet, et usui esse poterit. Te oro, ut eum complectaris et gubernatoribus commendes. De decreto, quo praelectiones distributae sunt, gratias Illustriss. Principi et consiliariis agimus. Petiit praefectus adfini tuo collegam addi, et adfinis tuus petiit se levari bidui onere in praelegendo. Nihil mutavimus de decreto Illustrissimi Principis. Sed bidui onere in praelegendo adfinem tuum levavimus, cum quidem alter lector *Ebraeus* iam accesserit. Illud vicissim adfinis tuus tribuit volens auditorio templi, quia sit iuvenis et onus toties concionandi initio vix sustinere possit, ut collega addatur ad tempus, et ipse fruatur stipendio octoginta aureorum, collega quadraginta, sed tantum ad tempus. Cogitavi ei utilius esse cum benevolentia auditorum inchoare functionem, quam postea querelas in aulam deferri. Interea et ipse animosior erit ad dicendum, et cum volet, solus tenere hanc functionem poterit, spero te haec initia non improbaturum esse, quia praecipue moti sumus hac causa, cum praefectus tantopere laboraret, ut initia gratiora essent, teque oro, ut haec initia boni consulas, quae tamen cum volueritis mutari poterunt. Bene vale et rescribe. Die 5. Februarii.

*) Vid. d. 3. Febr.

No. 6921. 5. Febr.

Ulr. Mordeisen.

Epist. lib. V. p. 208sq.

Ulrico Mordisin.

S. D. Clarissime vir, et Patrone charissime. Primum Filio Dei, Domino nostro Iesu Christo, sedenti ad dexteram aeterni Patris, ac largienti hominibus, gratias ago, quod hactenus his regionibus clementer tribuit et pacem et vocem doctrinae, et mediocres Politias, eumque toto pectore oro, ut deinceps haec beneficia tribuat. Accepi ex Vienna Esauitarum *) et aliorum vanissima scripta, quae legentes facile iudicare possunt, utrum doctrinae genus melius sit, nostrumne, an adversariorum. Deinde et Illustrissimo Principi et vobis gratias ago, quod doctrinarum studia fovetis. Cumque Illustrissimi Principis munificentia Doctor *Bartolemaeus Lasanus* Cygneus adiutus sit, istuc accedit, et ut gratias agat, et Illustriss. Principi operam suam offerat. Valet ingenio, et spero eum, Deo iuvante, usui fore. Quare eum vobis commendo, et DEUM oro, ut vos omnes clementer gubernet et protegat. Bene valete. Die 5. Februarii 1560.

Philippus Melanthon.

No. 6922. 5. Febr.

Eust. a Schlieben.

† Ex apogr. in cod. Mehnert. II. p. 273. Est responsio ad epistolam Eustachii, quae ibid. p. 271. legitur. Scribit Philippo: „te obsecro, ut tu, pius, prudens, doctissimus et quasi emeritus miles has iniurias, quae immerito tibi hinc inde inseruntur, patienter, modeste et humaniter feras, idque ipsum adversariorum tuorum temulentiae, audaciae atque detestandae invidiae des." Denique narrat, se coena domini saepissime uti, sed hac cogitatione gravissime turbari, quod timeat, ne indignus sumat corpus et sanguinem Christi. Ad quae Philippus haec respondet:

Eustachio a Schlieven.

Magnifice vir, nobilitate generis, sapientia et virtute praestans, et patrone colende. Heri respondi literis vestris, quae singularis erga me benevolentiae vestrae testes sunt, et misi pagellas lucubrationum nostrarum. Cum autem hodie alius nun-

*) Iesuitarum.

cius venerit, qui existimabat, priores literas perituras esse, scripsi rursus quia maxime optarim, me vobiscum quotidie posse colloqui, non de populi fabulis, sed de Ecclesia et rebus dignis nostra senecta. Pietatem vestram probo, quod libenter et saepe confirmatis vos coena domini nostri Iesu Christi, quam voluit ipse filius Dei saepe fieri, ut consolatio et gratiarum actio repetantur. Et in vera [veteri?] Ecclesia omnes pii singulis septimanis cum celebrabatur coena domini, ad eam accedebant qui in congressus publicos venerant. Non enim quotidie celebrabatur coena domini, nec vos cogitatio indignitatis absterreat. Ideo vult filius Dei repeti coenam, ut recordatio promissionis erigat fidem, et statuamus nobis applicari sua beneficia, nos esse ipsius membra et surculos ipsi insertos. Et sunt in conspectu dicta: *gratia exuberat supra delictum.* Item: *ne sis pusillanimis in precatione tua.* Mitto vobis libellum, cui titulus est: *examen ordinandorum*, ubi de fructu communionis existimo scriptas esse utiles consolationes. Mitto et primum tomum Chronicorum [Carionis], quae iunioribus scripta sunt; sed scio, senes delectari consideratione antiquitatis. Et fortassis iucunda erit vobis interdum haec lectio, quod maxime opto.

Conviciis maledicorum, qui me crudeliter lacerant, oppono bonam conscientiam et iudicia verae Ecclesiae, et me Deo commendo, cum scio, scriptum esse, *beati eritis, cum vobis maledixerint homines mentientes* etc. Oro autem filium Dei, ut Ecclesiam in his regionibus gubernet et protegat. Hunc etiam oro, ut vobis vires animae et corporis confirmet, et addat vobis longiora vitae spatia, ut prodesse diutius Ecclesiae et reipublicae possitis. Bene valete. 5. Februarii 1560.

No. 6923. 7. Febr.

H. Paxmanno.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Henrico Paxmanno, Doctori artis medicae, gubernanti Scholam Goldbergensem.

S. D. Clarissime vir et cariss. frater. Oro Deum aeternum patrem domini nostri Iesu Christi, creatorem generis humani, ut tribuat fratri tuo faustum et felix coniugium, et gubernet nos omnes et faciat nos σκεύη ἐλέους et organa salutaria nostris animabus et aliis. Misi fratri γαμήλιον, et cum nuncio proficiscuntur duo idonei ad exercitia, ut in literis vestris petitum fuit, quos etiam tibi commendo. Studia doctrinae Academiae pagellae indicant, quas mitto. Bene vale et rescribe. Die 7. Februarii, 1560

Philippus.

No. 6924. 8. Febr.

Io. Sutelio.

Edita in d. Unsch. Nachr. ann. 1755. p. 498.

Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, Iohanni Sutelio, pastori Ecclesiae Dei, in inclyta urbe Nordheim, suo amico veteri,

S. D. Reverende vir. *Angeli pacis*, inquit propheta, *amare flebunt.* Id nunc passim accidit. Nec tantum lacrymarum fundunt propter externos hostes, quantum propter domesticas dilacerationes. Ubi possum impedio editiones, quae inter nos dissidia et odia inflammaturae videntur. Ideo nec existimate, nobis scientibus quemquam aliquid hic contra vos aut alios editurum esse, eaque de re Sereniss. Principis edicta ad has vicinas academias missa sunt. Remitto igitur tibi scriptum tuum, et te oro, ut meo exemplo veteri admonitioni obtemperes: πολλοῖς γὰρ ἀνθρώποις φαρμακὸν κακῶν σιγῆ, μάλιστα δὲ περὶ σώφρονος τρόπου. Bene vale. Dabam Wittebergae d. 8. Febr. 1560.

Phil. Mel.

No. 6925. (9. Febr.)

Cph. Libio.

Manlii farrag. p. 271 sq.

Reverendo viro, N. N. (*Libyo* adscripsit Buchholtzer) *pastori Ecclesiae Dei in arce Bremi veteri, fratri suo charissimo**).

S. D. Reverende vir, et charissime frater: Non solum alii multi, sed etiam εὐστάθιος ad me scri-

*) Adscript. est a Buchholzero: d. 9. Febr. 1560., i. e. dies, quo epistola tradita est; ergo scripta fere d. 5. Febr.

psit περὶ βωμολοχίας N.*) et quidem consolationem addidit. Delectatus sum ipsius iudicio et benevolentia. Consolationes vero mihi in hac senecta multo ante cogitatae sunt. Scio Deum velle, ut recte docentes, et recte facientes, placide ferant saeviciam tyrannorum et praestigiatorum, et fero alios magis rabiosos. Scripsi τῷ εὐσταθίῳ, me opponere omnium inimicorum clamoribus bonam conscientiam, et iudicia piorum et doctorum in Ecclesia. Adiunxi et hanc consolationem, cum sciam Deum veritatis defensorem esse, non passurum esse spero, ut veritatem extinguant isti sophistae, etiam me pulso aut interfecto. Vetus versiculus est,

ἄγει δ' ἐς φῶς τὴν ἀλήθειαν χρόνος:

quod rectius diceretur,

ἄγει δ' ἐς φῶς τὴν ἀλήθειαν θεός.

Recito amicis et hanc Tertulliani vocem: Si apud Deum deposueris iniuriam, ipse ultor est; si damnum, restitutor est; si dolorem, medicus est; si mortem, resuscitator est. Hanc sententiam adscripsi, quia tibi iucundam fore sciebam.

*) Eustachius a Schlieben. Vid. ep. d. 5. Febr. 1560.

No. 6926. 9. Febr.

Eidem.

Manlii farrag. p. 108 sq. Mel. Consil. lat. P. I. p. 647. Missum est hoc iudicium ad Libium, ut intelligitur ex cod. Paris. 54. ubi ei inscribitur.

Lybio S. D.

De quaestione, quam proposuisti, cum persona innocens, propter alterius personae adulterium aut desertionem pronunciatur libera, concedendum est innocenti personae coniugium. Haec regula certa est, et sine scandalo in nostri consistorii legibus scribi potuit. De persona condemnata tantum hoc publice scribi potuit sine scandalo, quod magistratus eam punire debeat. Lex Moysi eam occidit. Ideo nostri libri nihil postea de novo coniugio ei concedendo loquuntur, quia relinquunt eam tanquam mortuam. Et persona condemnata ius petendi novi coniugii amisit.

Cum autem Magistratus paucos occidit, saepe interrogati sumus, quid consilii sit dandum lapsis?

Deliberata res est a *Luthero* et *Pomerano*, et saepe sic responsum: Hortanda est persona rea, ut serio poenitentiam agat, et sive sit vir, sive mulier, si aetas est grandior, suadendum ut in viduitate maneant, tanquam lugentes, et poenam sustinentes. Sin autem aut aetas adhuc validior est, aut queruntur ipsi se sine periculo non posse in viduitate esse, si ostendunt signa poenitentiae, concedendum est eis coniugium: sed non in eo loco, ubi vivit persona innocens.

Hic casus est similis Mosaico divortio. Intelligat autem iudex sapiens, in quibus casibus probabili ratione exempla ἐπιεικείας a politia Mosi sumere possit, quam politiam certe Deus probavit. Respondi in pagella, quid *Lutherus* et *Pomeranus* saepe iudicaverint: ac spero te horum sententiam probaturum esse, teque oro ut rescribas, et an has literas acceperis, et an tibi satisfactum sit de quaestione. Bene vale charissime frater, et rescribe. Die 9. Februarii, anno 1560.

No. 6927. 9. Febr.

A. Hardenbergio.

Epp. ad Hardenberg. ep. 72. Consil. lat. P. II. p. 390. et ex parte in Peuc. tract. histor. p. 99.

D. Alberto Hardebergio.

S. D. Reverende vir et carissime frater. Avidissime tuas literas expecto, teque oro ut quoties poteris mittere, ad nos scribas. Heri hic narratum est, *Tilemannum* rediturum esse Rostochium. Mihi non videtur verisimile. Dux Wirtebergensis misit formulam περὶ μυστηρίων [1]) ad nostrum Principem, in qua retinet et pingit τὸ πανταχοῦ. Petivit ut exhiberetur his Academiis: sed non [2]) est exhibita. Recens editae sunt veteris scriptoris Marcarii Conciones, in quibus pag. 382. haec sunt verba: καὶ ὅτι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ προσφέρεται ἄρτος καὶ οἶνος ἀντίτυπον τῆς σαρκὸς αὐτοῦ καὶ αἵματος, καὶ οἱ μεταλαμβάνοντες ἐκ τοῦ φαινομένου ἄρτου, πνευματικῶς τὴν σάρκα τοῦ κυρίου ἐσθίουσι [3]). Scio te libenter tam

1) Vid. Acta et Scripta publ. Eccl. Wirtembergica p. 334—344. [Nota *Danz.*] Cf. etiam ep. ad Rungium d. 1. Febr.

2) Peuc. *nondum.*

3) Peuc. ἐφάγουσι.

vetus testimonium lecturum esse. Bene vale, et rescribe. Anno 1560. Die 9. Febr.

Philippus.

No. 6928. 11. Febr.

Sim. Rostio.

† Ex apographo in cod. Goth. 188. ep. 61.

Clarissimo viro, prudentia et virtute praestanti, Simoni Rost, Praefecto in Weissenfels, patrono suo, S. D.

Honestissime vir. Non dubito vos intuentes familiam vestram, saepe cum gemitu precari Deum aeternum, patrem Domini nostri Iesu Christi, conditorem generis humani, et custodem Ecclesiae suae, ut hanc infirmam aetatem gubernet et protegat, et tribuat eis Ecclesias et politias honestas. Idem et ego vobiscum precor, et oro Deum, ut vestrum filium, et aliorum honestorum filios servet et regat. Gaudeo adiunctum esse filio vestro virum doctum, qui assiduitatem, illi aetati necessariam, in grammatica praestet. Et interdum studia eius ipse inspiciam. Mitto vobis pagellas proximae disputationis, quarum lectionem spero vobis non ingratam fore, quia consolationes piis utiles continet, contra Labyrinthos vicinorum vestrorum. Oro autem filium Dei, ut nos omnes gubernet. Bene et feliciter vale. die XI. Februarii, A. 1560.

Philippus Melanthon.

Secundo Decembr. inter quartam et quintam horam, cum descenderet D. *Andreas Aurifaber* ex hypocausto Principissae, et domum reverteretur, accidit, ut divino iudicio iustiss. in infimo gradu humi caderet, ita, ut nec fari nec stare, nec nutu aliquid significare potuerit. Et sic animam agens miser iste repositus est in lecto, in quo Cubicularii Principis dormire solent. Accesserunt etiam medici, *Titius* et Doctor *Iacobus*, et, iis vix accedentibus, ultimum spiritum emisit, et longe exporrecta lingua et intumescente ventre migravit ad patrem suum *Osiandrum*, cum quo iam moritur, et, ut vereor, moriturus est in secula seculorum *).

*) Haec non a Melanthone ipsa, sed aliena manu adscripta esse, quivis facile suspicabitur. Fuit ille Andr. Aurifaber concionator aulicus Vimariae, et acerrimus Melanthonis adversarius.

No. 6929. 13. Febr.

Abd. Praetorio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Abdiae Praetorio, Lectori in Academia Francofordiana.

S. D. Clariss. vir et cariss. frater. Cum alii multi ad me scripserunt *περὶ βωμολοχίας Islebii*, tum vero et *Eustachius* [1]), qui non solum queritur de his Ecclesiae vulneribus, sed etiam me consolatur. Delectatus sum iudicio ipsius et benevolentia erga me. Consolationes nobis antea notas esse necesse est, quae partim ex lege Dei, partim ex Evangelio sumuntur. Scimus, recta dicenda esse, etiamsi tyranni et hypocritae nos interficiant. Deinde spe auxilii divini leniendum esse dolorem; nam filius Dei opitulabitur veritati, iuxta dictum: quod est ex Deo non dissolvetur. Haec cum quotidie cogitem, adiungo interdum sententiam Tertulliani, quam adscribam, quia tibi et aliis gratam fore scio: si apud Deum deposueris iniuriam, ipse est ultor; si damnum, est restitutor; si dolorem, medicus est; si mortem, resuscitator. Non igitur frangor animo in explicatione modesta veritatis. Legi tuas responsiones, et eas probo, ac filium Dei precor, ut ipse testimonio suo illustret veritatem, sicut ille precabatur: *χριστὲ σῶσον σεαυτόν*. Recens Lutetiae crematus est vir excellens sapientia et auctoritate inter eos, qui sententias dicunt in regio iudicio, nomine *Burgius*. Feramus multorum piorum exemplo sycophantarum rabiem, quam tandem Deus reprimet. Existimo vestrum *Glirem* [2]) ex aula ad vos rediisse iactitantem suos triumphos, et rabiosius vociferaturum esse, quam fecit antea. Tu modestiam, quam hactenus praestitisti, excuti tibi non sinas. Scriberem plura, si tempus concederetur. Habeo enim nuncios Basileenses et alios, qui me impediunt. Bene vale. Die 13. Februarii, quo die ante annos 1719 Nicanor a Maccabaeo victus est. Salutem amicis omnibus opto. 1560.

Philippus.

1) Vid. ep. d. 5. Febr. 1560.

2) Musculum indicat.

No. 6930. 13. Febr.

Ge. Buchholzero.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54³.

Georgio Buchholtzero, Praeposito Berlinensi.

S. D. Reverende vir et cariss. frater. Oro filium Dei, dominum nostrum Iesum Christum, sedentem ad dextram aeterni patris, largientem dona hominibus, ut servet et regat Ecclesias et politias harum regionum, et det felix coniugium Illustrissimis Principibus duci *Iulio* et sponsae. Hodie ex Spira mei affinis, viri prudentis, literas accepi, qui scribit, certe confirmatam esse a novo Pontifice *) Electionem Imperatoris *Ferdinandi.* Nominantur in ea epistola Cardinales, qui adfuerunt. Prodest, non praeberi occasionem atrocioribus odiis et dissidiis. De comitatu in *Wertheim* contentio inter Landgravium et Moguntinum mota est. Precemur filium Dei, ut nos omnes gubernet, et non sinat fieri vastationes Ecclesiarum et politiarum in Germania. Mense Decembri Parisiis combustus est vir nobilis et valde doctus, qui inter eos, qui regunt iudicium Parlamenti, praecipuus fuit, cui nomen fuit *a Burgo* **), cuius confessionem ad vos mittam; nondum enim describi potuit. Sed precemur Deum aeternum patrem domini nostri Iesu Christi, ut Ecclesiae suae opem ferat. Bene vale. Die 13. Febr., quo ante annos 1719 victus Nicanor a Maccabaeo poenas dedit blasphemiae, quo exemplo Deus ostendit, se vere Ecclesiae defensorem et esse et fore contra blasphemias. Et, ut nos defendat, regat et adiuvet, petamus. *Iohannes* Ungarius petit sibi dari coniugem filiam Imperatoris *Ferdinandi.*

Philippus.

No. 6931. 14. Febr.

Ioach. Camerario.

Epist. ad Camerar. p. 748. (ed. Lond. lib. IV. ep. 898.). — Retulit editor epistolam ad annum 1559., sed ex errore. Argumentum satis docet, eam scriptam esse anno 1660.

Clarissimo viro sapientia eruditione et virtute praestanti Ioachimo Camerario, fratri suo carissimo,

S. D. Non tantum senectae morositate, sed dolore magis inter tantas generis humani confusiones, abhorreo ab omnibus scriptionibus. Lutetiae crematus est *Burgius* [1]), quem audivisti captum esse, quod moderatam sententiam dixerit de studiosis verae doctrinae. In Germania non videtur hic annus tranquillus fore. Sed confugiamus ad filium Dei. Scribit mihi ex urbe Spira meus affinis, certo novum Pontificem confirmasse *Ferdinandi* electionem. Nomina etiam recitat Cardinalium, qui adhibiti sunt [2]). Haec novi Pontificis sapientia magis laudanda est, quam *Caraphae* *αὐθάδεια* [3]). Scriptum nostrum mitto, de quo statues tuo arbitrio. Mitto et epistolam ad Doctores Iuris, qui me vocarant. Sed non solum horridos flatus metui, quos scis me libenter vitare, sed etiam horridiora ipsis Boreis negocia me retinuerunt. Respondi enim his diebus *περὶ γαμικῶν τινῶν ζητημάτων.* Et hodie de aliis respondere cogimur. Bene et feliciter vale cum tota Ecclesia vestra communi et domestica. Die XIIII. Feb.

Philippus.

No. 6932. 16. Febr.

Praefatio in Corpus doctr. latinum.

Praefatio in Corpus doctrinae christianae, a Melanthone editum a. 1560., de quo suo loco uberius dicetur. Descripsimus eam ex editione prima anni 1560. Ultimam huius praefationis partem Pezelius inseruit Consiliis Mel. latin. P. II. p. 667.

Praefatio Philippi Melanthonis.

Multi senes sapientia et virtute praestantes, et publicae concordiae ac pacis amantissimi, initio ante

---

*) Paulus IV. Pontifex mortuus est d. 18. Aug. 1559. cui successit *Pius*.

**) Necatus est Burgius d. 3. Decb. 1559. Vid. Mel. annal. ad h. a. Ergo ep. scripta est a. 1560.

1) Anne du Bourg, qui a. 1559. in consessu Parliamenti (ut vocatur) Henricum II. Regem Galliae monuerat, ne in eos, qui puriorem doctrinam profitebantur, saeviret poenis. Propterea in carcerem coniectus post mortem regis exeunte anno 1559. suspensus est, eiusque corpus crematum.

2) Postquam Carolus Imperator a. 1555. se regno abdicaverat, frater eius Ferdinandus a. 1558. Imperator creatus est. Sed Paulus IV. Papa noluit eum agnoscere Imperatorem, quia ipsius sit, Imperatores eligere et creare. Mortuus est Paulus mense Augusto 1559., et in eius locum successit Pius IV., qui Ferdinandum agnovit Imperatorem. Cf. etiam ep. ad Cracov. d. 16. Febr. h. a.

3) Paulus IV. ex gente Caraffarum.

annos quadraginta doctrinam Lutheri non aliam ob caussam, nisi quia veram esse iudicabant, et statuebant, non contradicendum esse agnitae veritati, amplexi sunt. Cumque fuisset *πρώτη σύῤῥαξις* certaminum de doctrina de poenitentia, de qua antea fuerant densissimae et impiae tenebrae, quanta laetitia primam scintillam lucis patefactae a Luthero statim in tota Germania homines non Epicurei adspiciebant? Multi pii luctati cum assidua dubitatione, gaudebant se in illis fluctibus tanquam in naufragio tabulam apprehendisse, in qua emergerent. Fuit et gratissima admonitio bonis mentibus de discrimine Invocationis Dei et horribilium idolorum, et de discrimine operum divinitus mandatorum, et aliorum quae non sunt mandata divinitus. Fuit et necessaria *σεισάχθεια*, seu levatio eorum onerum, quae sine impietate sustineri non poterant, ut impuri coelibatus, satisfactionum, vanissimae enumerationis delictorum. An non vere de funeribus sacrificiis dici potest, quod Esaias queritur: Omnes aras plenas fuisse vomitus?

Denique manifestissima impudentia est, contendere, nihil errorum fuisse et esse in Monachorum doctrina et Pontificiis ritibus, ut nunc audacissime contendunt Rhetores conducti pontificia pecunia *Staphylus*, *Wicelius*, *Canisius* et multi alii, qui vociferantur, seditionem adversus Ecclesiam motam esse, et sophismatum praestigiis idola et errores tuentur, et reges incitant ad barbaricam saevitiam. Adversus horum sophisticam et rabiem consolatio tenenda est firmissima, vox filii Dei, qui ait, blasphemiam non remitti. Nec dubium est, blasphemos esse illos, qui scientes manifestae veritati bellum inferunt. Ac discernit filius Dei Ecclesiam ab hostibus, cum inquit: Oves meae vocem meam audiunt; de hostibus vero inquit: Vos ex patre Diabolo estis. Haec discrimina sapienter consideremus et quaeramus, quae et ubi sit vera Ecclesia filii Dei, nosque in eam includamus, nec decipiamur adversariorum clamoribus, qui titulum Ecclesiae sibi arrogant, et hac honorifica appellatione idola, tetros errores et magna scelera defendunt.

Ne ipse quidem *Carolus* Imperator initio Synodi iudicio, et sine cognitione, delere doctrinam Lutheri et Ecclesias nostras voluit, cum quidem multi essent incitatores ad illa Herodiana consilia. Sed cum videret multos manifestos abusus, ut leni vocabulo quidam tetros Idolorum cultus nominant, iuste taxari, et emendationem expeteret: diu et constanter postulavit indici Synodum. Haec cum eius voluntas esset, rediens in Germaniam Anno 1530. Principes Augustam vocavit, ibique confessionem doctrinae iussit exhiberi: quod eo narrandum est, quia necesse est posteritatem scire, confessionem nostram nec privato consilio scriptam esse, nec obtrusam Carolo non poscenti. Sed aut aliqua confessio exhibenda fuit, aut dissimulatione ostendenda desertio eius doctrinae, quae iam recepta erat, ut et fuerunt tunc aliqui, qui confessionis pericula vitare maluerunt. Alii vero Principes et Gubernatores, quorum nomina adscripta sunt confessioni, ut ostenderent, se non curiositate, non iniusta ulla cupiditate, sed propter gloriam Dei et suam et multorum salutem amplexos esse puriorem doctrinam censuerunt exhibendam esse confessionem. Urgebant etiam nostros maledici libri, qui ipso conventus tempore ab adversariis spargebantur, ut Caroli animus exasperaretur, in quibus multa falsa crimina nostris obiiciebantur, nec discernebantur Ecclesiae nostrae a colluvie Anabaptistica et aliis erronibus, qui passim, ut fit motis rebus, fanaticos furores circumferebant. Adversus has perniciosas criminationes necesse fuit opponere refutationem.

Utinam vero multo ante inter seniores re graviter deliberata fuisset ad hanc epitasin praeparata confessio. Nec nihil erat periculi tunc aut eligere materias, aut electas explicare. Erat qui, ut minus horride videremur dicere, hominem fide iustificari, scribebat idem a Platone et a Catone dictum esse, citans notos versiculos: Si Deus est animus nobis, ut carmina dicunt, hic tibi praecipue pura sit mente colendus. Et Platonis illud id Epinomide: *Δεῖ τιμᾷν θεὸν οὐ σχήμασι τεχνάζοντας, ἀλλὰ ἀληθείᾳ τιμῶντας ἀρετήν.* Nec deerant applausores, qui non intelligebant discrimina doctrinarum, legis, Philosophiae et Evangelii, quod cum inquit homines iustos esse fide, ait eos fiducia misericordiae propter filium Dei promissae, Deo placere: non illud agit, homines interioribus virtutibus legi satisfacere. Ac possem alias rixas multas recitare.

Congessi igitur simplici studio capita Confessionis, quae extat, complexus pene summam doctrinae Ecclesiarum nostrarum, et ut Imperatori responderetur, et ut falsa crimina depellerentur. Ac nihil mihi sumsi. Praesentibus Principibus

et aliis gubernatoribus et concionatoribus disputatum est ordine de singulis sententiis. Missa est deinde et Luthero tota forma Confessionis, qui Principibus scripsit, se hanc Confessionem et legisse et probare. Haec ita acta esse, Principes et alii honesti et docti viri adhuc superstites meminerunt. Postea coram Imperatore Carolo in magna frequentia Principum lecta est haec Confessio, quod ipsum ostendit, non esse obtrusam Caesari non poscenti.

Scripsi deinde tempore *Tridentinae Synodi Repetitionem* eiusdem confessionis, ad quam iudicandam adhibiti sunt multi alii, quorum adscripta sunt nomina. Quorum testimonia iuste oppono iniquis censoribus, qui postea eam reprehenderunt. Usitatum est malum, quod *Nazianzenus* deplorat, sumtis a *Demosthene* his verbis: *ἐπιτιμᾷν ἐστὶ παντὸς, ἐπανορθοῦν δ' οὐ παντός.* Iustius autem erat in rebus tantis, et publicae caussae servientem amanter monere et iuvare, ut aliqui mei collegae et fecerunt et faciunt, quam excerpere truncata membra, et ea arte depravare, et in suo theatro reprehendere, ut odia et dissidia incendant, ut inimici mei faciunt, quorum aliqui astute etiam Arcesilae more tantum aliena labefactare student, suam sententiam de maximis rebus occultant: quod gnaviter facit Stancarus Iudaizans.

Non dissimulari potest, motis rebus magnam varietatem opinionum exortam esse. Et concedit ἀναρχία licentiam malis ingeniis fingendi monstrosa dogmata. Tali tempore quam difficiles res sit et eligere utilia, et ea proprie et perspicue explicare, norunt prudentes.

Vere autem hoc adfirmo, cum hanc scholasticam sarcinam Deus mihi imposuerit, me nihil appetivisse splendidius, ac pio studio, ut in Catechismo fieri decet, proposuisse materias iuventuti utiles, et conatum esse, proprio genere sermonis eas explicare et vitare hyperbolas, *ἀκυρολογίας,* et ambigua, quae dissensiones pariunt. Cumque sciam quanta sit huius rei difficultas, semper optavi, ut pii et docti viri convenirent, et rebus placide deliberatis de universa doctrina easdem sententias et loquendi formas posteritati traderent, et quantum fieri posset, semina dissidiorum extirparent. Hanc rem curae esse piis Principibus oportuit.

Bono consilio tradidi definitionem visibilis Ecclesiae, et recte tradidi. Hic plane in crabrones incidi, cum necesse sit fateri, esse visibilem Ecclesiam, de qua filius Dei inquit: dic Ecclesiae; et de qua Paulus ait: Sumus spectaculum toti mundo, angelis et hominibus. Quale spectaculum est, quod non cernitur? Quo spectat autem haec portentosa oratio, quae negat esse ullam visibilem Ecclesiam? Delet enim omnia testimonia antiquitatis, abolet iudicia, facit *ἀναρχίαν* infinitam et illam Cyclopum *πολιτείαν*, quam describit *Euripides*, cum interroganti, quis ibi sit gubernator, respondet Silenus: *Νομάδες ἀκούει δ' οὐδεὶς οὐδὲν οὐδενός.* Scio autem *) cum in aliis omnibus, quibus labores honesti mandati sunt, tum vero praecipue in docentibus rectae voluntatis conscientiam et mediocrem diligentiam esse oportere, sicut Paulus inquit: hoc requiritur, ut fideles simus. Deinde oportere eos aliquorum piorum et recte iudicantium testimonia habere, nec defugere legitima iudicia.

Studium autem recte docendi et piam voluntatem me habere adfirmo, et spero meos labores et sententias multis piis et doctis probari: et semper me ipsum, measque sententias et actiones omnes subieci, et adhuc subiicio iudiciis omnium piorum et eruditorum, quos tamen oro, ut in iudicando candorem adhibeant, convenientem sapientibus viris. Scio enim me non esse *ἀναμάρτητον.* Et sicubi desideratur explicatio, me ad eam offero.

Cumque recens meum scriptum de *Bavarica inquisitione* de multis controversiis huius temporis perspicue meas sententias ostendat, volo id prioribus scriptis adiungi. *Staphylus* et *Stancarus* eorumque socii meras calumnias consuunt, et ut dicitur, actum agentes, sicut anus saltantes, strepitum et pulverem excitant. *Flacii συναγωγὴ* et cohors *Galli* tanquam de necessariis rebus certantes non desinunt calumnias texere, et quidquid possunt carpere ex meis scriptis, id exagitant pervertentes aut calumniantes, de quibus non sum male meritus. Sed cum statuerint illi adversum me facere et struere omnia, nihil posthac etiam debeo expectare aliud, quam tentaturos eos et adgressuros esse, quicquid putaverint nomini meo ignominiam afferre posse. Quorum tamen rixae quid sibi velint et quo evasurae sint, non video, neque ullos alios ignaros consilii ipsorum videre existimo. Notum est autem, Ecclesiae militiam

*) His verbis incipit pars huius scripti, quam dedit Pezelius.

omnibus temporibus in hac mortali vita aerumnosam esse, et multos esse recte docentium hostes, ac varios esse hostium exercitus: omnes atheos et hypocritas fascinatos consuetudine, item scurras aulicos et homines fanaticos. Haec communis Ecclesiae calamitas cum me quoque satis duriter exerceat, non fiat iudicium de doctrina ex meis miseriis et inimicorum multitudine. Ostendit enim vitae confusio, nimis verum esse, quod dicitur: Ὄχλος σὺν ἀμαθίᾳ δεινὸν κακόν.

Oro autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, sedentem ad dextram aeterni Patris, ac dona largientem hominibus, ut semper in his regionibus colligat aeternam Ecclesiam, et me clementer gubernet, et faciat, ut quam plurimi unum simus in Deo. Saepe etiam de saevitia inimicorum cogitans illud *Tertulliani* mihi et aliis recito: Si apud Deum deposueris iniuriam, ipse ultor est; si damnum, restitutor est; si dolorem, medicus est; si mortem, resuscitator est. Hoc dictum congruere cum divinis consolationibus pii norunt, quas in suis quisque aerumnis cogitat. Bene vale, Lector. Anno 1560. die 16. Februarii, quo die annum 64. ingrediebar, qui, ut sit mihi faustus et felix, faciat filius Dei.

No. 6933. 16. Febr.

G. Cracovio.

Epist. lib. II. p. 382. (ed. Lond. lib. II. ep. 396.). — Argumentum huius epistolae illustratur per ep. ad Camerar. d. 14. Febr.

D. Georgio Cracovio (tunc in aula Dresd.)

S. D. Clarissime vir et charissime frater. Et Academiae nomine de privilegio tibi gratias ago, et meo nomine de literis quas ad me privatim scripsisti, quae et iudicii benevolentiae erga me tuae testes sunt. Scis me de privilegiis non rixari quia multi eis abutuntur, et velle solvi legibus contrarium est foederi communis societatis. Ac definitione legis delector, quam vestri scriptores suis libris inseruerunt, in qua haec sunt verba: πόλεως συνθήκη κοινὴ, καθ' ἣν πᾶσι προςήκει ζῆν. Et meministi orationem κατὰ τιμοκράτους, in qua *Locrense* exemplum recitatur. Mitto tibi literas *Sebastiani* pastoris Ecclesiae *Salinarum* de morte fratris, quae ostendit qualis sit servitus ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τῶν μεθωναίων. Scito etiam *Lutetiae* recens crematum esse *Burgium*, cuius magna fuit in summo iudicio autoritas. Tales viros ait *Westvalus* esse Diaboli martyres. Hanc iudicii perversitatem quis non detestetur? sed haec alias. *Romae* novus Pontifex *Pius Quartus* Electionem Imp. *Ferdinandi* confirmavit. Bene vale. Die meo natali, quo annum ingredior 64., qui utinam sit faustus et felix mihi, Ecclesiae, et his regionibus.

No. 6934. (eod. temp.)

Eidem.

Epist. lib. II. p. 371. (ed. Lond. lib. II. ep. 384.). — Epistola eiusdem argumenti est ut antecedens, quare aut altera non Cracovio inscripta fuit, aut, si eidem inscripta fuit, Melanthon bis scripsit ad Cracovium fortasse fidei tabellarii non satis confisus.

D. Georgio Cracovio

S. D. Clarissime vir et charissime frater. Necesse est vobis negotia publica notiora esse quam nobis sunt: Nos enim, ut illa Tragoedia inquit: οὐδὲν ἔχομεν σοφὸν εἰ μὴ δάκρυα, quibus a Filio Dei petimus Ecclesiae, piarum familiarum et politiarum gubernationem et protectionem. Sed scito *Rostochianis* iterum placatos esse Principes *Megapolitanos**), audio λύτρα dari triginta millia aureorum. Filius *Iohannis Hungarici* petit coniugem sibi dari filiam Imperatoris *Ferdinandi*, ut et heri allatae huc literae narrant, καὶ περὶ μεθωναίων θρηλλεῖται, ὅτι μηχανῶνταί τι κατὰ τοῦ ἐν ναρίσκοις δεσπότου, ἀλλὰ οὐ σαφῶς ταῦτα οἶδα. Fuit his diebus apud nos gubernator scholae puerilis in oppido *Iena*, vir doctus et honestus, qui ibi annos quatuordecim erudiit tenellas Ecclesiae plantulas. Is venit in periculum propter definitionem Evangelii a nobis scriptam. Scripsi de eo ad eos, qui in vicina urbe *Salinarum* Ecclesias et scholam gubernant. Bene et feliciter vale et rescribe.

No. 6935. 19. Febr.

G. Buchholzero.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[1].

---

*) Vid. ep. d. 10. Septb. 1556.

Georgio Buchholzero, Praeposito Berlinensi.

S. D. Reverende vir et cariss. frater. Die Februarii 19. accepi duas epistolas, quas ad me scripsisti, quarum prior continet atrocem criminationem, qua me publice insectatur *Islebius*, cum quidem sciat utrumque, me et recte scribere et sibi multa honesta officia praestitisse. Sed Deo Ecclesiam et me commendo. Saepe hoc dictum Tertulliani et mihi et aliis recito: si apud Deum deposueris iniuriam, ipse ultor est; si damnum, restitutor est; si dolorem, medicus est; si mortem, resuscitator est. Oro filium Dei, ut Ecclesiarum suarum vulnera sanet, etiamsi me inimici mei occident, quorum conscientiae norunt, me ipsis benefecisse. Mitto recentem orationem *), quam spero te propter historiam non gravatim lecturum esse. Has honestorum virorum et bene meritorum laudes libentius recito, quam convicia, et iuventuti et posteritati haec scripta utiliora esse iudico. Nova bella movent Galli contra Scotos et Anglos. Et gallica classis dissipata est. Sabaudiensis minitatur Bernensibus. Bene vale. 19. Febr. 1560.

No. 6936. 22. Febr.

Ge. Buchholzero.

Ex Autographo Melanth. quod extat in bibl. Senatus Zittaviensis. Edita etiam in Schosseri poëmat. ep. 1, 20.

Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti Dom. Georgio (Buchholzero), Pastori ecclesiae Dei in inclyta urbe Arctoa, fratri suo carissimo.

S. D. Reverende vir et carissime frater. Et virum bonum et poetam bonum esse Iohannem *Schosserum* scimus, cuius virtus eo etiam magis laudanda est, quia venam ad celebrandum Deum et ad optimorum principum egregia exempla illustranda confert. Exhibebit tibi carmen scriptum de nuptiis. Quaeso ut ei praebeas hospitium. Etsi enim Musas et Charites comites secum trahit, tamen hae non sunt oneri iis, qui eas excipiunt. Mitto et orationem de *Pontano* *), quam spero te cum voluptate lecturum esse. Bene vale. Die 22. Februarii **).

Philippus Melanthon.

*) Orationem de Pontano.

No. 6937. 22. Febr.

Eidem.

Edita ex autographo in Peuceri tract. hist. de Mel. sententia de controversia coenae sacrae p. 104. — Apographon in cod. 54., qui est in Bibliotheca St. Genovevae Lutetiis Paris.

Georgio Buchholzero, pastori Ecclesiae Dei in inclyta urbe Arctoa, fratri carissimo,

S. D. Reverende vir et carissime frater. Etsi iam dedi literas amico nostro *Iohanni Schossero*[1]), tamen postea has addidi. Dux *Sabaudiensis* minitatur bellum Helvetiis, quod si motum fuerit, geretur Pontificia et Gallica pecunia. Nunquam crudelitas in Gallia maior fuit, quam hoc tempore. Matronae et virgines nobiles nudatae ducuntur in rogos. Precemur filium Dei, ut clementer opem ferat ubique piis invocantibus eum. Bene vale. Die 22. Februarii [2]).

Philippus Melanthon.

No. 6938. 23. Febr.

Testimonium.

Editum est hoc scriptum ex autographo in Clariss. *Car. Morgensternii* (Doctoris Dorpat.) programmate: „Narratio de quadam epistolarum autographarum congerie, P. I. Dorpati 1807. p. 6.

S. D. *omnibus lecturis has literas.*

Celebrata est gens *Heneta* inde usque ab Homeri tempore, et hodie late dominatur in Europa et in Asia, et quidem in hac vicinia, in Polonia,

*) Mortuus est d. 12. Decb. 1557. Orationem de Pontano vero Melanthon, secundum Mylium in Chronolog. Mel. scripsit anno 1560. in promotione generi sui Peuceri. Hic renunciatus est doctor Medicinae (secundum Scripta publica Acad. Viteb. T. IV.) d. 30. Ian. 1560.

**) Schosser. addit: ann. M. D. LX.

1) Vid. ep. anteced.

2) Addit cod. Paris. annum: 1560., et recte.

Boiemia et Moravia, legibus, iudiciis, urbibus, disciplina civili, doctrinis, flore Nobilitatis et usu militiae caeteris gentibus antecellit.

Est autem urbs *Litomericia* in aditu Boiemiae sita ad Albim in loco fertili. In ea urbe natus est ex honestis parentibus *Wenceslaus Formanek*[1]), qui cum Dei beneficio capax sit doctrinarum, ita didicit Latinam linguam in oppido Mysorum, quod nominatur *Mons Mariae*, ubi auditor fuit honesti et eruditi viri *Matthei Poleri*, ut Latine recte scribat solutam orationem et carmen. Deinde in Academia nostra circiter annos quatuor commoratus est, ubi Linguam Graecam et initia Philosophiae studiose didicit. Cumque sciat, conditos esse homines ad agnitionem veri Dei, nec aliter fieri homines domicilia et templa Dei, nisi cogitatione doctrinae a Deo traditae, magna cura doctrinam Ecclesiae didicit, de qua pie et constanter amplectitur consensum Catholicae Ecclesiae Christi, quem et nos profitemur, et abhorret ab omnibus fanaticis et seditiosis opinionibus, ac animi pietatem declarat vera invocatione Dei in agnitione et fiducia Mediatoris, et honesta morum gubernatione, qui in eo reguntur non solum naturae moderatione, quae tamen et ipsa eximia est, sed etiam a filio Dei luce Evangelii et Spiritu Sancto. Cum igitur spes sit, Deo iuvante, ingenium huius Wenceslai usui fore Ecclesiae Dei, commendo eum et suo patri, et aliis honestis viris, et oro eos, ut propter utilitatem publicam studia eius adiuvent. Utinam tales Ecclesiae plantulas pii Gubernatores et foverent et defenderent contra hostes literarum et veritatis. Oro autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, ut hunc Wenceslaum gubernet et faciat eum σκεῦος ἐλέους et organum salutare suae animae et aliis. Datae Anno 1560. Die 23. Februarii[2]).

Philippus Melanthon
manu propria.

1) *Fuhrmann?* Utique sic fortasse legendum, quum Clariss. Morgensternius h. l. hunc Wenceslaum his nominibus laudet: „M. *Wenceslai Michalowicii Heniochi*, moderatoris collegii Lidomericensis, commendatio, scripta manu Phil. Melanthonis." (Heniochus enim est graecum ἡνίοχος, *auriga.*)

2) „M. *Wenceslai Michalowicii Heniochi* (ἡνίοχος, auriga), moderatoris Collegii Lidomericensis, commendatio, scripta manu Phil. Melanthonis. (fol. 39. 40.) Non sine voluptate legitur hic, quod de discipulo magister religiosus ille narrat, qui Germaniae praeceptor iure suo apud Theologos audit. Scilicet nonnihil interest inter testimoniorum academicorum illius aetatis nostraeque rationem." (*Lunzius.*)

No. 6939. 25. Febr.

(*Io. Aurifabro?*)

† Ex codice apographorum D. 54³, in Bibliotheca Parisiensi sanctae Genovevae mihi descripta a Clariss. *Dübnero.*

N. N. (Ad Io. Aurifabrum Regiomontanum, ut videtur.)

Reverende vir et cariss. frater. Feramus eo placidius difficultates nostras, quia in aliis regionibus pii multo tristiora ferunt. Gallicam saevitiam non ignoratis. In Hispania recens decem Satellites Regii propter piam confessionem cremati sunt. Et quidam ex inquisitoribus agnita veritate conversi, mox suppliciis affecti sunt. Precemur filium Dei, ut reliquias Ecclesiae inter nos et gubernet et protegat. Nunc adest *David Voit*, de cuius disputatione iam deliberamus. Mitto pagellas de gradu *Peuceri.* Plura scribam, cum proficiscetur ad vos David, quem existimo iam tibi mittere τὰς γαμικὰς νομοθεσίας nostrae Ecclesiae. Salutem *Sickio*[1]) et vobis omnibus opto. Bene vale cariss. frater. Die Martii[2]) Anno 1560.

Philippus Melanthon.

No. 6940. 26. Febr.

Ge. Agricolae.

Epist. lib. II. p. 573. (ed. Lond. lib. II. ep. 596.). — Hic ex autographo in cod. Goth. 400.

Georgio Agricolae, gubernanti studia doctrinae Ambergae

S. D. Clarissime vir et charissime frater, *Xenophon* inquit: οὐδὲν διαφέρει ἀγαθοῦ πατρὸς ἄρχων ἀγαθός. Tali Principe, Duce *Pomeraniae Philippo* *), qui fuit patriae pater, ante paucos dies orbati sumus, quem eo etiam vos lugere decet, quia matre *Palatina* natus fuit, et a *Ludovico* Electore *Palatino* educatus, semper

1) Petro Sickio, Professori in Acad. Regiom.

2) Vix ita Melanthon. Fortasse *die Matth.* i. e. d. 25. Febr. — Peucerus doctor renunciatus est d. 30. Ianuarii 1560. — Davides Voigt iam ex Regiomonte advenit mense Ianuario (vid. ep. ad Camer. d. 10. Ian.), et de eius disputatione deliberabatur exeunte Ianuario (vid. ep. ad Vogtium d. 25. Ian.), disputatio ipsa habita est d. 14. Martii. Non igitur dubito, pro *Martii* scribendum esse *Matthiae.*

*) Dux Pomeraniae in Wolgast, praematura morte abreptus.

eum ceu patrem dilexit. Familiae *Palatinae* laudes cum singulari significatione benevolentiae erga eam studiose audiebat. Me quoque benignius complexus est, quia ex meis recitationibus multas historias Principum *Palatinorum* cognovit. Haec significo et tibi et aliis amicis apud vos, ut Deo gratias agatis, qui ex matre *Palatina* Principem salutarem his regionibus dedit. Filios reliquit, quorum natu maximus annum vicesimum attigit, et linguam *Latinam* et doctrinam Ecclesiae studiose didicit. Hic Dei beneficio in gubernatione Patri succedet. Huius gubernatio ut sit salutaris, faciat Filius Dei custos Ecclesiae suae. Mitto orationem de *Pontano*, quam spero te libenter lecturum esse. In qua et hoc scriptum est, non posse opprimi veritatem, qua sententia me contra *Polyphemi* filios consolor. Bene vale, et rescribe. Die 26. Februarii, quo die ante annos quatuor decessit ex hac vita Senex Princeps *Fridericus Palatinus*, qui etiam fuit pater patriae, fuitque singularis benevolentia ipsius erga *Ambergenses*. Precemur Deum ut det salutaria imperia, et reprimat Tyrannos et Sycophantas.

No. 6941. 28. Febr.

M. Collino.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54*.

Matthaeo Collino, in Academia Pragensi.

S. D. Clariss. vir et cariss. frater. Utinam tantum in nostris cresceret pietas, quantum in adversariis crescit rabies et saevitia. Sed est tamen et erit vera Ecclesia in qua aliqui Deum recte invocant, et dona Dei student ἀναζωπυρεῖν. Gallica et Hispanica saevitia similis est Arianae, quae in Aphrica exercebatur. Nudatae honestae matronae et virgines suspenduntur, et ustulatae deiiciuntur in rogos. Nos filium Dei precemur, ut nos et omnes pios ubique confirmet. Pro tuis pagellis mitto ἀντίδωρον oratoris *Pontani* historiam, cuius lectionem spero tibi non insuavem fore. Literas de *Iacobo* ad Regiomontanos libenter scribam. Utinam ipse impetrare posset, ut ex carcere dimittatur, et huc veniat, ut sit nuncius liberationis. Nam hic cum eum audiero, scribere pleniorem narrationem potero. Bene vale charissime frater. Die 28. Februarii, 1560.

No. 6942. 28. Febr.

A. Hardenbergio.

Edita in Peuceri tract. hist. p. 99. et in Epp. ad Hardenb. ep. 37.

D. Alberto Hardebergio.

S. D. Reverende vir, et carissime frater. Etsi non existimo, Senatum permissurum esse, ut theatrica disputatio instituatur, tamen quicquid erit, velim te in promptu habere Antiquitatis eruditioris illustria testimonia, et inprimis hoc urgere: cum novum sit Pontificium dogma pugnans cum puriore Antiquitate, cogitandum esse, quid sentiendum sit. Nuper dux *Wirtebergensis* ad Electorem Saxonicum misit decretum, in quo defenditur τὸ πανταχοῦ εἶναι σῶμα. Et subscripserunt multi Abbates. Hi nunc sunt dogmatum Architecti *). Confessionem illius viri, qui in Parlamento *Luteliae* fuit, et recens supplicio affectus est **), quaeso ut mitti cures. Pagellas tibi mitto. Bene et feliciter vale. Die 28. Feb. 1560.

Philippus.

No. 6943. 29. Febr.

Eidem.

Epist. ad Hardenberg. ep. 73. Peuceri tract. hist. p. 100. Apographon in cod. Galli II. p. 236. Confer. quae de litibus Bremae agitatis et de hac epistola narravit *Saligius* in der Gesch. der Augsb. Confess. III. p. 743.

D. Alberto Hardebergio.

S. D. Reverende vir, et carissime frater. Cum heri alteram Epistolam scripsissem, quam nuncius affert, postridie venit huc M. Rostochiensis, *Posselius*, vir doctus, qui mihi narravit, certo, *Heshusium* rediturum [1]) ad Academiam Rostochianam, sed tamen gloriari, se ad disputationem accessurum esse *Bremam*. Cogitavi horum consiliorum Architectum esse *Morlinum*, et is habet socios harum technarum artifices. Scribam *Davidi Chytraeo*, ne instituant disputationem theatricam, quae non parvos motus excitatura sit,

*) Cf. Melanthonis Ep. ad Georg. Cracovium d. d. 3. Febr. 1560.

**) Peuc. adscripsit nomen: *Annas Burgius.*

1) Text. impr. *redire.*

si procedat. Tibi etiam hortator sum, ut, si te in certamen vocabunt, postules tibi quoque concedi, ut accersas *Petrum Martyrem*, me et alios quosdam amicos. Nōvi genesin *Morlini*, et saepe ei praedixi, eum moturum quae sedare non poterit[2]). Si Senatus *Bremensis* et Collegium vestrum permittent[3]), institui theatricam disputationem, multi sapientes iudicabunt, eos imprudentes facere. Et hanc meam Epistolam potes viris cordatis in Collegio vestro ostendere. Bene vale. Prid. Cal. Martii 1560.

Philippus.

---

2) Scribit Moerlinus in epistola die Ioann. Bapt. 1560. (in cod. Galli II. p. 236 b.) haec ad Flacium Illyricum: „Gratiam et pacem per Christum. Fui Bremae una cum aliis vicinarum ecclesiarum doctoribus. Saepe vocatus D. *Albertus* non comparuit. Provocat ad Academias Vitebergensem, Lypsensem, Heydelbergensem, Marpurgensem. Qua fiducia hoc faciat tibi sine dubio satis notum est. *Philippus* non tantum ad colloquium institutum promisit se illi adfuturum defensorem, sed etiam iussit, ut petat sibi *Petrum Martyrem* concedi advocari. Exemplum literarum tibi mitto, quas toto pectore amanter complector, quod clare testantur, me ab illo omnibus modis dissentire. Hanc testificationem mecum Deo volente adferam ad tribunal domini nostri Iesu Christi. Ego vicissim huius viri memoriam volo apud me prorsus esse deletam, nec unam apud me literam extare ullius amicitiae. Primo die colloquii (20. Maii) graviter ex morbo meo usitato decubui. Altera die cum paroxismus remisisset, veni in Senatum. Cum autem nec eodem die *Albertus* compareret, coepit consul *Daniel a Beuren* post alias disputationes, quas brevi videbis, agitare negotium de coena domini. Cum igitur coram toto senatu satis imprudenter suam sententiam explicasset, his illi dictum est a me: Herr Bürgermeister, wenn E. Ehrsam glaubeten, wie sie bekennet, so sag ich euch unter die Augen, und will es euch nachsagen, ihr seyd ein Sacramentschwärmer etc., et altera vice addidi: Denn wie auch Zwinglius, Carlstadt, Oecolampadius und Calvinus geschrieben, also habt ihr hie bekannt. Respondit consul: quod ego professus sum, hoc docet *Albertus*; quod si idem scripserunt Zwinglius et alii, non possum eorum scripta reiicere. Hic assurgens Senatum monui, ut igitur sciant, se habere in urbe sua sectam et doctores sacramentarios. Responderunt, se tales haereticos non laturos etc. Mira nunc agitantur consilia ab Episcopo, a Senatu quoque Bremense et a Daniele consule, sed spero propediem nos audituros, quod et Danielem et Albertum Senatus ex urbe expulerit. Principes huius Saxonici circuli, ut vocant, agitarunt hic conventum, in quo facta est et huius controversiae mentio. Decretum est igitur mittendum ad Bremenses legationem, ut sibi caveant, controversiam componant, aut dent locum cognitioni causae, ad quem volunt principes cum civitatibus Saxonicis mittere suos theologos. Sed ego pridie nuncium ablegavi ad Senatum Bremensem, suasi ut legatione non expectata faciant suum officium. Res omnis est mihi valde suspecta. Episcopus Halensis est quasi caput inter hos principes, quem nosti etc. Oremus pro Ecclesia Bremensi. Reißt es da ein, so gnade Gott. Sum occupatissimus. Sit Christus tecum. Amen. Ex Brunsviga die Ioann. Baptistae, anno 1560.

S. Ioachimus Morlinus.

3) Cod. Gall. *permittat.*

No. 6944. 1. Mart.

Ant. Lauterbachio.

Edita in *Io. Frid. Hekelii* manipulo epistolarum p. 97.

Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, Dom. Antonio Lauterbach *), *Pastori Ecclesiae Dei in oppido Pyrna, fratri suo carissimo,*

S. D. Quanquam tuis colloquiis delectamur, tamen boni consulimus, quod hiberno tempore non suscepisti iter. Sed ut legere orationem tunc recitatam possis, exemplum tibi mitto. Scio, tibi non insuavem lectionem fore historiae *Pontani*, cuius eloquentiam et virtutem laude dignam esse verissimum est. Meus gener Doctor *Caspar* ad aegrotantem patrem profectus est. Dux *Pomeranus Philippus* mense proximo ex hac mortali vita ad coelestis Ecclesiae consuetudinem discessit. Precamur autem Deum, ut gubernet eius filios, ut patris pietatem et modestiam imitentur. Haec cum scriberem Dux *Saxoniae Elector* nondum ex Marchia redierat, quem ut Deus protegat et gubernet, precor. In Pannonia adhuc sunt induciae, sed Turcicus tyrannus petit, ut *Iohannes* Transylvani filius Constantinopolin veniat, quod is facere recusat, metuens multa vetera exempla. Bene vale. Calend. Martii. (1550.) **)

No. 6945. 4. Mart.

Paulo Luthero.

Ex *Richteri* Genealog. Lutheror. p. 434.

Clariss. viro, eruditione et virtute praestanti Paulo Luthero, Doct. artis medicae, ἀρχιάτρῳ in aula illustr. principum fratrum Ducem Saxoniae, amico suo colendo

S. D. Clarissime vir et amice cariss. Literas tuas ad generum meum scriptas accepi, quas ei exhibebo cum ab aegrotante patre suo redierit. Nunc vero in patria abest. Nec dubites, te et N. viros a nobis diligi. Mitto tibi exemplum [oratio-

---

*) Hek. mendose: *Suterbach.*

**) In anno manifestus error, neque a Melanthone adscriptus est. Pertinet ep. ad ann. 1560.

nis quae recitata est in renunciatione gradus. Et existimo, has nostras historias testimonia esse honestae voluntatis in nobis. Dedi nuncio Ioachimicum integrum et dimidium. Bene vale. Die 4. Martii 1560.

Phil. Melanth.

No. 6946. 4. Mart.

Castulo Stumpf.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, Domino Castulo Stumf[1]) *Augustano*[2]), *Pastori in Ecclesia Dei in oppido Thuringiae Butstadio, fratri suo cariss.*

S. D. Reverende vir, et carissime frater. Oro filium Dei, dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, sedentem ad dextram aeterni patris ac dona largientem hominibus, ut tibi quoque animae et corporis vires confirmet. De Ecclesia *Crailsheimensi* deliberabimus. Mitto tibi orationem de *Pontano*, cui scis socerum tuum, virum integerrimum, propter prudentiam et fidem fuisse carissimum. Dilexi utrumque et de multis magnis rebus colloquuti sumus. Nec benevolentia extincta est ipsorum morte, sed spero me brevi in coelesti Ecclesia dulcius cum utroque collocuturum esse. Bene vale. 4. Martii, 1560.

Philippus.

No. 6947. 5. Mart.

D. Chytraeo.

Edita in Peuceri tractatu histor. de Mel. Sententia de controversia coenae sacrae, p. 101.

Davidi Chytraeo

S. D. Carissime frater. Etsi non sine dolore de tuo silentio cogito, et vicissim hactenus scribendi officium intermisi: tamen viro doctissimo *Posselio*, communi amico, hanc dedi epistolam,

1) *Stumpf?*

2) Cod. Paris. *Augustani.*

qui testis esse mei doloris potest, quem mihi adferunt nostri coetus dilacerationes. Rectius erat, nos contra communes hostes coniunctos esse, qui nondum ita fracti sunt, ut nova et domestica bella quaerenda sint. Mederi aliqui conantur nostris discordiis. Nunc enim legati principum *Palatinorum*, *Charitini*[1]) et *Hessiaci* sunt in itinere flagitaturi *σύνοδον καὶ ξυμμαχίαν*. Haec consilia quantum profutura sint in tantis odiis factionum nescio. *Hesshusium* etiam audio provocare *Albertum Bremensem*, et existimo, architectum esse horum consiliorum *Morlinum*. Si procedet disputatio Bremensis semina spargentur novarum dissensionum in gente Saxonica, qua ex re magni tumultus orientur, etiamsi *Albertus* oppressus fuerit. Quaeso igitur, ut dissuasor sis theatricae disputationis[2]). Habet vehementes impetus *Hesshusius*, ut priora eius negotia ostendunt. Tanto te impensius aequum est consulere, ut ille apud Virgilium inquit. Et nosti illud *πόλιν σείειν ῥᾳδίον* [*ἢ καταπαύειν*][3]) id est, *facilius est civitatem turbare quam pacare.* Sed oro filium Dei, ut nos gubernet. Bene vale. Die 5. Martii anno M. D. LX.

No. 6948. 9. Mart.

Ioach. Mollero.

Epist. lib. II. p. 531. (ed. Lond. lib. II. ep. 557.).

D. Ioachimo Mollero

S. D. Clarissime vir et charissime frater, Non dubito vos scire *Bremensium* concionatorum dissensiones. Fuit autem *Bremae* recens *Morlinus*, qui eo *Tilemannum Heshusium* adduxit, qui mediocribus a me beneficiis adfectus, nunc adiunxit se, spretis consiliis moderatioribus, factioni tribunitiae, quam in populo secundos ventos habere videt. Provocavit *Heshusius Albertum* ad disputationem Theatricam de coena Domini. Si processerit ea disputatio, ingentes motus in gente *Saxonica* excitabit. Nec par est *Alberto Heshu-*

1) i. e. Würtembergenses.

2) Vid. ep. ad Hardenbergium d. 29. Febr. 1560.

3) Mendose leguntur: *πόλιν σεῖταιϱ᾽ ηιδίον*, quod haud dubie pro *σείειν ῥᾳδίον*. Alterum sententiae membrum *ἢ καταπαύειν*, vel simile, praetermissum est, ut ex versione latina, a Peucero, ut videtur, addita, intelligitur.

sius ingenio et eloquentia, nec expetit *Albertus* certamen, sed illo urgente, non defugiet. Mihi utilius videtur prorsus omitti tales monomachias. Cogitavi igitur ad te scribendum esse, ut cum socero tuo cuius sapientiam et fidem plurimi facio, agas, ut senatui *Bremensi* dissuasor sit concedendi hoc certamen. Existimo ei praecipuos viros ibi notos esse, et autoritate eum apud senatum valere. Quantum incendium futurum sit, si ea res agitata fuerit, vos cogitare non dubito. Quare ut paci consulatis vos adhortor. *Sabaudiensem*, bellum illaturum esse *Bernatibus*, non dubito. Et *Scoticum* bellum motum est, non tantum ad *Scotos* compescendum. Et nunc legati sunt ducis *Wirtebergensis*, *Palatini Wolfgangi*, et *Hessiaci* apud electorem *Saxonicum*, qui Synodum flagitant. In tantis motibus contationem Ecclesiis nostris utiliorem esse iudico. Oro autem Filium Dei, ut nos gubernet et protegat. Bene et feliciter vale. Die 9. Martii.

No. 6707. d. aequinoct.

Io. Matthesio.

Epist. lib. II. p. 113 sq. (ed. Lond. lib. II. ep. 102.).

D. Iohanni Matthesio

S. D. Reverende vir et charissime frater, Utinam in nobis et nostris crescerent flammae verae invocationis, ut in Pontificiis et fanaticis rabies et saevitia crescunt. In *Hispania* decem regii satellites propter piam confessionem cremati sunt, et inquisitores aliquot conversi, agnita veritate suppliciis affecti sunt, et monachi conati sunt *Caroli* Imperatoris corpus effosso sepulchro contumelia afficere, quod vix impedire filius potuit. Intelligo etiam *τὸν αὐτοκράτορα* fieri asperiorem. Quod autem disputas de vestra vicinia, primum oro Filium Dei sedentem ad dextram aeterni Patris ac largientem dona hominibus, ut te et nos gubernet et protegat. Deinde hoc do consilium, prorsus ut intra eas metas te contineas, inter quas hactenus constanter, Deo iuvante, te continuisti, maneas in hac statione, in quam te Filius Dei collocavit, et in qua te defendit tot annos, consulas etiam piis in vicinis Ecclesiis qui ad vos accedunt. Spero te ad nos expatiaturum aliquando esse, quod ut facias te oro, ut copiose colloqui possimus. His diebus legati Ducis *Palatini Wolfgangi* Ducis *Wirtebergensis*, et *Hessiaci* Principis apud Electorem *Saxonicum* fuerunt, flagitantes Synodum. Quantum sit periculi ardentes odiis committere, potes ipse iudicare, praesertim si desint *βραβευταὶ*, qualis fuit *Constantinus*. Nostri igitur censent ea de re diutius deliberandum esse. Bene et feliciter vale, charissime frater. Die Aequinoctii verni, 1560.

No. 6950. 15. Mart.

Ge. Agricolae.

Epist. lib. II. p. 574. (ed. Lond. lib. II. ep. 597.)

D. Georgio Agricolae, gubernanti studia doctrinae Ambergae,

S. D. Clarissime vir et charissime frater, Dei beneficio adhuc mediocris tranquillitas est, et pius consensus docentium in Ecclesiis et Academiis Electoris *Saxonici*, *Marchicis* et *Pomeranicis*. Sed alibi tumultuantur, *Flacius*, *Heshusius*, et horum manipulares. Provocat *Heshusius Bremensem* concionatorem ad monomachiam de *Coena Domini*. Sum dissuasor; sed an consilia nostra valitura sint, nescio. Prosus se disiunxit a me *Heshusius*, postquam videt *Flacianam* turbam in vulgo et in aulis habere ventos secundos. Ego Filio Dei Ecclesiam suam et me commendo. Nunc pagellas mitto, in quibus est oratio de *Pontano*. Spero tibi boni oratoris imaginem consideranti, iucundam fore huius historiae lectionem, ac peto ut de ea mihi rescribas. Bene vale. Idibus Martiis, in quibus interitus *Iulii* nos de infirmitate humana commonefacit. Salutem tuis omnibus et amicis opto. Anno 1560.

No. 6951. 15. Mart.

Buchholzerus ad Melanth.

Unschuld. Nachr. Jahrg. 1724. p. 281.

(*Georgius Buchholtzer Philippo Melanthoni*)

Gottes Gnade und Friede durch Jesum Christum, Gottes Sohn, Amen! Geliebter Herr Präceptor.

Mit Eisleben stehet es also. Es haben ihn die Doctores purgirt, und ihm 420 sedes gemacht; noch können sie den Mercurium und Arsenicum nicht wegtreiben, stinket ihm aus dem Munde so übel, daß jederman grauet, der vor ihn gehen soll. Die Balbier klagens auch. Unten aber bei dem Mastdarm hat er ein Loch bekommen dreier Finger dicke, können kein Ende finden in dem Leibe, sagen die Balbierer. Wo er schon lebendig bliebe, als sie nicht glauben, können sie ihm das Loch vor Pfingsten nicht zuheilen. Sie meinten, er faule von oben und unten auf, denn das Loch frißt immer weiter. Er aber spricht zu allen Menschen: Unkraut verdirbet nicht. Ego firmiter credo, eum moriturum morte Herodis. Kann nicht sitzen, liegen oder gehen. *Schmullius* hat das heilige Feuer in dem Beine bekommen; mit dem haben die Medici auch zu thun. *Musculus*[1]) zu Francfurt ist das Weib die Woche gestorben. Isleben sagt zu allen Menschen, die zu ihm kommen, den Vers aus Psalm 107.: die Narren, so geplagt waren um ihrer Uebertretung willen, und um ihrer Sünde willen, daß ihnen ekelt vor aller Speise und wurden todtkrank. Mag. *Gottschalcus*[2]) ist noch hier, kann keinen Abschied bekommen, um der Proposition: quod bona opera sint necessaria. *Musculus* will ein Buch lassen dawider drucken. Da haben *Gottschalcus* und ich dem Churfürsten gesagt: wird es ihm zugelassen, so wollen wir in Wittenberg ingleichen dawider drucken lassen. *Gottschalcus* saget zu mir: wie geht es zu, daß zu Berlin und Cölln dem *Philippo* ein jederman zuwider ist? Antwort: das hat *Islebius* mit seinen Predigten gemacht. Es wundert dem *Gottschalco*, daß ich öffentlich dawider predige, und der Churfürst der weiß es, und niemand sagt mir nichts. Das hab ich euch in Eil für wahrhaftig nicht wollen bergen. Damit der reichen Gnade Gottes befohlen. Datum in Eil, Freitags nach Georgii 1560. Grüßet D. *Eberum*, D. *Maiorem*, D. *Peucerum*.

No. 6952. 20. Mart.

G. Cracovio.

Epist. lib. II. p. 381. (ed. Lond. lib. II. ep. 395.).

1) Andr. Musculus, Pastor Francof., adsecla Agricolae.

2) Godescbalcus Praetorius, Professor Francof. Contendit: bona opera esse necessaria. Propter litem inter Musculum et Praetorium Ioachimus I. Dux Elector colloquium Berolini habuit anno 1562. Vid. etiam ep. Mel. ad Mordeisen d. 14. Nov. et ad Praetorium medio Nov. 1559.

D. Georgio Cracovio (Dresdae in aula commoranti)

S. D. Subito scripsi, cum iter ingrederetur nuncius, et hodie mane iussi ut peterentur literae a familia tua. Dei beneficio tranquillitas est harum regionum, oppidi et Academiae, eadem quae fuit cum iter ingressus est. Deus gubernet et nos et vos, et de nobis restituat recte valentem. Heri Doctoris gradus decretus est *Regiomontanae* Academiae Lectori *Davidi**), adfini *Francisci Burcardi Vinariensis*. Mitto tibi et D. *Aegidio* propositiones disputationis. Hic ferunt *τὸν βασιλέα Polonorum* mortuum esse et expetere *Polonos* Regem *Moscovicum*, qui si erit rex *Poloniae*, spero eum fore *Bysantii* dominum. Impendet omnino mutatio insignis universo generi humano, quam Filius Dei gubernet. Bene vale et recribe. Die 20. Martii.

No. 6953. 20. Mart.

Günthero Comiti Schwarzb.

(Edita ex autographo in den Unschuld. Nachr. 1721 p. 727.)

Dem Wohlgebornen Edlen Graven und Herrn, Herrn Günther, Grafen zu Schwartzburg, Herrn zu Arnstädt und Suntershausen, meinem gnädigen Herrn.

Gottes Gnade durch seinen eingebornen Sohn Jesum Christum, unsern Heiland und wahrhaftigen Helfer zuvor. Wohlgeborner, Edler, Gnädiger Grave und Herr. Ewr Gnaden bitt ich in Unterthänigkeit diese Schrift gnädiglich von mir anzunehmen in Betrachtung dieser zwo Ursachen; erstlich, daß Ewr. Gnaden Herr Vater seliger und hochlöblicher Gedächtniß sich allezeit gnädiglich gegen mir erzeigt hat; zum andern, daß Ew. G. selbst als ein hochlöblicher Regent wissen, daß Gott gefällig sey und zu Tugend nützlich ist, daß die Regenten rechte Lehre erhalten helfen.

Nun ist allhie in der Universität ein ehrlicher friedliebender junger Mann, Adam Remp, welches Vater seliger und Mutter in E. G. Stadt Arnstädt geboren und erzogen sind; auch hat E. G. Herr Vater seliger und hochlöblicher Gedächtniß dieses Adam Rempen

*) *Davidi Voit*, cui decretus est, secundum Scripta publ. Acad. Viteb. T. IV, gradus Doctoris Theologiae d. 19. Martii. De Voitio vid. epp. d. 1. Nov. 1559. et d. 15. Apr. 1560.

Vater, Bonifacium Kempen, in dieser Universität eine Zeit lang gnädiglich unterhalten, derwegen Adam, als ein armer Waise, zu E. G. in Unterthänigkeit Zuflucht hat. Damit nun E. G. seine Geschicklichkeit erkennen mögen, hat er etliche Psalmen in lateinische Verse gebracht, die zierlich gemacht sind. Diese seine Arbeit wolle E. G. gnädiglich annehmen. Er wollte auch in E. G. Land am liebsten dienen; denn seine arme Mutter ist noch bei Arnstädt; die hat noch bei sich fünf kleine Waisen. Darum erbeut sich dieser Adam zu Dienst in Kirchen oder Schulen, und bittet um Gottes willen, E. G. wollen ihn gnädiglich bedenken um der Waisen willen, und wollen ihm eine Zeitlang, auf Hoffnung eines Diensts, eine gnädige Hülfe zum Studio verordnen. Ich bitt um Gottes willen, E. G. wollen sich gegen diesen Adam gnädiglich erzeigen. Dagegen wird Gott, der Waisen Vater, E. G. seine Gaben auch des [desto] reichlicher geben; der wolle E. G. an Seel und Leib stärken. Datum 20. Martii anno 1560.

Ew. Gnaden
armer unterthäniger Diener
Philippus Melanthon.

No. 6954. 23. Mart.

Testimonium.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[4].

S. D. *omnibus lecturis has literas.*

Basilius de se ipso narrat, se adiisse praecipuas Ecclesias, Alexandrinam, Byzantinam, et alias, ut testimonia veteris doctrinae inquireret. Atque utinam extarent passim veteris et purioris Ecclesiae monumenta. Sed tamen cum doctis et piis colloqui valde prodest. Hoc consilio suscipit iter hic *Iohannes Ferinarius*, natus ex honestis parentibus in oppido Silesiae *Novoforo*, quod non procul distat ab inclyta urbe Vratislavia. Decrevit audire eruditos et pios viros in aliis regionibus. Ingenii facultatem et eruditionem ipsius ostendunt poëmata, quae extant, in quibus non solum forma orationis grata est eruditis, sed etiam voluntas laude digna est, quod venam, quae est Dei opus, confert ad illustrandam veram de Deo doctrinam. Specimen honestorum morum praebuit, quod vixit in familia honestissima, ubi et fideliter docuit, et integritatem eius omnes, qui eum norunt, laudant. Et cum mihi familiariter notus sit, iudico eum non solum naturae moderatione, quanquam et haec in eo eximia est, regi, sed etiam a filio Dei luce Evangelii et Spiritu sancto. Ideo honestos viros oro, ut eum in hoc itinere contra iniurias defendant. Praestabit enim officia iusti et modesti hospitis. Et eruditis spero ipsius colloquia grata fore. Talis est Ecclesia vera Dei, coetus piorum consentiens de vera doctrina et simul recte invocans Deum, et coniunctionis piae amans, etiamsi non est inclusus intra unius oppidi moenia. Oro autem filium Dei, dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, ac sedentem ad dextram aeterni patris vere colligentem aeternam Ecclesiam voce Evangelii, ut nos omnes gubernet et protegat. Datae anno 1560. die 23. Martii, quo ante annos 1526 instituta sacratissima σπονδῇ foedus fecit inter se et nos, et nos voluit unum esse in Deo.

Philippus Melanthon
manu propria.

No. 6955. 25. Mart.

Scholasticis.

Scripta publica Witteb. T. IV. p. 85 b.

(*Studiosis.*)

In praefationem locorum communium Phil. Melanthonis.

Quod in symbolo profitemur: *credo esse Ecclesiam sanctam catholicam*, id toto pectore adfirmo, et amplector, universam doctrinam traditam in scriptis propheticis et Apostolicis et in Symbolis, et filium Dei dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis et resuscitatum, oro, ut me Spiritu suo sancto gubernet. Cum autem sciam, voce Evangelii colligi aeternam Ecclesiam et non aliter, servio in ministerio Evangelii in templo et in schola iuxta vocationem, et oro filium Dei, ut ipse sit efficax docentium voce, sicut scriptum est: *Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.* Nec profecto deterreor a docendo stolidis conviciis fanaticorum ho-

minum, qui dicunt, nos esse doctores literae, se vero doctores Spiritus *).

Etsi scimus, sola litera seu sola voce docentis sine Spiritu sancto non reddi vitam hominibus: tamen ministerium externum et cogitationem literae necessariam esse manifestum est, quia scriptum est: *fides ex auditu est.* Ac magnum decus esse statuo, nos dici doctores literae, ut Paulus inquit: *ego plantavi*, *Apollo rigavit*, *Deus incrementum dedit.* Si enthusiastici illi sine ministerio, sine voce et cogitatione doctrinae volunt nasci Ecclesiam, prorsus τετυφωμένοι sunt. Hinc est illa audacia fingendi monstrosa deliria: *omnia bona et mala fiunt necessario; nova obedientia non est necessaria; renati placent Deo etiam ruentes in scelera contra conscientiam; lex divina moralis non est immota sapientia in Deo.* Haec paradoxa sciunt grata esse suo theatro, quod vult laxari disciplinam. Ac reipsa delent literam, quae est vox Dei scripta per prophetas et apostolos. Sciamus autem velle Deum, ut sonet in Ecclesia doctrina per prophetas et apostolos scripta, et studia amemus, quod se immensa misericordia patefecit, non aspernemur filium Dei legatum proferentem Evangelium ex sinu aeterni patris, et simul petamus, ut ipse sit efficax sua voce, et confirmet quod in nobis operatus est. Cum igitur ad praelectionem delectus sim, Deo iuvante cras, hora septima in auditorio veteris collegii inchoabo repetitionem locorum theologicorum, quae est velut κατήχησις, in qua prodest iunioribus quasi summam doctrinae proponi. Anno 1560., die 25. Martii, quo die filius Dei dominus noster Iesus Christus ante annos 1526 in cruce pro nobis victima factus est, qui est: יהוה צדקנו, et scribitur eo die creatos esse Adam et Evam ante annos 5522.

No. 6956. 25. Mart.

Sigismundo, Archiepiscopo.

Praefatio Mel. praemissa libro: Secunda pars Chronici Carionis ab Augusto Caesare usque ad Carolum Magnum. Exposita et aucta a Phil. Melanthone. Witeberg. Anno M. D. LX. 8.

Illustrissimo et reverendissimo Principi ac Domino, Dom. Sigismundo, Archiepiscopi Meideburgensi, Primati Germaniae, Administratori Halberstatensi, Marchioni Brandenburgensi, Duci Pomeraniae, Silesiae etc. et Burggravio Noribergensi etc. Principi clementissimo S. D.

Non dubium est fateri sanos omnes, necessariam esse cognitionem Historiae omnium temporum, de Ecclesia praesertim, et de serie Imperiorum, quae fuerunt in genere humano praecipua, quantum sciri potest. Sed nostrae commemorationes de utilitate lectionis Historiarum proponuntur Iuniorum causa, ut ad hanc considerationem inviteutur, quam siqui non expetunt, amentia eorum et detestanda et deploranda est. Aliquid igitur in vestibulo primae partis huius Compendii de serie temporum mundi, de utilitate huius lectionis dixi, iuniorum causa, measque adhortationes multis prodesse optarim.

Ego quidem bono studio hoc Compendium institui, sed fateor, quod res est: Ut in longo itinere, ita in hoc opere quo longius progressus sum, eo magis defatigatus sum. Initia Mundi et Imperiorum habent et res splendidiores et scriptores meliores.

Quanta magnitudo est divinorum operum in eductione Ecclesiae ex Aegypto, in constitutione et defensione politiae Mosaicae. Quanta virtus in Monarchiis, in Cyro, in Dario Hystaspis, in Philippo Macedone, in Alexandro, Antigono, Pyrrho. In Atticis ducibus, Miltiade, Themistocle, Cimone, Aristide. In Romanis, Camillo, Fabiis, Marcellis, Scipionibus, Aemiliis, Pompeio, Iulio. Hos utcunque complexi sumus in priore libello. Et quid dulcius est lectione scriptorum, ex quibus illorum Historiae excerpendae fuerunt, Prophetarum, deinde Herodoti, Thucydidis, Xenophontis, Diodori, Livii, Iulii. At post Augustum praeter initia Ecclesiae Christi, quid in caeteris est, quod delectare legentem possit?

Cohorresco intuens illa monstra Imperatorum, quae sequuntur plurima, ac deploro hanc ingentem calamitatem generis humani, quod cum in summo fastigio conspici sapientiam et virtutem Deus velit: tamen plurimi Imperatores spurcissimae belluae fuerunt. Nec habet sequens aetas post Augustum scriptores disertos et quia ἀπὸ ἐρ-

---

*) Vid. quomodo Agricola invectus est in Melanthonem, ut narrat Buchholtzer in epist. ad Melanth. d. d. Mittwoch nach Exaudi 1559.

γων οὐ καλῶν οὐκ ἐστὶν ἔπη καλὰ et quia deterrebantur idonei scriptores metu Tyrannorum. Praeterea quam tristia spectacula sunt lanienae Theologicae, Haereticorum rabies, ululatus furiarum in impiis dogmatibus, Sinonia consilia in incitandis aulis, praestigiae Sophismatum in tuendis manifestis mendaciis. Quare hic mihi labor priore multo et difficilior et molestior fuit. Pertexui tamen et hanc partem, quia literarum studiosos necesse est integram temporum seriem nosse.

Quod autem voce divina praedictum est: In senecta mundi maiores fore Imperiorum et Ecclesiae confusiones, id in hac parte Historiae conspicitur. In dilaceratione Romani imperii, quantum initio seditionum fuit, postea quam multae gentes antea ignotae inter se orbem terrarum partitae sunt. Interea et doctrinae extinctae sunt, et *ἀναρχία* licentiam praebuit malis ingeniis spargendi infinita deliria. Harum calamitatum consideratio ad quid prodest inquies?

Existimo bona ingenia moneri primum, ut magis cogitent, in quantis periculis vivant, deinde ut navigantes in saevissima tempestate, duas res adhibeant, Invocationem Dei, et diligentiam, qua suo quisque loco mandatas operas modeste facit, ne in ipsa nave seditiosi tumultus oriantur: Ita nunc et assiduis votis petamus, ut filius Dei suam cymbam gubernet, et semper inter nos aliquam sibi Ecclesiam colligat, et praebeat ei mediocria hospitia, nec sinat fieri infinitas dissipationes. Deinde accedat haec diligentia: Ut gubernator navis seu ex stellis, seu ex magnetis acie iudicat, qua dirigenda sit navis: ita nos magna cura circumspectemus, quae et ubi sit vera Ecclesia Deum recte invocans, quod iudicari ex genere doctrinae potest. Non enim sunt autem parvae, aut obscurae res, de quibus dissensiones sunt.

Facile est iudicium, qui homines, in quibus locis manifesta Idola, et manifeste absurda tueantur, et qui ad defensionem errorum parricidia addant. Haec non tegi possunt grandiloquentia Staphyli aut praestigiis Sophistarum, qui sui Theatri plausus captant. Simus memores vocis Psalmi: Beati qui habitant in domo tua Domine. Et recte Nazianzenus: *ζητῶ Νῶε κίβωτον ὅπως μόρον αἰνὸν ἀλύξω.* Deinde cum constiteris in hac nave, quae vere est Ecclesia, modeste facito mandatas operas, non moveto seditionem inter remiges, quaedam incommoda sapienter feras, coniunctionem tuearis, circumspectes quales sint qui seditiones movent, et quas causas habeant. Quidam inscitia peccant, sed multo plures ambitione, cupiditate vindictae, et avaritia, qui morbi facile deprehendi possunt. Samosatenum ambitio et aulica potentia apud Zenobiam impulit, ut Iudaicas corruptelas sereret.

Quam multi apud Constantium, et deinde apud Iulianum, ut potentiam aut opes venarentur, veritatem abiecerunt? Non indulgeamus his cupiditatibus, de quibus inquit Nazianzenus: *ταῦτα μὲν οἶσι φίλον, καὶ κερκώπων κράτος εἴη, αὐτὰς ἐγὼ Χριστοῦ πλήσομαι ἀτρεμέων.* Anteferamus universae Ecclesiae salutem nostris commoditatibus. De hac enim vere dici potest illud Sophocleum:

ἥδ' ἐστὶν ἡ σώζουσα καὶ ταύτης ἔπι
πλέοντες ὀρθῆς, τοὺς φίλους ποιούμεθα.

Est Historia pictura generis humani, in qua et Imperiorum et Ecclesiae aerumnae et pericula cernuntur, quae aspicientes et in civili consuetudine, et in Ecclesia modesti simus, intuentes et nostram et alienam infirmitatem, cogitantes etiam illud, exorta incendia non facile restingui, et fere semper ex uno tumultu longi temporis bella et orbis mutationes sequi. Quantam ruinam traxit Ariana discordia? et qua postea Mahometici furores orti, maximam partem generis humani a Deo avulserunt.

Haec cogitanda sunt in lectione Historiarum, et mentes ad modestiam flectendae sunt. Prodest etiam scire in Ecclesia, quid saniores quolibet tempore iudicaverint, et quae ipsi vetustiora testimonia protulerint. Necesse est enim nosse primae et purioris Ecclesiae sententias. Spero igitur et hunc nostrum laborem studiosis profuturum esse, et ut prosit opto.

Volui autem et in hac editione mentionem tui nominis facere, Illustrissime et Reverendissime Princeps, propter easdem causas, quas exposui in priore editione *), ac Cels. tuam oro, ut et honestas doctrinas et recte docentes auctoritate tua contra rabiem Sophistarum, qui et doctrinas et disciplinam delere conantur, tuearis.

Toto pectore autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum et resuscitatum, sedentem ad dextram externi Patris, ac dona lar-

---

*) Vid. exeunt. April. ann. 1558.

gientem hominibus, oro, ut semper in his regionibus Ecclesiam sibi colligat, eamque gubernet et protegat, Amen. Anno 1560. Die 25. Martii, quo die filius Dei Dominus noster Iesus Christus ante annos 1526 in cruce pro nobis victima factus est. Et scribitur eo die creatos esse Adam et Hevam ante annos 5522.

Illustriss. Celsitudinis Tuae servus
Philippus Melanthon.

No. 6957. 26. Mart.

Laur. (*Lindemanno.*)

Scripta publ. Tom. IV. Lit. M. fol. 8. (*Lunz.*)

Ad Laurentium[1]).

S. D. Carissime *Laurenti.* Venit huc ex Berlino hic Polonus Sacrificulus, qui laborat morbo comitiali. Petit aliquot dierum hospitium in Nosocomio nostro[2]), quod dabitur. Dedi etiam ei dimidium Ioachimicum. Vestros etiam propter patriam aliquid conferre velim, unde victum habeat aliquot diebus. Vult nos Deus haec officia vere egentibus praestare. Etiam sapiens antiquitas dixit: *πτώχων τε δ' ἐρίννυες εἰσὶν*[3]). Die 26. Martii, Anno 1560.

Philippus Melanthon.

No. 6958. 27. Mart.

Abd. Praetorio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Abdiae Praetorio, Lectori in Acad. Francofordiana.

S. D. Clariss. vir et cariss. frater. Omnibus aetatibus fanatici seu Enthusiastici hoc *μορμολυκεῖον* sibi induerunt, quod se nominarunt *πνευματικοὺς*, alios pios superbe despexerunt et literae doctores nuncuparunt. Idem convicium plus millies repetit *Stenckfeldius.* Sic et *Luthero* conviciabatur factio seditiosi hominis *Monetarii.* Audivi ipse iactitantem *Pelargum* Cygneum colloquia cum angelo Gabriele, et quis fuerit exitus Monetarii, seditione mota in Tyrigetis, non ignoras. Non enim abiiciamus literam et rectas literae explicationes propter *μορμολυκεῖον.* Fatemur nos esse literae doctores, Deum autem dare incrementum. Cum perscripseris tuam confessionem, quaeso ut eam nobis mittas. Nam ubi legero, nisi erit aliquid de quo tecum velim deliberare, addam sine contatione *ὑπογραφὴν*, ut consensus nostri testimonium extet. Mitto tibi duo exempla secundae partis chronici operis, quorum alterum dabis domino *Sabino.* Misissem colligata, si tempus ligari concessisset. Huic vestro nuncio equitem adolescentem Norimbergensem adiunximus, iturum ad urbem Stetinum. Cum autem viam ignoret, quaeso ut istic adiungas hunc aliis honestis hominibus, si qui nunc iter facturi sunt ad urbem Stetinum. Si comites habere equites non poterit, rursus ipsius sumptu hic vester tabellarius cum eo iter faciet, et sit viae monstrator. Nomen est adolescentis *Gabriel Meichsner* Noribergensis. Notus est *Ioachimo Camerario*, a quo mihi commendatus est. Proficiscitur, ut sit in aula comitis de *Neugarden.* Quaeso, ut hoc hospitale officium non gravatim praestes. Bene vale. Die 27. Martii, 1560.

Philippus.

No. 6959. 28. Mart.

Laur. Mollero.

A *Strobelio* in d. neuen Beiträgen zur Literat. Vol. II. p. 335. primum edita, et quidem ex autogr. Mel. in bibl. Norimberg., e quo mihi denuo eam descripsit Clar. *Rannerus.*

---

1) *Laurentius Lindemannus* I. U. D.

2) Hoc erat Academiae proprium. Nam in Scriptt. Witeb. p. p. T. I. Lit. *L.* fol. 8. (b) anno 1554. Rect. Melch. Fendius D.: „Emimus, inquit, domum, quae futura est *Νοσοκόμειον* aegrotantium scholasticorum. Pro hac ex aerario Academiae pretium solvetur. Sed ad instruendam eam lectis aliquot et vasis, colligendam esse Eleemosynam duximus, et oramus eos, qui conferre aliquid possunt, ut benignitatem suam hoc pio officio declarent. — Datae die 25. Martii, quo ante annos 5506 Adam conditus est; ante annos vero 1545 Christus conceptus; ante annos 1511 Christus crucifixus." (*Lunz.*)

3) Sic haec d. l. excusa. At in *Homeri* Odyss. *ρ'* v. 475. quem locum Melanchthon haud dubie respexit:
πτωχῶν γε θεοὶ καὶ ἐρίννυες εἰσὶν,
Pauperum Dii et Erinnyes sunt,
h. e. Deus etiam pauperum causa poenas reposcit. (*Lunz.*)

Clarissimo viro eruditione et virtute praestanti Laurentio Mollero civi Hildesio fratri suo carissimo.

S. D. Clariss. vir et carissime frater. Quidquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est, *βοηθοῦντός γε θεοῦ.* Hoc agunt isti hypocritae, ut me pellant, cum sanguinem meum haurire non possint, et quidem oratio istorum vetus est, qua dixerunt, se mihi non relicturos esse in Germania vestigium pedis. Profecto mihi gratum facient, si me ex his regionibus expulerint, ubi stabiliunt ipsi errores et idola. Deus alicubi mihi nidum dabit, si in hac mortali vita diutius militare non volet. Sin autem me ad coelestis Ecclesiae societatem cito abducet, liberabor ab his rixis, sed aliquanto post ipsi inter sese dimicabunt.

Mitto tibi pagellas, quarum lectionem tibi non insuavem fore arbitror.

Bene vale. Die 28. Martii 1560.

Manu Molleri subscripta sunt: haec est ultima epistola, quam accepi a D. Philippo Mel. scripta 28. Martii anno 1560.

No. 6960. 29. Mart.

Ioach. Mollero.

Epist. lib. II. p. 532. (ed. Lond. lib. II. ep. 558.).

D. Ioachimo Mollero

S. D. Clarissime vir et charissime frater, Oro Filium Dei, ut sicut protexit *Iacob* et eius familiam in itinere: ita *Henricum* fratrem protegat, et ad vos *) salvum reducat. Spero eum usui fore Ecclesiae, et nunc in militia honesta servire coepit. Gratulor utrique vestra colloquia. De nostris rebus cognoscere ex ipso omnia poteris, de legatione missa ad Electorem nostrum, *περὶ συνόδου,* et de responsione. Te oro et virum clarissimum socerum tuum, ut de *Bremensi* negotio cogitetis. Periclitatur in ea re *Saxoniae* tranquillitas. Oro autem Filium Dei, ut nos gubernet. Bene vale. Die 29. Martii.

*) Peuc. *nos*, ex mendo. Vid. ep. sequ.

No. 6961. 29. Mart.

Paulo ab Eitzen.

† Ex apographo in bibl. Regia Hannov.

Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, D. Paulo ab Eitzen, Doctori Theologiae, gubernanti Ecclesiam dei in inclyta Hamburga, fratri cariss.

S. D. Reverende vir et carissime frater. *Εἰς ὄμματ' εὔνου φωτὸς εἰςβλέπειν γλυκύ.* Spero igitur tibi *Henrici* *) viri integri, prudentis et te amantis conspectum et colloquia voluptati fore. Is narrabit pleraque quae scire voles. Mitto tibi exemplum secundae partis *chronici operis*, quod si inspicies, quaeso ut aliquid de tuo significes. *Bremensia* negotia vobis nota sunt, sed existimo te quoque iudicare, non esse utile tranquillitati institui theatricam disputationem. Bene vale. Die 29. Martii 1560. *Delio* salutem.

Philippus Melanthon.

No. 6962. 30. Mart.

A. Hardenbergio.

Edita in *Leuckfeldii* Historia Hamelmani. (Quedlinb. 1720. 4.) p. 83. (*Danz.*)

Ad Alb. Hardeberg.

Reverende vir et charissime Frater. Crescunt pericula taxantibus, quamvis verecunde, *τὴν ἀρτολατρείαν* **). Precemur igitur filium Dei, ut nos gubernet et propter suam gloriam deleat falsas adorationes. Hic *Walterus* docuit Evangelium in urbe Westphalica *Lemgo*, ubi adversarium habuit *Hamelmannum*, qui inclementer cum eo egit. Cum igitur hic Walterus ad vestras, vel vicinas Phrisiae Ecclesias proficisci decrevis-

*) Henrici Molleri, Hamburgensis. Vid. ep. anteced.

**) Id ipse mox expertus est Hardenbergius, qui in epistola ad Paulum Eberum data die Ioh. Baptist. 1560. (in cod. Goth. 123. p. 325.) scribit: „Ego apud amicos lateo. Nam „singulis noctibus cogor expectare vim Senatus, quam aperte „etiam minati sunt. — In me nihil est neque vitae neque „spei. Iam hac ipsa hora de me consultatur aut necando, „aut violenter pellendo. Episcopus se interposuit, sed con- „temnitur. Tilemannus Heshusius armat suis furiis Sena- „tum una cum aliis concionatoribus."

set, dedi ei has literas, ut eum tibi commendarem. Iudico modestum virum esse, teque oro, ut ei in vicinia tua alicubi locum ostendas. Tuas literas de *Heshusii* disputatione expecto. Bene vale. Die 30. Martii 1560.

No. 6963. 31. Mart.

Cph. Stathmioni.

Epist. lib. II. p. 424. (ed. Lond. lib. II. ep. 444.).

D. Christophoro Stathmioni

S. D. Deo aeterno Patri Domini nostri Iesu Christi conditori generis humani gratias ago, quod in hac lue te, et nos servavit incolumes, et eum oro, ut deinceps te, et nos servet. Certum est enim Deum conditorem, custodem esse vitae, et causas physicas moderari. Honestissimae coniugi tuae mitto xenium. De quaestionibus, de quibus scribis, nunc in hoc concursu occupationum molestarum respondere non potui, sed iudico et in Ecclesia, et in Philosophia Stoicam ἀνάγκην vitandam esse. Hominum mala αὐθαίρετα, non refero ad fatalem, seu necessariam mixturam mali et boni. De Theologicis dissidiis prorsus nihil libet scribere. Noster collega postquam declaravit suam propositionem*), et adfirmat se non dissentire a nostris Ecclesiis, nunc prorsus certamen omittit. Nec placet mihi nos ipsos, ceu *Cadmaeos* fratres, inter nos dimicare. Oro autem Deum qui vult nos unum in ipso esse, ut harum regionum Ecclesias gubernet, et protegat. Bene vale. Prid. Cal. April.

No. 6964. (m. Martio.)

(*De norma iudicii in Ecclesia.*)

Mel. Consil. lat. P. II. p. 385 sqq.

*) Fortasse: Ge. Maioris Bekenntniß von dem Artikel von der Justification etc. Witt. 1559. 4.

De norma iudicii in Ecclesia, et quare valeant iudicum sententiae in Synodis, an valeant ut in profanis iudiciis autoritate regia seu praetoria? Anno 1560.

De his quaestionibus eo nunc dicendum est, quia recens Viennae Esauita propositiones edidit, in quibus expresse haec asseveratio scripta est:

Ineptum et ridiculum esse, petere a scriptura, tanquam supremo iudice controversiarum religionis definitam sententiam. Sic enim Viennensis ille expresse loquitur.

Doleamus talibus blasphemiis augeri iram Dei, et ostendamus, eas nobis displicere, ac precemur Deum, ut poenas a nobis avertat.

Quid enim aliud agunt isti, quam ut deleta voce divina concedatur potentibus, ut in Ecclesia collocent idola, et fingant dogmata, ut libet, sicut fecerunt Nabochdonosor, Antiochus, Mahometus, et alii. Sic defendunt hoc tempore pontificii idola plurima, quia autoritatem pontificiam anteferunt expressis Dei mandatis.

Hoc ergo quaeritur: *An norma iudicii sit verbum Dei? An vero pontificum autoritas? Deinde et de Synodis: Valeantne earum sententiae autoritate regia seu praetoria?*

Ac primum argumentum hoc perspicuum est: Normam iudiciorum oportere esse scripta Prophetica et Apostolica, et Symbola, quia expresse scriptum est: *Si quis aliud Evangelium praedicaverit, anathema sit.* Item, *Si quis non manet in doctrina Christi, Deum non habet.* Loquimur autem de scripto, sine sophistica intellecto, ac nativam sententiam retineri volumus, non affingi barbaricas aut sophisticas interpretationes pugnantes cum perspicuis testimoniis, quae extant in scriptis Propheticis et Apostolicis.

Nam Anabaptistae et similes non retinent scripta, etiamsi verba calumniose ad suas portentosas opiniones accommodant. Nam haec verba: *Da omnipetenti*, non evertunt distinctionem dominiorum, quae alibi perspicuis verbis expresse comprobata est. Volumus igitur accedere ad lectionem, dexteritatem in conferendis locis, et ordine distribuendis.

Sed contrarium argumentum opponunt pontificii:

In qualibet gubernatione oportet vivam vocem iudicis habere summam autoritatem: Quia semper nata lege desideratur interpretatio.

Plurimum est dubiorum in scriptis Propheticis et Apostolicis.

Ergo necessaria est viva vox iudicis, et ut finiantur controversiae, necesse est hanc valere autoritate regia, seu praetoria.

Haec plausibiliter dicuntur apud Reges et Principes, sed quatenus probanda sint, considerandum est. Sic autem respondeo. Quod pontificii obiiciunt, scripta incerta esse: Falsum est, et contumeliosum contra Deum. Vult Deus et audiri, et intelligi suam vocem. Quae est enim insania dicere, Decalogum, promissionem gratiae et aeternae salutis, articulos Symbolorum esse incertos sonos, et similes foliis Sibyllae?

Quod vero haeretici dicta quaedam detorquent ad sua deliramenta, id fit ipsorum scelere, quia non conferunt dicta Prophetica et Apostolica. Scimus opus esse doctrina et collatione locorum et iudiciorum, sicut recte dixit Epiphanius: *Non transformanda sunt omnia dicta in allegorias, sed retinenda est nativa verborum significatio in lege, promissione gratia, et articulis fidei.* Addit autem Epiphanius, *opus esse sensu et speculatione.* Sensu opus est ad intelligenda singula vocabula: speculatione opus est, ad locorum et dogmatum collationem et ordinem constituendum. Ideo in Ecclesia vult Deus esse vocem docentium, quae non gignat nova dogmata, sed sermonem Propheticum et Apostolicum dextre reddat, et membrorum ordinem in docendo ostendat, quae ab ineruditis fieri non possunt.

Absit ab Ecclesia audacia, quam sibi multi Pontifices et haeretici sumserunt, et sumunt omnibus temporibus, sculpendi idola, fingendi opiniones seu peregrinas, seu contrarias voci divinae.

No. 6965. (h. m.)

Inscriptio.

† Descriptum ex bibliis Lutheri, quibus haec inscripsit Melanth., cura S. V. *Schulzii*, Theol. Vratislaviensis.

Descriptio figurae Corporis Domini nostri Iesu Christi *ex Nicephoro Constantinopolitano.*

Nicephorus Ecclesiae Constantinopolitanae minister, scriptor historiae ecclesiasticae et maximarum rerum, quas gesserunt Imperatores Orientis, figuram Domini nostri Iesu Christi in fine primi libri his verbis ex graeca narratione fideliter conversis describit.

Ut ex antiquis descriptionibus accepimus, figura Christi talis fuit: Formosa corporis species fuit, statura septem integras spithamas excessit, capillum habuit nonnihil flavescentem, non densum et in extrema parte aliquantulum crispum, nigra supercilia, non multum curva, nec sine intervallo. Oculos fulvos, qui nominantur χαροποὶ, non lusciosos, nulla deformitate insignes, non vagabundos, Naso recto, barba flava, non prolixa. Capilli vero capitis prolixi fuerunt, quia nunquam novacula aut ullius hominis manu tonsi fuerunt. Collum leniter inflexum fuit, ne prorsus erectus incideret. Color faciei subfuscus, tritico similis facies non rotunda, sed qualis fuit Matris aliquantulum demissa, paululum rubescens et vultus ipse significabat hominem intelligentem, et mores graves et placidos et prorsus ab iracundia alienos. Prorsus aut similis erat purissimae Matri suae.

Te maneat semper servante ecclesia Christe
Insertosque ipsi nos tua dextra tegat
Nec sine te Vox doctrinae spargatur in auras
Sed simul ipse Deus pectora nostra trahas.

Scriptum manu Philippi Melanthonis 1560.

No. 6966. 1. Apr.

Testimonium.

Script. publ. Witt. T. IV. Lit. N. a.

Omnibus lecturis has literas S. D.

Multis saeculis usque a Vistula et Viadro usque ad Albim permixtae gentes fuerunt *Heneta* et *Teutonica*, plerunque sociae, iunctae connubiis, foederibus, contractibus et multis officiis: interdum etiam, ut fit, inter se dimicarunt. Sed annis iam quingentis Poloni a nobis saevam barbariem Tartaricam assiduis bellis depulerunt. Id ingens beneficium agnoscamus, et gratitudinem erga eos publice et privatim ostendamus.

Venit autem in has regiones medicationis causa aegrotus hic *N.* Polonus, natus non procul ab inclyta urbe regia Cracovia. Redituro autem in patriam dedi hoc testimonium, nos iudicare,

esse eum hominem modestum, et contra iniurias defendendum esse. Oro igitur omnes, ut huic *N.* praestent hospitalia officia, quia Deus nobis hospites modestos commendat. Et erga hunc simus eo magis beneficii, quia aegrotus est, et simus memores huius dicti: *ξένους ἐπαρκῶν τῶν ἴσων τεύξῃ ποτέ.* Datae Calendis Aprilis, anno 1560.

Philippus Melanthon.

No. 6967. 4. Apr. (Lipsiae.)

H. Baumgartnero.

Epist. lib. VI. p. 252 sq. — Hic ex autographo in cod. Monac. I. p. 255., cuius titulo Baumgartnerus inscripsit: „1560. 13. Apr. per Andream."

Hieronymo Bomgartnero, Senatori inclytae urbis Noribergae.

S. D. Clariss. vir et Patrone cariss. Quotannis explorantur studia adolescentum, qui Principis stipendiis aluntur. Ad eam *ἐξέτασιν* cum Lipsiam vocatus essem, ibi hanc Epistolam scripsi, cum quidem in his senilibus querelis *Ioachimi* et meis, de confusionibus publicis saepe etiam tui mentionem faceremus. Miscemus autem gemitus et vota ac Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum precamur, ut protegat et gubernet ubique veram Ecclesiam, et eius hospitia, tibi etiam confirmet et animae et corporis vires. Mitto tibi exemplum secundae partis Chronici, quod utcunque retexui, quia videbam in manibus esse iuniorum. Bene vale. Die Aprilis 4. 1560.

Huic Epistolae Dn. Baumgartnerus manu sua propria adscripsit haec verba, quae sequuntur.

Postrema ad me Epistola Philippi Melanchthonis; qui erat verae Ecclesiae columen, etiamnum valentis, quantum per senectam licebat.

Sanctam animam in coelestem Academiam evocatam, ita ut saepe optaverat, Deo reddidit 19. *die Aprilis Anni* 1560.

No. 6968. 6. Apr.

Abd. Praetorio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[a].

Abdiae Praetorio, Lectori in Academia Francoford.

Clariss. vir et cariss. frater. Lipsiae vidi his diebus editam longam orationem *τοῦ βλακικοῦ συρφετοῦ,* in qua petivit a Duce *Ioanne Friderico*, ut synodum convocet, in qua publica fiat, ut in synodo condemnatio eorum, qui non probant eorum *παράδοξα.* Subscripsit *Morlinus*, qui est fax ad augenda dissidia. Si procedet consilium, erit *ληστρικὴ* synodus. Nos simus memores dicti: ipsi maledicent, Deus autem benedicet nobis. Non existimo, conventuros esse tam multos, quam multos accersent. Distractiones tamen et odia istae furiae augebunt. Pagellas mitto de studio linguae Ebraeae, quarum lectio minus insuavis est quam sophismatum Gliris *). Bene vale. Salutem d. *Sabino* et aliis amicis opto. Die 6. April. 1560.

Philippus.

No. 6969. 7. Apr.

(*Scriptum de sacra coena.*)

Duplici forma habemus hoc scriptum; altera ea, qua ex *autographis*, ut affirmatur, editum est in den Unschuldigen Nachrichten ann. 1725. p. 883. et ab Antonio Musa in libro: Singularia de viris eruditis, p. 75. Hic praemissa sunt haec: „Phil. Melan. manu propria scripsit „haec verba de sacramento corporis et sanguinis Christi „in librum quendam *Georgii Maioris*, dominica Palma-„rum ante mortem 1560". — Sed minime credo hos editores habuisse ante oculos Melanthonis autographon, quum Melanthon fere ubique libris amicorum dictum aliquod ex bibliis cum sua enarratione inscriberet, nunquam vero sententiam mere dogmaticam. Multo minus autem credibile est, illum ante mortem, ubi acerbissime movebatur nova discordia de sacra coena, eiusmodi argumentum libris amicorum inscripsisse. Suspicor itaque Georgium Maiorem ipsum sibi haec descripsisse, et fautores Melanthonis post eius mortem hoc scriptum, ut Melanthonis, arripuisse, in eo documentum orthodoxiae Philippi in doctrina de coena s. quaesivisse, et pro confessione ab eo ante mortem edita venditasse. Nam habetur apographon huius dicti, quod quoque ex autographo descriptum esse affirmatur, in Epistolis Sacramentariis *Os. Schodaei* Tom. I. Argentorati, ubi sic inscribitur: „Dn. Philippus Melanchthon 16. Martii 1546. *Christo-„phoro Lasio*, tum temporis agenti concionatorem „Witebergae in arce *respondit* haec:"
Haec inscripta fuisse dicuntur libro Lasii. Luce igitur clarius est, haec, ore a Melanthone prolata, a Lasio ipso calamo excepta et libro suo inscripta fuisse, unde

*) Est sine dubio scheda publica Henrici Molleri, qua indicit interpretationem Zachariae prophetae, quae d. 25. Martii 1560. prodiit. Vid. Scripta publ. T. IV.

fortasse etiam alii, etiam Georgius Maior, illud dictum suo cuidam libro inscripsit. — Altera forma huius scripti extat in *apographis*, a) in den Unschuld. Nachrichten a. 1772. p. 191. b) Io Fabricii bibliotheca Fabriciana T. I. p. 479. c) Cod. Goth. 94. Cod. Galli II. p. 244. Cod. Servest. p. 168. et in bibl. Francoford. ab Hartmanno facta. Vid. de hoc scripto etiam Bertram's literär. Abhandl. P. IV. p. 77—79. Dubio caret hoc scriptum nullius esse fidei, et multa in illo esse temere mutata.

(*Scriptum.*)

Verum corpus et verus sanguis Christi exhibetur in pane et poculo. Quaestio iam oritur [1]): quomodo Christus possit [2]) esse corporaliter in sacramento, cum idem [3]) corpus non possit esse simul [4]) in diversis [5]) locis?

Respondeo: Christus dixit, se adfuturum, ergo [6]) vere adest in sacramento et corporaliter. Nec quaerenda est alia ratio. Verbum ita sonat, ergo necesse est ita fieri. Quod vero ad corpus attinet, Christus, quando vult potest esse ubicunque vult [7]); quare iam est alia ratio [8]) sui corporis et nostri. De ubiquitate non est disputandum in hac controversia [9]). Nec Scholastici dicunt [10]) de hac ubiquitate, sed recitant [11]) simplicem sententiam de corporali praesentia Christi [12]). Deitas neque corpus neque sanguinem habet, et est coniuncta humanitati Christi, et est ubique humanitas Christi, et est coniunctissima [13]) divinitati, et sunt deitas et humanitas in Christo inseparabiles. Ergo Christi corpus et sanguis eiusque actiones [14]) sunt ubique, iuxta haec verba: hoc est corpus meum, hic est sanguis meus; et: ero vobiscum usque ad consummationem mundi [15]).

1) U. N. No. 1. et Ant. Musa: *orta est.*
2) *protest*] cod. Argent.
3) *idem*] abest a cod. Serv. et Argent.
4) *simul*] excidit e textu Musae.
5) *pluribus*] cod. Serv. et Arg.
6) Pro *ergo* legitur in d. U. N. No. 1. et apud Musam: *et.*
7) Pro *potest — vult* U. N. No. 1. et Ant. Mus. nihil habent nisi: *adest.*
8) Cod. Arg. *quia alia est ratio.*
9) Cod. Serv. et Argent. *disputandum. In hac controversia est alia res.*
10) *quidquam*] addunt cod. Serv. et Argent.
11) *recitant*] U. N. No. 1. et Musa: *recito iam.*
12) Hic finitur apographon Argentorat., ubi reliqua non leguntur.
13) Apogr. Goth., Nic., Gall., U. N. No. II. et Francof. sic: *et est* (c. Franc. *adest*) *ubique. Humanitas Christi coniunct.* — Fabricius pro *et est ubique* etc. tantum habet: *et haec coniunctissima.*
14) Apogr. Goth., Galli, Franc. et Fabr.: *et sanguis in sacramento eiusque actione.*
15) Cod. Gall. et Francof. *seculi*; cod. Serv. *seculorum.*

No. 6970.

(*De sacra coena.*)

† Ex apographo in cod. Goth. 25. num. IV. nunc primum editum. — Adiunximus hoc scriptum antecedenti, an vero ea, quae in inscriptione dicuntur, satis vera sint, et vera Melanthonis sententia hic exposita sit, definire nolumus.

D. Caspari Peuceri de coena Domini, ex arcanis sermonibus Dom. Philippi, soceri sui. Ex autographo Peuceri, 3. *Ian.* 1561.

In tota controversia diligenter sunt expendenda

I) perpetua praesentia Christi in toto ministerio, quae longe est alia a praesentia universali, qua sustentantur creaturae. Nec aliter adest sacramentis quam ministerio verbi, quod ad effectum attinet. Sed externa symbola differunt. In distributione panis et vini testatur se filius Dei vere praesentem esse, et distribuere credentibus suum corpus et sanguinem, id est, universa beneficia sua, quae fide necesse est accipi, et nos sibi adiungere tanquam membra, nos vivificare. Sic eodem modo verbo sonanti et baptismo adest, sed modus utcunque discerni potest. In baptismo adest filius Dei ut ad regenerationis inchoationem; in coena domini ut ad renati confirmationem seu nutricationem, in qua testatur, se assidue in nobis, ut in vivis et veris membris suis, cuius consociationis σφραγίς est instituta sumptio, efficacem esse, et nos facere sibi membra, sicut inquit: *ego sum vitis, vos palmites.* In ministerio verbi adest ut ad conversionem, quae debet esse in hoc vita perpetua, complectens exercitia perpetua poenitentiae, fidei iustificantis et novae obedientiae. Adest autem ut per verbum sonans accendat corda, et simul in ea effundat spiritum gratiae et precum.

II) *Natura et ratio sacramentorum.* Sacramenta tunc sunt sacramenta, cum concurrunt omnes causae, et servatur intentio eius finis, qui institutus est, consequendi; ut, si quis uteretur baptismo Magiae ad morbi alicuius depulsionem,

iam non esset baptismus. Et sunt actiones. Idcirco asinus bibens aquam baptismi non bibit baptismum. Mus rodens panem consecratum non rodit corpus Christi. Est autem coena instituta ad sumptionem. Ergo tunc tantum est Sacramentum, cum fit sumptio; et verum atque integrum sacramentum, cum fit integra sumptio, id est, externa symbolorum, interna Christi, vere sese nobis in usu horum symbolorum per fidem communicantis. Ideo Christus in institutione utrumque complectitur: edite, bibite, hoc est corpus meum, et hoc facite in mei commemorationem.

Oportet concurrere omnes causas, et finem respici, ad quem sunt instituta sacramenta. Ita de baptismo dicit: *qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Cumque vetustas dicit, sacramenta constare re terrena et coelesti, per coelestem in coena intelligunt Christum praesentem et efficacem, qui sese offert omnibus, sicut in ministerio sonante sese offert omnibus, sed non percipitur nisi a credentibus. Nec perceptio corporis et sanguinis Christi aliud est, quam perceptio praesentis Christi et beneficiorum Christi omnium, quae promissio offert, et Christus praesens exhibet et applicat. Ergo ut coena domini sit verum sacramentum et prosit, oportet concurrere omnes causas, symbola ad hunc usum destinata, ut cum his sese communicet Christus. Christus vere et efficaciter praesens, vivificans nos, et consocians nos sibi vera societate. Sumptio externa symbolorum, interna Christi, et omnium beneficiorum Christi secundum promissionem. [In margine adscriptum est: non mihi displicet formula, cum plane clari corpus, modo recte explicetur, et tollatur ambiguitas, quae turbat conscientias.]

III) Consideranda est interpretatio verborum Christi, quae ab aliis *κατὰ τὸ ῥητόν,* ab aliis *κατὰ τρόπον* accipiuntur. Nec sunt plures interpretationes quam duae. Posterior Pauli est sine omni dubio, qui vocat *κοινωνίαν* corporis panem, et aperte testatur, *οὐκ ἐξιστάναι τῆς φύσεως τὰ ὁρώμενα σύμβολα.* Ergo necesse est admitti *τρόπον.* Cum hac consentit vetustas graeca et latina. Graeci *σύμβολα ἀντίτυπα,* Latini *signa* et *figuras* vocant res externas et in usu corpus et sanguinem, ut discernant hunc sacrum et mysticum cibum a prophano, et admoneant Ecclesiam de re signata, quae vere exhibetur et applicatur credentibus, et dicunt esse symbola *τοῦ ὄντως σώματος,* contra Eutychem, ut sciat Ecclesia, non esse inania symbola aut notas tantum professionis, sed symbola rerum praesentium, Christi vere praesentis et efficacis et impertientis atque applicantis credentibus promissa beneficia.

Altera est multo recentior et longe post Augustini tempora invecta, [Iohannes Scotus sub Ludovico pio] *), quae ut retineat *τὸ ῥητὸν,* includit corpus Christi pani, aut speciebus panis, vel *κατὰ μεταβολὴν ἁπλῆν ἢ μεταποίησιν,* ut Damascenus, vel *κατὰ μετουσίαν,* ut posteriores Scholastici, vel *κατὰ ἀνάλυσιν εἰς ὕλην πρώτην,* ut Longobardus, vel *κατὰ σύζευξιν* aut *ἕνωσιν,* ut aliqui ex Scholasticis, vel assumta ubiquitate, quae omnia sunt ignota puriori vetustati, et praeterquam quod impingunt in articulos fidei plurimos, pariunt disputationes et quaestiones infinitas et inextricabiles, et involvunt ac turbant conscientias.

No. 6971. 7. Apr.

Cph. Pannonio.

† Ex apogr. in cod. Paris. D. L. 54[3].

Christophoro Pannonio in urbe Moravica Iulio monte.

S. D. Clarissime vir et cariss. frater. Cum ex tuis literis intellexerim, te legatum ad Imp. *Ferdinandum* profectum esse, precor Deum aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi, creatorem generis humani et custodem politici ordinis, ut et civitatem vestram et te et tuos gubernet et protegat. Nam in tantis periculis Ecclesiarum et regnorum *οὐδὲν ἔχω σοφὸν, ἐν μὴ προσευχάς.* In his regionibus Dei beneficio nondum sunt bella; sed furiae Flacianae non desinunt tumultuari. Sed dabit Deus his quoque finem. Mitto tibi secundam partem chronici operis, de quo tuum iudicium mihi significabis. Mitterem et alia, si bibliopolia aperta essent. Bene et feliciter vale. Die 7. Aprilis, qui est Palmarum, 1560.

Phil. Melanchthon. (sic?)

*) Nota in margine.

No. 6972. 8. Apr.

Ioach. Mollero.

Epist. lib. II. p. 536. (ed. Lond. lib. II. ep. 560.). —

D. Ioachimo Mollero

S. D. Clarissime vir et charissime frater, Brevitatem mearum literarum excusent cruciatus, quos mihi adeo saevos facit calculus, ut post iter *Heidelbergense* non sim saeviores expertus. Metui haec mala propter Eclipses in signis aequinoctialibus, et propter tetram coniunctionem *Saturni* et *Martis.* Sed Filio Dei me commendo, qui fortassis me praeripere vult τῇ λῃστρικῇ συνόδῳ, quam *Flaciani* impudenter συγκροτῆσαι conantur. Commendo et integerrimo viro socero tuo et tibi hunc eruditum et modestum hominem *Zachariam.* Habet honestam coniugem, et in omnibus negotiis iussi eum tua consilia sequi, quod et facturum se promisit. Mitto exempla orationis tui fratris, nec plura subito habere potui. Bene vale et saepe ad nos scribito. Die 8. Aprilis. 1560.

No. 6973. (13. Apr.)

Scholasticis.

Scripsit hoc scriptum Melanthon iam moribundus, ut intelligitur ex libello: „Brevis enarratio exponens quo fine vitam in terris suam clauserit Rev. Vir D. Philippus Melanthon etc." (Viteb. 1560. 4.), ubi etiam hoc ipsum scriptum academicum excusum legitur fol. Cij. — Idem habetur in Scriptis publ. Acad. Witeb. Tom. IV. lit. N. 4.

Vice Rector[1]) *Academiae Witebergensis*, *Georgius Maior*[2]) *Theologiae*[3]) *Doctor*.

Hoc anno 1560. Pascha ab exitu Israelitarum ex Aegypto 3069. celebratur. Tot annos cum filius Dei, qui tunc agno rescentes texit, servaverit Ecclesiam suam, Speremus et reliquias clementer servaturum esse, donec palam ostendet se rursus generi humano, et laetissimo triumpho universam Ecclesiam ad coelestia gaudia ducet, ubi erit Deus in beatis omnibus omnia. Etsi autem assidue in vita repetenda est cogitatio de distinctione Ecclesiae et gentium, de mirandis operibus Dei, et de beneficiis filii Dei, et assidue excitanda est fides et gratiarum actio, tamen sit intentio maior, cum tempus de tanto agone filii Dei nos admonet.

Tibi igitur omnipotens Deus, aeterne pater domini nostri Iesu Christi, Creator una cum filio tuo et Spiritu sancto, gratias agimus, quod nos vocasti ad verae Ecclesiae societatem, in qua et filium tuum recte agnoscimus, et beneficiis eius fruimur. Aliae sectae furentes contumeliis adficiunt filium tuum, dominum nostrum Iesum Christum, ut ingens multitudo Mahometica, et personae Christi divinitatem detrahit, et audacissime tollit officium, negat iram Dei placari unius alicuius miseri hominis cruore, denique tetra multa dicit. Pontificii historiam utcunque retinent, sed applicationem obruunt, vetant te statuere Christi obedientiam pro tuis peccatis precium esse, te esse iustificatum sanguine filii Dei. At vera Ecclesia retinet vocem Evangelii in propheticis et apostolicis scriptis sepe repetitam, quae de officio sic nos docet, iuxta haec verba Pauli: Iustificati sanguine ipsius, Item: Sanguis Iesu Christi purificat nos ab omni peccato. Propter tuam obedientiam nobis donatam reputamur iusti et haeredes aeternae salutis, non propter ullam dignitatem nostram. Pro hoc immenso beneficio tibi, omnipotens Deus, aeterne Pater, Creator cum filio et Spiritu sancto gratias agimus. Tibi etiam, fili Dei, gratias agimus, quod factus es Redemptor noster, et te[4]) veris gemitibus precamur, ut lucem fidei voce Evangelii tui et Spiritu sancto accendas et augeas, nos infirmos gestes, gubernes, protegas et salves. Ad haec beneficia danda scimus te resuscitatum esse, et sedere ad dextram aeterni Patris colligentem aeternam Ecclesiam, ac dare dona hominibus. Haec sepe iam cogitemus, et collectione insignium testimoniorum nos et confirmemus, et ad gratiarum actionem et ad invocationem exuscitemus. Sic nos Paulus iubet ἑορτάζειν μὴ ἐν ζύμῃ παλαιᾷ, μηδ' ἐν ζύμῃ κακίας καὶ πονηρίας, ἀλλὰ ἐν ἀζύμοις εἰλικρινείας καὶ ἀληθείας. Iubet festum diem celebrare non fermento veteri, id est, non opinionibus et adfectibus car-

---

1) Scrpt. publ. *Vice* non habent.
2) Scrpt. publ. *Georgius Cracovius.*
3) *Theologiae*] Scrpt. publ. *J. U.*

4) *te*] abest a Scrpt. publ.

nalibus, sed azymis sinceritatis et veritatis. Sint verae de Deo cogitationes, sit invocatio vera, sint affectus sinceri, εἰλικρινεῖς, id est, seiuncti lutulentis fecibus, Amemus Deum et non dedecoremus eius gloriam scandalis, non anteferamus proprias cupiditates, ambitionem, odia veritati et gloriae Dei, non faciamus distractiones non necessarias, sed sanemus potius vulnera nostra. Denique sint pectora templi Dei, qui nequaquam inter furias habitat, quae accendunt in atheis rabiem sophisticam, barbaricam crudelitatem, θεομαχίας et alias pestes.

Quare propter gloriam Dei et salutem vestram vos obtestamur, ut gratitudinem vestram erga Deum et dominum nostrum Iesum Christum modestia vestra et invocatione ostendatis. Laeti etiam confirmate vos spe aeternae salutis, intuentes dulcissimus congressus sanctorum, quorum haud dubie magnum coetum Christus reviviscens simul resuscitavit. Et consentaneum est, saepe adsedisse Hevam, Saram et alias sanctas matronas apud Mariam, et ei narrasse suorum temporum agonas, aerumnas et liberationes, et Deo et huic filio gratias egisse. Illi dulcissimi congressus quadraginta dierum vere fuerunt aurea aetas in tota serie temporum, quae antecedunt postremum triumphum Christi, in quo universam Ecclesiam liberatam a peccato et morte in coelestia gaudia ducet. Hanc auream aetatem optemus et speremus talia cum Christo et Patribus et toto agmine coelesti colloquia plena verae sapientiae, ad quae tamen perveniri non potest, nisi hic elementa utcunque discamus. Quare et doctrinae exercitiis delectemur. Et ut ostendatis vos reverenter sentire de doctrina et voce ministerii Evangelici, adferant singuli ad aram in die festo Paschatos [5]) significationem gratitudinis. Hunc honestum morem scitis vos et commonefactionis et exempli causa conservare [6]), ut rudiores commonefiant de reverentia debita ministerio Evangelii. Datae in Paschate anni 1560, quod est ab exitu Israelitarum ex Aegypto Pascha 3069.

5) *in die f. Pasch.*] non leguntur in brevi enarrat., et videntur serius addita esse.

6) Brev. enarr. *conservari.*

No. 6974. 14. Apr.

Iac. Rungio.

† Ex *Engelbrechtii* Genealogia Ducem Pomeraniae manuscripta, cuius exempla habentur una in biblioth. ordinum Pomeraniae Stettini, duo in bibl. Regia Berolinensi, et alia privato homini propria, e qua illam descripsit *S. V. Schulzius*, P. et Superind. in Pasewalk, in Pomerania. —

Reverendo viro, eruditione et virtute praestanti, Iacobo Rungio, gubernanti Ecclesiam Dei in inclyta gente Pomerania, fratri suo carissimo,

S. D. Reverende vir et carissime frater. Legi tuas conciones de pulcherrima vita et de pulcherrima morte *Philippi* principis [1]), et legi Philippus brevi moriturus. Etsi autem Deo gratiae agendae sunt pro beneficiis, in vita et migratione principi datis, et ipsi gratulanda sunt haec bona, tamen haec non cogitantur a mediocribus hominibus sine commiseratione. Aliquoties igitur legenti mihi tuam historiam lacrymae eruperunt; intuebar enim non ipsum tantum principem mortuum, sed aviae patrem et matrem, quos novi omnes. Fuit omnino florens familia Palatino et avo vivente, et postea avunculo patriam regente, cuius magna fuit integritas et auctoritas. Memini etiam patris hymenaeum Heydelbergae celebratum, cum vestrorum equitum pulchritudo et virtus ludis equestribus laudarentur. Ego, adolescens, portabam vina hospitibus apud nostrum doctorem [2]). Quam brevi spatio tot magnos et bonos principes amisimus. Precor autem filium Dei, ut det Ecclesiae suae salutares principes, servet etiam et regat vestros duces.

Edi germanicam concionem ante caetera volui, qua et illustris domini luctum posse leniri lectione eius spero, et populo prodest consideratio commodorum et incommodorum in imperiis. Mittit typographus exempla ducenta, et pretium scripsit in pagella, quam mitto. Caetera edentur ad mercatum Lipsicum.

1) De Philippo Duci Pomeraniae (Pommern-Wolgast) vid. epist. Agricolae scriptam d. 26. Febr. huius anni. Imperavit inde ab anno 1531 usque ad ann. 1560., instituit Scholam Stettinensem, restituit academiam Grypheswaldiensem, clarusque fuit iustitiae amore, beneficentia, lenitate, fide. Mater eius fuit filia Electoris Palatini, quam pater, *Georgius*, in matrimonium duxerat Heidelbergae.

2) Pallantem Spangelium.

Haec scripsi tremula manu, quia catharus, qui mihi triennio molestus fuit, nunc febrem mihi adfert, et quia coniunctio ♄ et ♂ mihi infesta est.

Editus est libellus, in quo *Flaciani* petunt, synodum a suis principibus convocari. Architectum scripti video *Martinum* [Morlinum] esse, cuius inquietam naturam novisti[3]). Theatricam disputationem *Bremae* fieri, Canonici, prudentes viri, dissuaserunt. Romanus pontifex cum regibus de synodo deliberat; nam et Gallia revocavit exules et saevitiae conceditur intervallum. Omnino magna mutatio generis humani impendet, in qua filius Dei servet Ecclesiam suam. Bene vale et rescribe. Die Paschatos anno 1560.

Philippus Melanthon.

No. 6975. 15. Apr.

Alberto Duci Pr.

Edita a Pezelio in epp. Mel. lib. III. p. 48. (ed. Lond. III. ep. 20.). — Iterum ex apographo in tabulario Regiomontano a *Fabro* in epistolis p. 227. ep. 68. (Autographon desideratur in tabul. Regiomont.) — Contuli etiam apographa in cod. Goth. 212. Cod. Goth. 213. Cod. Mehn. I. p. 463. et in cod. Galli II. p. 210.

Alberto, Duci Borussiae

S. D. Illustrissime et Clementissime Princeps. Scriptum est in Psalmo 91. *Plantati in domo domini, in atriis dei nostri florebunt, et adhuc in senecta erunt germinantes et virentes.* Haec senectae bona, cum promiserit deus creator et custos Ecclesiae suae toto cum pectore oro, ut Celsitudini vestrae confirmet animae et corporis

3) Est libellus: „Supplicatio quorundam Theologorum, qui post obitum Lutheri, p. m., corruptelis et sectis voce aut scriptis contradixerunt, pro libera, christiana et legitima synodo ad illustrissimos Principes et status omnium ordinum A. C. complectentes." Recusum est in libro: Supplicatorii libelli quorundam Christi ministrorum de synodo propter controversias gravissimas congreganda, partim antea editi, partim nunc recens ad conventum Naumburgensem missi et exhibiti. Urselii 1561. 8. — Subscripserunt illi supplicationi LI Theologi, videlicet Ienenses, Brunsvicenses. Bremenses, Coburgenses, Ratisbonenses, Northusani, Magdeburgenses, Wimarienses etc. — In iis etiam Martinus Wolfius Pastor Calensis, praeterea vero nullus qui praenomen Martini habuit. Suspicor igitur in autographo Melanth. non *Martinum* sed potius *Morlinum* scriptum esse. Nam Martinus Wolfius est homo caeterum ignotus.

vires, et addat Celsitudini vestrae[1]) adhuc longa vitae spatia propter Ecclesiam, et filio Celsitudinis vestrae tribuat robur animi et corporis durabile. Ego hoc tempore non sine periculo egroto*). Commendo autem Celsitudini vestrae genus doctrinae, quod adhuc pio consensu docent in Ecclesiis vestris Doctor *Iohannes Aurifaber* et eius Collegae, et in Academiis his, quarum adhuc verus et pius consensus est, Tubingensi, Marpurgensi, Lipsica, Witebergensi, Francofordiana, Grypheswaldensi et Rostochiana. Et scio pios et doctos viros[2]) Hamburgae et Lüneburgae eandem doctrinae vocem constanter sonare. Nec a perspicua veritate[3]) discedamus propter rabiem *Flacii* et *Morlini.* Haec Celsitudini vestrae in hoc meo morbo praecipue scribere volui. Deinde commendo Celsitudini vestrae hunc Doctorem *Davidem Voit*, qui non disiunget se a sentencia[4]) et confessione Doctoris *Iohannis Aurifabri*, et erit Deo iuvante utilis scholae et Ecclesiae, quia mens pia est, et recte didicit doctrinam Ecclesiae, addo et hoc, sancto patre Evangelium docente natus est. Nos testimonium publicum Doctoris Theologici ei tribuimus, ut ostendunt publica scripta, quorum exemplum Celsitudini vestrae mitto. Postea Flaciani eum citatione missa, sine mentione causae, retinere conati sunt. Manifesta est ea in re petulantia, quod eo significo[5]) Celsitudini vestrae, ut cogitet ibi non veritatis studium esse, sed quaeri apud eos sine causa perniciosas distractiones. At boni et sapientes Principes Coniunctionem Ecclesiarum nostrarum tueantur.

1) *confirmet — — vestrae*] exciderunt e textu Pezel.

*) (Adscripsit *Faber* haec:)
Dieser Brief ist nur vier Tage vor Melanthons Absterben geschrieben. Er starb den 19ten April 1560.
Auf die Nachricht von Melanthons Tode schrieb der Herzog an den D. Caspar Peucer, Melanthons Schwiegersohn, nicht nur ein Beileids- und Trostschreiben, sondern erwähnte auch darin: er habe kurz vor Mel. Absterben an Justus Jonas die Bestellung gemacht, daß er einen Becher von hundert Thaler werth verfertigen lassen und Melanthon zur Verehrung zustellen sollen. Da dies wegen seines unerwarteten Ablebens unterblieben wäre, so disponirte der Herzog über diese 100 Thaler in der Art, daß D. Peucer davon die Hälfte und Melanthons Sohn, Philipp, die andere Hälfte, zu einem Andenken der Gewogenheit gegen ihren Vater, erhalten sollten.
Auch späterhin setzte der Herzog seine Wohlthätigkeit gegen Melanthons Sohn noch fort und schenkte ihm im Jahr 1563 hundert Gulden zum Aufbau seines verfallenen Hauses in Torgau.

2) Pez. addit: *Lubecae*, quod codd. non habent.

3) Pez. et codd. *sententia.*

4) Fab. *sentenciis.*

5) Pez. *dico.*

Oro *) autem filium dei, dominum nostrum Ihesum Christum, ut Celsitudini vestrae confirmet corporis et animae vires, et addat longa vitae spacia. Amen. Datae die secundo post Pascha Anni 1560.

Illustriss. Cels. v.
Servus
Philippus Melanthon.

No. 6976. 16. Apr.

Io. Aurifabro.

Epist. lib. VI. p. 430. — Apographa in cod. Goth. 212., cod. Goth. 213. et in cod. Galli II. p. 211.

Reverendo et optimo Viro, D. Ioanni Aurifabro, docenti Evangelium Christi in urbe Regiomontana.

Reverende vir et carissime frater. Etsi audieram te in Patria Vratislaviae esse, ubi doctissimorum et optimorum virorum, *Cratonis*, *Adami*, *Petri Vincentii* et *Morebergii* colloquiis te frui spero, tamen hanc brevem epistolam scripsi, cum quidem me non leviter *excruciet* [1]) febris ἠπίαλος, orta a catarrho, qui mihi plus triennio molestus fuit. Dabis igitur veniam brevitati litterarum. Illustrissimo Principi tanquam moriturus commendavi doctrinam nostram [2]), et de consensu plurimarum Ecclesiarum vero et pio scripsi. Hanc doctrinam tibi quoque commendo, et *Davidem Voyt* ut complectaris te oro. Spero eum nulla in re a sententia tua discessurum esse. Quaeso ut, si vivam, mihi scribas quamprimum. Bene vale. Die 2. post Pascha. Gratiam tibi habeo pro aliis officiis omnibus, tum etiam pro collatis in *Sickium* et *Daucidem* [3]).

Philip. Melanthon brevi moriturus.

Et haec quidem postrema fuit epistola quam in vita sua Philippus scripsit.

*) Pez. *rogo*; *autem* addunt codd.
1) *excruciaret*] cod. Goth. 213.
2) *nostram*] ex mst. edidi pro *tuam*.
3) Mst. cod. Goth. 213. *Davidem*.

No. 6977. (his dieb.)

(Scriptum.)

Mel. Consil. lat. P. II. p. 396.

Caussae cur minus abhorreas a morte, scriptae a Philippo Melanthone in pagella, paucis diebus ante obitum.

A sinistris.	A dextris.
Discedes a peccatis.	Venies in lucem.
Liberaberis ab aerumnis, et a rabie Theologorum.	Videbis Deum.
	Intueberis filium Dei.
	Disces illa mira arcana, quae in hac vita intelligere non potuisti.
	Cur sic simus conditi.
	Qualis sit copulatio duarum naturarum in Christo.

No. 6978. 18. Apr.

Testamentum Melanthonis.

De hoc Melanthonis testamento videatur prolixa narratio in scripto, quod infra dedimus: Brevis narratio exponens, quo fine vitam in terris suam clauserit Phil. Mel. etc. (Witeb. 1560. 4.), ubi etiam prima pars testamenti usque ad verba: „*Anabaptistas*, *Flacianos et similes*" edita est, quam ex hoc scripto Pezelius etiam Consiliis Melanth. latinis P. II. p. 395. inseruit. — Integrum scriptum, videlicet quatenus a Melanthone perscriptum fuit, (nam illud ad finem perducere propter morbum non potuit,) primum prodiit in dem Greifswalder Wochenblatt von allerhand gelehrten und nützlichen Sachen, 1743. S. 129., et quidem ex autographo, quod fuit in manibus Quadii, Rectoris Stettinensis. Ab hoc apographon testamenti missum est Strobelio, qui illud denuo edidit in seinen Beiträgen zur Literatur, 2. B. p. 177. — Contuli autographon ipsum, non male pictum, quod $3^1/_4$ paginis constat, ex quo hic accurate descriptum est. Caeterum hoc autographon omnium ultimum est, quod Melanthon scripsit.

(Testamentum Melanthonis, pridie ante mortem scriptum, sed ad finem non perductum.)

Anno 1560. die Aprilis decimo octavo scripsi hoc testamentum in morbo [1]) breviter de iis reliquiis facultatum quas mihi deus dedit. Confessionem fidei et gratiarum actionem ad deum et dominum

1) Brevis narratio Witeb. addidit: *meo*, quod abest ab autogr.

nostrum Ihesum Christum scripseram ante[2]) his, sed chartae sunt interceptae. Volo tamen confessionem meam esse, Responsiones de Bavaricis articulis contra Pontificios, Anabaptistas Flacianos et similes.

Heredes nomino filium meum philippum, et Generum meum virum clarissimum Georgium Sabinum nomine filiarum, et Generum meum virum clariss. Casparum Peucerum doctorem artis Medicae nomine coniugis suae, filiae meae[3]) cariss. Magdalenae.

Facultates meae nunc hae sunt

Pensio Dessaviensis, annui aurei usitati in pecunia 45 iuxta literas.

Item domus mea anterior, quam estimo sexcentis aureis. Posterior matre volente et me concedente aedificata est et instructa sumtib. Caspari Peuceri. Eam posteriorem domum iudico propriam esse Caspari, nec complector eam hereditate. Et si quid volent heredes disputare de area vel lignis, adfirmo me omnia illa scientem et volentem ei donare, et volo eum illa tenere propria Iure donationis, et[4]) prohibeo lites ulla de re inter meos. quia nemo habere potest querelam de mea voluntate, aut benignitate qualis in hac paupertate esse potuit Annos circiter triginta.

Habemus Feldißch[5]) et ego florenos quindecim annuos ex pago Mersuicz[6]) qui est viri nobilis Marschalci[7]) Loseri.

Solvit et quotannis reditum Hieronymus Crap 14 alte Schok.

Aliquid est et penes fratrem georgium in patria quem scio pro sua fide[8]) heredibus meis omnia quae mea sunt indicaturum et daturum esse.

Attribuo igitur deo iuvante Philippo filio meo, totam pensionem Dessaviensem quinq. et quadraginta florenos.

Attribuo genero meo Casparo Peucero doctori artis Medicae meam domum aestimatam sexcentis aureis.

2) Brev. narr. *antea.*
3) *meae*] Strob. non habet.
4) Strob. *donationis. Et.*
5) Sic scriptum est pro *Feldkirch.*
6) Strob. *Mersewiz*; male.
7) Strob. *Mareschalci;* male. — De re ipsa conf. epist. Mel. supra d. 4. Decb. 1544. no. 3086
8) Strob. *fide sua.*

No. 6979. 19. Apr.

Scholasticis.

Scripta publica Witt. T. IV. p. 93. Item in „brevi narratione" de obitu Melanthonis ab Acad. Witeb. edita.

(*Scholasticis.*)

Carissimi auditores. In qua sollicitudine, moerore et metu versemur propter aegritudinem reverendi praeceptoris et patris nostri, domini *Philippi*, non ignoratis, et haud dubie nobiscum serio afficimini. Patienter etiam feretis, operas lectionum hoc pomeridiano tempore a nobis omitti. Significare autem vobis hoc ideo volumus, ut sciretis, morbum ita intendi, ut, nisi Deus sua potentia naturam iuverit et sustentaverit, dominum praeceptorem vim morbi tolerare diu non valiturum. Hortamur autem vos, ut nobiscum Deum ardenter invocetis, ut miseram Ecclesiam et in ea iuventutem clementer respiciat, et ne ingratitudinem nostram hoc modo puniat, ut hunc fidelem studiorum gubernatorem nobis adhuc quidem eripiat. His precibus hoc vacuum tempus obsecro tribuite potius, quam aliis studiis, et vos[1]), Ecclesiam et valetudinem praeceptoris nostri Deo diligenter commendate[2]). Bene valete. Die 19. Aprilis, quo etiam vesperi quadrante horae ante septimam ex hac mortali in coelestem Academiam atque vitam migravit placidissime. Anno 1560.

M. Sebastianus Theodorus.
D. Georgius Maior.
M. Esromus Rudiger.
M. Caspar Cruciger.

1) Scrpt. publ. *nos.*
2) Hic finitur scriptum in „brevi narratione".

No. 6980. 24. Apr.

Camerarius ad Heroldum.

Edita in *Hummelii* epistolar. semicenturia altera etc. p. 41. Apographon in cod. Galli II. p. 211.

Ioachimus Camerarius sen. ad Hieron. Heroldum[1]). [Inscriptio apud Hummel. — In cod. inscriptione caret.]

S. D. Non studui mea significatione celeriter vobis indicari[2]) tristissimum casum mortis *Philippi Melanchthonis*, *στέργει γὰρ*[3]) *οὐδεὶς ἄγγελον κακῶν ἐπῶν*. Et sane animo fui ac sum perturbatissimo. Excurreram statim ad eum nunciata adversa valetudine ipsius. Erant periodi † *τριταῖαι*" febriles cum nausea e catarrho; et *νεφριτικὰ πάθη* accedebant. D. *Peucerus* statim initio morbi valde coeperat perturbari. Mansi Vitembergae quatriduo. XVI. die Aprilis una in coena fuimus hilares cum et cibi aliquid ille caperet, et mutuis sermonibus recrearetur. Ivit tum cubitum. Redii mane postridie hora sexta. Iacebat in lectulo, nulla re indicante periculum, et se dormivisse suaviter aiebat et somnia fuisse iucunda. Tetigi venam adstante D. *Peucero*, rogavique quid spei haberet. Respondit, sibi causam non videri, cur aliter quam bene speraret, metuere tamen *ἡμιτριταῖον*[4]) discrimen. Ita tum discessi, et eo die huc reversus sum. Sed paroxysmus paulo post rursus afflixit Philippum, sic tamen, ut multa signa bona apparerent, interque ea sudor aequalis et calidus. Die XVIII. surrexit e lectulo, et assedit, ac coepit describere quid fieri vellet, si quid sibi accideret, atque magnopere se debilitari sensit, et rursum decubuit. Ea etiam nocte narrant eum satis bene dormivisse. Sed 19. die adortus eum[5]) paroxysmus ita prostravit omnes vires, ut statim de vita eius desperarent. Ego, cognito periculo, quamvis serius, † statim" equum ascendi, et veni Vitebergam eo die, quo corpus illius sepelierunt, qui fuit 21. Aprilis, fuique inter eos, qui exequias funeris deduxerunt. Nam post paroxysmum luctari statim cum morte coepit, neque instaurari vires[6]) potuerunt, et ipse ad vesperam placidissima morte decessit, animi facultatibus omnibus integris et firmis perpetuo, donec extremum spiritum duxit. Sed quo fine vitam in terris clauserit, vere et simpliciter exponant ii, qui affuerunt. Nam alia iam alibi spargi feruntur.

Cum *Philippo Melanchthone* optime est actum translato ex hac aerumnosa et ipsi inprimis laboriosa et misera vita in vitam beatam et felicitatem ac quietem sempiternam. Caeteri sibi videant. Me autem hoc casu maximo dolore affici necesse est, qui amicissima et familiarissima necessitudine ipsius usus sum annis totis XLI[7]), neque inter nos ullae unquam querelae aut simultates intercesserunt. Uterque alterum ex animo dilexit, et quibus officiis licuit pro sua parte adiuvit. † Ego eum colui, ut par fuit"; ipse me ornare augereque studuit. Mentionem nuper adeo fecit consuetudinis nostrae, cum ad eum venissem, singulari[8]) voluptate. Mansimus, inquit, † ambo" in humilitate scholastica, et fecimus nostro loco quod potuimus; profuit aliquibus fortasse opera nostra, nemini certe, ut spero, nocuit. Sed quoniam in terris nihil est perpetuum aut proprium[9]), quod licuit mihi tam diu frui coniunctionis huius suavitate ago[10]) gratias aeterno Deo. Caetera feram ut potero, et optimi atque sanctissimi viri Philippi Melanchthonis nomen memoriamque omni veneratione prosequar, et pie inviolateque servabo, et, si potero, defendam ab invidorum et malevolorum acerbitate et odio. Sed de his satis. Mei petunt, ut in patriam veniam, et domestica negotia meam praesentiam videntur postulare. Itaque de isto itinere modo deliberabam. VIII. Calend. Maii anno 1560.[11])

Ioachimus Camerarius.[12])

No. 6981. 16. Maii.

Streichbergerus ad Stuckium.

Epistola *Ioh. Streichbergeri* ad *Ioh. Stuckium* de morte Philippi Melanthonis. (e cod. Goth. 212. fin. et cod. Goth. 213. fin.)

Streichbergerus ad Stuckium.

S. D. Eripuit Deus electum vas suum *Philippum Melanthonem*, carissimum nostrum prae-

1) „Medicinae Doctorem Norimbergens. anno 1566. defunctum, Camerario admodum familiarem. Vid. Nbg. Gelehrt. Lexic. P. II. p. 95." (Nota Hummel.)

2) Cod. Gall. *indicare.*

3) *γὰρ*] non habet Humm.

4) Cod. Gall. *ἡμιτριταῖον.*

5) Cod. Gall. *ipsum.*

6) Cod. Gall. *vires naturae.*

7) Hummel. 48, quod mendum est.

8) Cod. Gall. *venirem*, *cum singulari.*

9) *aut propr.*] non habet cod. Gall.

10) Cod. Gall. *habeo.*

11) *Mei petunt*] et quae sequuntur non habet apogr. in Cod. Gall.

12) Nomen subscr. habet cod. Gall.

ceptorem, morsibus Sycophantarum, ut puniret ingratum mundum. Amisso enim hoc lumine, bone Deus! quantarum et quam densarum procellarum tenebrosi fluctus nobis expectandi sunt! Exhorresco cogitans multorum pravorum ingeniorum insignem petulantiam, quae sese iam mortuo Philippo magis exseret. Sed hac me promissione erigo, quod filius Dei inquit: *ero vobiscum usque ad consummationem seculi.* Defunctus quidem est Philippus nulla apparente in eo morientis imagine, sed tanquam suaviter dormiens animam exhalavit, ut a multis adstantibus praeter me, qui proxime illi adstabam, id non animadverteretur. Ultimum officium praestans illi oculos clausi. Reliquam historiam scribere nec tempus nec lacrymae permittunt. Habebis autem brevi totam totius etiam morbi et sermonum historiam, in qua iam laboramus.

Tua etiam causa sollicitus sum etc. — — Datae Witebergae 16. Maii, 1560.

No. 6982.

Pezelius de obitu Melanth.

Pezelius in Melanthons christlichen Berathschlagungen und Bedenken p. 790., Annalibus a Melanthone ad singulos annos, 1552—1559., conscriptis addidit ad ann. 1560. haec de Melanthone:

Vom tödtlichen Abgang Herrn Philippi Melanthonis, Anno 1560.

Das folgende Jahr, als 1560., den 19. Aprilis, verlor die Universität ihren Vater, Patron, Preceptorn und Rectorn, den Herrn Philipp. Melanth. einen fürtrefflichen Mann, so von Natur fromm, und mit hohen Gaben des Verstandes und großer Richtigkeit gezieret, der große Lust und Liebe hatte, die Wahrheit mit Fleiß zu erforschen und zu erklären, der mit christlicher Gottseligkeit, mit einem ehrbarn und heiligen Wandel, mit Gutthätigkeit gegen arme Leut, mit unüberwindlicher Geduld, Unrecht zu leiden, und die ihm keiner leichtlich nachthun wird, mit Freundlichkeit, mit Weisheit, mit Lehr und Geschicklichkeit, mit Beredsamkeit hoch begnadet, und des heiligen Geistes Werkzeug, und aller heiligen Tugenden ein lebendig Exempel war.

Es kam aber Herr Philippus erstlich in diese Universität Wittenberg, im Jahr 1518. den 28. Augusti, nachdem er aus der Universität Tübingen von Herzog Friederich, dieses Namens den dritten, Churfürst zu Sachsen, aus Rath seines Gefreunden, Johannis Reuchlins, erfordert, daß er allhie die griechische Sprach lehren sollte, und ist er der erste, der in dieser Universität die lateinische und griechische Sprach angerichtet hat sampt der ganzen Philosophia, die er aus der Griechen Bücher, wie seine Schriften ausweisen, wiederum gereiniget und erneuert hat.

Was er aber, nachdem er dem Ehrwürdigen Herr Doct. Martin Luther als ein treuer Gehülf zugegeben, der christlichen Kirchen gefrommet hat in Verbesserung der Lehr, so durch der Päpste List und der Mönchen Betrug verfälschet war, das bezeugen seine Bücher, so noch vorhanden, und die vielfältigen Streit, so er mit den Widersachern auf den Reichstagen und sonst ausgestanden hat über die 30 Jahr.

Die Augsburgische Confession, so Kaiser Carl auf dem Reichstag zu Augsburg Anno 1530. übergeben worden, hat Herr Philippus selbst gestellet, und die ganze christliche Lehre, so durch viel seltsame Opinionen verwirret und verfinstert lag, hat er wiederum ausgewickelt, und ans Licht bracht, und dieselbe mit allen Treuen und Fleiß zusammen verfasset in ein corpus gebracht, und mit einer verständlichen und eigentlichen Form und Art zu reden erkläret, in dem Buch, das man nennet locos theologicos.

Er starb aber den 19. Aprilis kurz vor 7 Uhr auf den Abend am dreitäglichen Fieber, welches ihn erst den 7. Tag dieses Monats angestoßen, und bescheeret ihm Gott gar ein stilles und seliges Ende, also, daß er in stetwährender Anrufung zum Sohn Gottes den Seinen daheim untern Händen verschied. Den Körper legt die Universität in gewisser Hoffnung der zukünftigen Auferstehung in einen zinnern Sarg, und begrub ihn in die Schloßkirchen zu Wittenberg, damit sie also ihren treuen und lieben Vater, Patron, Preceptorn und Rectorn, der sich um Kirchen und Schulen in Anrichtung der freien Künst, in Erklärung und Fortpflanzung der christlichen Lehr wohl verdienet, aus schuldiger Dankbarkeit den letzten Dienst und Willen erzeigete.

HALIS

TYPIS EXPRESSUM GEBAUERIIS.



ceptorem, morsibus Sycophantarum, ut puniret ingratum mundum. Amisso enim hoc lumine, bone Deus! quantarum et quam densarum procellarum tenebrosi fluctus nobis expectandi sunt! Exhorresco cogitans multorum pravorum ingeniorum insignem petulantiam, quae sese iam mortuo Philippo magis exseret. Sed hac me promissione erigo, quod filius Dei inquit: *ero vobiscum usque ad consummationem seculi.* Defunctus quidem est Philippus nulla apparente in eo morientis imagine, sed tanquam suaviter dormiens animam exhalavit, ut a multis adstantibus praeter me, qui proxime illi adstabam, id non animadverteretur. Ultimum officium praestans illi oculos clausi. Reliquam historiam scribere nec tempus nec lacrymae permittunt. Habebis autem brevi totam totius etiam morbi et sermonum historiam, in qua iam laboramus.

Tua etiam causa sollicitus sum etc. — — Datae Witebergae 16. Maii, 1560.

No. 6982.

Pezelius de obitu Melanth.

Pezelius in Melanthons christlichen Berathschlagungen und Bedenken p. 790., Annalibus a Melanthone ad singulos annos, 1552—1559., conscriptis addidit ad ann. 1560. haec de Melanthone:

Vom tödtlichen Abgang Herrn Philippi Melanthonis, Anno 1560.

Das folgende Jahr, als 1560., den 19. Aprilis, verlor die Universität ihren Vater, Patron, Preceptorn und Rectorn, den Herrn Philipp. Melanth. einen fürtrefflichen Mann, so von Natur fromm, und mit hohen Gaben des Verstandes und großer Richtigkeit gezieret, der große Lust und Liebe hatte, die Wahrheit mit Fleiß zu erforschen und zu erklären, der mit christlicher Gottseligkeit, mit einem ehrbarn und heiligen Wandel, mit Gutthätigkeit gegen arme Leut, mit unüberwindlicher Geduld, Unrecht zu leiden, und die ihm keiner leichtlich nachthun wird, mit Freundlichkeit, mit Weisheit, mit Lehr und Geschicklichkeit, mit Beredsamkeit hoch begnadet, und des heiligen Geistes Werkzeug, und aller heiligen Tugenden ein lebendig Exempel war.

Es kam aber Herr Philippus erstlich in diese Universität Wittenberg, im Jahr 1518. den 28. Augusti, nachdem er aus der Universität Tübingen von Herzog Friederich, dieses Namens den dritten, Churfürst zu Sachsen, aus Rath seines Gefreunden, Johannis Reuchlins, erfordert, daß er allhie die griechische Sprach lehren sollte, und ist er der erste, der in dieser Universität die lateinische und griechische Sprach angerichtet hat sampt der ganzen Philosophia, die er aus der Griechen Bücher, wie seine Schriften ausweisen, wiederum gereiniget und erneuert hat.

Was er aber, nachdem er dem Ehrwürdigen Herr Doct. Martin Luther als ein treuer Gehülf zugegeben, der christlichen Kirchen gefrommet hat in Verbesserung der Lehr, so durch der Päpste List und der Mönchen Betrug verfälschet war, das bezeugen seine Bücher, so noch vorhanden, und die vielfältigen Streit, so er mit den Widersachern auf den Reichstagen und sonst ausgestanden hat über die 30 Jahr.

Die Augsburgische Confession, so Kaiser Carl auf dem Reichstag zu Augsburg Anno 1530. übergeben worden, hat Herr Philippus selbst gestellet, und die ganze christliche Lehre, so durch viel seltsame Opinionen verwirret und verfinstert lag, hat er wiederum ausgewickelt, und ans Licht bracht, und dies
Treuen und Fleiß zusammen verfasset in e
bracht, und mit einer verständlichen u
Form und Art zu reden erkläret, in de
man nennet locos theologicos.

Er starb aber den 19. Aprilis kurz
den Abend am dreitäglichen Fieber, welch
7. Tag dieses Monats angestoßen, und
Gott gar ein stilles und seliges Ende, a
stetwährender Anrufung zum Sohn Got
daheim untern Händen verschied. Den
Universität in gewisser Hoffnung der zuk
stehung in einen zinnern Sarg, und b
Schloßkirchen zu Wittenberg, damit sie
und lieben Vater, Patron, Preceptor
der sich um Kirchen und Schulen in
freien Künst, in Erklärung und Fo
christlichen Lehr wohl verdienet, aus
barkeit den letzten Dienst und Willen er

HALIS
TYPIS EXPRESSUM GEBAUERIIS.

